BIBLIOTHECA SICULA, SIUE DE SCRIPTORIBUS SICULIS, QUI TUM VETERA, TUM...





BIBLIOTHECA SICULA,

SIVE

DE SCRIPTORIBUS SICULIS,

QUI TUM VETERA, TUM RECENTIORA SAECULA ILLUSTRARUNT,

NOTITIAE LOCUPLETISSIMAE;

In quibus non solùm Siculorum Auctorum, qui ad hæc usque tempora scripserunt, Codices excusi, vel manuscripti adnotantur; verùm etiam eorumdem Patria, Aetas, Professio, Munia, Dignitates, Memoranda, Obitus, & Epitaphia recensentur.

Encomia itidem, quibus adhuc exteri Scriptores Siculos Auctores exornarunt, in Lectorum gratiam indicantur: nonnulli Scriptorum lapsus corriguntur: pluresque Siculi Scriptores vel ab alienigenis Provinciis usurpati, veræ Patriæ restituuntur.

Accessit Apparatus præliminaris Operi prævius, complectens Sicanæ Historiæ prospectum, Disquisitiones de nomine Siciliæ, Siculorum Ingenio, & Literis, & de Computo Olympiadum.

AUCTORE SAC. THEOL. DOCTORE

ANTONINO MONGITORE

PRESBYTERO PANORMITANO.

TOMUS PRIMUS.





PANORMI

EX TYPOGRAPHIA DIDACI BUA MDCCVIII.

Superiorum Licentia.

ILLUSTRISS.^{MO} SENATUI PANORMITANO.

D. CALOGERO GABRIELI COLUMNAE ROMANO, Duci Cisarò de Insula, Marchioni Fluminis Nisæ, Baroni Cisarò de Joppulo, Joncasii, Ragaltuscii, Goderani, S. Alexii, Gissiæ, &c. Regii Patrimonii Rationum Magistro, à Consilio Catholicæ Majestatis, iterum Prætori,

D. JOSEPHO LA PLACA Tertiùm,

D. FRANCISCO FERNANDEZ DE MEDRANO Secundò,

D. FRANCISCO PEROLLO,

D. HIERONYMO OLIVERIO, ET PILO Secundò,

D. HONUPHRIO GONZALEZ à Consilio Catholicæ Majestatis, & ejusdem à Secretis,

D. SIMONI SITAJOLO, ET GIGLIO,

SENATORIBUS.



MPLISSIMA Sicularum Urbium ornamentā in hoc primo Bibliothecæ meæ Tomo ab oblivione vindicata, jure optimo Panormitanæ Urbi deberi ratus, Vobis ornatissimis Patriæ Patribus devoveo, qui ejus clavum summo prudentiæ studio moderamini; cui enim consultiùs dicanda Sicularum Urbium gloria, nisi Panormo tàm Siculi Regni, quàm Sapientiæ Capiti, augustissimo? Urbi celeberrimæ, in quam tanta semper, velut in Auream Concham profluxit bonorum copia, ut in ea cunctis temporibus, tanquam in proprio gloriæ theatro, naturæ munificentia, nationum, Regumque benevolentia, ac præclarissi-

mæ Palladis artes latissimè effulserint. Meritò hanc Urbem, Noemi temporibus conditam, (1) à largissimis naturæ beneficiis laudant; nam insigni Cœli clementiâ, uberrimi soli fœcunditate, situs amœnitate mirificè præstat: adeo ut passim Siciliæ Paradisum, (2) Orbis delicium appellent. Hinc ab omnibus Gentibus impensè dilecta, eximiis undique privilegiis cumulata semper enituit. Panormũ Romani Urbis (3) nomine, Prætoris, ac Senatus (4) majestate, & Aquilæ (5) insigniis cohonestatam, liberam Urbem, (6) ac immunẽ constituère. In ea Carthaginienses (7) primariam Siciliæ sedem delegerunt. Siciliæ Regiam, (8) & Sicularum Urbiũ Caput declararunt Gothi, Vandali, Normanni, Suevi Imperatores, Aragonii Reges, aliique subsequuti. Ipsa Regum Patria, & Sedes, hos Diademate Regio insignivit, his cunas, ac sepulchra exhibuit augusta. Hinc nil mirum si maximis muneribus ejus gloriam munire, amplificare, & felicissimam efficere certatim studuerint Summi Principes Orbis, qui in Sicilia ad Metropoliticum dignitatis fastigium in utroque ordine Ecclesiastico, ac politico insigniter evexere. At præstantissimam Urbis Felicitatem, laudemq; in literis, & illustrium Virorum gloria sitam esse dubitat nemo: quid enim splendidius, quid honestius quàm scientias excolere, doctos Viros producere, literarum amantissimos fovere? Hac in Urbe ingeniorum ubertas soli fœcunditatẽ æmulatur: in eã disciplinarum Athenæum transtulit sapientia. Id serpente illo Panormitani Genii præcordiis inhærenti, Majores nostri explicare curarunt, qui Minervæ Sacer, (9) sapientiæ decus adumbravit. Hoc ipsum Panormitana numismata (10) Palladis imagine, ac noctuæ signo procusa, quo sapientiæ domicilium (11) Panormi constitutum designarunt. Ex ea etenim Philosophorum, Theologorum, Oratorum, Poetarum agmen frequentissimum prodiit. In ea innumeri omnium scientiarum candidati progeniti, quibus Panormitana Respublica glorietur. Poesis Etrusca hìc primùm in lucem edita, Panormitanorum ingeniorum lacte educata ad Italiæ totius gloriam adolevit; adeout hìc primùm Hippocrenas erupisse crederes. Hinc meritò à Joanne Zaccagno Romano, (12) *Panormus*, vocatur, *maximorum ingeniorum Civitas feracissima, & quæ cum Athenis ipsis gloriosè conferri possit*. Zaccarias Boverius (13) *Urbem*, appellat, *literarum studiis, maximisque ingeniis præstantem*. Ex Matthæo Silvagio (14) est *Virorum illustrium amata nutrix, sapientialis doctrinæ schola, & doctissimorum virorum veneratrix*. Vobis ergo Patres Illustrissimi, Vobis inclytæ, literatæ Patriæ Custodes oculatissimi, tribuendum opus. Vestro duce consilio felicitatis compendium, literarum otium, ut in tutissimo portu perennem sibi augurantur pacem;

Hic æterna quies, nullis hìc jura procellis. (15)

Vestra sub umbra ne dum perpetuum Patriæ felicitatis fulcimentum, quàm inconcussum libri patrocinium ominatur Columna, quæ in hoc Patrum consessu omnibus præit. Prima Mundi ætate decurrente, erectas Columnas duas, (16) æneam unam, lateritiam aliam tradunt, in quibus astronomica arcana sedulò descripta contra ignis, & aquæ vim ad Orbis utilitatem servarentur. In hac Columna delineata Siculorum Scriptorum decora; contra temporis injurias, & invidorum dicacitatem

1. *Ex inscrip. apud Fazel. de reb. Sicul. dec. 1. l. 8. lege Mar. Valguarn. de orig. Pan.*
2. *Ferrarius epit. Geograph. aliique.*
3. *Ex Ranzano de orig. Panor. & inscr. in ædib. Senatus.*
4. *Cic. or. 5. in Verrem.*
5. *Fazell. dec. 1. l. 8. Barth. Neocastr. hist. Sicil.*
6. *Cic. or. 5. in Verr.*
7. *Polyb. lib. 1. ex vers. Causaub. & alii.*
8. *Proc. de bell. Goth. Roderic. Xim. hist. Vandal. Alexand. Calesin. in Chron. Rogerii II. Henr. VI. Frid. II. aliorumq; Regum Privileg. cateriq; Scrip.*
9. *Natalis Comes mythol. l. 4. c. 5.*
10. *Apud Parutam. n. 84.*
11. *Ex Pierio Valeriano hyerogl. lib. 20. c. 14.*
12. *In elogio Frãc. Balducci in vestibulo carminum ejusdem Balducci.*
13. *Tom. 1. annal. Capucc. an. 1533.*
14. *De Tribus Peregr. p. 172.*
15. *Stat. Sylu. 3.*
16. *Jos. Hebreus antiqu. Judaic. lib. 1. cap. 4.*

caecitatem illaesa, diuturno fulgore praeseruanda speramus. Te Patrono, Praetor clarissime, firmior erit Siculorum gloria, gloriosior Literatorum fama: E tuo enim nitidissimae familiae lumine, huic Bibliothecae splendor accedet. Cui ignotum augustissimi generis tui nomen latissimè diffusum, quo totus terrarum Orbis illustratur? Ipsius honores haud paucis complectendi, dum ejus majestatem plurium voluminum argumentum fuisse scimus: nec Columnae tuae sublimitatē Auctorum quispiam adhuc plenissimè dimensus est. Id solùm hìc obiter indicare censui, Romanam Columnensium Procerum familiam, vetustatis origine, potentiâ, opibus, ac perpetuâ illustrium virorum gloriâ effulsisse: in ea enim familiares, ac frequentissimae Summorum Pontificum Thyarae, Cardinalium Purpurae, Episcopales Infulae, Provinciarum, ac Regnorum Praefecturae. In ea longo ordine Aurei Velleris Equites, Magnates à titulis, honoribusque egregios, Heroas bellica virtute praestantissimos Orbis universus venerabundus inspexit. Ex his quàm latè pateat familia tua omnes etsi caecutientes apertissimè vident; id enim certo certius Jordanum Columnam Zagaroli Marchionem, Ioannis S. R. E. Cardinalis titulo S. Praxedis fratrem, anno 1240. clarum, Octonem (ex quo Columnensis Comestabilis familia originem trahit suam) & Fridericum Columnam Romanum, ita à patria vocatum, genuisse. Hic autem in Siciliam transvectus, Savocae Dominus, & praecipuus Dux apud Fridericum II. Imperatorem, & Siciliae Regem constitutus effloruit: ex quo rectâ Preavorũ serie Caesarodis Barones, ac Duces originẽ agnoscunt, agnoscunt & tuam. Id enim, ut caeteros mittam, testatur Dominicus de Sanctis, (1) qui ait: Siculos Columnenses ex Baronibus Caesarodis, & Fluminis Nisae ex eodem sanguine progenitos, ac Columnenses Romanos: quod publicè, ac solemniter Thomae Columnae Siculo ex Baronibus Caesarodis testatus est Prosper Columna S. R. E. Cardinalis anno 1442. Hoc autem confirmarunt Marcus Antonius Columna Siciliae Prorex, Pompeus, & Marcus Antonius Columna Cardinales, ac tandem Philippus Columna Talleacotii Dux, qui in testamento condito Romae anno 1639. 26. Martii, cùm familiae suae Magnatem, ac Primigenum instituisset, voluit, ut deficientibus stirpis suae Romanae Proceribus, omnibus familiae feudis, titulisque Columnenses Siculi succederent. Haec de Sanctis. Hae autem supremae Tabulae in Archivo tuo inter insignia gentis tuae monumenta servatae idipsum abundè testantur. Quis Tuorum pereximius Ordo, qui pristinum generis tui splendorem Romà deductum in Sicilia servavit, enumerare valeat? Hos inter Christophorus, qui Luciam Manfredi Claramontis filiam uxorem duxit, ac anno 1320. & 1328. Messanae Stratigotus, anno 1334. Caesarodis Baroniam adeptus est. Thomas Baro Fluminis Nisae, Savocae, S. Alexii, Calatabiani, Bissanae, Gisiae, Cattafi, Montalbani, & Favarottae, quinquies Messanae Stratigotus, & anno 1398. Magnus Siciliae Iustitiarius. Haud licet innumera in Reges Siculos obsequia à Majoribus tuis edita hìc percensere: nec munificentissimam Regum benevolentiam, nec titulos, feudosque, quibus in grati animi significationem familiam tuam illustrarunt:

1. In libro Columnensium Procerum Icones, & memoriae.

lustrarunt : essent hæc omnia historiæ satis prolixæ documenta ; & *cupientem me singula recensere, hic me deficiet dies.* (1) Solùm commemorabo quæ Rex Martinus, Reginaque Maria protulere in privilegio, quo Thomæ supralaudato Oppidum Fluminis Nisæ concessere anno 1392. 15. Maii : illud enim dedisse, ait, ob egregia Thomæ facinora, quibus Messanam in Regis potestatem redegit : *in reducendo scilicet prædictam Civitatem Messanæ ad fidei nostræ cultum, ut pro tot meritis, & servitiis ipsum nobilem Thomasium nostræ collationis, & gratiæ prosequamur impendio.* Tuam etiam præstantiam plenissimè intellexit tum Carolus II. Rex, qui Te à Rationibus Magistrum delegit: tum etiam Philippus V. Borbonius, qui perhumaniter studium excepit tuum, cùm in Italiam appulisset : nam Te anno 1704. Patriæ hujus Prætorem amplissimum constituit : & ad eamdem dignitatem iterum evectus nunc singulari prudentiâ, ac consilio cuncta oculatissimè moderaris. At quid plura ? rebus undique effulgentibus lucem deferam ? meridiano Soli facem adhibeam ? satius est omnia preterire, quàm exiguo laudum censu exornare : *supervacanei laboris est commendare conspicuos, ut si in Sole positis facem præferas.* (2) Excipite & Vos Patres Conscripti hoc observantię meę donum: Vobis, Patrię Custodibus vigilantissimis opus sisto : & à vestro patrocinio plurimum splendoris accipiet : quantum enim laudis Siculis Sapientibus detraxit ingenii mei imbecillitas, tantum dignitatis, ac famæ ipsis nominis vestri splendor impertietur. Dum Patriam optimis sapientiæ legibus temperatis, ob eximias, quibus effulgetis virtutes, Vos Urbs nostra obsequentissimè suspicit, ac veneratur : Vestra morum elegantia, familiarum nobilitas, ac singularis prudentia, arctissimo fœdere conjunctæ, summis laudum præconiis essent efferendæ : sed egregias tum corporis, tum animi dotes angustis epistolæ finibus comprehendere despero. Inspicite perhumaniter Prætor Clarissime, Patriæ Patres opus. Auspice, ac Duce Columna feliciter gradietur Siculorum Literatorum cœtus : sub umbra Aquilæ Panormitanæ bona alite excedet liber iste meus : illum perbenignè fovete, ac tuemini ; ac vestra Siculorum gloria, hoc in volumine occlusa, erit, nam

. . . . plus est servare repertum,
Quàm quæsisse decus. (3)

Valete ad æternum Patriæ ornamentum, & præsidium ; & publico omnium bono Vos incolumes servet Summi Numinis cura. Panormi die Translationis Concivis nostræ D. Agathæ 18. Augusti 1707.

1. S. Basilius in Deuter. ca. 15.
2. Symmachus lib. 3. ep. 48.
3. Claudianus de laud. Steliconis lib. 2.

Addictiss. & Obsequentiss. Servus
Antoninus Mongitore.

PRAE-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



IX adolescentiæ meæ limites attigeram, cùm innatum ardorem erga Patriam, Nationemque Siculam in me conceptum, nimiùm excrevisse sensi. Hinc amor iste ad evolvendas Siciliæ historias animum impulit. Legi, pervolvi sæpius. Incolarum ingenia, Camporum ubertatem, Urbium opulentiam, bellicam virtutem, temporum vicissitudines, aliaque notatu digna, non sine animi oblectamento, pluries perlustravi. At in his omnibus pauca sparsim de viris illustribus, qui literarum gloriâ excursis temporibus floruere, animadverti: pauciora de iis, qui recentiora sæcula doctrinæ splendoribus illustrarunt. Cur, dicebam, potior historiæ pars oblivioni damnata? cur singulare Literatorum decus ex hominum mente dolendâ jacturâ prolabetur? Quid gloriosiùs Reipublicæ, ac Regionibus, quàm literarum cultum, ac Sapientum venerationem? Quid utiliùs, quàm eorum notitias custodire, qui de Orbe erudito benemerentissimi, scientiarum ope nominis immortalitatem assequuti sunt; & Provinciarum, Urbiumque majestatem longè, latèque amplificarunt? Aliarum Nationum studium laudabam, quæ sanè felicius Literatos viros, tamquam *Præceptores generis humani*, *ritu Deorum colendos* arbitratæ cum Seneca *epist.64.* hos emeritis laudum præconiis extulerunt: & posthumam eorumdem famam impensiùs servare curantes, conditis Bibliothecis, memorabilia ipsorum gesta, ac lucubrationes in communem utilitatem sedulò digessere. Nunc verò horum gloriam gestientes inspectant, aliisque demirandam proponunt. En nonnulli, qui de Nationum, ac Urbium Scriptoribus libros edidere, nullo servato ordine, prout memoriæ occurrunt. *De Anglis literis illustribus* scripsit Joannes Balæus. Basileæ 1557. & 1559. in fol. Joannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ.* Parisiis 1649. in 4. *De Germaniæ Scriptoribus* Joannes Tritemius, quibus additiones accessere Jacobi Wimphelingi. *De Scriptoribus Scotiæ* Thomas Dempsterus, & Joannes Balæus. Basileæ 1557. & 1559. in fol. *De Scriptoribus Hiberniæ* Fridericus Hibernus, & Jacobus Waræus. Deblinii 1639. in 4. *De Scriptoribus Polonis* Simon Stravolscius. Francofurti 1625. & Venetiis 1527. in 4. *De Scriptis Danorum* Thomas Bartholinus. Hafniæ 1668. in 8. *De Belgis* Aubertus Miræus. Antuerpiæ 1609. in 4. Franciscus Swertius in lucem protulit *Athenas Belgicas.* Antuerpiæ 1628. in fol. *Bibliothecam Belgicam* edidit Valerius Andreas. Lovanii 1643. in 4. *De Flandriæ Scriptoribus* Antonius Sanderus. Antuerpiæ 1624. in 4. *De Hannoniis* Philippus Brasseur *in Bibliotheca Hannoniæ.* Montibus 1637. in 8. *De Hollandis, Zelandis, & Ultrajectinis* Pancratius Castricomius. *De Frisiis* Ubbo Emmius, & Martinus Hamconius. *De Hispanis* Andreas Scotus *in Bibliotheca Hispana.* Francofurti 1608. in 4. & Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hispana.* Romæ 1672. & 1696. in fol. *De Neapolitanis* Nicolaus Toppius *in Bibliotheca Neapolitana.* Neapoli 1678. in fol. & Leonardus Nicodemus in Addictionibus ad eamdem. Ibidem 1683. in fol. *De Romanis* Clarissimus Prosper Mandosius *in Bibliotheca Romana.* Romæ 1682. & 1692. in 4. *De Pedamontanis, Sabaudis, & Niciensibus* Franciscus Augustinus ab Ecclesia *in Catalogo* edito Taurini 1616. in 4. & Andreas Rasottus *in Syllabo Scriptorum Pedamontanorum*, ubi etiam *de Sabaudis, Monferratensibus, & Comitatus Niciensis.* Monteregali 1670. in 4. *De Gallis* Antonius Verderius *in Bibliotheca Gallica.* Lugduni 1585. in fol. ubi tantùm de libris idiomate Gallico editis. *De Scriptoribus Umbriæ* Ludovicus Iacobillus *in Bibliotheca Umbriæ*, edita Fulgineæ 1658. in 4. *De Liguris* Raphael Sopranus *De Scriptoribus Liguris.* Genuæ 1667. in 4. Michael Justinianus *De Scriptoribus Liguris.* Romæ 1667. in 4. & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico.* Perusiæ 1680. in 4. *De Mediolanensibus* Philippus Piccinellus *in Athenæo literatorum Mediolanensium.* Mediolani 1670. in 4. *De Venetis* Joannes Albericus *in Catalogo de illustribus, & celebribus Scriptoribus Venetis.* Bononiæ 1605. in 4. Augustinus Superbus *in Triumpho illustrium Venetorum.* Venetiis 1629. in 4. uberiori eruditione Venetos Scriptores descriptos expectat Orbis literatus ab Apostolo Zeno viro prĕstãtissimo. *De Bergomensibus* Donatus Calvus *in Scena literaria Scriptorũ Bergomensium.* Bergomi 1664. in 4. *De Cabillonensibus* Ludovicus Jacobus à S. Carolo. Parisiis 1652. in 4. *De Patavinis* Bernardinus Scardeonius. Basileæ 1560. in fol. *De Ferrariensibus* Augustinus Superbus *in Apparatu* edito Ferrariæ 1620. in 4. *De Bononiensibus* Bartholomæus Galeotus *de viris illustribus Bononiensibus.* Ferrariæ 1609. in 4. & Joannes Antonius Bumaldus, seu verius Ovidius Montalbanus *in Bibliotheca Bononiensi.* Bononiæ 1641. in 24. *De Florentinis* Michael Pocciantius *in Catalogo Scriptorum Florentinorum.* Florentiæ 1589. in 4. Egregius Joannes Cinellus de literaria Rep. benemerentissimus *Historiam* etiam *Scriptorum Florentinorum* elucubravit, cujus editionem doctis viris fore gratissimam non dubitamus. *De Perusinis* Augustinus Oldoinus *in Athenæo Augusto.* Perusiæ 1678. in 4. *De Lucensibus* Guilelmus Burlamacchi. *De Brixiensibus* Leonardus Cozzandus *in Bibliotheca Brixiensi.* Brixiæ 1685. in 8. *De Tarvisinis* Bartholomæus Burchellatus *in Catalogo Scriptorum Tarvisinorum.* *De Forojuliensibus* scripsit vir summus Justus Fontaninus *in Bibliotheca Forojuliensi*, quam literato Orbi promisit in eruditissimo *Aminta defenso cap.11. pag.281.* Id ipsum alii de aliis Urbibus, & Regionibus forsan præstiterunt. Hinc meritò angebar inter tantos Bibliothecarum libros, nullam hactenus Scriptorum Siculorum Bibliothecam lucem aspexisse.

Com-

Compertum mihi est, quòd Siculi nonnulli eruditione, & doctrinâ instructissimi hanc spartam exornare tentarunt: at nullum opus aggressum, tunc editum, vel adhuc absolutum, satis intellexeram. Omnium primus Petrus Carrera Militellanus in rebus Siculis versatissimus huic operi manum admovit: in epistola enim nuncupatoria, quam epistolarum libris Joannis Thomæ Moncata præfixit, librum de Siculis Scriptoribus concinnasse innuit: at opus non excusum scimus; pauca verò ipsius fragmenta m. ss. in Bibliotheca Clericorum Minorum Messanæ delitescere ex virorum eruditorum relatione percepi. Carolus de Neapoli Panormitanus *in Fastos Ovidii lib. 6. n.* 103. *pag.* 271. ubi loquitur de Archimede, scripsisse tradit Bibliothecam Siculam: *Salve*, ait, *magne Archimedes patriæ nostræ decus, ingenium suprabumanum. heu! ubi jam insignia Sicula illa capita? videtur hodiernum Cœlum prorsus aliud ab antiquo. Ubi Theocriti, ubi Lysiæ, & quorum plerumque scripta nobis ætas invidit? dabimus ante biennium, si Deus volet*, Bibliothecam Siculam, *ut mireris quos viros ea tellus emiserit, immò ut lugeas, quas gemmas Orbis amiserit.* Hæc ille. Ex his clarè patet Siculam Bibliothecam exarasse; & utinam edidisset! nam ingenio, & eruditione, quibus mirabiliter pollebat, Siculos Scriptores apprimè illustrasset. Sed in ipso ætatis flore defuncto in Hispania, concepta de illo spes evanuit; ejusque lucubrationes quonam loco reliquerit nescimus. Apud Nicolaum Antonium *in Bibliotheca Hispana tom.* 2. *pag.* 316. legimus Antonium Agraz nobilem Panormitanum opus inscriptum: *Musæum Siculum, sive de veteribus Siciliæ Scriptoribus in* 4. exornasse. Sed hic Neapoli denatus, ubi nam opus deposuerit, ubi asservetur, penitus ignoratur. Denique Aloysius la Farina Eques Panormitanus, Marchio Madoniæ, opus diu molitus est *de Scriptoribus Siculis ab Orbe condito*; hoc vidi in refertissima ejus Bibliotheca, nunc Vincentii la Farina filii, sed non dum numeris omnibus absolutum, immò inordinatum, ac à nostro instituto alienum esse intellexi, prout obiter prospicere licuit. Hinc neminē tunc Siculam Bibliothecam edidisse pro certo sciebam. Solùm nonnullos aliqua tantū de veteribus Siciliæ Scriptoribus tradidisse comperi. Inter hos Constantinus Lascaris Byzantinus, qui libellum *de Viris illustribus Siculis* scripsit, quem edidit Franciscus Maurolycus *in rerum Sicanicarum compendio à pag.* 18. Thomas Fazellus Saccensis in volumine *de rebus Siculis* juxtà Urbium descriptionem, ex occasione veluti oblata, nonnulla de Siculis Scriptoribus in lucem emisit: id ipsum peregit Roccbus Pirrus Netinus *in Sicilia Sacra*, qui antiquis nonnullos ex recentioribus addidit. Hubertus Goltzius *in Siciliæ historia posteriori* Siculorum Catalogum à doctrina celebrium inseruit. Joannes Vigintimillius Messanensis de omnibus Siculis Poetis scribere meditabatur: at edito tantùm de Poetis Bucolicis Siculis libro, vivere desiit. Philadelphus Mugnòs Leontinus nonnulla de Antiquis Philosophis, Poetis, Historicis, aliisque Siculis *in suo novo Laertio* evulgavit: recentiora promisit; at hæc non edidisse nobis gratulamur; vir enim in iis, quæ typis consignavit dubiæ fidei (ut satis patet ex censura viri integerrimi, ac eruditissimi Vincentii Auriæ, Panormi hoc titulo excusa: *La Verità historica svelata, ò vero Avertimenti, e Correttioni al nuovo Laertio di D. Filadelfo Mugnòs*) potius Siculorum Literatorum gloriæ tenebras offudisset, quàm Siciliam illustrasset: ideoque ea, quæ de veteribus typis tradidit, intacta reliqui, & velut commentitia neglexi. Aliqui tandem solùm de peculiaribus quarumdam Urbium scriptoribus in patriis historiis aliqua tradidere, nēpè de Panormitanis Frācisćus Baronius in libro *de Majestate Panormitana*, & Vinc. Auria *in Theatro Literatorum Panormitanorum m.s.* De Syracusanis Vinc. Mirabella, & Christophorus Schobàr *de rebus præclaris Syracusanis*. De Messanensibus Josephus Bonfilius *in sua Messana*, & Placidus Samperius *in Iconologia Mariæ Virginis*. De Catanensibus Petrus Carrera *in historiis Catanæ*, & Joannes Baptista de Grossis *in Decacordo Catanense*. De Agrigentinis Christophorus Schobàr *de quibusdam Civitatis Agrigenti enarrationibus*. De Mazariensibus Joannes Jacobus Adria *in topograghia Mazariæ*. De Netinis Vincentius Littara *de rebus Netinis*. De Drepanitanis Leonardus Orlandinus *in descriptione Drepani*. De Thermitanis Vincentius Solitus *in historia Thermarum*. De Calatajeronensibus Petrus Paulus Morretta *de Calatajerono*. De Platiensibus Joannes Paulus Chiarandanus *in historia Platiæ*. At hi omnes aliqua tantùm collegere de Scriptoribus Siculis: & hæc vel in epitomen contracta, vel obiter indicata, nec ad lancem perpensa videbantur.

Hinc Bibliothecæ Siculæ inopia, & literariæ gentis nostræ gloria, nulli secunda, mihi potissimùm scribendi fuit causa: hæc animum incendit meum: cui accessit amicorum adhortatio: his enim cùm meum aperuissem consilium, tum verbis, tum humanissimis officiis meam dissiparunt desidiam. Hanc igitur Provinciam suscepi, & ad opus condendum manum admovi. Et nimiùm, fateor, in longum opus protrahere, & Siculorum patientiam faticare opus fuit: insipidæ enim curæ, domesticæque sollicitudines, quæ naturæ fluentis impetus avertunt, animique vires persæpè enervant, ab incœpto opere, mentem evocarunt. At nunquam deterritus, ut has lucubrationes perficerem, ipsis subcesiva dierum momenta devovi.

At jam elapsis quatuor ferè lustris, etsi segniter opus processerat, in non parvam molem excreverat, cùm P. Hieronymum Ragusam Societatis Jesu Motycensem inaudivi in Bibliotheca Sicula concinnanda ferventius desudare; & jam veluti operis prodromum librum à nonnullis auctoribus præsertim supra relatis, hinc inde collectum in lucem emiserat, cui titulum præfixit: *Elogia Siculorum, qui veteri memoriâ literis floruerunt.* Lugduni 1690. ex tunc paululum hęsi dubius, & an lucubrationes meas protrahendas anceps dubitavi: cùm etenim Siculam gloriam quęrerem, hanc autem promovere curaret vir eximius, haud ultra progrediendum ratus, quæ digesseram igni potius, quam Orbi literato tradenda arbitrabar. At amicorum benevolentia passim urgere sensi, sæpius enim aures vellicabat: ita ne, ajebant, quæ diuturno labore, ac non exiguis impensis collegisti uno temporis momento disperdes: coacervatas Scriptorum notitias perpetuæ oblivioni damnabis? Cur Siculos, exterosque frustraris, quibus opus tuum

sub

sub incude esse jamdiù innotuit : jacta est alea ; nam ab anno 1698. Vincentius Auria in *Cagino Redivivo pag.35.* Bibliothecam tuam lectoribus indicavit. Nonne tu ipse Siculos Literatos sollicitare curasti, ut exoptatas notitias tibi mitterent ? nonne amici omnes , qui literaria monumenta , ut opus numeris omnibus absolveres, exhibuere, deceptos esse credent ? E memoria forsan ejecisti ; *libros* ex Clemente Alexandrino *lib.1. strom. mentis partus, animique fœtus esse.* : immò teste Platone *epist. 7. libri liberis tantò chariores sunt parentibus, quantò mentis filii sunt præstantiores , quàm corporis* . Quænam ergo barbaries in animum illapsa tuum, ut contra naturæ leges proprios jugulare fœtus cogites ; dum à rationis instituto abhorret, mentis partus suffocare? At quid mirum si Scriptores plures eodem , vel diverso tempore de eodem argumento scripserint? nonne Auctores innumeri eamdem historiam tradidere ? nonne Siculam historiam Thomas Fazellus, inde Franciscus Maurolycus, Josephus Bonfilius, aliique scripsere. Eodem anno 1667. de Scriptoribus Genuensibus Michael Justinianus , & Raphael Sopranus libros evulgarunt, hic Genuæ , ille Romæ ; & inde Augustinus Oldoinus anno 1680. Perusiæ. *Vtile est* ex Divo Augustino *lib.1. de Trinit. cap.3. plures à pluribus fieri libros, diverso stylo, non diversa fide , etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Non omnibus datum est omnia scire: nonnulla quæ forsan in publicam lucem emittes, è Ragusæ notitia effugisse putamus : nonnulla etiam illi nota, te forsan latuere: hinc quæ in uno deficient opere, alterius lucubratio ad integram Siciliæ gloriam exhibebit.

His rationibus permotus expumicandum opus decrevi, typisque parandum, quòd dùm perficio, ecce in foribus operis Ragusæ tomum unum inscriptum : *Siciliæ Bibliotheca Vetus, continens Elogia Veterum Siculorum, qui literarum famâ claruerunt,* Romæ editum anno 1700. at anno 1702. publici juris effectum. Summâ aviditate librum evolui ; ac elogia, jam ab ipso edita Lugduni , varia accessione locupletata continere cognovi. At verùm intellexi propè impossibile esse, omnibus innotescere posse omnia : quamvis enim multa à Ragusa edita jam antea in meam Bibliothecam, pervolutis ad rem auctoribus ferè omnibus, transtuleram: pauca mihi impervia in opere Ragusæ adinveni; multa verò me assequutum, Ragusæ, vel forsan incognita, vel ab eo pretermissa: ac uberiores notitiarum manipulos me collegisse animadverti: multa ad Siculam gloriam amplificandam necessaria me digessisse comperi , à Ragusa extremis digitis pertractata. Hinc ab omni hæsitatione liber, opus meum haud omnino inutile putavi , ac typis tradendum constitui , ut meæ, aliorumque voluntati facerem satis .

Habebis ideoque humanissime Lector duplicem Bibliothecam Siculam , Ragusæ unam , alteram ex meo penu, diverso tamen ordine, diversa scribendi ratione concinnatam, cum ipse opus suum in veterem, ac novam Bibliothecam diviserit: novam verò in centurias distribuerit: ego verò eum sequutus sum ordinem, quem mihi prima nominum elementa obtulere . Nonnullos complexus est Ragusa Siculos, solùm doctrinæ jure in suum opus exceptos; nulla enim edidere ingenii monumenta : quamplures etiam non Siculos , vel apocryphos ex inani aliorum fide descripsit : ego verò legibus Bibliothecarum extimulatus, eos solummodo, qui aliquid edidere, vel saltem scripsere ; Siculos tantùm , ac veros Scriptores in meam Bibliothecam exscribere studui . Nævos nonnullos sive librorum inopiâ, sive otii penuriâ in Ragusæ Bibliotheca observavi: hinc si aliqua meis in scriptis emendo, vel diversè propono , à viri eruditissimi æquanimitate mihi veniam polliceor; Deum enim obtestor, id non carpendi libidine, sed veritatis studio effecisse: nec ideo debitam Ragusæ laudem unquam eripere mihi in animo fuisse velim intelligas; immò omni laude dignissimum libenter profiteor.

Ad eruenda multorum gesta, præsertim antiquiora, codices, qui operi condendo subsidio essent, non sine maximo sumptu congerere, & evolvere ingenti labore, ac vigiliis opus fuit. Bibliothecas Panormi non paucas, nec librorum copiâ destitutas, immò abundè refertas, lustravi. Bibliothecarum Auctores, ac librorum indices percurri. Regularium Ordinum historias perscrutavi, & propriis oculis omnia usurpare, & examinare pernecessarium fuit, ut omnia colligerem , & ne aliquod intentatum negligerem.

Nec minori labore recentiora obtinui; datis undique epistolis ad Siciliæ literatos, aliosque tum in Sicilia, tum extra Regni fines , & in dissitis etiam regionibus degentes , ab his , perbenignè exceptis animi mei votis, multa relationibus fide dignis habui.

At de quibusdam Scriptoribus majora forsan exoptabis; nam supremis tantùm digitis eorum gesta me attigisse animadvertes: & ipsorum promerita id exigere videbantur : at hoc fortunæ meæ vitium, dicam potius, quàm illorū naturæ fuisse, apud quos iteratis precibus institi, ut vel proprias, vel concivium, vel denique affinium notitias mitterent ; sed irrito labore : hinc exiguas literatorum notitias sibi adscribant; nam ad extollendam Scriptorum gloriam omnem movi lapidem , sed aliquando inani conatu desudavi ; surdis cecini. Fateor tamen plura nobis eripuisse memorabilem Siciliæ Terræmotum anni 1693. qui eversis miserabili ruinâ Urbibus, Oppidisque, non pauca literatorum monumenta sub ruderibus sepelivit, ac perpetuâ oblivione opplevit . At precor te humanissime Lector , ut quæ à mea cognitione effugisse observabis, mihi mittere digneris; & necessariò supplenda in addictionibus secundo operis Tomo subjungenda adiiciam.

Quæ ad Scriptorum gloriam collimare cognovi, omnia congerere , vel saltem præclariora colligere jucundum existimavi. Hinc ne dum patriam, nativitatis diem, annumque, & institutum ; verùm etiam munia, præclarè gesta, vitæ memorabilia, mortis tempus , epitaphia , omnia maximo labore perquisita exhibere curavi. Aliquando non omnia Scriptorum gesta retuli; & consultò à prolixa rerum narratione calamum temperavi; sciebam enim me non vitas, sed Scriptorum elogia contexere . Attamen præstantiora retuli ne jejunum lectorem dimitterem ; & ubi uberiorem gestorum messem invenire poterit,

terit, indigitavi: Siculorum autem Scriptorum encomia, quæ ingenioli mei tenuitas excogitare non valuit, in celebrioribus Auctorum libris legenda proposui, ac obtuli. Quæ fortan sapientibus indigna nonnulli patraverint, nasutioribus censoribus vituperanda reliqui; nam teste Averroe 1. *Rhetor. tr. 2. cap. 12. laus virtutis satis est sine mentione malorum.*

Librorum titulos à Siculis Scriptoribus editorum, eâ linguâ tibi obtuli, quâ Auctoribus scribere placuit; quod non sine exemplo feci; ut si quandoque liber tibi arriserit, faciliter invenire posses. His addidi, ut diligentiorum Scriptorum mos est, Urbis, & Typographi nomen, editionis annus, & forma: immò operum omnes, variasque editiones recensere curavi, ut librorum amantissimis morem gererem: etsi minùs doctis hoc parùm arrideat: attamen erudito Orbi id satis gratum scio. Manuscripta, ad plagiorum flagitia avertenda retuli, & ubi lateant indicavi. Lucubrationum reliquias, ab integro operum naufragio ereptas, à quibusdam servatas, vel in Archivorum latebris cum blactis luctantes detexi.

In nostrorum Scriptorum albo nonnullos inserui, qui exiguæ molis opellas edidere: etsi aliqui à Siculorum Scriptorum numero delendos arbitrabantur. At ex his quosdam lubens admisi, nec debitâ laude fraudandos putavi. Parva persæpè magnam complectuntur ingeniorum excellentiam, magnamque redolent pietatem: sicut enim aliquando ex Plinio *lib. 11. cap. 2. rerum natura, nusquam magis, quàm in minimis tota*; ita non rarò in minutioribus opellis tota ingenii vis elucere videtur. Sicut etiam summi artificis est in exiguo opere artis industriam, ac elegantiam, Myrmecedis ingenio exprimere; ita egregii ingenii laus in contractis lucubratiunculis ingentium voluminum materiam perstringere. Nec sine exemplo hoc efficere statui; nam & S. Hieronymus, S. Isidorus, Gennadius, Tritemius, Miræus, Bellarminus in libris *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Leo Allatius *in apibus Urbanis*, Philippus Alegambe *in Bibliotheca Soc. Jesu*, Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hispana*, aliique plures, inter Scriptorum catalogos nonnullos recensent, qui vel epistolam, vel carmina perpauca, aliaque perparvula edidere; quasi ipsis dixisset Dominus Jo. 6. 11. *colligite fragmenta ne pereant.* Ideoq; majorum more nonnullos opusculorum Scriptores ex hac Bibliotheca excludere nolui. Horum aliqui etsi parvæ molis Opellas in lucem emisere, attamen vel alias lucubrationes ineditas reliquere, vel ingenio satis muniti magna edidissent, si occasio, vel tempus non defuisset. At multos, fateor, qui parvi momenti libellos, vel versiculos aliquot typis tradidere, nec alia scripsisse comperi, libenter neglexi.

Multi lucubrationes suas condiderunt, at publicæ luci non consignarunt: ex his celebriores tantùm exhibui; & alios, qui in aliorum libris proditi sunt: si quis enim omnia per otium colligeret, Bibliothecam manuscriptorum non exiguam conderet.

Innumeros etsi doctissimos, ac celeberrimos prætermisi, quia nihil vel scripsisse, vel edidisse liquet: de Scriptoribus enim Siculis, non de Sapientibus, ac illustribus viris notitias edere proposui.

Adversus nonnullos Auctores in arenam coactus descendi, qui vel Siculorum Scriptorum gloriam usurpare, vel veritatis candorem obnubilare tentarunt. Hinc multa nobis adversa diluere, quorumdam lapsus corrigere opus fuit. Scriptores multos ab exteris Provinciis surreptos, Siciliæ restitui: ideoque Siculi nonnulli ad proprios lares, quasi jure postliminii rediere. At veritatis studio, alios nonnullos inter Siculos Scriptores falsò recensitos, propriis regionibus restitui. Sat Siciliam suis illustrem arbitramur. Hos ad operis calcem rejeci: ibique illorum etiam Elenchum attexitur, quibus aliquos libros attributos comperi, sed falsè: ibiq: etiam eos statui, qui inter apocryphos Scriptores recēsendos putavi.

Clarè omnia nec falerata eloquutione digerere curavi; nam laudes non aucupare, sed exhibere statui eâ animi sinceritate, quâ semper literatorū gloriam intimo cordis sensu recolui: ideoq; stylum nec nimis ornatū, nec nimis depressum delegi: mediū inter Oratorem, & Historicum tenui. Orationis lenocinia expetēti ea memorabo, quæ Lucilio suo Seneca exposuit *ep. 115. Nimis anxium esse te circa verba, & cōpositionem, mi Lucili, nolo: habeo majora, quæ cures. Quære quid scribas, non quemadmodum.* Hoc advertendum puto, quòd nonnulla nomina, præsertim munerum, barbaræ, vel infimæ latinitatis (quæ aureum latinæ ætatis sæculum non audivit) recentiora sæcula adinvenere: ut puta: Prorex, Inquisitor, Studiorum Regens, Prior, Provincialis, Guardianus, Syndicator, Visitator, Advocatus, & similia. His aliquando usus sum, ut sæculi usu, recentioribus Scriptoribus, & auribus me accommodarem; aliorum etiam auctorum vestigia sectatus.

Ab his, qui aliquid aliquandò typis tradidere, ob typographiæ errores, sanè inevitabiles, veniam spero. Qui aliquid adhuc non ediderunt, sua mendis expurgata in lucem emittere tentent: & hoc difficillimum experientur.

Demum, si quæ in his, humanissime lector, à veritatis studio animadvertes aberrantia, haud ægrè feram, si veriora me edocere digneris: insigni enim beneficio me affectum putabo, si quisquis Eruditorum hisce in studiis rectiora detexerit; & cum S. Gregorio *epist. 37. lib. 2.* profiteor quòd: *ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum: & solùm mihi amicum existimo, per cujus linguam maculas tergo.*

Antequam ad Bibliothecam accedas, Apparatum Operi prævium tibi exhibere proposui, quo nonnulla præmittenda curavi, ut ex quibusdam summariè prænotatis Siciliam, tanquam rudi penicillo delineatam præ legentium oculis exponerem, & quæ sit Provincia tantorum Literatorum Mater optimè scias. His addam disquisitiones de nomine Siciliæ, ut ex nominis ambiguitate, aliorum errorem declines: de Siculorum ingenio, & literarum cultu, in Sicilia, ex materiæ affinitate necessarias, demùm aliqua adnotabo de computo Olympiadum, ut quam annorum rationem amplexus sim, exploratè percipias.

APPA-

APPARATUS AD BIBLIOTHECAM SICULAM.

§. I.

PERBREUIS SICILIAE PROSPECTUS.

1 ICILIA inter Thyrreni Maris Insulas maxima, tùm ambitus amplitudine, tùm rerum omnium ubertate, aliisque naturæ beneficiis cæteras excellit, immò multas Orbis regiones mirificè superat.

2 Iuxtà situs figuram, ac inconstantis fortunæ vices, varia obtinuit nomina. A Triangulari specie, quæ velut Græcæ Deltæ Δ respondet, Triquetram, & Trinaciam passim dixere antiqui Scriptores. Trinacria à tribus Promontoriis Pachyno, Lilybœo, & Peloro in diversa procurrentibus fuit vocata. Triverticem appellavit Lycophron *in Alexandra*: Tricuspidem Orphæus *in Argonauticis*: Terram Cyclopum, & Solis Insulam Homerus *Odyss. lib.* 9. Trilatera à Marciano Heracleensi appellatur: Trisulca à Claudiano *de raptu Proserpinæ lib.* 1. Triceps, & Tricollis à Nonno *lib.*2. *&* 6. *Dionysic.* Sicaniæ tandem nomen à Sicanis accepit, & Siciliæ à Siculis ex Thucydide *lib.*6. aliisque.

3 Insula satis ampla inter Africam, & Italiam constituta, ambitus IↃC. millia passuum habet ex Cluverio *Siciliæ antiquæ lib.*1. *cap.* 3. *pag.* 56. etsi alii ad IↃCXXIII. plùs, minùsve extendunt.

4 Tria Insulæ latera à diversis maris fluctibus pulsantur: Thyrrenum enim mare, sivè Tuscum ad Boream. Siculum ad Ortum, Lybicum, sivè Africum ad Meridiem habet.

5 In tres resecta est partes, quas Valles vocamus, nempè Vallem Mazariæ ad Occasum, Vallem Netinam ad Austrum, Vallem Nemorum, sivè Dœmonum ad Ortum, & Boream. Olim in quatuor dissectam Valles invenio Martini Regis ævo anno 1408. quas vocabant Valles 1. Mazariæ, 2. Agrigenti, & Castrijoannis, 3. Neti, 4. Dæmonum, ex *Sicilia Nobili* Romæ edita an. 1692.

6 Ex Astronomorum calculo sub quarto benigniore climate collocatur; ideòque Cœli clementiâ, & insigni aëris salubritate mirificè gaudet.

7 Ab angusto freto, quod Pharum vocant, propè Messanam, ab Italia separatur, & aliquando Italiæ annexam, & Brutio agro adhæsisse multi præsertim ex Poetis opinantur, & vel maris impetu, vel terræmotuum vi discissam putant: quod constantissimè negant Marianus Valguarnera *de Origine Panormi à pag.*381. & Cluverius *Siciliæ antiquæ lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 6. cum aliis, qui validissimis rationibus statuunt, Siciliam semper Insulam fuisse; etsi minùs rectè horum argumenta enervare tentet, sed inani conatu, Claudius Dausquius in libro: *Terræ flutantes cap.* 11.

8 In Sicilia vernantes undique Sylvæ, & florentissimi deliciarum tractus ità laxantur, ut natura hic profusissimas amœnitatis opes congessisse fateantur omnes. Ea verò est Siciliæ fœcunditas, ut ipsam meritò Marcus Cato Cellam pœnariam Romanæ Reipublicæ, & Populi Romani nutricem nominaverit, teste Cicerone *orat.*7. *in Verrem*, qui & Insulæ ubertatem summis laudibus extollit. Hic Tritici suâ sponte nati usum à Cerere inventum innumeri Auctores docent. Nunc singulis annis magna Tritici copia è Siciliæ horreis extrahitur, quâ regionum cæterarum inopiæ abundè prospicitur.

9 Nec Tritici tantùm copiâ, ex qua longè, latèque celebratur, verùm etiam rerum omnium affluentiâ abundat. Plura vinorum genera tùm jucunda, tùm generosa progignit. Oleo, Caseo, Croco, Mannâ, Leguminibus, Ebosiâ cannâ (mellitam cannam vocant, ex qua Saccarum educitur egregium) melle præstantissimo, præsertim Hyblæo apud Poëtas celeberrimo, ac omnibus arborum, ac fructuum generibus exuberat.

10 Herbæ, plantæque medicâ virtute excellentes ubique in Sicilia nascuntur ad humanæ salutis præsidium Botanicis notissimæ. Sal tùm maritimum, tùm minerale Sicilia colligit insigne. Sericum hic nobilissimum, præsertim Messanæ, atque in conterminis Oppidis, ac Civitatibus invenies, cujus artificium Rogerii Regis operâ Panormum ab Oriente advectum, indè in omnes Siciliæ, & Italiæ fines deductum transiit, ut Otho Frisingensis *de gestis Friderici lib.*1. *cap.* 33. *pag.*213. Carolus Sigonius *de Regno Italiæ lib.*11. *pag.*282. aliique tradunt.

11 Multis in locis Auri, Argenti, Ferri, & Aluminis fodinæ observantur. Lapides etiam, gemmæque pretiosiores in Sicilia inveniuntur, ac passim effodiuntur; præcipuè Agatha, Beryllus, Sapphirus, Alabastrites, Jaspis, Smaragdus, Adamas, Succinum, Porphyrites, aliique lapilli, quibus plurimum tribuunt.

12 Fluviis irrigatur affluenter; ac fontes ad potum saluberrimas ubique emittit innumeros. Balnea habet salutaria calidis, tepentibus, ac sulphureis aquis refertissima. Admirandæ etiam aquarum scaturigines inveniuntur, quas multum hic esset recensere. Solùm innuam, quòd Panormitano in agro cujusvis generis arborum, fructuumque feracissimo, ac amœnissimo, fluvioli quatuor, tresque suprà trigiuta saluberrimi, iique placidissimi fontes ibi nati interfluunt nitidissimè.

13 Nec desunt ad venationis,& deliciarum studium Perdices, Faxianæ, Falcones, Accipitres, Cervi, Damæ, Suesque sylvestres, aliaque id generis animalia.

14 Maris fœcunditas admiranda, ubique exhibet copiosè piscium abundantiam. Piscatio præcipuè Thynnorum apud Panormum celebris. Xiphii captura juxtà Messanam laudatissima. Corallium in nonnullis Siculi maris partibus, præsertim Drepani, piscatorum industria colligit.

15 Hinc meritò Strabo *Geogr. lib. 6.* Siciliam nullâ ex parte Italiâ inferiorem demonstrat, superiorem verò frumento, melle, croco, aliisque permultis. Solinus *Polyhist. cap.* 11. ait: *quidquid Sicilia gignit, sivè soli, sivè hominis ingenio, proximum est iis, quæ optima judicantur*. Ideòque ab Homero *Odyss. lib.* 12. Solis Insula appellatur: & *lib. 9.* omnia in ea spontè exoriri tradidit. Admiranda Siculi soli natura perhibetur; miracula enim exhibent montes, fontesq; prodigiis fœcundi, quæ alibi enarranda prætereo.

16 Sunt Siculi ingenio acuti, facundi, faceti, sui potiùs, quàm publici boni nimiùm studiosi: in bello animi fortitudine præstant. Simultatis impatientes, alienigenarum amantes. In aliorum rebus agendis solertes, in propriis rebus concludendis fluctuantes in dubio versantur. Regibus suis magnâ veneratione, ac fide obsequuntur.

17 Decies centena millia incolentium numerum explent. Viros sanè egregios quocumque sæculo in qualibet facultate protulit, quorum fama longè, lateque diffusa mirificè inclaruit.

18 Ante universalem Orbis alluvionem, Siciliam inhabitatam nonnulli tradunt: post verò diluvium eamdem primùm Gygantes incoluere; id etenim corporum reliquiæ miræ proceritatis, in nonnullis Siciliæ locis, præsertim Panormi, ex urnis, cryptisque ad montium radices pluriès effossæ, apertè testantur. Hi Elisâ Duce Javani Filio, Japheti Nepote, & Noemi abnepote, primi Siciliam habuere. Inde Sicani, ita vel à Sicano Iberiæ fluvio, vel à Sicano Rege vocati in hanc Insulam appulsi, ipsam inhabitarunt, & Sicaniam appellarunt. Siculi subsequuti ex Italia hùc digressi, à quibus Sicilia vocata. Exinde Coloniæ nonnullæ à variis Orbis plagis traiicientes, quasdam Siciliæ partes tenuere. Trojani Elymo Duce Segestam, & Elymam extruxere. Cretenses Minoam, & Engium accepere. Phœnices negotiandi causâ in Siciliam digressi Panormum, Motyam, Solœntum, Urbes jam anteà conditas, incoluere. Græci deductis Coloniis Siciliam occuparunt, undè Græca lingua in Siciliam introducta. A Tyrannis posteà miserè discerpta est, regnantibus utroque Dionysio, Agathocle, Phalere, Hierone, aliisque. A Pœnis, & Romanis vario marte dilaniata fuit, donec Romanis tota cessit. Romano declinante imperio à Vandalis, & Gothis direpta, inde à Belisario an. 535. recuperata, Imperatoribus Constantinopolitanis obtemperavit. Saracenorum jugum perpessa ab an. 827. usque ad an. 1071. ab eorum potestate erepta est per Normannos, qui teste Fazello *Dec.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *pag.* 433. à Panormitanis Militibus Christianis de prodenda ipsis Urbe inito consilio, occupatâ deinde arce, cæsisque custodibus Saracenis, Panormum triumphantes mense Julio, *plaudente passim populo*, ut ait ipsemet Fazellus, *Christumq: vivere conclamante ingrediuntur.* Hinc sublatis Saracenis Rogerius II. Comes Siciliæ coronam obtinuit Panormi 15. Maii 1129. Normannis successere Suevi, his verò Galli, quibus cæsis an. 1282. à Siculis Aragonenses excepti. A Caroli V. Imp. ævo Austriacis Regibus obedivit. Tandem Carolo II. è vivis, sine liberis sublato, Philippo V. Borbonio paret ab anno 1700.

19 Urbs Regia, Siciliæ Metropolis, & Caput Panormus, olim Siculorum Regum, nunc Proregum sedes: ut passim scriptores veteres, & nuperi insigniores, ac præsertim Siciliæ Reges in diplomatibus produnt.

20 Urbes Archiepiscopales Panormus, Messana, Mons Regalis. Panormitanæ Sedis suffraganei Episcopi Agrigentinus, Mazariensis, & Melitensis. Messanensis sunt Cephalæditanus, Liparensis, & Pactensis. Montis Regalis verò Ecclesia suffraganeos habet Catanensem, & Syracusanum.

21 Suprema rerum summa est apud Proregem, qui Catholici Regis nomine Siciliam moderatur. Publica jura à Magistratibus administrantur, præcipuè à Tribunalibus Magnæ Regiæ Curiæ, Regii Patrimonii, & Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, quæ Panormi perpetuò resident. Hìc etiam Regiæ Monarchiæ, & Sac. Inquisitionis S. Officii Tribunalia.

22 Regni Comitia, Panormi passim cogi solita, Parlamenti nomine vocantur, & tria personarum genera constituunt, quæ Regni Brachia appellant: Primum Præsulum, & Ecclesiasticorum: Secundum Baronum, ac Siciliæ Procerum: Tertium Urbium, & Oppidorum; ideòque primum, Ecclesiasticum Brachium, Secundum Militare, Tertium Demaniale vocant. Inter Præsules primum obtinet locum Archiepiscopus Panormitanus; itidemq: inter Urbium oratores, Prætor Panormi, ipsius Senatus nomine, vel ejus Orator. Hujus rei usum sanè antiquissimum hodie præ omnium oculis servatū videmus. Hinc eruditissimo Vincentio Coronello *in Epit. historica Siciliæ* nuper Parisiis edita, primum locum Archiepiscopo, & Senatui Messanensi in Comitiis statuenti *pag.* 20. & 21. condonandus est error, quem cum aliis historicæ veritati dissonis, alibi discutiendis, à quodam Messanensi, cujus nomen libens reticeo, Venetiis cum eo agente hausisse, ex fide dignis accepi.

23 De Sicilia hæc tantùm præcipua delibasse placuit, alibi forsan fusiori calamo uberiùs edentur.

§. II.

§. II.

DE NOMINE UTRIUSQVAE SICILIAE.

1 PAulò fusiùs hic immorādum in illo oblongo, qui nimiùm inolevit, errore, nempè Utriusque Siciliæ nomine, quo passim Siciliam, ac Neapolitanum Regnum indigenæ, exterique omnes vocant: id enim Regiis in diplomatibus, titulisq; Regis Catholici frequentissimè usurpatur: unde etiam mos apud Scriptores invaluit, quo utrumque Regnum barbarā appellatione Siciliæ citra, & ultra Pharum persæpè nominatur.

2 Id certum, ut eruditissimè Thomas Fazellus observat *de rebus Siculis decad.1. lib.1. cap.2. pag.13. apud Historicos, & Cosmographos hæc sola, in qua orti sumus, nominatur Sicilia. Regnum verò Neapolitanum, seù partem illam Italiæ, quę olim Græcia Major dicebatur, aut aliquam ejus regionem nullus gravis Author, ex tot Græcis, Latinisq: Scriptoribus, quorum præclara extant opera, Siciliam appellavit.*

3 Hoc Scriptorum testimonio confirmat; nam Plato, Aristoteles, Herodotus, Timæus, Philistus, Antiochus, Diodorus, Polybius, Trogus, Athenæus, Ælianus, Pausanias, Plutarchus, aliiq: veteres ex Græcis Auctores Siciliæ nomine hanc nostrā dumtaxat Insulā intellexere. Id ipsū patet tū ex Cicerone, Salustio, Livio, cæterisque latinis Scriptoribus; tum etiam ex Homero, Theocrito, Hesiodo, Pindaro, Virgilio, Lucano, Ovidio, Horatio, Martiale, Silio Italico, Claudiano; aliisque innumeris Græcis, Latinisque Poetis. Demùm Strabo, Ptolomæus, Pomponius Mela, Plinius, Solinus, aliique Geographi Siciliam nominantes, hanc nostram solùm Insulam apertissimè indicant.

4 Romani nulli Italiæ, & Neapolitani Regni regioni, Siciliæ nomen imposuere; & indè Siciliā potiti Insulæ nomen à vetustioribus Barbaris, Græcisque acceptum, intactum reliquere. Hoc etiam observarunt Gothi, Græci Imperatores, & Saraceni, qui Siciliam occuparunt. Normanni Proceres pulsis Saracenis, Regno Neapolitano haud novum nomen constituere; & Siciliæ nomen nostræ tantùm Insulæ appictum, asservarunt: ideoque Robertus Guiscardus Apuliæ Dux, Rogerius Bossus Siciliæ Comes vocabatur. Rogerius exinde Rogerii Comitis filius cùm totum propè Neapolitanum Regnum, & Siciliam in suam redegisset potestatem, Italiæ, & Siciliæ se Regem nominavit: at Innocentius II. eidem denegato Regis Italiæ titulo, Siciliæ Regem, Apuliæ Ducem, & Capuæ Principem vocari concessit anno 1139. Gulielmus, aliique Reges ex Normannis, ac Suevis subsequuti, ut etiam Carolus Andegavensis, omnes Siculum, ac Neapolitanum Regnum possidentes, titulo Regio Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ insigniti effulsere: nec unquam Utriusque Siciliç nomen excogitarunt: quod ex eorum Privilegiis clarissimè patet. Post Gallorum cladem Reges Aragonenses, qui Siciliæ, & non Neapolitani Regni dominationem adepti sunt, Siciliæ tantùm Reges nominabantur.

5 At ex quo exortus appellationis Utriusque Siciliæ abusus? Ex Fazello citato comperitur, quòd cùm Clemens IV. Pontifex Carolo Andegavensi Neapolitanum Regnum, ac Insulam nostram concessisset, in concessionis diplomate primus omnium, utrumq: Regnum communi vocabulo, Siciliæ nomine appellavit: & hunc abusum semel introductum subsequentes Pontifices amplexi sunt.

6 Gregorius XI. cum pacem inter Joannam Neapolis Reginam, & Fridericum III. Siciliæ Regem anno 1363. conclusisset, Neapolitanum Regnum Siciliam, nostram Insulam Trinacriam vocavit in diplomate de pacis conditionibus edito (cujus verba apud Baronium anno 1097. *num.*111. sunt: *Ut Fridericus absque juris præjudicio Rex Trinacriæ, & simul Joanna Regina Siciliæ appellaretur.* Inde Martinus Siciliæ Rex hunc imitatus in diplomatibus suis Neapolitanum Regnum alieni juris, Siciliam citra, Insulam nostram, cui præerat, Siciliam ultra Pharum nominavit. Demùm Alphonsus Rex Neapolitanum Regnum adeptus, cùm in illo, nostraque Insula dominaretur, novo titulo, sed penitus absurdo, & inaudito Utriusque Siciliæ Regem se vocari cœpit. Hinc posteri omnes Reges, qui utrumque Regnum tenuere, eo titulo vocati sunt. Hæc ex Fazello, qui pag.15. conclusit: *abusus itaque à Romanis Pontificibus exortus effecit, ut Neapolitanum Regnum Sicilia a Regibus hodie vocitetur.*

7 Id ipsum planè confirmat Joannes Antonius Summontius *in histor. Neapol. tom.2. lib.2. cap.2. pag.*38. Octavius Caetanus *in animad. ad tom.2. SS. Siculor. pag.*48. Clariss. Pompeus Sarnellus in libro: *Specchio del Clero secolare par.2. pag.* 550. Antonius Amicus *in disser. epistol. de Patria S. Francisci de Paula epist.2. à pag.5. aliique.*

8 Hunc autem abusum à Clemente IV. exortum circa annum 1265. putat Hennigius Arniseus *de jure Majestatis lib.1. cap.5. pag.*85. ex Bulla ejusdem Pontificis, quo utrumque Regnum Carolo concessit, cujus summarium extat apud Summontium cit. *tom.2. lib.2. cap.10. pag.*277. & fragmentum apud Baronium *tom.11. annal. an.1097. nu.91. & 93.* Bzovium *an.1265. num.3.* Augustinum Inveges *tom.3. annal. Panorm. pag.* 694. At Hennigii verba hic exscribere non gravabor: *Clemens IV.* ait, *in Bulla, qua Carolo Andegavensi Coronam offert creat ipsum Regem utriusque Siciliæ citra, & ultra Pharum. Ob id meritò reprehensi à Guicciardino lib.1. histor. Flor. quod Regnum Neapolitanum vocat Regnum Siciliæ citra, & ultra Pharum, cùm non sit nisi una Sicilia, nec Normanni harum regionum Auctores alio titulo usi sunt, quàm Regum Siciliæ.* Huic addam Æneam Sylvium, inde Pontificem, Pii II. nomine, *qui epist.12.* scribit: *In ea titulus erat, quod utriusque Siciliæ mentionem efficiebat, quam rem satis sum demiratus. Legi namque satis multas historias, Cosmographiamque perscrutatus sum, neque unquam Siciliam reperi, nisi unam, quæ tùm Sicania, tùm Trinacria dicta est, quam nonnulli ex veteribus conjunctam olim Italiæ tradunt fuisse: sed impulsu continuo superi, atque*

inferi

inferi maris disjectam esse terram, quæ Rhegium, Pelorumque conjungebat: moxque Scyllæ, atque Carybdis inter abrupta montium, & immania antra locum monstris fabulosè datum. Quòd verò ex Italiæ portio, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, Siciliæ nomen habuerit, non legi unquam, nec audivi, nisi nunc: quod mihi absurdum videtur, nec satis mihi causæ præbet, quòd Reges Siciliæ, qui Neapolim tenuerunt, duo Regna fecerunt: alterum ultra Pharum, alterum Citra: nam hoc Regnum Apuliæ, illud Siciliæ dicebatur; non utriusque Siciliæ. Hæc Æneas Sylvius.

9 Ab eo anno 1265. advertit scitè Summontius cit. *pag.* 176. utrumque Regnum nomine Siciliæ citra, & ultra pharum, vocatum. Inveges verò *tom.* 3. *annal. Panor. pag.* 694. etsi ex privilegio Clementis IV. originè traxisse ait, nomen Regis utriusq; Siciliæ; at Carolus in diplomatibus suis nūquā hoc titulo usus est; nam semper se dixit, juxta Normannorum, & Svevorum Regum morem: *Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Principatus Capuæ*, ut videre est in juramento fidelitatis, quod edidit in Ecclesiæ obsequium die coronationis, in quo legitur ex eodem Inveges *pag.* 698. *Nos Carolus D. G. Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ*. Multa hic exhibere possem diplomata, aliaque publica testimonia, quæ id ipsum testantur; excipe hæc pauca. In privilegio concesso Cœnobio S. Mariæ Matris Domini, apud Summontium cit. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 215. legitur: *Carolus Dei gratia Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.* Ita in aliis apud Inveges *cit. pag.* 742. 746. & apud Ferdinandum Ughellum *in Italia Sacra*: in bulla juramenti fidelitatis editi anno 1276. apud Rinaldum *ann.* 1276. *nu.* 38. & in aliis omnibus monumentis; nunquam enim invenies Carolum se Regem utriusque Siciliæ vocasse.

10 Hinc reiicienda futilis Joannis Jovenii *de antiquitate, & varia Tarentinorum fortuna lib.* 2. *cap.* 5. *In Italia Illustrata pag.* 1260. opinio, qui cum Fazelli sententiam retulisset de abusu nominis utriusque Siciliæ, subdit: *Ego verò dixerim ob id duas Sicilias appellari inceptum, quia ex terræmotu avulsa fuit insula ab Italiæ continente, sicut Cyprus à Syria &c. qua ratione fortasse non à Siculis ex Italia fugientibus, sed quasi Sicilita, hoc est excetta*. Hanc enim ejus opinionem ex jam dictis falsam esse patet: & omnium graviorum auctorum sententiæ adversatur, qui Siciliam à Siculis appellatam volunt, ut infra videbimus.

11 Nonnulli Calabriam Siciliæ nomine vocatam referunt; ex quo Siculos quosdam viros ad Calabriam attrahere conantur: etsi minus rectè, immò insanâ exagitati audaciâ contrarium sentiant, nempè à Siculis nonnullos Calabros usurpatos. His breviter satisfaciendum puto, ut veritas eluceat, ac non Siculos, sed Calabros fures esse pateat.

12 Hieronymus Marafiotus *in Chronicis Calabriæ lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 20. quem sequitur Joannes de Flores *in apparatu Calabriæ Illustratæ disc.* 3. §. 6. *pag.* 33. ait ex Antiocho apud Dionysium Halicarnassęum *lib.* 1. Calabriam primùm Italiam vocatam ab Italo viro præpotente, cui Morges successit ejus filius, qui Calabriam appellavit Morgetiam. Hujus tempore vir quidam nomine Siculus ad Morgetem venit ab Urbe Roma, aliâ ab ea, quam Romulus condidit, Trojanis temporibus superiore. Constituto apud Calabros à Siculo isto principatu, Calabria ab eo dicta est novo nomine Sicilia, incolæ verò Siculi. Hanc autem antiquam Siciliam in Italia esse putat Marafiotus: hinc Strabo ex Antiocho tradit Rhegii provinciam tum à Morgensibus, tum etiam à Siculis habitatam. Marafioto Cluverii auctoritatem addit de Flores, qui ait: *& quod Siculus à Morgete hospitio exceptus, proprium principatum in ea gente constituerit.* Hi autem Siculi, sequitur Marafiotus, ad vicinam Insulam trajicientes, hanc Siciliam appellarunt. Rogerius verò hoc nomen amplificavit, nam Calabriæ, & Siciliæ Dominus, ab Anacleto Antipapa, & Innocentio II. Regis titulum utriusque Siciliæ obtinuit, nempe Siciliæ antiquæ, id est Calabriæ, & recentioris, id est Insulæ, ut ex Platina in vita Innocentii II. proditum est. At Siculos Calabriæ incolas Insulam habitasse ante Trojanas res ex Hellanico apud Halicarnassęum, Thucydide *lib.*6. & Philisto probare conatur. Hæc Marafiotus, ejusque pedissequus de Flores.

13 In his supra allatis plura expendenda; nam compertum sanè est ex Antiocho Syracusano apud Halicarnassęum *lib.* 1. Italos ab Italo, inde Siculos à Siculo quodam Romano vocatos: at non ait, hos in sola Calabriæ Provincia habitasse. En Dionysii verba: *Antiochus Xenophanis hęc dissertè scripsit de Italia bona fide secutus sermones veterum. Terram hanc, quæ nunc Italia dicitur, olim tenuerunt Oenotri. Deinde commemoratis eorum moribus, ac forma Reipublicæ, & quòd Regnum tandem Italo delatum sit, à quo mutato nomine dicti sint Itali: Morgetemque huic successisse, unde Morgetum eis appellatio: & quòd Siculus à Morgete exceptus hospitio proprium principatum in ea gente constituerit: hæc verba subiicit: sic facti sunt Siculi, & Morgetes, & Itali, cùm essent Oenotri.* Alibi etiam eadem repetit.

14 Quamvis autem Marafiotus Siculos, à Calabria venisse tradat ex Hellanico, Thucydide, & Philisto, attamen hi non è Calabria, quam non nominant, sed ab Italia appulisse scribunt. Hellanicus apud Dionysium Halicarnassęum *lib.* 1. ait: *Siculum genus reliquit Italiam, ut Hellanicus Lesbius auctor est, ante bellum Trojanum ætate tertia.* Thucydides *lib.*6. Scribit: *Siculi ex Italia (ubi namque habitavere) fugientes Opicos in Siciliam trajecerunt.* Philistus apud Dionysium cit. *Philistus autem Syracusanus scribit, trajecisse illos anno octuagesimo ante bellum Trojanum, gentem verò transvectam ex Italia nec Siculos, nec Ausones fuisse, nec Elymos, verùm Ligures Duce Siculo.* Addit Dionysius: *Hæc sunt, quæ præcipui scriptores tradunt de novis habitatoribus profectis in Siciliam ex Italia.* Alibi: *ac Siculi ex Italia in proximam trajecerunt Insulam.* His adde Diodorum Siculum *lib.* 5. *num.* 5. qui ait: *post multas denique ætates Siculorum gens ex Italia cum familiis universis in Siciliam transgressa, relictum à Sicanis agrum occupavit.*

15 Sed esto habitasse hos Siculos Calabriam, ut ex Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. deduci videtur (nam si id à Dionysio scribi ait Cluverius *in Sicil. antiq. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 29. apud Dionysium hoc non invenio) & ex Calabria in Insulam trajecisse; haud ex hoc deduci tutò poterit, Calabriam Siciliæ nomen obtinuisse,

nuisse. Probandum enim erit, hos Siculos Calabriæ Provinciæ, Siciliæ nomen imposuisse, & ibidem reliquisse. Populorum nonnulli exteras regiones inhabitarunt, nec nomen nationis eisdem reliquere. Romani, Vandali, Gothi, Normanni Siciliam incoluere, nec eorum nomen Siciliæ tribuisse scimus. Sicani Iberiam tenuere ex Thucydide *lib. 6.* Solino *cap.* 11. aliisq; nec Sicaniæ nomen Iberiæ concessere.

16 Non me fugit Cluverium *in Italia antiqua lib. 3. cap. 1. pag.* 788. de Latio scripsisse, quòd Latium omnium primi, quorum extat memoria, Siculi incoluere ex Dionysio Halicarnasßo *lib.* 1. Varrone *de lingua latina lib.* 4. Solino *cap.* 8. Plinio *lib. 3. cap.* 5. & Siciliam vocavere: *Atque tum ab incolis Siculis regio hæc dicta fuit Sicilia.* At auctores hi Siciliæ nomen, Italiam accepisse non scribunt: sed illic habitane: & etiam si putes Italiæ aliquando nomen Siciliæ obvenisse, hoc soli Latio, non Calabriæ concessum.

17 Nec Siculus ille Romanus, Siciliæ nomen Italicæ Provinciæ, ubi habitavit, imposuit, sed populos suos Siculos vocavit: Siciliæ nomen, Insulæ tantùm præbuit, ut ait Hellanicus apud Halicarnassæum, *lib.* 1. *Horum Regem dicit Siculum, à quo nomen sit inditum tam genti, quàm Insulæ. Philistus apud eumdem: Duce Siculo, hunc Itali filium imposuisse nomen suum subditis.* Clarius idem Cluverius *Italiæ antiquæ lib. 1. cap. 1. pag.* 11. cùm scripsisset Italiam ab Italo vocatam, concludit: *post Italum verò, sive filius ejus, sive quis alius posterorum, nomine Siculus, gentem de suo nomine appellavit Siculos; ipsi terræ vocabulo prisco Italiæ servato.*

18 At concedas Latio Siciliæ nomen: qui tunc hujus Siciliæ fines? Cluverius *cit. lib. 3. cap. 1. pag.* 788. demonstrat: *comprehendisse hanc Siciliam non tantùm omne priscum Latium, cujus fines mox infra aperiemus; sed & totum Sabinum agrum* & infra: *sed hunc Sabinum agrum Siculi agri tractum circa Cutiliam lacum, & Reate oppidum jam ante Aboriginum immigrationem occuparunt Umbrorum quidam: quibus pulsis proximos inde Siculos eggressi sunt Aborigines.* Unde hìc Neapolis, & Calabria?

19 Adde, quòd cùm idem Cluverius loc. cit. scripsisset, Latium olim à Siculis incolis Siciliam appellatum, paulò post addit: *pag.* 790. *Hoc nomen postea à quodam Rege eorum Italo mutatum fuisse in Italiæ vocabulum.* Ideoque Siciliæ nomen, postquam Italia dicta fuit, deletum agnoscimus: id verò antiquis temporibus, quando neminem Scriptorum Siculorum, vel Italorum invenies. Hinc cùm Siculum dicant aliquem Scriptorum, haud posse Calabrum intelligi, clarissimè patet: tunc enim Scriptores Siculi clarere cœperunt, cùm jam Siciliæ nomen ex Italia exulaverat. Id etiam prodit Dionysius Halicarnassæus cit. ex Hellanico, & Philisto, dum ait, Aborigines ex Italia ejecisse Siculos ante bellum Trojanum ætate tertia, nempè ex Cluverio *cit. lib. 3. cap. 2. pag.* 836. *& in Sicilia lib. 1. cap. 2. pag. 29. anno* 80. *ante bellum Trojanum.* Hinc vides Siciliæ nomen alicui Italiæ loco impositum, juxta Calabrorum sententiam, haud trahi posse ad ævum, quo Scriptorum, vel Pontificum quispiam effloruit.

20 Hoc ipsũ ex Marafioto *l.1.c.7.p.*23.(adde eũdẽ Flores *cit.p.*33.) deducitur; fatetur enim Siculos ex Calabria in Siciliã trajecisse ante bellũ Trojanũ, & inde ipsã Magnæ Greciæ nomen adeptam vel ex habitatione Pythagoræ, vel ex viris illustribus, qui eamdem Calabriam inhabitarũt post ipsum bellum: hinc jam eliminato Siciliæ nomine, Magnæ Græciæ nomen acceperat. Ideoq: Scriptores ferè omnes nostri post bellum Trojanum efflorentes, cùm Siculi vocentur, non Calabros fuisse intelligendum; Calabria enim non Sicilia appellari poterat, sed Magna Græcia, nec utrumque nomen habuisse videtur.

21 Ut alias Marafioti rationes diluam advertendum, nec Anacletum Pseudopontificem, nec Innocentium II. in concessione tituli Regii, quem Rogerio concessere, Siciliam, & Calabriam utriusque Siciliæ nomine vocasse, ut ipse Marafiotus, & ante ipsum Barrius *lib.* 3. falsò tradit; etsi id asserat Platina *in vita Innocentii II.* qui recentiori tempore scribens, eo nomine jam introducto usus est. Anacletus in bulla coronationis Rogerii anno 1130. apud Baronium *tom. 12. annal. an.* 1130. *num.* 52. & Caetanum *Isagog. cap.* 40. *pag.* 322. ait *Autorizamus tibi, & filio tuo Rogerio, & aliis filiis tuis, secundùm tuam ordinationem in Regnum substituendis, & hæredibus tuis coronam Regni Siciliæ, & Calabriæ, & Apuliæ.* Innocentius II. in diplomate legitimæ coronationis ejusdem anno 1139. apud Baronium cit. *an.* 1139. *num.*12. apud Rocchum Pirrum *in Chronologia Regum Siciliæ pag.* 24. & Caetanum *cit. n. 14. pag.* 324. ait: *Innocentius Episc. Servus Serv. Dei. Charissimo in Christo filio Rogerio illustri, & glorioso Siciliæ Regi, ejusque Hæredibus in perpetuum, &c. Regnum Siciliæ, quod utique (pro ut in antiquis refertur historiis) Regnum fuisse non dubium est; tibi ab eodem Antecessore nostro concessum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica auctoritate firmamus. Ducatum quoq: Apuliæ tibi ab eodem collatum, & insuper Principatum Capuanum insuper nostri favoris robore communimus.* Nec ipse Rogerius Regio titulo Utriusque Siciliæ usus est, sed ante Innocentii concessionem Siciliæ, & Italiæ Rex dicebatur: post ejusdem concessionem, solùm Siciliæ Rex, ut advertit Rocchus Pirrus *loc. cit.* Possem hoc sexcentis diplomatum testimoniis confirmare: at excipe pauca. In Privilegiis annorum 1131. & 1133. apud Rocchum Pirrum *in notitiis Eccles. Messan. pag.*304. *Eccles. Pactens. pag.*392. *& Archimandritatus pag.*5. leges: *Rogerius Siciliæ, & Italiæ Rex.* In aliis annorum 1142. 1147. & 1148. apud eumdem Pirrum *in not. Prioratus Messan. pag.* 633. *& Abbatiæ S. Joannis de Eremitis pag.*214. & apud Fazellum *dec. 1. lib.8. pag.* 172. habes: *Rogerius Siciliæ Rex, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.* Hinc Ptolomæus Lucensis *de Geneologia Roberti Guiscardi*, quam edidit Hieronymus Surita, unà cum Gaufrido Malaterra *p.* 144. ait: *tunc prædictus Rogerius se Regem vocari mandavit: Et quia suum proprium dominium erat Sicilia, inde motus est; ut nomen Regni ipsa Sicilia obtineret: Apulia in suo antiquo nomine, & Principatibus remanente.*

22 Joannes de Flores *in apparatu Calabriæ cit. disc.3. §.6. pag.*32. & seq. Calabriæ, & ob eam toto Neapolis Regno, hoc Siciliæ nomen, totis viribus, attrahere conatur. Ideoque primò Summontii opinionem,

nionem, qui ait, hoc nomen Siciliæ Neapolitano Regno à Clemente IV. obvenisse, refellit; scribit enim, ante Clementem nomen utriusque Siciliæ extitisse, quod ex epistola quadam Tancredi Siciliæ Regis ad Joachimum Abbatem deducit, in qua legitur: *totque Cœnobia adeò magnifica in utraque Sicilia extructa*: non ergo ex Clementis IV. placito, sed quia Calabria, & ob eam Neapolis Regnum Siciliæ nomen habuit: etsi quantò hoc certum, tantò incerta ejus origo.

23 At quo ex fonte hæc Tancredi epistola derivata? dùm auctorem de Flores silentio involvit, in dubio ejus fides versatur. Nam certo certius quòd ante Clementem IV. Calabriæ regionem, non Siciliam, sed Calabriam vocabant: id tùm ex auctoritate Scriptorum, tùm ex diplomatibus liquidò patet, ut infra nu.29.

24 Inde de Flores, cùm dixisset à Siculis hoc nomen Siciliæ obvenisse, qui non omnes Neapolitani Regni fines inhabitarunt, sed loca propè Rhegium, eorum originem exquirit; additque, quòd è Latio, vel Samnitum regione expulsi à Pelasgis ex Dionysio, & Hellanico, vel ab Opicis ex Thucydide, Cluverio, & Fazello, in Calabriam venere, quam Siciliam appellarunt: hoc autem Pauli Merulæ auctoritate firmare conatur, qui ait in Geographia *cap. 22. ab iis enim obversam Trinacriæ Siciliam vocant Ælianus, Eustatius, Suidas, Theocriti Scholiastes, D. Hieronymus, Synodus Constantinopolitana, & alii*. Additque de Flores, hoc ex diuturna eorum habitatione his in locis accidisse; ibi enim diù inhabitarunt, ut scripsisse tradit Philippum Bergomensem, *in supplem. Chron.* Placidum Carafam *in compend. hist. Messin. an. 2288.* (hujus auctor non Carafa, sed Joannes Paulus ab Epiphania, ut in Bibliotheca *pag. 359.*) & Placidus Reina *tom. 1. hist. Messanę an. 2288. pag. 81.* ex auctoritate Justini, & Philippi Cluverii.

25 At concedas de Flores, Siculos Calabriam tenuisse, hi diù hanc Provinciam inhabitasse apud auctores ab eodem adductos non videbis. Adi auctores ab ipso de Flores allatos. Nec ex eo quod ibi inhabitarunt, Calabria dicta, ut ex traditis supra num. 15. patet. Quod si hoc Merula docet, attamen si auctores ab eo citatos evolves, planissimè comperies, haud scripsisse Calabriam Siciliæ nomine insignitam, sed Urbem unam, vel alia ex Insula Siciliæ, Calabriæ ex errore attribuisse; quòd haud novum apud Historicos, & Geographos; nam confudisse loca nonnulla critici passim observant. Hoc autem argumento Roccho Pirro *disquis. 2. de Metropolita Siciliæ §. 5. nu. 6. pag. 29.* Abramo Ortelio apud ipsum, & Barrio *de antiq. & situ Calabriæ lib. 3. in Italia illustrata pag.* 1093. me respondisse intelliges.

26 Cùm autem de Flores Calabriam Siciliæ nomine vocatam putasset: hinc ad Calabriam suam Sanctos quosdam, Pontifices, ac Scriptores, qui Siculos nominatos invenies, ad Calabriam suam attrahere nititur: nomine enim Siculi, Calabrum virum designari contendit: quòd *lib. 4. cap. 1. §. 2. pag. 362. Calabriæ illustratæ* scribit, & ex dictis in ejusdem apparatu, jam rejectis, deducit. Hinc Agathonem, Leonem II. & Stephanum IV. Sum. Pontif. Siculos à nonnullis vocatos, Calabriæ attribuit: Gabrielem Barrium imitatus, qui id ipsum scribit *in antiqu. & situ Calabriæ lib. 3.* At si omnia æqua lance perpendissent, Siculi nomine solùm Siculum virum indicari comperissent: nam ante, & post horum Pontificum, Sanctorumque ævum Calabriæ nomen vigebat, quæ non Siciliæ, sed proprio Calabriæ nomine vocabatur.

27 Ante Christi Domini adventum Calabriam hoc nomine vocatam Scriptores innumeri tradunt. Plinius *lib. 3. cap. 11. Calabrorum mediterranei, & cap. 26. Calabro littore ante Brundusium*. Solinus *cap. 8. versam postmodum in nomen Calabriæ.* & infra: *Calabria Chersydris frequentissima.* Pomponius Mela *lib. 2. cap. 4. Apuli, Calabri, Salentini*, & infra: *in Calabria Brundusium.* Strabo *lib. 6. pag. 277. & 282.* Calabriam nominat. Columella *de re rustic. lib. 12. cap. 49. habetur præcipua in hos usus olea Calabrica. & lib. 8. c. 2. Calabræ oves.* Lucanus *de bello civili lib. 5. v. 589.*

. . . . *tum Calabro portu te crede potitum.*

Horatius *Carm. lib. 1. Ode 31.*

Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta.

Idem *lib. 1. epist. 7. v.* 14. ut alia ipsius loca prætercam:

Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes.

Valerius Flaccus *lib. 1.*

Calaber populator Sirius arvi.

Lib. 3.

Emicuit Calabris Taurus. Ibidem.
Calabris redit armentarius arvis.

Persius *Sat. 2. v. 65.*

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.

Virgil. *Georg. lib. 3.*

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis.

Ovidius *lib. 3. de arte amandi:*

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni.

28 Post Christi adventum alii etiam Calabriam non Siciliam hanc regionem vocant. S. Athanasius qui claruit an. 340. *in Apolog. 2.* ait, ad Concilium Sardicense anno 347. celebratum, convenisse Episcopos ex provinciis *Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ.* En Siciliæ nomen à Calabria distinctè indicatum. Constantinus Porphyrogeneta (claruit ex Guilelmo Cave *in Script. Eccles.*

*cles. hist. literaria tom.*1. *pag.*404. anno 911.) *in administr. imperii cap.* 27. ait: *Postquam Constantinopolim translata fuit imperii sedes, omnis Italiæ dictio in duos Principatus fuit divisa; & ex eo tempore missi sunt ab Imp. Constantinopolitano Patritii duo, quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphiæ præerat.* Erempertus Longobardus, qui effloruit circa an. 910. ex Antonio Caracciolo *in propyl. ad antiquos Chronologos pag.*18. ait: *in epitom. Chronolog. pag.*67. *Abeuntibus autem in Calabriam Saracenis.*

29 Tandem ut plenius objectionibus Calabri de Flores faciam satis, qui Summontii opinionem rejiciens, ait *in apparatu disc.*3. §.6. *pag.* 32. ut supra innui num.23. hoc Utriusque Siciliæ nomine ante Clementem IV. nempè ante annum 1265. comprehendi Calabriam; hìc nonnulla tùm Scriptorum, tùm diplomatum testimonia innuam, quibus ostendam, Calabriam suo proprio Calabriæ nomine vocatam ante annum 1265.

30 Ideoque prætermissis Athanasii, Eremperti, & Constantini Porphyrogenetæ locis supra allatis num.28. si historicorum monumenta evolves, hoc apertissimè comperies: nam Leo IX. Pontifex anno 1052. Umfrido Apuliæ Comiti *omnem terram, quam pervaserant* Normanni, *& quam ulterius versus Calabriam, & Siciliam lucrari possent, de S.Petro, hæreditali feudo sibi, & hæredibus suis possidendam concessit, circa annum M.LII.* ex Gaufredo Malaterra *de acquisit. Siciliæ lib.*1. *n.*14. *pag.*14.

31 Inde Robertus Guiscardus primò se Ducem Calabriæ appellatum voluit ex Sigonio *lib.* 9. *de Regno Italiæ*, & hunc Ducis titulum eidem concessit Nicolaus II. Pontif. Max. teste Baronio *annal. tom.*11. *an.*1059. *num.*69. Leo Ostiensis *in Chron. Casin. lib.* 3. *cap.*15. Summontius *lib.*1. *cap.*13. *pag.*462. Michael Ritius *de Regibus Siciliæ lib.*1. Octavius Beltranus *in descrip. Neap. pag.*65. *&* 209. Claudius Bouffiers *in hist. Siciliæ lib.*2. *an.*1056. *pag.*86. Bap. Platina *in vita Nicolai II.* ideoque in juramento fidelitatis idem Robertus ait: *Ego Robertus Dei gratia, & S.Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ.* hoc autem juramentum habes apud Baronium cit. *an.*1059. *num.*71. Ostiensem cit. *lib.*3. *cap.*15. Summontium *loc. cit. pag.* 474. extat & inter epistolas Gregorii VII. *lib.*8. *pag.*824. & *in libro censuum* ex Codice Vaticano apud Octavium Caetanum *Isagog. cap.* 40. *num.*12. *pag.* 321. Eamdem juramenti formam Robertus præstitit Alexandro II. & Gregorio VII. Nicolai successoribus, quæ extat apud eumdem Gregorium *lib.* 9. *epist. post epistolam primam*, & apud Caetanum cit. *num.*13. *pag.*321.

32 Roberto successit Rogerius filius an. 1084. Dux II. Calabriæ ex Summontio cit. *pag.* 476. *&* 477. hic autem ab Urbano II. Ducatus Calabriæ confirmationem obtinuit, cui anno 1090. in Melfitana Synodo fidelitatis juramento se devinxit, ex Romualdo Salernitano *in Chron.* apud Baronium *tom.* 11. *anno* 1090. Michaele Ritio *de Regibus Sicilię lib.* 1. & Cornelio Vitigiano *in Chron. Neapol. cap.* 17. *pag.* 54. Rogerium etiam Calabriæ Ducem vocat Sichelgaita in privilegio Ecclesiæ Panormitanæ concesso anno 1089. apud Rocchum Pirrum *not. Eccles. Panorm. pag.*104.

33 Gulielmus Rogerii prædicti filius Ducis Calabriæ titulo enituit; & Ducatus confirmationem à Paschale II. Pontifice obtinuit anno 1114. ex Falcone Beneventano *in Chronic. pag.* 194. Petro Diacono *l.*4.*c.*51. & Summontio cit. *pag.*487. & Gelasio II. qui eidem Gulielmo Ducatus titulū concessit ex Vitigiano cit. *pag.*55. & Amato Mastrullo *in Monte Virgine Sacro pag.*274. jurejurando pollicitus est, se Romanę Ecclesiæ fidem servaturum. Hanc juramenti formam recitat Romualdus *in Chron.* ut etiam eam, quam Calisto II. an.1120. præstitit. At Ducatum hunc Calabriæ anno 1122. Gulielmus Rogerio Sicilię Comiti, inde Sicilię Regi concessit, ex Falcone Beneventano *in Chron. pag.*224.

34 Rogerius Sicilię Comes Roberti frater, Calabrię etiam Comes vocabatur, ut in Privilegiis concessis an. 1095. Ecclesiæ Panormitanę apud Pirrum *not. Eccles. Panor. pag.*104. Ecclesię Messanensi anno 1090. apud eumdem *not. Eccles. Messan. pag.*298. *&* 301. Ecclesię Cataneñsi an.1091. & 1094. apud eumdem *not. Eccl. Catan. pag.* 10. 12. 14. *&* 17. Ecclesię Agrigentinę an. 1094. apud eumdem *pag.* 271. Ecclesię Pactensi eodem anno apud eumdem *pag.*385. 386. *&* 387. Ecclesię Mazarensi anno 1093. ex eodem Pirro *not. Eccl. Mazarensis pag.*500. Abbatię S. Pantaleonis anno 1099. apud eumdem *de Abbatiis pag.*53. Abbatię S. Michaelis de Troina an.1083. & 1093. apud eumdem *pag.* 74. *&* 75. Abbatię S.Angeli de Brolo an.1084. Ibid. *pag.*81. Abbatię S. Marię de Mili an.1092. Ibid. *pag.*87. Abbatię SS.Petri, & Pauli de Itàla an.1093. Ibid. *pag.* 103.

35 Rogerius Rogerii Comitis filius, Siciliæ Comes, inde Rex Siciliæ, & Calabriæ Comes vocabatur. Innumera hujus extant privilegia, in quibus se Calabriæ Comitem appellat, ut in privilegio Ecclesiæ Cataneñsi concesso anno 1124. apud Pirrum *not. Eccl. Catan. pag.* 20. in privilegio S. Mariæ de Gloria in Calabriæ Provincia ann. 1117. apud Augustinum Inveges *tom.* 3. *annal. Panor. pag.* 167. Adelais etiam ejus mater, Siciliæ, & Calabriæ Comitem vocat Rogerium in ejus privilegio anno 1112. apud Pirrum *not. Eccl. Panor. pag.* 105. & ipsa Adelais Siciliæ, & Calabriæ Comitissa dicebatur, ex quodam rescripto Messanensis Præsulis anno 1120. ex eodem Pirro *not. Eccl. Messan. pag.* 303.

36 Inde etiam titulum Ducatus Calabriæ ob mortem Gulielmi accepit ex Summontio cit. *pa.*490. ideoq; Comitis titulum aspernatus, Calabriæ Ducem se appellari mandavit: at quia inconsulto Pontifice id effecit, ipsum anathemate perculit Honorius Papa; sed inde absolutus, Ducatus titulum ab eodem obtinuit, teste Romualdo *in Chron. cit.* Amato Mastrullo *in Monte Virgine Sacro pag.* 277. & Summontio cit. *pag.*490. hinc idem Rogerius Rex Siciliæ salutatus, in privilegiis suis editis, Siciliæ, Apuliæ, & Calabrię Rex nominabatur, ut tradit Octavius Beltranus *in descrip. Neapol. pag.* 68. non Rex utriusq; Siciliæ ut falsò scribit Thomas Costus *in vita S. Gulielmi pag.* 7. id enim clarissimè patet in privilegio Ecclesiæ Agrigentinæ an. 1142. ex Pirro *not. Eccl. Agrig. pag.* 276. in privilegio Ecclesiæ Mazarensis anno 1144. ex eodem *not. Eccl. Mazar. pag.* 502. In aliis etiam an. 1134. & 1145. Archimandritæ Messanen-

fanenti concessis apud Pirrum *de Abbatiis pag.* 7. 11. & 13. Calabriæ nomen invenies. Et in ejus ense hæc inscripta verba deferebat:

Apulus, & Calaber, Siculus mihi servit, & Afer.

ut tradunt M. Antonius Sabellicus *in hist.* & Summontius *tom.* 2. *hist. Neap. lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 16.

37 Vivente adhuc Rogerio Rege, Gulielmum ejus filium, inde Siciliæ Regem, Calabriæ Ducem nominatum observamus apud Summontium *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 4. & Ritium *de Regibus Siciliæ lib.* 1. & idem Gulielmus in privilegio Ecclesiæ Montisregalis an. 1176. aliqua bona Calabriæ, eidem Ecclesiæ concessa, commemorat, ex privilegio apud Pirrum *not. Eccl. Montisregalis pag.* 402. Rogerius etiam, Rogerii Siciliæ Regis filius, Dux etiam fuit Calabriæ teste Summontio cit. *pag.* 35.

38 Nec desunt Pontificum diplomata, qui Calabriam proprio Calabriæ nomine vocant ante annum 1265. ex his Anacletus Pseudopontifex in diplomate, quo anno 1130. Regis titulum Rogerio largitus est, quod extat apud Baronium *to.* 12. *annal. an.* 1130. *num.* 52. & Pirrum *in Chronologia Regum Siciliæ pag.* 22. Urbanus II. in Bulla edita anno 1090. apud Pirrum *not. Eccl. Messan. pag.* 299. Hadrianus in bulla an. 1156. apud eumdem *in Chronolog. cit. pag.* 29. Honorius in apostolicis literis anno 1216. datis, & ab eodem Pirro in libro *de Abbatis pag.* 20. allatis: Alexander IV. in diplomate anno 1247. scripto apud eumdem Pirrum *not. Eccl. Mess. pag.* 334. Innocentius III. in epistola ad Constantiam Imperatricem, & Siciliæ Reginam an. 1199. inter epistolas ejusdem *lib.* 1. *epist.* 410. Nicolaus I. *in epist. ad Michaelem Imp.* apud Baronium *an.* 860. *n.* 8.

39 His adde illius ævi scriptores, qui eodem Calabriæ nomine Calabriam appellant: adi Lupum Protospatarum, Anonymum Casinensem, & Falconem Beneventanum *in Chronicis* editis ab Antonio Caracciolo Neapoli an. 1626. qui Calabriam nominant. Id ipsum habent Gaufridus Malaterra *in libro de acquisitione Siciliæ*, & Alexander Celesini Cœnobii Abbas *de Gestis Rogerii*, quorum historias in lucem emisit Hieronymus Surita Cæsaraugustæ an. 1578. Hugo Falcandus *in historia Siciliæ*, Gulielmus Apuliensis *in libro rerum Normannicarum*, Romualdus Archiepiscopus Salernitanus *in Chronico* pluries à Baronio *tom.* 11. *annal.* citato, aliiq: quorum loca hìc non exscribo, ne tędio lectores afficiam.

40 Ex his clarissimè patet ante annum 1265. Calabriam non utriusque Siciliæ nomine comprehendi, sed suo proprio Calabriæ nomine vocatam.

41 Hinc rectè vides Octavium Caetanum (virum tùm sanctimoniæ famâ, tùm literarum gloriâ celeberrimum, ut ex Soc. Jesu Scriptoribus proditum est) à Calabro de Flores *lib.* 4. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 363. *num.* 11. immeritò lacessitum; & Petrum Carreram *in hist. Catanæ vol.* 1. *lib.* 4. *pag.* 413. rejecisse Barrium, & Marafiotum, qui viros omnes illustres (nempè Siculos, non omnes Orbis viros, ut crassiori interpretatione expendit de Flores: quod amplificationis gratiâ intelligendum) ad Calabriam pertrahere tentarunt. Meritò etiam Jacobus Bonannus *in Syrac. illustrata lib.* 2. *pag.* 311. Barrium furti vitio laborasse scribit: nam hic, aliiq: viros nonnullos, Siculos dictos, Calabriæ adscribunt: Calabriam enim Siciliæ nomine vocatam falsò putarunt.

42 Immò audaci sanè injuriâ contra Siculos reclamare præsumunt de Flores cit. Barrius *lib.* 3. *de antiq. & Situ Calabriæ*, & Paulus Æmilius Sanctorius *in hist. Monast. Carbonensis pag.* 14. existimant enim, quòd Siculi Scriptores, multos viros illustres Calabris abstulerint. Hoc autem exemplo ostendere intendit de Flores: Raphael Volaterranus *lib.* 20. *anthropol.* ait: S. Franciscum Paulanum Siculum fuisse, contra omnium opinionem, qui Calabrum voluere: subditque hoc unico exemplo de Flores: *Ecco adunque come molti Personaggi di conto famosi, e nella santità, o nelle lettere, o nell' armi, o in altra professione notati col nome di Sicoli non pure li Scrittori lontani, che non possano saper tanto, ma li medesimi Italiani con manifesta violenza, li rubbano, trasportandoli, per la loro somiglianza non bene avvertita del cognome, da questa à quell' altra Sicilia.* Ex unico errore Auctoris non Siculi deridendam educit illationem contra Siculos, tamquam multorum furtorum reos. At S. Franciscum Paulanum non Siculum, sed Calabrum esse fatentur omnes Siculi Scriptores: nec unum comperies, qui de eo scribens, Siculis Sanctorum fastis accenseat: etsi è Sicilia originem traxisse scribat Antoninus Amicus *in dissert. epistol. ep.* 3. At de singulis Scriptoribus à Calabris ablatis, scribendum in Bibliotheca suis locis.

43 Hinc concludendum, Siculi nomine non Calabrum, ut perperam voluit Barrius cit. sed Siculum in Insula natum intelligi, ut rectè scribunt Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *SS. Siculor. pag.* 1. Pandulfus Collennucius *hist. Neapol. lib.* 1. *pag.* 7. Arnaldus Wion *in ligno vitæ lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 136. aliique cum Augustino Inveges *tom.* 2. *Annal. Panor. pag.* 466. immeritò à de Flores reprehenso, dum ipsius inconstantiam exprobat; si enim Invegii dicta perpendes *tom.* 3. *ann. pag.* 293. & 294. facillimè videbis Calabrum hunc Scriptorem nugis hisce suis notitiarum seriem confundisse; nec Invegium sibi contrarium fuisse. At de Flores ne videretur innumera, & selectiora à Siculis Scriptoribus expilasse, eosdem futili, ac petulanti censurâ, ac nimiâ dicacitate reprehendere audet. Sed de Siciliæ nomine Satis.

§. III.

DE LITERARUM CULTU IN SICILIA.

1 Singularem gloriam à literarum cultu Provinciis accedere satis compertum est. Ab antiquissimis temporibus hoc ornamenti genus Siciliæ non defuit, etenim si remotissima temporis monumenta

sedulò percurres, apertissimè percipies literas à vetustionibus sæculis in Sicilia magno studio excultas.

2 Jacobus Middendorpius *in Academiis Orbis Christiani lib.* 1. pluribus firmare contendit, Judæos literas, omnesque bonas artes, ac disciplinas invenisse: Noemum verò post diluvium, ejusque nepotes, traductis in Italia Coloniis, Physicam, Astronomiam, Theologiam, aliarumque facultatum doctrinas huc asportasse. Id etiam totum *pag.* 229. de Sicilia prodit; ait enim, quòd Sicilia eodem ævo quo Italia bonas literas accepit; nempè à Noemi Nepotibus, à quibus primùm post diluvium Sicilia inhabitata, ut eruditè firmant Marianus Valguarnera *de origine Panormi*, & Augustinus Inveges *tom.* 1. *annal. Panormi.*

3 In Sicilia etiam à Chaldæis, & Phœnicibus literas invectas non obscurè conjectamus: horum enim Coloniam Panormum appulisse anno Mundi 2276. docet Chaldæa inscriptio antiquissima apud Pazellum *de rebus Siculis dec.* 1. *lib.* 8. *pag.* 165. Invegium *cit. pag.* 121. & Valguarneram *cit. pag.* 450. ex Petro Ranzano in opusculo m. s. *de auctore, primordiis, ac progressu felicis Urbis Panormi.* Ea hæc est. *Vivente Isaac filio Abrahæ, & regnante in Idumæa, atq; in Valle Damascena Esau filio Isaac: ingens Chaldæorum manus, quibus adjuncti sunt multi Damasceni, atq; Phœnices, profecti ad hanc Triangularem Insulam sedes perpetuas locaverunt in hoc amœno loco, quem Panormum cognominaverunt.* Chaldæi autem si scientiis, præsertim astronomicis instructissimi claruere, ut Plinius *lib.* 6. *cap.* 26. Diodorus Siculus *lib.* 2. *n.* 9. aliique innumeri tradunt; literas in Siciliam, & Panormum transuexisse putandum est. Id ipsum de Phœnicibus intelligendum. Hi autem negotiandi gratiâ, aliâ Colonia in Siciliam deductâ anno Mundi 3474. Panormum, Motiam, & Solœntum incoluere ex Thucydide *lib.* 6. Valguarnera cit. Invegio cit. *à pag.* 273. aliisque: & horum Phœnicum appulsu in Sicilia literas floruisse putat Hieronymus Matranga *de Academia syntag.* 6. *cap.* 6. *pag.* 181. & meritò, Phœnices enim doctrinâ excultissimi prædicantur: de quorum Philosophia consule Jo: Gerardum Vossium *de Philosophorum sectis cap.* 1. §. 24. *pag.* 8. *& seq.* Immò Phœnices primùm literas à Judæis acceptas Græcis docuisse multi cum Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. Tacito *lib.* 11. *annal.* & Diodoro Siculo *lib.* 5. *n.* 74. scribunt.

4 Elapsis exinde temporibus Græci varias in Sicilia transtulere Colonias, teste Thucydide *lib.* 6. Chalcidenses enim ex Eubœa Insula Theoclis Atheniensis ductu in Siciliam appulsi Naxum ædificarunt. Corinthii nonnulli Archia Duce Syracusas tenuere. Lamis Megarâ relictâ cum Grecorum colonia Pantagii fluminis ripas incoluit, ac Trotilum condidit, exinde Leontinum occupavit. Antiphemus ex Rhodo, Euthimus ex Creta Coloniarum Duces, Gelam extruxere. Alii cum aliis Græcis in Insulam nostram traiicientes, Græcorum sapientiam in Siciliam invexere, eorumque linguam, doctrinam, disciplinas, fabulas, & artes in Siciliam allatas propagarunt, ex Middendorpio *de Academiis lib.* 1. *pag.* 230. & Mario Aretio *de Situ Siciliæ pag.* 9. Hinc Græcorum doctrinâ Siciliam plenam fuisse tradit Cicero *de universit. & lib.* 1. *de divinat.* & exinde Philosophi, Poetæ, & Oratores nonnulli Siculi literarum gloriâ effloruere.

5 Latissimè verò amplificata in Sicilia Philosophorum doctrina Pythagoræ viri doctissimi adventu: hic enim Samius Italiam adiit, Crotonem incoluit, ibique scholam aperuit, ac frequentissimo discipulorum numero stipatus pythagorica dogmata longè, latèque diffudit, ex Laertio *lib.* 8. Ab eo exortum Philosophorum genus, quod Italicum dixere, quia Pythagoras in ea Italiæ regione docuit, quæ Magna Græcia vocabatur, ut Cicero prodit *lib.* 1. *&* 5. *Tuscul. quæst.* Vossius *de Philosophorum sectis cap.* 6. *pag.* 28. Abrahamus Gravius *in hist. philosophica lib.* 1. *cap.* 5. *& lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 12. *& lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 283. *&* 286. aliiq; Pythagoras hic Siciliam doctrinæ splendoribus illustravit: is enim teste Jamblico *de vita Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 46. in Siciliam digressus, cùm accepisset civitates quasdam fœdissima servitute oppressas, *eas liberali prudentiâ complevit per auditores, qui singulis diebus ad ipsum meabant, atque in libertatem asseruit.* Has inter libertate donavit Catanam, Himeram, Tauromenium, Agrigentum, aliasque, quas legibus à Charonda Catanense, & Zeleuco Locro conditis munivit; eoque præsidio vallatas diu effloruisse scribit Jamblicus cit. *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 46. *& cap.* 27. *pag.* 123. *&* 126. & Porphyrius *de vita Pythagoræ ex editione Lucæ Holstenii pag.* 14.

6 Ut Pythagoram audirent Siculi studiosi ad ipsum convolabant, ut testatur Anaximenes *in epistola ad Pythagoram* apud Laertium *in vita Anaximensis*, ait enim: *atque tu Crotoniatis, atq; Italis cæteris gratus, atque in pretio es, quem accedunt & ex Sicilia studiosi quique.* Hinc innumeri ex ejus schola doctrinâ instructissimi prodiere, inter quos Empedocles Agrigentinus ex Jamblico cit. *cap.* 23. *pag.* 103. Leptines Syracusanus, & Colæs Selinuntinus, ex eodem *cap.* 36. *pag.* 223. Pythias, & Damon Syracusani, eodem teste *loc. cit. & lib.* 1. *cap.* 33. *pag.* 197. *& cap.* 27. *pag.* 121. cum Porphyrio *cit. pag.* 41. & Valerio Maximo *lib.* 3. *cap.* 7. Charondas Catanensis Legumlator, ex Jamblico cit. *lib.* 1. *cap.* 27. *pag.* 123. *cap.* 23. *pag.* 103. *& alibi.*

7 Ne dum Siculi ad Pythagoram in Magna Græcia docentem accessere, verùm etiam ipsum in Sicilia habitasse, eamque egregiâ doctrinâ instituisse nonnulli tradunt. Tauromenium præsertim incoluit, ibique disputavit teste Ioanne Francisco Pico Mirandulano, in dialogo *de Sagis pag.* 21. & Francisco Scorso *in proœm. ad homilias Thophanis Ceramei*: Catanam etiam ex Petro Carrera *in histor. Catanæ vol.* 1. *lib.* 4. *pag.* 405. Phalaris Agrigentinus tyrannus Pythagoram obsecravit ut ad ipsum accederet, & ad ejus preces Agrigentum petiit, ex epistolis Phalaris *ep.* 23. *&* 73. ibique Pythagoram per multos menses moram protraxisse ex eadem epistola 73. apertè deducimus. Immò Hermippus apud Laertium *in vita Pythagoræ* ait, quòd bello inter Agrigentinos, & Syracusanos exorto, Pythagoras cum Agrigentinis sociis opem amicis laturus processit: at his in fugam versis, Pythagoras cùm fabarum campum

circuis-

circuisset, illuc à Syracusanis interfectus, extrema clausit. Hinc Pythagoræ incolatu Sicilia literarum gloriâ mirum in modum effulsit: ideoque ejus Philosophiam diu in Sicilia floruisse tradit Middendorpius *in Academiis pag.* 33. *&* 230. ex Cicerone *de universitate, & lib.* 1. *Tuscul.*

8 Hoc etiam ævo literarum scholas in Sicilia viguisse conjectamus; Charondas enim Pythagoricus, qui in Sicilia leges Catanensibus, Agrigentinis, Himerensibus, Taurometanis, aliisque scripsit ex Porphyrio *cit. pag.* 14. & Jamblico *cit. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 46. his legibus egregium pro literis addiscendis decretum inseruit, quod Diodorus Siculus *lib.* 12. *nu.* 12. protulit; ait enim: *aliam prӕterea legem, jam recitatâ præstabiliorem, sed à vetustis Legumlatoribus etiam posthabitam, sancivit, ut omnes civium filii in bonis literis instituerentur, Civitate stipendia magistris erogante. Prospexerat enim illos, qui præ inopia rei familiaris minervalia solvere nequirent, honestissimo institutionis fructu carituros. literarum enim scientiam cæteris disciplinis haud immeritò præferendam censuit. . . homines illiteratos, ut summis bonis destitutos, ad meliorem ille cultum hac sanctione revocavit, & publicâ illos curâ, impensâque erudiendos censuit.*

9 Ab extrema Italiæ plaga Græciæ nomine vocata, innumeri Græci sapientes in Siciliam effluxere, ne dum ut Siciliæ amœnitate fruerentur, ac admiranda naturæ arcana discuterent, quàm ut Siculorum consuetudine doctrinam augerent, eorumque ingenia recolerent, & veluti apum examina à florentissimis incolëtium disciplinis sapientiæ mella delibarent, ut observat Matranga *de Academia syntag.* 6. *cap.* 6. *pag.* 181. *E proximis Græciæ litteribus turmatim Attici sapientes in illam fluebant; ac tuto commercio commeabant, diversabant; feciali fluvio jura firmante.* Alii etiam ex Atheniensibus lyceis huc transvecti Siciliam tenuere. Ex his accipe quorumdam nomina, prout memoriæ occurrunt. Xenophanes Colofonius è patria expulsus Siciliam adiit, & Zanclam, ac Catanam inhabitavit, teste Laërtio *in ejus vita.* Homerus Poëta, ac Philosophus celeberrimus pluries Siciliam vidit ex Mariano Valguarnera *de orig. Panor. pag.* 89. *&* 96. Arion Poëta, & Musicus ex Ovidio *lib.* 2. *fastor. v.* 93.

Nomen Arionium Siculas impleverat Urbes.

et Natalis Comes *mytholog. lib.* 8. *cap.* 14. ex Herodoto *lib.* 1. Prothagoras Philosophus Abderites in Siciliam navigavit, ut Laërtius *in ejus vita* scribit. Zenon Eleates Philosophus Agrigentum incoluit cùm Phalaris hanc Urbem tyrannico jugo opprimeret, ac populi animos in Phalaridem excitavit, ut Valerius Maximus prodit *lib.* 3. *cap.* 3. Philostratus ob Philosophiam in Siciliam appulit, ex Plutarcho *in vita Catonis minoris.* Archias Poëta Antiochenus diu in Sicilia vixit in Heracleæ civium numero adscriptus, ut Ascanius Pædianus tradit apud Carolum Stephanum *in dict. pag.* 292. Tyrannorum præsertim ævo, Philosophi, doctiq: Viri hìc innumeri ex Græcis audiebantur, quorum frequentiâ Siculorum doctrina latiùs propagata. Plato Academicæ sectæ Princeps tertiùm in Siciliam venit ex Laërtio *in vita Platonis,* nempè primò, ut Insulam perlustraret, ac Ætnæ crateres perscrutaretur. Secundò tempore Dionysii junioris, ut ab eo terram, hominesque peteret, qui juxta constitutam ab ipso Rempublicam viverent. Tertiò, ut Dionem Dionysio reconciliaret. De hoc triplici Platonis adventu Apulejus *de dogmate Platonis,* Lucianus *in Parasito,* & Athenæus *lib.* 11. *cap.* 15. *pag.* 507. In secundo ejus adventu à Dionysio honorificè exceptus est, teste Plutarcho *in Dione,* Æliano *var. hist. lib.* 4. *cap.* 18. & Plinio *lib.* 7. *cap.* 30. Syracusis literarum Academiam excitavit, in qua permaximo ardore bonarum artium studia effloruere; præsertim Philosophicæ, & Geometricæ facultates magnâ ipsius Dionysii voluptate. *Erat,* ait Plutarchus *in vita Dionis, unus omnium ad doctrinam, & Philosophiam impetus. Erat præterea pulverulenta, ut ferunt, Regia ob eorum multitudinem, qui Geometriæ figuras describebant*: id ipsum scribit *in opusc. quomodo possit adulator ab amico discerni.* Inter alios Dionem Syracusanum doctrinâ egregiè expolivit Plato, ut Plutarchus *in Dione* tradit: immò auctori Plato iis in Dionem, virum ingenio, ac morum elegantiâ præstantissimum, triplicem ipsius adventum adscribit Max. Tyrius *diss.* 6. Idemmet Dionysius ex Plutarcho cit. libenter Platonem audiebat, ac omnium rerum moli se subducens, tacitus in Academia doctrinæ bona perscrutabatur, & beatam ex Geometria vitam perquirebat. Addit Middendorpius *in Academiis lib.* 1. *pag.* 231. quòd Dionysius *solebat & alios in omni artium genere prӕstantissimos viros alere, ut si non doctior, & melior, saltem admirabilior suis civibus fieret.*

10 Nonnulli Viri doctissimi utriusque Dionysii tempore Siciliam incoluere; inter hos Æschines, Aristippus, Helicon, Pheton, Carcinus, Xenocrates, ex Laërtio *in vita Æschinis, Aristippi, & Xenocratis,* & Suida *to.* 1. *p.* 816. *&* 817. His adde Cratinum ex Plutarcho *in vitis decem Oratorum de Antiphone.* Diogenem Cinicum, ex Valerio Maximo *lib.* 4. *cap.* 3. Eudoxum, ex Æliano *var. hist. lib.* 7. *cap.* 17. Philoxenum Cytherium ex Diodoro Siculo *lib.* 15. *num.* 6. & Athenæo *lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 6. Heliconem Cyzicenum, qui à Dionysio argenti talentum accepit ob prædictam ex solis calculo eclipsim, ut ait Joannes Baptista Ricciolius *in Chronolog. refor. tom.* 4. *indic.* 1. *pag.* 175. De Aristippo narrat Galenus *in oratione suasoria ad artes cap.* 2. *pag.* 2. quòd cum infeliciter velificasset, & fractâ tempestatibus navi, in Syracusana littora ejectus esset, primùm fiduciam concepit, existimans se ad Græcos, & sapientes Viros esse delatum, argumento quòd geometricam figuram in arena descriptam vidisset. Exinde Syracusas ingressus, statim ac in gymnasium venit honorificè exceptus est.

11 Ne dum exteri Græci Siculis sapientiam contulisse, verùm etiam à Siculis Græci multa accepisse putandum, dum eo tempore multos claruisse Siculos doctrinâ ornatissimos ex nostra Bibliotheca compertum est. Inito ideoque fœdere doctrinam vicissim communicasse, ac summo studio fovisse censendum. Ab egregia Siculorum doctrina multa didicisse Græcos hoc unico exemplo deduci potest: Plato enim Atheniensis Academiæ institutor, haud exiguam doctrinæ excellentiam è Siculis ingeniis hausit; nam multa ex Epicharmi Siculi libris excerpsit, & in lucubrationibus suis exscripsit, teste Laërtio *in*

vita

vita Platonis: multum, ait, *illi Epicharmus contulit comicus, cujus & plurima transcripsit, ut Alcimus in eis libris quos ad Amyntam scripsit quatuor numero, meminit. Eorum in primo ita loquitur; constat autem & Platonem complura sibi de Epicharmi libris assumere.* Idem Plato ex eodem Laërtio *loc. cit.* omnium primus Sophronis Syracusani mimos Athenas invexit: his adeo delectatus est, ut frequentissimè in eorum lectione obdormierit, juxta Athenæum *lib.11. cap. 15. p.518.* decedente verò Platone, hi Sophronis libri sub ejus capite inventi sunt, ut testantur Laërtius *cit.* Valerius Maximus *lib.8. cap.7.* aliique. Hinc vides Platonis studium in Siculorum libris, è quibus multa percepisse cognoscimus.

12 De Hierone Syracusarum Tyranno proditum est, quòd cùm in morbum incidisset, doctrinæ Philosophicæ desiderio æstuare cœpit: eruditissimos viros accersivit, præsertim Pindarum Thebanum, Bacchilidem Julietem, & Simonidem Ceum, quorum consuetudine, ac colloquiis ita profecit, ut omnes ævi sui sapientes facilè superaverit, ut habent Ælianus *var. hist. lib.4. cap.15. lib.9. cap.1. lib. 12. ca. 26.* & Athenæus *lib.14. cap. 21. pag. 656.* Hos autem Syracusis diu incoluisse non dubitamus.

13 Extinctâ Dionysii Tyrannide, & Timoleontis Corinthii operâ, libertate Syracusanis restitutâ, Gymnasium, ut adolescentes erudirentur, Syracusani instituere, quod Timoleontium appellarunt, ex Plutarcho *in vita Timoleontis: Palestras;* ait, *ædificant, Gymnasium adolescentibus faciunt, Timoleontiumque appellant.* Cùm autem Syracusis Timoleon decessisset hoc in gymnasio sepulturæ traditus est. *Hic*, ait Æmilius Probus, seu verius Cornelius Nepos *in vita Timoleontis, cùm diem supremum obiisset, publicè à Syracusanis in gymnasio, quod Timoleontium appellatur, totâ celebrante Siciliâ, sepultus est.*

14 Nec prætermittendum illud Atheniensium responsum, quod in proverbium abiit: *Aut periit, aut profectò in Sicilia literas docet.* Cùm enim Athenienses in Sicilia contra Syracusanos infeliciter pugnassent, eorum multi servitutis jugo pressi Siculorum filios literas docere coacti sunt: ideoque pauci fugâ elapsi, Athenis interrogati, quid hic, aut ille in Sicilia ageret, responsum referebant: *Aut periit, aut in Sicilia literas docet*, ut ex Zenodoto Paulus Manutius tradit *in Adagiis pag.599.*

15 Eximium Syracusarum studium in literarum cultu sanè laudandum, præstantiùs enim Urbis ornamentum in literis constitutum, amplificare curarunt. Hinc nil mirum si ex ea viri doctissimi prodierint: ut non immeritò Cicero 5. *Tuscul. quæst.* hanc Urbem doctissimam vocaverit.

16 At non solùm Syracusis, verùm etiam in aliis Siciliæ Civitatibus innumeri, tùm gravioribus disciplinis, tùm etiam mitioribus literis addicti mirificè claruere: Philosophi nempè, Medici, Mathematici, Historici, Oratores, Poëtæ, qui in hac nostra Bibliotheca longo ordine recensentur. Immò literarum facultates longiùs illustrarunt; multa enim nova ad sapientiæ gloriam propagandam adinvenere, ut latiùs infra, ubi de Siculi ingenii præstantia. Multi etiã Siculi doctrinâ excultissimi in Græciam, & aliò profecti, illuc scientiarum scholas reclusere, ac Græcos ipsos erudire curarunt. Inter hos non ultimi Gorgias, Empedocles, Lysias, Acron, Euclides, aliique. Hinc cum Hieronymo Matranga de Academia *loc.cit. pag.* 183. concludendum: *Ecquam dedit prolem omniscia tellus Sicula? Quot suo fovit calore ingenia? Quot illustres submisit Philosophos, Mathematicos, Medicos? Omnium fermè scientiarum coronides à cætero Orbe Insula isthæc inspectandas erexit. Loca ipsa, quæ totam Phœbo sacram, ac pergratam fecere, Philosophantibus opportuna.*

17 Itaque in Sicilia sapientiam viguisse sat certum. Hac ex causa antiquissimus fuit in Sicilia Minervæ cultus: hanc enim sapientiæ Deam deceptæ gentilium mentes arbitrabantur. Hinc Minervæ templa dicata effulsere Syracusis, & Agrigenti ex Cicerone *orat.9. in Verrem*, & Polybio *lib. 9.* Himeræ suburbana erant eidem sacra, ut testatur Diodorus Siculus *lib. 5. num. 3.* Catanæ etiam divinos obtinuit honores, ut habet Petrus Carrera *in histor. Catan. vol. 1.* In numismatibus Panormitanis, & Megarensibus Minerva insculpta spectatur, quibus ejus venerationem his in Urbibus intelligimus. Mercurius eloquentiæ Deus in nummo Panormi 85. apud Philippum Parutam *in Sicil. ill. num.* observatur, de cujus cultu Augustinus Inveges *annal. Panor. par. 1. pag.* 215. Apud Tyndaritanos Mercurii fanum assurrexit, teste Fazello *de rebus Sicul. dec.1. lib.9. cap.7. pag.204.* è quo Verres pulcherrimum ejus signum sustulit ex Cicerone *orat. 9. in Verrem.* Apollo Musarum præses ab Hybleis colebatur ex Stephano *de Urbibus:* Apollo Lybistinus ab accolis Pachini, ex Macrobio *satur. lib. 1. cap. 17.* à Syracusanis Apollo Temenites, ex Cicerone *orat.9. in Verrem*, & Suetonio *in Tiberio cap. 74.* à Naxiis, & Tauromenitanis Apollo Archageta ex Thucydide *lib.6.* & Fazello *dec.1. lib.2. cap.3. pag. 53.* Venerabatur etiam apud Gelam, ut testatur Diodorus *lib.13. num.108.* Panormi, ex nummis 42. 75. & 98. apud Parutam, & Invegium *cit. pag.219. 223. 225.* Catanæ ex nummis à Paruta allatis, & Carrera *histor. Catan. lib.3. cap.20.* Messanæ ex numismate apud Parutam, & Placidum Reinam *in histor. Messan. par.1. pag.242.* in templo inter Herbitenses, & Halesinos ex Diodoro *lib.14. num.17.* cui subdit Georgius Gualterius *in animad. ad antiquas tabul. Sicil. num.182. pag.96. mirè Apollinem in Sicilia cultum cognoscimus.* Ipsæ etiam Musæ in Sicilia venerationem insigniter adeptæ sunt: immò Siciliam Musis sacram Ravisii Textoris testimonio comperimus; ait enim *in officin. tit.1. de locis Diis quibusdam sacris. Sunt & alia loca sacra Musis, ut Sicilia, unde Sicelides dicuntur à Virgilio.* Fontem in Sicilia, cui nomen Oëstrus, Musis dicatum tradunt Aretius *de situ Siciliæ pag.30.* & Joannes Bocacius *de fontibus pag.142. Oestrus*, ait, *fons est Siciliæ, apud quem Musæ coluntur.* Hunc verò Franciscus Alunnus in libro: *fabrica del Mondo pag.13. num. 165.* Ostreum vocat. Siculorum ingenia, ad carmina pangenda mirificè prona, Musas coluisse rationi consonum videbatur. *Sicelides*, enim, *Musæ suum habuere in hac Solis Insula Permessum*, ut ait Matranga *de Academia syntag.6. cap.6. pag.183.* Middendorpius verò *in Academiis lib.1. pag. 244.* scribit: *Cùm ergo hujus Insulæ homines natura ingeniosi sint, & ad multas optimas res inveniendum, perdiscendumque appositi, certè rem literariam miris modis*

 dis

dis promovere potuerunt, ut non huc introductæ Musę, sed hic natę, & potissimùm habitare viderentur. Ex his exploratum, planumque est, Siculos antiquitùs literarum, & sapientiæ amantissimos, doctrinâ insigniter excultos claruisse.

18 Romani Insulam adepti, haud tepuit Siculorum ardor in literis amplectendis; immò hìc effusæ Romanæ eloquentiæ latices, quod ex Scriptoribus nostris nonnullis clarissimè patet. Sub Imperatoribus enim Romanis celebres vixere Apulejus Celsus, Frontinus, Flaccus Siculus, T. Calphurnius, Fl. Vopiscus, aliique Siculi. Eodem etiam tempore, ac paulò ante literarum lycea in Sicilia floruisse colligimus ex eo Ciceronis scommate *divinat. in Verrem: si literas Græcas Athenis, non Lilybæi, latinas Romæ, non in Sicilia didicisses*: ex hoc utramque linguam tunc in Sicilia viguisse intelligimus; quod tum Diodorus Siculus, tum Cæcilius Calactinus, qui tunc græcâ linguâ scripsere, satis testantur. Tunc etiam Panormi, Catanæ, & Syracusis efflorucre egregiæ literarum Academiæ. De Panormitana, Middendorpius *de Academiis lib. 1. pag.* 243. ait: *Panormum quoque inde ab initio bonis literis, & saluberrimis legibus floruisse videtur, quas ubi Verres, ut liberius tyrannidem suam exerceret, substulisset; L. Metellus Prætor restituit.* De Catanensi idem Middendorpius cit. *M. Marcellus Prætor Ro. post captas Syracusas pulcherrimum gymnasium extruxit*. Hujus etiam meminit Hieronymus Mercurialis *de ratione victus lib. 1. cap.* 3. qui ait: *Tempore Hippocratis, ut ego reperio, tres fuerunt nobilissimæ scholæ, una Rhodi, altera in Sicilia, & præsertim in Urbe Catanensi, tertia fuit in Gnido*. At temporis vicissitudine collapsam Academiam, instauravit M. Marcellus, ex Plutarcho *in Marcello*. Consule Joannem Baptistam de Grossis *in Decacordo Catanensi tom. 1. cord. 4. modulo 1. à pag.* 199. aliosque ab Ignatio Gastone *in discept. Juridic, de Gymnasio Catanensi discep. 1. num. 11.* citatos. De Syracusano Middendorpius *cit. pag.* 236. scribit: *Syracusarum Urbem, & maximam olim extitisse, & pulcherrimam, florentissimamq; veteres Scriptores probant: quippe ubi varia opulentissima, religiosissimaq; Deorum immortalium templa, forum maximum, ornatissimum Prytaneum, amplissima curia, & frequentissimum gymnasium, auctore Cicerone, reperiebatur. Ubi & Cajus Cæsar Græcæ, Latinæq linguæ gymnasium, certamen, & exercitia instituisse legitur.* De utraque Academia Panormitana, & Syracusana Franciscus Savertius in opusculo, cui titulus: *Academię Orbis universi, in Athen. Belgicis pag.* 66. ait: *Panormitana Schola, ut & Syracusana sub Imperio Romano nomen, famamque habuere, postea Regum, & Archiepiscoporum liberalitate exquisitissimis privilegiis, & multis ornatę. In Syracusana pręcipuè Mathematicarum artium studia floruerunt.*

19 Eo etiam tempore exteros sapientes Siciliam frequentasse comperies. Inter hos recensendi latinę eloquentiæ Princeps M. Tullius Cicero, qui in Sicilia Quæstorem egit: hic Siculos summè dilexit: literarum studia in Insula excoluit, & Siculorum consuetudine fovit, ut ex ipsius libris liquidò patet. Lucilius arctissimis amicitiæ vinculis Senecæ adstrictus, doctrinâ excultissimus fuit, quod Senecæ epistolæ, ac quæstionum naturalium libri ad ipsum scripti satis docent. Dum Quæstoris munere in Sicilia fungeretur, aliquando dignitatis munia intermittebat, ut literarum studiis operam daret, ut Raphael Volaterranus tradit *lib. 17. anthropol.* Lucilius Romanus historicus Panormum incoluit, & hac in Urbe doctrinâ claruit, teste Cicerone *epist. lib. 1. ad Atticum.* Valerius Licinianus vir eloquentissimus in Siciliam venit, ubi Rhetoricæ præcepta docuit, ex Plinio *epist. lib. 4. ad Cornelium Minutianum*. Celeberrimus Virgilius Maro in hanc Insulam profectus est, ut Donatus *in vita* prodit; quod ex ejus operibus conjectamus. Ovidius Siciliam perlustravit, ut ipsemet testatur *lib. 2. eleg. 10. de Ponto.*

Te Duce magnificas Asiæ perspeximus urbes;
Trinacris, & oculis te duce visa meis.

Æmilius Macer Veronensis Poeta cum eodem Ovidio Siciliam habitavit ex Petro Crinito *de Poetis latinis lib. 3. cap.* 52. Post Christi Domini adventum à doctis viris Sicilia perlustrata. Caligula Imp. cujus eruditio, & eloquentia à Suetonio laudatur *in C. Calig. cap.* 53. peregrinationem Siciliensem suscepit, Siculorum admiranda vidit, & ab Ætnei verticis fumo, ac murmure pavefactus, repentè è Sicilia profugit, ex eodem Suetonio *cap.* 51. Hadrianus etiam Imperator græcis, latinisque literis impensè instructus in Siciliam venit, & Ætnam conscendit ex Ælio Spartiano *in ejus vita*; in hujus adventus memoriam cusus nummus cum epigraphe *Hadrianus Aug. Cæs.* in postica verò parte: *Adventui Aug. Siciliæ*, ex Sebastiano Erizo *in numismatibus pag.* 403. Antoninus Augustus Siciliam peragravit, & incoluit, ut ex ejus Itinerario patet. At quis hujus operis auctor, an Antoninus Pius, an Antoninus Philosophus, vel alius Imperator, dubitant scriptores. Consule Bartium *adversar. lib.* 45. *cap.* 8. & Vossium *de histor. latin. lib.* 3. Nec sapientibus suis Sicilia per hæc tempora caruit: Testis mihi est Xanthippus egregius Philosophus Tauromenitanus à Pancratio primo Tauromenitanæ Ecclesiæ Episcopo ad catholicam fidem traductus; inde in propaganda evangelica veritate eidem Antistiti adjutor; ut ex actis S. Pancratii apud Octavium Caetanum *in animad. ad tom. 1. SS. Siculor. pag.* 13. *& in Isag. cap.* 17. *num.* 6. *pag.* 143.

20 Tertio Christi sæculo Porphyrium, & Plotinum Philosophos in Siciliam advenisse scimus, cum hac in Insula Probus, & Chrysoarius Siculi Philosophi claruissent; nam anno 15. Galieni in Siciliam appulit Porphyrius, ut ad Probum Lilybætanum virum doctrinâ excultissimum accederet & cum eo scientiarum arcana conferret, ut ipsemet Porphyrius fatetur *in vita Plotini*: quod anno Christi 269. accidisse tradit Lucas Holstenius *in differ. de vita, & scriptis Porphyrii cap.* 2. *pag.* 15. qui & *pag.* 18. non obscurè colligit per aliquot annos in Sicilia insigni nominis famâ vixisse. De ejus diuturno Siciliæ domicilio meminit etiā Eunapius Sardianus *de Sophistarum vitis de Porphirio.* In Sicilia claruit Chrysoarius Siculus, qui Porphyrio in *Sicilia* commoranti adhæsit. Huic Chrysoario opus inscripsit suum Porphyrius, cui titulus: *Introductio ad Chrysoarium.* Ammonius in hujusce *libelli commentario* ait, Porphyrium Chrysoario quosdam

alios

alios inscripsisse libros: causam verò hujusce libelli enarrans, sic addit Ammonius cit. *Chrysoario illum nuncupavit, cui, & alios quosdam libros inscripsit; dedicat autem illi hujusmodi de causa. Præceptor Chrysoarii erat, cùmque eum disciplinis imbueret, petiit, ut incendium Ætnæ coram cognosceret: usque eo profectus fuit. Reperit interea tempus Chrysoarius Categorias Aristotelis, quarum mentem nequaquam assequi poterat: quapropter Porphyrio literis rem significat, peregrè tum degenti: rogatque, si incendii naturam explorasset, domum redeat: sin minus, ut introductionem aliquam scribat, cujus ope libri sensum assequeretur: cùmque Porphyrius nec dum redire posset, scripsit ei hunc libellum, quem fermè à verbo ad verbum ex Platonis dictis colligit.* Hæc Ammonius. Ex his deducimus Porphyrium in Sicilia diu commoratum, & incendium Ætneum examinasse: Chrysoarium verò Siculum, Porphyrii discipulum, sciendi cupidissimum fuisse. Ammonii locum paulò diversum juxta Holstenii editionem loc. cit. *cap. 6. pag.* 52. vertit Joannes Baptista Rosatius; ait enim: *Porphyrius Chrysoarium docebat, cumque ei Mathematica declararet, rogavit Porphyrium, ut de Ætneo igne componeret historiam, tum Porphyrius profectus est.* Hinc Porphyrium Ætnei incendii historiam scripsisse; Chrysoarium verò mathematicas etiam disciplinas, præter Philosophiam, didicisse colligimus. Plotinus Philosophus celeberrimus magno prosequutus est amore Porphyrium; eumque Româ in Siciliam profectum sequutus est, ut animi morbo laborantem suâ præsentiâ levaret. De hac Plotini profectione in Siciliam idem Porphyrius *in vita Plotini*, Eunapius, & Holstenius *cit. cap.*5. *pag.* 43. Ex supra allatis Volaterrani lapsum advertere licet; is enim *in anthropol.lib.*18.(quem sequitur Carolus Stephanus *in diction. pag.*1652.)ait:Porphyrium in Siciliam profectum,& apud Lilybœum morbo correptum, à Plotino magistro, qui consolandi gratiâ eò se contulerat recreatum, statim convaluisse; moxque simul Romam repetentes,ibi extrema clausisse:Porphyrius enim diu in Sicilia vixit; Plotinus verò Romam reversus, triennio post discessum obiit in Campania, quo tempore Porphyrius apud Lilybœum adhuc degebat, ut Holstenius *cit. cap.*2. *pag.*16. ex eodem Porphyrio *in vita Plotini* non obscurè deducit. Diu ergo in Sicilia vixit Porphyrius, multos doctrinâ erudivit: inter discipulos verò suos claruit Chrysoarius, cui Porphyrius etiam nuncupavit opus inscriptum: *De eo, quod est in nostra potestate ad Chrysoarium*, ex Holstenio *cit. cap.*8. *pag.*64. An verò Porphyrius in Sicilia impios scripserit libros contra Catholicam Religionem, an verò à Porphyrio Siculo diversus, in secundo Bibliothecæ Tomo, ubi de Porphyrio Siculo, discutiemus.

21 His adde Cassiodorum Theodorici Regis à Secretis, virum doctrinâ, & eruditione præstantem, qui circa an.493. fuit Siciliæ Præses,ut ex ejus *epist.*3.*&* 4. *lib.* 1. colligimus. Præfuit etiam Siciliæ Corrector, ut notat Gulielmus Cave *in scrip. Eccles. hist. liter. tom.*1. *pag.* 277.

22 Plura hìc essent addenda de Literarum cultu in Sicilia postquam Insula hæc nostra veræ sapientiæ luce illustrata, unicum, verumque Dominum agnovit, & adoravit: tunc enim cum Dei cognitione, & Evangelica doctrina optimas disciplinas scitè conjunxit. At ne longius hanc disquisitionem protraham, solùm innuam plures in Ecclesiastico ordine, doctrinæ, & sapientiæ laude effulsisse viros sanè celeberrimos usque ad Saracenicam direptionem, & sub ipso Saracenorum jugo. Inter hos Pantænus sacrarum literarum studio insignis à Clemente Alexandrino *strom. lib.* 1. Apis Sicula vocatus. S. Mamilianus Archiepiscopus Panormitanus sapientissimus ex Octavio Caetano *tom.*1. *SS. Siculor. pag.*141. Capito, & Justinus Siciliæ Episcopi, quorum primus contra Arium, secundus contra Petrum Gnaphæum Antiochenum Episcopum doctissimè scripsere: ex Athanasio *lib.*1. *contra Arianos,& to.* 2. *Concilior. Gener.* quibus adde Julium Firmicum Maternum, qui librum contra errores profanarum religionum scripsit. S.Bassianus Syracusanus, Episcopus Laudensis vir scientissimus. S. Maximianus, qui S. Gregorium Magnum regulari disciplinâ instituit. Sanctus Gregorius Episcopus Agrigentinus doctrinâ, & sanctitate clarus: ex Caetano cit. *pag.* 164. 188. *&* 220. Sanctus Agatho, & Sanctus Sergius Panormitani, & Leo II. Siculus Summi Pontifices doctissimi, & æquè sanctissimi, quorum gesta scriptores historiæ Pontificiæ tradidere. Theophanes Patriarcha Antiochenus scientiæ famâ laudatus ex *Tomo* 3. *Conciliorum*. Georgius Episcopus Syracusanus sacrâ poesi eruditus ex Roccho Pirro *not. Eccl. Syrac. pag.* 137. S. Stephanus IV. Pont. Max. ex Anastasio Bibliothecario *in Vitis Pontif.* S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus, vir in sacris literis versatissimus teste Gulielmo Cave *in Script. Eccl. histor. literaria tom.* 1. *pag.* 375. Theophanes Ceramæus Episcopus Tauromenitanus eloquentissimus teste Francisco Scorso *in Proœm. ad ipsius homilias.*Petrus Siculus,qui de Manichæorum hæresi scripsit.Josephus Hymnographus à sacris canticis dulciter conditis celebratus, ut tradit Caetanus *cit. tom.* 2. *pag.* 43. aliique multi, quos lubens reticeo.

23 Hoc eodem tempore nonnulla Concilia Siculi Præsules celebrarunt, quibus fidei Catholicæ studium, ac cœlestem sapientiam detexere. Anno 125. Provinciale Concilium in Sicilia celebratum fuit contra Heraleonitas, in quo omnes Siciliæ Episcopi,sub Theodoto Panormitano,& Eustachio Lilybœtano Episcopis,interfuere. Hoc edidit Stephanus Baluzius *in nova Collect. Concilior. pag.* 3. ex Auctore libri *de hæresi prædestinatiana*, quem sub Prædestinati nomine edidit Jacobus Sirmondus *lib.* 1. *de hæresibus* hujus etiam meminit Cave cit. *tom.*2. *pag.*24.Absoluto Concilio Nicæno I. Provinciale Concilium coegere Siculi Episcopi, teste S. Athanasio *epist. ad Episc. Africæ.* Anno 365. Episcoporum Siculorum Concilium convocatum est, in quo Nicæna fidei formula, ac consubstantialitas Filii cum Patre confirmata, fuit: ut ex Conciliis Generalibus *tom.* 1. *pagina* 486. & Socrate *histor. Eccl. lib.* 4. *cap.* 11. Alias & aliis temporibus in fidei propugnationem Synodos Provinciales habuere sapientissimi Siciliæ Episcopi, quas sedulâ curâ perquisivit eruditissimus Joannes Maria Amatus Panormitanus Soc. Jesu, & in publicam emittit lucem *in prodromo ad Concilium Provinciale Panormitanum an.* 1388. Episcopi etiam nonnulli

nulli Siciliæ Generalibus Conciliis interfuere præsertim Nicæno I. & II. Constantinopolitano, Antiocheno, Sardicensi, Aquilejensi, Romanis, Ephesino, Chalcedonensi, Lateranensi I. & II. ut ex eorumdem actis colligitur, & ex Octavio Caëtano *in Isagog. ad hist. Sacram Siculam cap.36. à pag. 255. & seq.*

24 Multi etiam in Regularium Ordinum Familiis præsertim S. Basilii, & S. Benedicti, effloruere hoc tempore viri doctissimi in sacris literis abundè versati. In harum enim septis nè dum viguit probatissimæ disciplinæ studium, verùm etiam & scientiarum ferventissimus amor. S. Benedicti Ordo præclarissimus, per totam Siciliam amplissimè diffusus, literarum facultates mirificè excolere consuevit: nam apud ipsius alumnos mos invaluit laudatissimus, ut scholas in Cœnobiis excitarent, & alios omni disciplinarum genere impensè erudirent. Hoc multorum testimonio firmare possem: sit pro omnibus Cōstantinus Caëtanus *in vita Gelasii PP. pag. 39.* qui ait: *Sic certum est in omnibus ferè Benedictinorum Monasteriis Puerorum, & juniorum scholas à Monachis excultas fuisse. Quin immò, ut Tritemius ait, Monasteria omnia erant Gymnasia, & omnia Gymnasia erant Monasteria, ex quibus Maximi Pontifices Romanæ Ecclesiæ Magistros acceperunt. Item primis tribus Religionis Benedictinæ Sæculis, sola eorum Monasteria erant scholæ, atque scholæ, ut plurimum Monasteria usque dum Carolus Magnus, aliique sequentes Imperatores iisdem ipsis Benedictinis Doctoribus extra Monasteria Academias erigerent.* Cœnobiorum multitudo in Sicilia, doctorum numerum, ac Discipulorum catervam mirificè adauxit; unde & optimè literarum disciplinæ plurimùm viguere, & Sicilia à literarum studiis celeberrima sapientiæ famâ Orbem complevit.

25 At quis in dubium revocet quòd literatorum frequentiam ampliorem habuisset Sicilia, ni barbarorum illuvies hanc Insulam inundasset, ac bonarum artium studia expulisset? Humanarum rerum vicissitudinem experta Sicilia, Saracenos, Vandalos, Gothos, aliosque à literis alienos habuit dominatores. Ætas hæc sanè ferrea, in qua sterilescere visus sapientiæ campus in Sicilia aliàs latissimus: bellorum tumultu, quibus persæpe Sicilia lacessita est, tepuit literatorum ardor, intermissa Academiarum exercitia, neglectus ingeniorum cultus. At restitutâ à Normannis Principibus veri Numinis ope Siculis libertate, statim ac constare cœpit Reipublicæ status, reflorere literarum studia, revocatæ bonarum disciplinarum curæ, reserata lycea, ac insitus literarum amor iterum germinavit. Literatorum frequentiâ, ac commercio expulsis barbaræ conditionis legibus, Palladis artes vires resumere visæ: sub Normannis enim Principibus nonnullos hic appulisse viros doctissimos nos docēt historiæ monumenta. Gulielmus Cave *in Scriptorum Eccles. histor. literaria tom. 1. pag.* 422. de Nilo cognomento Doxopatro, Ecclesiæ Græcæ Archimandrita ait: *unde oriundus; si conjecturæ locus detur, putarem, eum è Magna Græcia ortum esse: certè Panormi in Sicilia aliquandiu vixisse ipse nobis testis est. Claruit anno 1043. Rogatus per literas à Rogerio Siciliæ Rege scripsit breviter de Majorum Patriarcharum sedibus, quod postea, anno nempè prædicto, fusiori opere prosequutus est.* Ex hoc opere multa exhibet Leo Allatius *de concordia Eccl. orient. & occident. lib.1.* & integrum librum Gr. Lat. in lucem emisit Stephanus Moynius *Varior. Sacr. tom.1. pag.* 211. Idem Cave *in hist. cit. tom.2. pag.202.* de Joanne quodam ait: *Joannes natione Italus, Philosophus, & dialecticus suo tempore celeberrimus, claruit anno 1080. Puer adhuc patrem in Siciliam comitatus, prima ibi eruditionis fundamenta posuit.* Sub iisdem Principibus claruit in Sicilia Hugo Falcandus, qui historiam suam de rebus gestis in Sicilia Petro Panormitanæ Ecclesiæ Thesaurario nuncupavit. Petrus Blesensis Gallus Archidiaconus Batonensis Guilelmi II. Siciliæ Regis Magister, Siciliam, & Panormum incoluit, quòd tum ex Baronio *annal. Eccles. tom.12. an.1167. num.71.* Cave cit. *tom.1. pag.* 471. & Petro Angelo Spera *de nobilit. Professorum Grammaticæ lib.4. pag.* 398. tum ex ejusdem Petri epistolis apertissimè patet, præsertim *epist.46.* at exortis turbis, ac conjuratione contra Stephanum Comitis Perticensis filium, Siciliæ Cancellarium: eo ejecto, Petrus *sibi vehementer timens*, ait Rocchus Pirrus *in Chronol. Regum Siciliæ pag.33. excessit è Sicilia, neque ullis vel flecti precibus, quin abiret, vel promissis allici unquam potuit*: immò concepto contra Siculos odio, ob animum acerbissimâ indignatione concitatum, nimis durè, ni dicam minus rectè, in Siculos stylum acuit, ut ex ejusdem epistolis compertum est. Gualterius etiam II. Anglus Archiepiscopus Panormitanus vir apprimè doctus, humanioribus literis prædictum Gulielmum Regem erudivit, ut ex Joanne Pitseo *tom. 1. de reb. Anglicis æta.12. de illustrib. Angliæ Scriptor.* Hugone Falcando *in hist. Sicil. pag.*188. & Petro Angelo Spera *cit lib.3. pag.*176. patet. Petrus Blesensis *in epistol. ad eumdem Gualterium* scribit: *Scitis quòd Dominus Rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit, qui & à vobis versificatoriæ, & literariæ artis primitias habuerat: per industriam, & sollicitudinem meam beneficium scientiæ plenioris obtinuit.* Hic autem Gualterius in Gulielmi discipuli gratiam, *Pro latinæ linguæ exercitiis librum* scripsit, ex Spera cit. & Josia Simlero *in Epitom. Bibliothec. Gesneri pag.* 296. Huic adde alium Ecclesiæ Panormitanæ Archiepiscopum, nempè Hugonem, virum sanè doctum, cui Laborans S.R.E. Cardinalis *opus tripartitum de vera libertate, & epistolam contra Sabellianos rursum reviviscentes*, dicavit; teste Casimiro Oudin *in supplemen. ad Bellarminum de Script. Eccles. pag.* 449. & Augustino Oldoino *in Athenæo Romano pag.*449. Joachimus Abbas Floriacensis pluries Panormum venit, præsertim anno 1178. ex privilegio apud Angelum Manriquez *tom.3. annal. Ord. Cisterciensis an.* 1178. *cap.* 5. *num.* 4. *& 5. pag. 69.* anno 1193. ex eodem *tom.3. anno 1193. cap. 2. n.6. pag.* 271. & Gregorio de Laude *in vita B. Joachim pag.*102. & anno 1198. ex eodem Gregorio cit. *pag.*156. Horum, aliorumq; literatorum commercio scientiæ in Sicilia excultæ iterum effulsere.

26 Sub Suevis Regibus, mirificè increbuit literatorum splendor, & amor. Sub Friderico II. Imp. Panormitano scientiarum, ac literatorum amantissimo, mirum in modum literas effloruisse sine hæsitatione fatendum: ipse enim doctissimus, multarum disciplinarum ornamento conspicuus, doctrinâ, & prudentiâ omnes sui sæculi homines superavit ex Joanne Palatio *in Aquila Sueva lib.26. p.* 308. Græcam, Lati-

Latinam, Italicam, Gallicam, Arabicam, Germanicam, Saracenicam, aliasque linguas insigniter calluit ex Joanne Antonio Summontio *in histor. Neapol. tom. 2. lib. 2. cap. 8. pag. 102.* & Joanne Villano *hist. lib. 6. cap. 1. cap. 125.* Doctos viros impensè dilexit, literas mirificè fovit: ideoque Aristotelis libros, ac medicos nonnullos Græcos, & Arabicos latinitate donari mandavit, ac Bononiensi gymnasio transmisit, teste post alios Collennuccio *in hist. Neapol. lib. 4. pag.* 113. Cornelio Vitigiano *in Chron. Neapol. cap. 24. pag.* 79. & Palatio cit. *pag.* 309. Astronomicos, & Mathematicos Codices, præcipuè Ptolomæi Almagestum ex Arabica in Latinam linguam transfundi mandavit, quibus Mathematicæ disciplinæ diu exules in Europam revocavit, ex Vossio *de scient. mathem. cap.* 35. §. 28. *pag.* 179. Josepho Blancano *in Chronol. mathem. pag.* 58. & Simone Majolo *dier. canicular. par. 2. coll. 4. pag.* 513. Academias nonnullas, vel excitare, vel instaurare curavit. Gymnasium Neapolitanum fundavit, teste Summontio, & Vitigiano cit. & Middendorpio *de Academiis lib. 1. pag.* 211. & 212. & ad ipsum viros doctissimos accersivit, quos ipse andire consuevit, ex Augustino Invegio *annal. Panor. to. 3. pag.* 633. Bononiensem Academiam Patavium transtulit, ut docent Leander Albertus *in Italia de Patavio*, Middendorpius cit. *pag.* 215. & Joannes Philippus Tomasinus *in Gymnasio Patavino lib. 1. cap. 1. pag.* 5. Ferrariensem instituit ex Leandro Alberto cit. *de Ferraria*, & Laurentio Anania in libro *Fabrica del Mondo tract. 1. pag.* 85. ut etiam Maceratensem ex quorũdam sententia, teste clariss. Jo: Mario de Crescimbenis *in Comment. ad hist. Italicæ Poes. vol. 1. lib. 5. cap. 6. pag.* 287. Salernitanum etiam Lyceum magnis benevolentiæ argumentis unicè fovit, ex Summontio *cit. pag.* 99. Viennensis Academiæ fundamenta posuit, ex Palatio cit. *pag.* 337. Hinc jure meritò Michael Hertzius *in Bibliotheca Germanica par. 3. nu.* 117. ait de Friderico: *doctorum virorum Fautor extitit egregius, ut sub hoc Imperatore studia refloruisse jurè dixeris.* In Sicilia, & præsertim Panormi ubi Majorum suorum more, Regiam statuerat sedem, scientiarum Lycea viguisse, quis negabit? In Panormitana ejus Regia Italicam linguam, ac Musas Etruscas primùm lucem aspexisse statuit eruditissimus Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap. 9. §. 5. pag.* 31. quòd multis firmare studui *in observationibus meis ad eamdem à pag.* 146. & seq. consule etiam hanc Bibliothecam *pag.* 246. & 247. & Auctoribus ibidem allatis adde Octavium Caetanum *in Isagoge ad historiam sacram Siculam cap. 42. num. 12. pag.* 357. nuper edita, & Joannem Mariam Amatum *in notis ad orat. 1. num.* 134. *pag.* 119. id ipsum eruditè scribentes. Hinc in Friderici aula prima Italicorum carminum Academia claruit, in qua effloruere ex Siculis ipsemet Fridericus, Manfredus, Entius, & Henricus ejus filii Panormitani, Henricus Testa Leontinus, Ciullus de Camo Alcamensis, Inghilfredus Panormitanus, Guido de Columnis Messanensis, Mazeus, seu potius Matthæus de Ricco Messanensis, Rugeronus Panormitanus, Rainerus Panormitanus, aliique: quibus ex alienigenis adde Petrum de Vineis Capuanum à Secretis ejusdem Friderici.

27 Ex his hactenus allatis apertissimè vides, quantum à vero deflexerit Petrus Daniel Huetius in libro Gallico inscripto *origine des Romans pag.* 78. ait enim, quòd circa XIII. sæculum Italia ignorantiæ tenebris involuta delitescebat: qui verò literarum studiis operam dabant, Parisiensem Academiam adibant, tunc scientiarum matrem. Sed hanc Huetii sententiam eruditissimè refellunt viri summi, & æquè celeberrimi Joannes Marius de Crescimbenis *in commentariis ad histor. Poesis Italicæ vol. 1. lib. 5. cap. 6. à pag.* 284. & Antonius Gattus *in histor. Gymnasii Ticinensis cap. 15. à pag.* 122.

28 Recentiora sæcula commemorare supervacaneum puto, sat enim patet in Sicilia scientiarum lycea, & literarum studiosos ubique longo ordine claruisse; quod ex hac nostra Bibliotheca proditum est. *Gymnasia*, ait Matranga *de Academia pag.* 185. *& Academiæ complures publicæ, privataq; jam nunc per totam fermè Siciliam patent. Nullibi magis variegatam, quàm inibi inspectabis, Pallados pullam. Siculum traiice fretum, maritimum littus circumnaviga, videbis tecum circumnatantes Camœnas, Nymphasque Sicelides. Cephalædium, Himeram, Drepanum, Megaram, Mylas percurre, non deerunt innumeri, qui se obiicient, Philosophi, atque Academici. Mediterraneas plagas perlustra; Leontinos, Agrigentum, Tauromenium, atque oras Philosophianas, passim Hermetis, ac Philologiæ adnotabis vestigia. Musea centum, centumque lycea habebis obvia.* Hæc Matranga, qui exinde Panormum, Messanam, Syracusas, ac Catanam à literarum cultu efflorentes celebrat; earumque Academias commemorat. Publicum Gymnasium Catanæ nunc effulget, discipulorum frequẽtiã clarissimum, in quo omne scientiarum genus profitetur. Hujus Privilegia recensentur à Joanne Baptista de Grossis *in Decacordo Catinensi corda* 4. & Ignatio Gastone *in disceptationibus pro studio Catanensi*. De eo etiam Middendorpius *de Academiis lib. 1. pag.* 243. Franciscus Suvertius *in Academiis Orbis universi*, quas edidit in libro *Athenæ Belgicæ pag.* 65. De Syracusano Lyceo Middendorpius *cit. pag.* 236. & Suvertius *cit. pag.* 66. Panormitana Academia commemoratur ab iisdem Middendorpio loc. cit. Suvertio cit. *pag.* 66. Joanne Baptista Ricciolio *in Chronol. reform. tom. 3. par. 3. Catal. 8. pag.* 160. Matthæo Silvagio *de tribus Peregrinis pag.* 172. De Messanensi Middendorpius *cit. pag.* 241. Ricciolius, & Suvertius *loc. cit.* & Placidus Samperius *in Iconologia Mariæ Virginis lib. 2. cap. 13. à pag.* 203. Privatæ Academiæ per universam Siciliam ubique patent, præsertim intra Regularium Cœnobiorum claustra, in quibus scientiarum omnium amor mirificè effervet, & insigni æmulationis æstu succensus quotidie demiratur ab exteris etiam nationibus, quæ tamquam scientiarum Athenæum Siciliã inspectant, & veluti literarum nutricem, ac matrem venerantur.

29 Tandem pro hujus disquisitionis coronide subjungam, in Sicilia conditam olim publicam Bibliothecam, cui præfuisse tradunt Paulum Perusinum, teste Volaterrano *in Anthropol. lib.* 21. Middendorpio *cit. pag.* 244. & Ludovico Jacobillo *in Bibliotheca Umbriæ pag.* 217. at subdubito hanc Bibliothecam Neapoli extitisse, nam à Roberto Siciliæ Rege electum Bibliothecæ Præfectum scribunt; at Robertus etsi Siciliæ Rex vocabatur, Neapolitanum Regnum tenuit, non Siculum. Id certum, olim Messanæ

Biblio-

Bibliothecam publico usui servatam, Græcis Codicibus refertissimam, quam Messanensi Urbi ex testamento legavit Constantinus Lascaris Bizantinus, ut testantur Georgius Gualterius *in animad. ad antiquas tabulas Siciliæ num. 455. pag. 179.* & Paulus Bellus *in Gloria Messanensium pag. 158.* Constantinus enim circa annum 1470. Messanæ Græcas literas docuit, & in ejus schola innumeri Græca eruditione exculti inclaruere; præsertim Petrus Bembus celeberrimus, ac doctissimus Venetus, exinde S. R. E. Cardinalis, ut ex Middendorpio *cit. pag. 242.* Joanne Mario de Crescimbenis *in histor. Poes. Ital. lib. 2. pag. 98.* & ex ejusdem Petri epistolis *lib. 1.* patet. At hæc Constantini Bibliotheca passim expilata, tandem à Siciliæ moderatoribus direpta evanuit. Eamdem temporis vicissitudinem passa est Bibliotheca in Cœnobio Messanensi Sancti Salvatoris, in qua m. ss. Græci Codices asservabantur innumeri. Hujus meminit Rocchus Pirrus *de Abbatiis pag. 50.* & Placidus Samperius *in Iconolog. Beatæ Mariæ Virginis lib. 5. cap. 13. pag. 587.* ejus Indicem exhibet Antonius Possevinus *in calce tom. 3. Apparat. sacri.*

30 At hodie extant in præcipuis Siciliæ Civitatibus Bibliothecæ librorum copiâ refertissimæ, tùm in Regularium Cœnobiorum septis, tum in privatis Procerum, ac Jurisconsultorum ædibus: præsertim Panormi, ubi & insignis Bibliotheca apud ornatissimos Patres Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, publico omnium commodo destinata, ex supremis tabulis Francisci Sclafani Panormitani, ut in hac nostra Bibliotheca *pag. 239.* Denique hìc addam nonnullas Auctorum antiquorum lucubrationes in Siciliæ Bibliothecis adinventas, quibus non obscurè percipimus, antiquitus literarum cultum in Sicilia floruisse. Fragmenta Dionis Cassii, Dionysii, & Polybii ex Justo Lipsio *epistolicar. quæst. lib. 4. epist. 3.* in Sicilia reperta: *de Dionysii*, ait, *Polybii, Dionis fragmentis in Sicilia repertis.* Commentum Arati in Stellas in Sicilia asservatum, & repertum scimus, ut in vestibulo operis editi Venetiis anno 1488. legimus. *Fragmentum Arati Phænomenon per Gennanieum in latinum conversum nuper in Sicilia repertum.* Chronicon Alexandrinum, opus egregium, quia in Sicilia à Hieronymo Surita repertum, primùm *Fastorum Siculorum* nomine prodiit: exinde *Chronicæ temporum, & Chronici Alexandrini* lemmate vulgatum; tandem *Chronici Paschalis* titulo editum curâ, & studio Caroli Du Fresne D. Du Cange, Parisiis ex typographia Regia 1688.

§. IV.

DE SICVLORVM INGENIO.

1. Plura sunt quæ ingeniorum præstantiam in humana mente constituunt, ex qua aliquod veluti divinum elucere, percipimus. Mitto hìc naturales ingeniorum causas, quas examinare contendunt Joannes Imperialis in libro *de humano ingenio*, & Antonius Zara *in Anatomia ingeniorum & scientiarum.* Illud certum, externas ingeniorum causas ab aëris, climatis, ac soli natura pendere, Regionum temperamentum, ac aëris constitutio, sive subtilis, sive crassa, ingenia vel acuunt, vel obtundunt. Syderum motus, ac Cœli vis in inferiores Mundi plagas virtutem influere Philosophorum est sententia: ideoque ab ipso regionum situ ingeniorum perfectionem derivare passim docent. Ab ipsa denique victus ratione desumi ingeniorum excellentiam concedunt omnes tum Medici, tum Philosophi. Unaquæque natio suam habet ingeniorum indolem. Regiones illæ, quæ tenui, ac puro gaudent aere, salubri Cœlo subjacent. ac cibo, potuque optimo exuberant, acuta, ac solertia gignunt ingenia. Consule Albertum Magnum *de natura locorum tract. 1. cap. 13.* Hippocratem *de aere, aquis, & locis*, aliosque Medicinæ peritos. Alexander ab Alexandro *dier. Genial. lib. 4. cap. 13. pag. 379. quædam Regiones*, ait, *sunt quæ acuta ingenia, & solertia gignunt, ut quibus est aer purus, & tenuis, velut Athenis: aliæ quæ retusa, & hebetiora, ut quibus crassus & pinguis, sicut Thebis.* Cicero *de natura Deorum lib. 2.* docet: *acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aer sit purus, ac tenuis, quàm eorum qui utuntur crasso Cœlo, atque concreto. Quin etiam cibo, quo utare, interesse ad mentis aciem putant.*

2 Sicilia ideoque sub insigni Cœli clementiâ, purâ, & tenui aeris temperie constituta (subjacet enim quarto climate, quod benignitate sex aliis antecellit, teste Fazello *dec. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 17.*) ac saluberrimis aquis, cibisque refertissima, acuto, ac subito ingenio præditos progignit: ideoque præstantissimorum ingeniorum Mater fœcundissima, semper ab omnibus demirata. Hinc Siculi ingenio præstant acutissimo; adeout si laboris, ac studii patientes ingeniorum vim gravioribus scientiis admoverent, facili negotio penitiora facultatum arcana penetrarent, ac supra omnes ad doctrinæ fastigia sese extollerent. Non immeritò doctissimus Michael Angelus Fardella *in universæ Philosophiæ systemate tom. 1. par. 5. pag. 453.* ait: *Quædam autem architectrix, & robusta mens ad scientias, & artes longius promovendas comparata, maximè in Sicula Gente elucet, hinc olim Trinacria, teste Cicerone, Romanæ juventutis Athenæum fuit, in quo Gorgias, Empedocles, Archimedes, Euclides Megarensis, pluresque alii summi Rhetores, Philosophi, & Mathematici floruerunt.*

3 Sit pro omnibus exempli unius fama, quæ apud Patres Societatis Jesu adhuc viget; prædicat enim de Antonio Perez Hispano Societatis Jesu acutissimi ingenii viro, quòd dum hic scholasticam Theologiam in Romano Collegio doctissimè traderet, & non satis ipsius discipuli speculationum

num

num acumina assequerentur, omnes propè ejus auditores ipsum obscuritatis insimulabant. Aderant & inter hos Siculi quidam, qui Antonii doctrinam apertissimè intelligebant. Subtilissimam ipsius mentem penetrabant, ac ante alios longè præibant. Hinc reclamantibus discipulis sæpius dicebat: *Siculi me audiunt*. Aliquando verò querulas ipsorum voces his retundebat verbis: *Mittite me ad Siculos, & intelligent*: quo innuere satagebat, Siculos propter acutissimam ingenii indolem, doctrinæ suæ sublimitatem percepturos; & se non obscuritate laborare, sed discipuli aliquo ingenii vitio claudicare, dum elatissimæ sapientiæ suæ fastigium non attigerent.

4 Nonne hanc ingenii aciem testantur Siculi Scriptores in scientiis omnibus præstantissimi? præcipuè selectissimus Poetarum cœtus, Oratorum facundissimus Chorus, Philosophorum, Medicorum, Theologorum, Jurisconsultorum, omniumque bonarum artium agmen frequentissimum. Hi autem innumeri, omni laudum præconio majores, editis in lucem libris, Siculum ingenii acumen satis aperiunt: quòd ex hac nostra Bibliotheca liquidò patet.

5 Hoc ipsum experimentis probatur; multa enim à Siculis primùm adinventa, dilucidè pandunt, Siculorum ingenia egregia vi insignita: Siculi enim primùm adinvenere Poesim Bucolicam, Comœdiam, Rhetoricam, Medicinam Empiricam, Chirurgiam, Catapultas, Organum hydraulicum, Organum tractorium, rythmos Italicos, aliaque multa, ut videre est *in Sicilia Inventrice* Vincentii Auriæ eruditissimi Panormitani, edita Panormi anno 1704. cui nonnulla addidi adinventa: adderem & alia si opus recuderetur.

6 Hinc nil mirùm si Siculi præcipuo ingenii acumine instructissimi, breviter, immò ad oculi ictum, hominum conditionem, ac naturam agnoscant, eorumque mores statim æqua lance perpendant. Dicteria prompta, lepida, argutissima, ex ipso vulgi ore profluentia, mentis aciem omnibus detegunt.

7 Tandem Siculos acutos esse innumeri testantur Scriptores. Cicero *de claris Oratoribus* ait: *Itaque, ait Aristoteles, cùm sublatis in Sicilia Tyrannis res privatæ longo intervallo judiciis raperentur, tum primùm quod esset acuta illa gens, & controversa natura, artem, & præcepta Siculos Coracem, & Tisiam conscripsisse*. Idem *in Verrem orat. 6.* de quadam Heronis lege: *ita acutè ut Siculum*. Idem *in divinat. in Verrem*: *Illi quidem, est hominum genus nimis acutum*. Denique *lib. 2. de Oratore* Siculis facetias, ac sales adscribit. *In quæst. Tuscul.* 8. acutos, lepidosque vocat. Id ipsum astruunt Julius Firmicus *Astronomicor. lib. 1. cap. 1.* Celius Rhodiginus *lect. antiq. lib. 18. cap.* 18. Alexander ab Alexandro *dier. genial. lib. 4. cap. 13. pag.* 382. qui *Siculos* vocat *vafro, & mostrifico ingenio*. Ravisius Textor *in Officin. tit. mores Populorum*. Middendorpius de Academiis *lib. 1. pag.* 234. & 244. Volaterranus *in anthropol. lib.* 21. Thomas Porchacius *in Insulis pag.* 39. Antonius Minturnus *in Poetica lib. 2. pag.* 129. Joannes Franchinus *in Bibliosophia de Scriptor. Ordin. Minorum Conventual. pag.* 333. Joseph Carnilivarius *hist. Sicil. lib. 1. pag.* 16. aliique multi.

§. V.

DE COMPUTO OLYMPIADUM.

1 Sicut tempus, quo floruerint Siculi Scriptores post Christi Domini adventum, ejusdem Redemptoris anno designantur; ita illi omnes, qui ante salutarem Domini nativitatem vixere, non incongruum puto, si Lectoribus innotescat, quo claruerint anno ante Domini adventum. At quia ut plurimùm Siculi Scriptores ante Christum natum, Olympiadum anno signantur; ideoque operę pretium duxi hìc breviter decernere Olympiadum annum, quando Salvator Dominus natus sit, ut annus exinde invenire possimus, quando Scriptor Siculus ante Christum Dominum vixerit.

2 Non est meum hìc omnes Scriptorum opiniones ad lancem revocare, & juxtà varia ipsorum placita diversas, eorum sententias exponere: aliis hanc provinciam excolendam relinquo; innumeræ enim sunt Scriptorum sententiæ: ac Petrus de Alva *in portent. Gratiæ & Naturæ prod. cap.* 3. opiniones 197. enumerat diversas, quas enarrat. Satis est juxta instituti mei rationem hìc breviter indicare, me in annorum computatione, eam sequutum sententiam, quâ astruunt Christum Dominum natum Olymp. 194. post initum Olympiadum computum anno 776. ut melioris notæ Chronologi passim scribunt: præsertim Scaliger *de emend. tempor. lib. 1. pag. 36. & lib. 5. pag.* 381. Krismannus *de connexione annorum*, Ubbo Emmius *lib. 2. de Græcia veteri, & lib. 2. rerum Chronologicarum pag.* 47. Origanus *tom. 1. Ephemeridum pag.* 22. Henricus Philippi *in introduct. Chronolog. cap.* 17. Jacobus Salianus *tom. 4. annal. ad annum Mundi* 3170. & 3278. Jacobus Tirinus *tom. 1. in Chronico Sacro cap.* 31. Willelmus Langius *de annis Christi lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap.* 10. Dionysius Petavius *de doctrina temporum à cap. 37. ad 44. & in Rationario temporum par. 2. lib. 1. cap. 11. & lib. 3. cap.* 1. quos laudat, & sequitur Joannes Baptista Ricciolius *Chronol. Reform. tom. 1. lib. 3. cap. 2. pag. 126. &* 127.

3 Non me latet, quòd in assignando, quo anno Olympiadis 194. in lucem editus sit à Virgine Deipara Christus, dissentiant Chronologi: alii enim Olympiadis 194. anno secundo natum volunt:

volunt: quam sententiam amplectuntur Baronius, Scaliger, Calvisius, & Gordonus. Alii anno tertio, cum Onuphrio, Pererio, & Saliano. Alii tandem anno quarto ejusdem Olypiadis, ut opinantur Dionysius Exiguus, Ecclesia, multique alii, teste, post alios Philippo Brierio *in annal. Mun- in prologom. Chronol. quæst.* 23. At hac quæstione non me gravabor: quam velit opinionem Lector sequatur: id enim certâ regulâ definire, ac lites dirimere longum erit: at non multùm hoc nobis prodesse puto. In sola Olypiadis 194. periodo me sisto: hunc solum annum velim scias me decrevisse.


4 Hinc videbis me in annorum numero ab hac Olympiade 194. nempe ab annis 776. semper detrahere annos Olympiadum, quando Siculus Scriptor inclaruit, quo detracto, annum ante Christum natum constituo. Ideoque Acron Agrigentinus, exempli gratiâ, claruit circa Olymp. 84. quæ annis 336. constituitur. Si ex annis 776. quibus constantur Olymp. 194. deducas 336. videbis hunc claruisse ante Christum annis 440. Hanc verò computationem observare placuit, ut quâ potui curâ Siculis facerem satis. Hæc pro Apparatu sufficiant: Bibliothecam ingredere, & perhumaniter percurre.

PROTESTATIO AUCTORIS.

CUM SS. Pontifex Urbanus VIII. die 13. Martii anno 1625. in Sacra Congregatione S. Rituum, & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migrarunt, gesta, miracula, vel revelationes, sive quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenus sine ea, impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt supra personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione; quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantiâ, quâ par est insistendo, profiteor, me haud alio sensu, quidquid in hac Bibliotheca refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quę humanâ dumtaxat auctoritate fulciuntur; iis tantummodo exceptis, quos Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripserit



BIBLIO-



BIBLIOTHECA SICULA.

SIVE

DE SCRIPTORIBUS SICULIS,

QUI TUM VETERA, TUM RECENTIORA SAECULA ILLUSTRARUNT.

NOTITIAE LOCUPLETISSIMAE.

AUCTORE

D. ANTONINO MONGITORE

PANORMITANO.

A



ACCENSORUM Academia Panormitana Siculo Literatorum Athenaeo exordium fausto omine constituit. Prima inter Siculas Academias amoeniores coluit literas, suumque sortita est initium ann. 1568. moderante Siciliam Francisco Ferdinando de Avalos Pischariae Marchione, sub cujus auspiciis floruit. Suam habuit sedem in Divi Dominici Fratrum Praedicatorum Coenobio; ubi in pervetusto Sanctae Barbarae sacello (sub ejus tutelari umbra clarebat) in unum coibat Academicorum coetus; eruditisque excitamentis ingenia, virtutis, famaeque gloria accensa, mirum in modum incalescebant, ut ex Petro Cannizzario *de Religione Panormi*, *M. S. pag.* 270. habetur. Hujus symbolum, vulgò *Impresa*, Luna fuit renata, cum epigraphe: *Revertens colligit ignes*, ex Virgilii *Georgic. lib.* 1. *v.* 427. Inde mutato consilio, aliud delegit, nempè: Alambicum igni superimpositum, cujus vi ex oleribus, floribusque occlusae eliciebantur virtutes ad mortalium utilitatem, & oblectamentum; adjecto lemmate: *Virtutes elicit arte*, teste Hyacintho Maria Fortunio in libro *Scintille della Selce pag.* 20. In hoc Eruditorum Lyceo viri illius aevi praestantiores recensebantur: emeritisque prosequuntur laudibus Vincentius de Joanne in libro *Palermo Trionfante lib.* 12. *p.* 119. Leonardus Orlandinus *Imaginum lib.* 3. *p.* 72. Rocchus Gambacurta *in Foro Christiano par.* 4. *cap.* 2. *p.* 395. Fortunius *cit. p.* 17. Vincentius Auria *in hist. Chronol. Proregum Siciliae p.* 53. & tandem clarissimus vir Blasius de Avitabile in libro *Componimenti diversi de' Pastori Arcadi della Colonia-Sebezia p.* 16. Exinde deficientibus paulatim illius conditoribus, tepescere coepit literatorum ardor, & superfuso veluti cinere praefocatus evanuit: sed post non longam annorum moram, eruditorum curâ sub Reaccensorum nomine iterum incaluit, ut loco suo habebitur. Edidit italicè

Rime dell' Accademia degli Accesi di Palermo. Panormi apud Jo. Matthaeum Maidam 1571. in 8.

Delle Rime degli Accesi di Palermo libro secon-

do. Ibidem apud eumdem 1573. in 8.

Rime di diversi belli spiriti della Città di Palermo in morte della Signora Laura Serra, e Frias. Ibid. apud eumdem 1572. in 8.

ACHÆUS sive ACHIVUS Syracusanus Poeta Tragicus: teste Suida *in dict:* to. 1. *p.* 517. quem sequitur Lylius Greg. Gyraldus *de Poetarum hist. dial.7.p.*271. Carolus Stephanus *in dict.p.*37. Martinus del Rio *syntagm. de Tragœd. in prolog. lib.* 1. *p.*22. Morerius *in mag. dictionar. to.* 1. *fol.* 31. & Hofmannus *in dict. to.*1.*p.*17. scripsit

Decem Tragœdias. Hinc Raphaelis Volaterrani *in anthropol. lib.* 13. lapsus patet, qui citato Suida, unam tantùm Tragœdiam scripsisse tradit. Constantinus Lascaris apud Franciscum Maurolycum *in comp.hist.Sicil. l.*1.*p.*19. Ab.Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. p.* 212. & Hubertus Goltzius *in hist. post. Sicil. p.* 88. non Tragœdias, sed Comœdias decem edidisse putant: ideoque haud immeritò Poeta Comicus à Matthæo Silvagio *de trib. peregrinis cap.*46.*p.*170. dictus. Athenæus *in Dipnosophistarum libris*, has Achæi fabulas citat: nempè *lib.*7. *cap.* 2. *pag.*277. *Parcæ sive Sortes. lib.* 10. *cap.* 4. *p.* 417. *Ludi Publici. lib.* 15. *cap.*11. *p.* 689. *Certamina*. Sed meritò in dubium revocat Jacobus Bonannus in sua *Syracusa illustr. lib.* 2. *p.* 295. utrùm nostri Poetæ, an Achæi Eretriensis: at in indice Athenæi Ludi Publici, & Parcæ Eretriensi adscribuntur. Achæum Tragicum citat Ælianus *de animal. lib.* 7. *cap.* 47. sed an de Siculo, vel Eretriensi intelligat, incertum. Post adductos auctores Achæi meminere Laurentius Crassus *in histor. Poetar. Græc. p.*5. & Vincen. Coronelli *in Biblioth. to.* 1. *nu.*5066. *p.* 986. Adhuc in incerto pendet tempus Achæi. Hoc planè exploratum habeo, floruisse post 74. olymp. ante Christi Domini adventum an. 480. nam Suidas nostrum Achæum juniorem appellat, ob distinctionem Achæi Eretriensis, qui ex eodem Suida *loc. cit.* vixit olymp. 83. vel ex Crasso cit. *p.* 4. olymp. 74. hinc postmodum vixisse nostrum Achæum, non ambigendum.

ACRON nobilis Agrigentinus Xenonis filius, Orator, Philosophus, & Medicus præstantissimus. Athenis una cum Empedocle concive Philosopho celeberrimo, publicè, non sine laude, Rhetoricam docuit: ita Suidas *lex. to.* 1. *p.* 147. & Lascaris apud Maurolycum *in compend. hist. Sicil. lib.* 1. *p.* 21. additque Carolus Stephanus *in dict. p.* 54. Raphael Volaterranus *anthrop. lib.* 13. *p.* 172. & Hofmannus *in lex. to.* 1. *p.* 26. quòd ibi cum eodem Empedocle philosophatus est. Ex Leonardo Cozzando *de magisterio antiquorum Philosoph. l.* 5. *c.* 3. *p.* 329. Empedocli in philosophiæ studiis comes fuit Athenis: & à Gerardo Io. Vossio *de philosophia cap.* 11. §. 16. *p.* 84. inter illustres Philosophos recensetur. Laertius *in vita Empedoclis p.* 509. quem sequitur Hesichius Illust. *de iis qui eruditionis fama claruere p.* 739. ait quòd postulante Acrone à Senatu Agrigentino locum ad exstruendum paternum monumentum, eo quòd inter medicos arte præcipua excelleret, fieri prohibuit Empedocles, cùm multa de æqualitate egregiè dixisset: & inter cætera ita illum rogare cœpit. *Cujusmodi monumento incides Elogium? num hoc?*

Acronem summum Medicum ex Acragante profectum,

Qui summo in patriæ culmine habet tumulum.

Additque Laertius, nonnullos pentametrum ita protulisse.

Verticis excelsi celsa sepulchra tenent.

Hoc verò quidam Simonidis fuisse tradiderunt. Empedocles Acronis nomen irrisit, quod idem est ac summus. Id ipsum narrat Suidas cit. qui immutata aliquantulum allata carmina exhibuit. Petrus Castellanus *in Vitis Illust. Medic. p.* 46. petiisse, ait, locum, ut sepulchrum sibi excitaret, non patri. Plutarchus *de Iside, & Osiride*, Cælius Rhodiginus *lect.ant. lib.* 24.*cap.* 22. Paulus Ægineta *lib.* 2. *cap.* 35. Aetius *Tetrab.* 2. *ser.* 1. *c.* 94. Tiraquellus *de nobil. cap.* 31. *n.*58. *p.*194. & Petrus Castellanus *in Vitis illust. Medic. p.* 46. Vossius, Hofmannus, aliique testantur, quòd grassante apud Athenienses pestilentia, accensis propè urbem ignibus, salutarem attulit opem ægrotantibus: suffitu enim aerem purgavit, quòd ab Ægyptiis acceperat, teste Morerio cit. In tres dividunt classes nonnulli totam medicinæ facultatem, nempè in Empiricam, quæ experimentis tantummodo inhæret: Jatrolepticam, quæ unguenta adhibet, & fricationes: & Pharmaceutricam medicamina apponentem. Harum prima ab Acrone originem traxit Plinio teste *hist. nat. lib.* 29. *cap.* 1. & Galenus, aut quisquis est auctor libri Galeno adscripti, *de subfiguratione empirica cap.* 1. *p.* 31. ubi addit, quòd Empiricæ sectæ cultores Acronei vocabantur ab Acrone primo Empiricæ disciplinæ Scriptore. Sed idem Galenus, vel quisquis auctor est libri, quem Galeno attribuunt, cui titulus: *Introductio, sive Medicus cap.* 4. *p.* 51. ait, quòd Empiricæ præfuit Philinus Cous, qui primus eam, à rationali medicina separavit, occasione ab Herophilo suo præceptore accepta. Cùm autem hæresim suam principem esse vellet, & prædicarent empiricam rationabili vetustiorem, Acronem Agrigentinum eidem primordia dedisse dixit. Quæ omnia retulit Tiraquellus *de nobilit. cap.*31. *n.*58. *p.* 194. nec reprobare audet sententiam, quòd Acron empiricæ fuerit parens: id ipsum habet Fuchsius *de Empirica* apud Cozzandum cit.*p.*330. Ex Hofmanno etiam *in lex.* primus in Sicilia Empiricen à dogmatica separavit. Fazellus *de reb. Siculis dec.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *p.* 136. Goltzius *in Sicil. hist. post. p.* 92. & Alexander Sardus *de rer. invent. lib.* 1. *p.* 25. hujus inventionis gloriam Creoni Philosopho Agrigentino concedunt: sed à vero deflectunt, dum Acronem à Creone diversum scribūt; cùm Acron idem sit ac Creon. Hinc licèt in aliquibus Plinii codicibus Creonis nomine notetur empiricæ inventor, ut videre est in Veneta editione an.1519. *p.* 227. attamen in castigatis, & recentioribus editionibus, ut in illa Coloniæ Allobrogum an. 1615. cum annotationibus Sigismundi Gelenii *p.* 591. Acronis nomen habe-

habetur, ibique antiquiores editiones emendantur: nam, in verbo Acron notat in ore codicis Gelenius: *A Creonte vet*: cujus lectionem sequutus est Ludovicus Domenichi, qui italicè vertit *Acrone*. Hinc rectè Tiraquellus *cit.cap.31.p.269.* scripsit, eumdem fuisse Acronem, & Cronem, ubi asserit: *Creon Agrigentinus, sunt enim qui ita vocant Acronem, de quo n. 56.* (corrige n.58.) *in successione Medicorum*. Vide de hac re quæ scripsit Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap. 6. §. 1. p.9.* & observationes meas ad ipsum *p.* 111. quibus addo Cozzandum cit. *p.*329.& 330. & *Fuchsium de Empirica*, qui Acronem vocant, & Plinii textum, in quo Creontem legitur exhibent. Hinc nō modo Fazellus, & Goltzius supra notati; verùm etiam Ab. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig. p.*332. & Hieronymus Ragusa *in Elogiis Sicul. p.* 10. & 81. & *in Siciliæ Biblioth. vet. f.*9. & 70. non fuerunt errore immunes, dum duos fuisse Creontem, & Acronem voluere, ac ut de duobus distinctè loquuti sunt. In alium haud absimilem errorem cecidit Carolus Stephanus *in dict.* qui *p.*54. de Acrone scribit; inde *p.*118. de Agrone, ut de diverso, cum idem sit. Ideòque Morerius *in dict. to.* 1. & Coronelli *in Biblioth. univ. to.* 1. *n.*6270. *p.*1232. & *to.* 2. *n.* 1833. *p.* 345. Acronem vel Agronem nostrum Agrigentinum medicum vocatum scribunt. Acronis discipulus fuit Crito medicus insignis, teste Vossio *de philosophia cap.* 11. *§.* 25. *p.* 86. Floruit ante Hippocratem ex Suida, Volaterrano, Gesnero *in Bibl. f.*4. & aliis: & propè olymp. 84. ante Christum natum an. 440. nam cùm vixerit tempore Empedoclis, hic olymp.84. inclaruit teste Laertio cit. *p.* 514. Sub Artaxerse Longimano vixisse, circa an. 310. Romæ ait Morerius *tom.* 1. *dict. p.* 39. Coronelli *cit.* & Konigius *in Biblioth.* Præter auctores supra allatos Acronis meminere Matthæus Silvagius *de trib. Peregrinis c.*46. *p.*171. Leander Albertus *in Insulis p.* 54. Christophorus Scanellus *in Chron. Sicil.* aliiq; Ex Fazello cit. *Pleraque dorica lingua in medicina, & philosophia scripsit volumina*. Id ipsum habet Pirrus cit. Ait & Lascaris: *multa doricè scripsit de Medicina*. Carolus Stephanus, Volaterranus, & Hofmannus scripsisse volunt: *de Medicina librum unum*. Suidas verò & Gesnerus *cit.* edidisse testatur

De Arte medica libros dorica lingua.

De Salubri victus ratione librum unum.

Adduntq; *hic etiam est unus de illis, qui quædam de ventis notarunt.*

ÆGIDIUS ex oppido Cæsari Ord. Min. Conventualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister: vir doctrinâ, & animarum zelo illustris. In Romaniæ Missione Conventualibus adscripta (quæ Græciam, & Thraciam usque ad Constantinopolitanam urbem, complectitur) Apostolici Missionarii munus egit: & in eo obeundo sedulus fidei operarius fuit; diuque inter Barbaros, ac Schismaticos desudavit. Græcum idioma egregiè callens, ecclesiasticis historiis, divinis scripturis, Sanctorum Patrum eruditione, & concilorum decretis satis instructus, vel concionādo, vel disputando catholicæ Fidei veritatem indefesso labore amplificare curavit. At doctissimi viri argumentis obsistere non valentes Græci, supplicibus libellis ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide transmissis, calumniisq, refertis, ab incœpto opere exturbare tentarunt Ægidiū, qui Romam reversus Hæreticorū vesanias, ac missionis necessitatem erudito calamo ostendit. Vitam agebat Venetiis vir eximius anno 1678. ipsumque emeritis laudibus extollit Jo. Franchinus *in Bibliosophia Scrip. Min. Conv. n.* 102. *p.* 162. edidit.

Controversias Marcephesistarum Hæreticorum cū Orthodoxa Ecclesia, ac nonnullorum domesticorum cum Apostolica Missione. Tomum primum. Messanæ apud Heredes Petri Brea 1664. in 4.

Controversiarum partem posteriorem. Ibid. apud eosdem 1664. in 4.

Casuum conscientiæ brevissimam, ac originalem expositionē. Venetiis typis Blasii Maldura 1678. in 4.

Apologias in Catalatinon Nathanaelis Xbichæ Atheniensis, in quibus quinquaginta tres propositiones hæreticales, & erroneæ ad hominem confutantur. Ibid. typis Mortali 1678. in 4. sunt autem græcè, latinè, & italicè scriptæ.

ÆGIDIUS HONESTUS Drepanitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, vir doctrinâ, virtute, & honoribus clarus. In nonnullis Ordinis sui Cœnobiis graviores disciplinas Regentis munere docuit; & Sacræ Theologiæ Magister renunciatus, apud suos effulsit. Bis in Sicilia Provinciæ S. Alberti gubernacula annis octo moderavit. Visitatoris, Commissarii Generalis, & Reformatoris munus quinque per lustra egit eadem in Insula: & in Provincia S. Angeli Vicarii Generalis provinciam rexit. Per hosce honorum gradus, prudentiâ, morum suavitate, ac virtutum ornamento conditis, omnium amorem, ac venerationem sibi conciliavit. In Generalibus comitiis Romæ coactis anno 1598. Generalem totius Ordinis Moderatorem Patrum vota pro meritis creare decreverunt: eiq; postmodū S.R.E. Card. Montepulcianus Episcopalem infulam Policastri, quam resignare cogitabat N. Incomelli Romanus, obtulit non immeritò: at agnoscēs Ægidii humilitas se tantorum onerum moli imparem, utramque dignitatem constanti animo recusavit. Ad Ordinis sui splendorem memorabilia edidit opera: nonnullis ornamentis celeberrimum SS. Virginis Templum, & Cœnobium Drepanitanū, cui præfuit, cohonestavit; & capite Sancti Viti Martyris, memorati Cardinalis dono locupletavit, extructo in eius honorem sacello. Drepani, & Panormi Cœnobia S.Alberti, & S. Mariæ de Itria fundavit. Tandem tantorum meritorum mercee gravidus animam Drepani exoneravit 19. Maii 1611. De eo plura Leonardus Orlandinus *in descript. Drepani p.* 63. & in epist. nuncupatoria, Petrus Lucius Belga *in Blibl. Carmelit. p.* 81. Pirrus *not. Eccles. Mazar. p.* 550. Caetanus in Vitis *SS. Sicul. to.* 1. *animad. p.* 82. & *tom.* 2. *p.* 208. & Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito pro Sanctissima Virgine Drepani cap.* 23. *pag.* 200.

800. & 790. edidisse testatur Orlandinus

De septem post mortem receptaculis Animarum.

ÆGIDIUS LEONDELICATUS Saccensis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, Sacræ Theologiæ Magister, ne dum doctrina præclarus, verùm etiam vitæ integritate illustris. Historica etiam eruditione dives enituit. In Sicilia nonnulla rexit Ordinis Cœnobia Prioris munere. Obiit Saccæ anno 1597. non satis laudatus ab Abb. Pirro *not. Eccl. Agrigent. p.* 336. & 339. posthumo relicto opere italicè conscripto; scilicet.

Giardino Carmelitano Parti Quattro, nel quale si contengono l'Historia dell' Origine, continuatione, e moltiplicatione della Sacra, & antichissima Religione Carmelitana. Panormi apud Io.Bap. Maringum 1600. in 4.

ÆGIDIUS MANCURTIUS sive Mancusius ex oppido Claramontis, ut habet Lavonius *in Chron. Minimor. an.* 1591. *n.* 6. *p.* 343. licèt *in appendice p.* 589. oppido Mazzareni tribuat. Mazzarenæ etiam concedit Pirrus *not. Eccl. Syrac. p.* 260. at in opere ab ipsomet Ægidio edito, infra notando, Petrus Balliond in ipso libri limine, ubi eumdem laudibus exornat, & Petrus Minutius in epistola in sui operis calce, Claramontanum denunciant. Ordini Minimorum S. Francisci Paulensis nomen dedit; doctoribus præcipuis, qui hoc institutum literis illustrarunt meritò accensendus. Philosophicas, ac Theologicas disciplinas mirâ subtilitate docuit: humaniores etiam literas coluit. Pluries Correctoris munus subiit: claruitq: anno 1591. Tanti viri meminere, præter laudatos Scriptores, Possevinus *in Appar. Sacr. to.* 1. *p.* 22. & Sylvester Maurolycus *in Mari Oceano omnium Relig. p.* 363. Edidit

Typum omnium scientiarum, & præsertim Theologiæ Scholasticæ, in quo omnia, quæ ad Christianam Philosophiam sunt necessaria continentur. Parisiis apud Joannem Veyrat 1591. in 8.

ÆGIDIUS Panormitanus Ordinis strictioris Observantiæ S. Francisci, vir doctrinâ, & in rebus agendis eximiâ dexteritate ornatus, Marci Antonii Columnæ Magni Regni Neapolis Comitisstabilis, aliorumq; Procerum ex eadem familia à confessionibus fuit. Custodis munus Patrum Observantium S. Francisci ann. 1638. & Siculæ Provinciæ Definitorem an. 1641. egit. Tandem dum Custos, ut ajunt, Vocalis Observantibus Reformatis præesset, diem clausit extremum Panormi an. 1653. De eo Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico lib.* 5. *cap.* 1. *p.* 571. & alibi. Scripsit italicè

Novella Settimana, o vero Sacro diario setteno per salutare humilmente la SS. Triade, la Purissima Vergine Maria con tutta la Corte Celeste tutti li giorni della settimana, &c. M.S. in 8. hoc opus idem Tognolettus servabat.

ÆGIDIUS TUTINUS Miletellanus in valle Neti Ord. Prædicatorum, Sac. Theologiæ Magister: natus anno 1613. studiis apprimè addictus doctrinâ claruit; & in Messanensi Cœnobio studiorum, ut vocant, Regens, graviores disciplinas docuit. Ecclesiastes etiam eloquentissimus fuit: & cùm magnum sibi nomen comparasset, decessit Platiæ propè annum 1675. scripsit italicè

Instruzione sopra le virtù Cristiane fatta a i Principi.

L'Anno Santo, Vite di tutti Santi d' ogni giorno. Tomi XII. opus in duodecim menses, ac tomos distributum, in quibus Sanctorum vitas præsertim ignotas complexus est.

Il Virgilio ridotto in versi italiani.

Quaresimale, e Prediche.

Horum operum aliqua servantur M.S. Militelli in Bibliotheca Fratrum Ordinis Prædicatorum.

ÆSCHYLUS celeberrimus Poeta Tragicus, à multis primę notę scriptoribus Atheniensis habitus, inter quos Suidas *lex. to.* 1. *p.* 817. Gyraldus *de Poet. hist. dial.* 6. *p.* 250. at ex Macrobio *satur. lib.* 5. *cap.* 19. Siculus censetur, ibi enim ait. *Æschylus vir utique Siculus.* Siculum etiam putant Gyraldus sibi contrarius *de Diis Gentium syntag.* 1. *p.* 67. Anonymus quidam in libro cui titulus *Vita omnium Philosophorum, & Poetarum*, Parisiis per Joannem Petit 1516. *cap.* 56. qui ait: *Æschylus Poeta Tragœdiarum scriptor natione Siculus*, Joannes Vigintimillius *in Tabula Siculorum Poetarum*, quam suo de Poetis Siculis libro prænxit, & Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculorum p.* 10. & *in Biblioth. Vet. p.* 10. Ex Æliano *de animalib. lib.* 7. *cap.* 16. & Plutarcho *in Theseo*, Eleusinius fuit: nec me fugit, quod Eleusis Civitas sit non longè ab Athenis; at suspicor mendum in Æliano irrepsisse, & pro Eleusinius, substituendum Alesinus: Alesa enim Urbs Siciliæ nunc diruta, de qua Cluverius *Sicil. antiq. lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 287. sed hoc aliis disquirendum relinquo, non enim est tanti examinare omnia. Gyraldus *de Poet. histor. dial.* 6. *par.* 252. ait, nil mirum, quod ab Athenæo *lib.* 9. *cap.* 14. *pag.* 402. proditum sit, nempè Æschylum Siculorum vocibus uti, dum in Sicilia diu sit diversatus: attamen Athenæi exemplar corruptum credit; subdubitabat verò an de alio Æschylo agat, de quo Macrobius, & Siculum fuisse scribit. Ragusa *cit. in Biblioth.* duos Æschylos Tragicos Poetas floruisse innuit, Siculum unum, alterum Atheniensem; & utriusque gesta, scriptaque consusa opinionum diversitatem induxisse putat. Fuit Æschylus teste Suida *cit.* Pausania *l.* 2. & 8. & Herodoto *lib.* 2. Euphorionis filius, natus Olymp. 60. ex Petavio *de doctr. tempor. lib.* 13. *p.* 560. vel Olymp. 67. ex auctore vitæ Sophoclis apud eumdem *l.* 13. *p.* 562. Fabulantur nonnulli ex eodem Æschylo apud Pausaniam *lib.* 1. *p.* 36. quòd adolescens dum uvas custodiret à Baccho per somnium admonitus est, ut Tragœdias scriberet; expergefactus obtemperavit, & feliciter Tragœdias condidit: exinde tanquam Baccho extimulatori gratissimus, tunc fœcundius fabulas suas concinnare solitus, cum largius biberet: hinc Plutarchus *symp. lib.* 1. *quæst.* 5. & *lib.* 7. *quæst.* 10. ait: Æschylum vino inflatum Tragœdias scripsisse: ita Athenæus *lib.* 1. *cap.* 19. *p.* 22. Gyraldus *cit.* & Cælius Rodig. *lect. antiq. lib.* 5. *c.* 13. Omnium primus ex Athenæo *lib.* 10. *cap.*

7. p.

c. p.423. Jul. Cæsare Scaligero *Poet.lib.1. cap.16. p. 62.* & Alexandro Sardo *de rer. invent. lib. 1. p. 44.* in tragicas scenas ebriorum spectaculum objecit; cùm enim ebrietate laboraret, alios eo vitio adnotari mentitus est: adduntque ebrium tragœdias scripsisse; quod innuit & Lucianus *in Demost. encomio.* Unde carmina scribens Bacchum magis quàm Apollinem invocasse ajunt: eaque addidit tragœdiis ornamenta, ut scripserit Quintilianus *instit. lib. 10. cap. 1.* tragœdias primùm in lucem protulisse. Is horrificas personas, fecibus, variisque coloribus pictas in scenas primus deduxit: cothurnos, ac secundum histrionem statuit; chori partes imminuit: primarum partium sermonem instituit; aliaque ad theatri majestatem invenit, ex Aristotele *in Poet.* Laertio *in vita Platonis,* Athenæo *lib.1. cap.18. p.21.* Suida, Gyraldo, aliisq; apud me *in addictionibus ad Siciliam Inventricem D. Vincentii Auria cap.10. §.9. p.168. & cap.5. p.163.* ideoque Horatius *de arte poet. v. 279.* ait.

Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus, & modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit, magnumque loqui, nitique cothurno.

At quidquid ornamenti tragicis scenis addidit, nempè vestes, pulpitum, personas, Heroum nuntios à Gorgia Leontino accepisse testatur Fazellus *de reb.Sicul. Dec. 1. l. 3. cap.3. p. 74.* Memorat Æschyli scholiastes, quod ita terribilis visa est ejusdem fabularum repræsentatio, ut cùm primùm Eumenidas edidit, puerorum multi præ horrore subita morte obriguere, ac nonnullæ gravidæ feralium larvarum imagine consternatæ in theatro periere. Propter quamdam tragœdiam impietatis damnatus, Athenienses lapidibus obruere parati erant: at Amynajas (perperam Amintam vocat P. Coronelli *Bibl. Univ. to.3. n.1075.*) junior ipsius frater, ea quæ fortiter pugnando in Salamine gesserat Judicibus objectando, Æschyli absolutionem impetravit, ex Æliano *var. hist. lib. 5. cap.19.* A tragica facultate immortalem gloriam adeptus, magnam sui extimationem tum vivens, tum mortuus consequutus est, teste Philostrato *in vita Apollonii lib. 6. cap. 6.* ait enim, quòd artem incompositam, & inornatam apparatu subliniore, & magnificentia instruxit, choros in unum contraxit: pulpitis histriones imposuit, & eorumdem frequentes responsiones abstulit; cædes è scena removit: & ornatioribus vestibus heroes induit: hinc Athenienses Tragœdiæ parentem putabant: in Dionysii festis etiam mortuum invocare consuevere, & ab eo inventa præ cæteris in pretio habebant, ac ediscebant. At in Dionysiis invocatum, ita intelligendum Philostratum putat Vossius *c.5. de Poetis Græc. p.29.* contra Frid. Morellum Philostrati interpretem: nempè in Dionysiorum festis ex Atheniensium decreto advocatum etiam mortuum, dum ab aliis ejus fabulæ agerentur: & qui vicerat vivus, pluries etiam mortuus aliis prælatus. Æschyli grandiloquentiam post Plutarchū *de gloria Atheniensium,* Quintilianum *instit.or. lib. 10. cap. 1.* & Photium *Bibl. cod. 158. p. 327.* laudat Daniel Heinsius *in epist. nuncup. Tragœd. Senecæ*; Vossius verò *lib. 2. instit. Poet. c.14.* ait: *Primus verò Æschylus grandiloquentiam addidit Tragœdiæ; fecitque ut verè ambularet cothurnata.* De Tragœdiarum suarum judicio consule Quintilianum *cit.* Renatum Rapinum *Reflex. 22. in Poet. par. 2.* Fabrum *de Poetis Græcis p. 52.* & Ephemerides Eruditorum *Gall. Mart.* 1665. Philosophus fuit etiam clarus ex Athenæo *lib. 8. cap.8. p. 347.* Pythagoræ sectatorem vocat Cicero *Tusc.quæst. lib.2.* & Leonardus Cozzandus *de magist.antiq. Philosoph. lib.5. cap. 2. p.313.* Militari etiam gloria enituit, & in celeberrima pugna apud Marathonem inter Athenienses, & Persas, fortiter decertavit, ex Plutarcho *symp. l.1. quæst. 10.* Pausania *lib. 1.* Suida *cit.* aliisque. Hanc autem victoriam obtigisse credunt olymp. 70. Gyraldus *cit.* & Vossius *de Poetis cap.4. p.25.* qui cum Crasso *de Poetis Græcis p. 199.* putant apud Suidam mendum irrepsisse, ubi legitur olymp.9. Tanti verò bellicam virtutē existimavit, ut poesis gloriæ prætulerit, teste Athenæo *l.14. c.5. p. 627.* ideoque moriens inscribi decreverat sepulchro:

Præclaram animi fortis constantiam prædicabit
Marathonius lucus,
Expertusque Medus ipse, coma densa capillatus.

Cùm autem dum Tragœdiam ageret theatri tabulata concidissent, Siciliam fugiens repetiit ex Suida, & Vossio *cit.* & apud Hieronem Syracusarum Regem una cum Simonide vixit teste Pausania *lib.1.* Memorandus fuit ejus mortis genus, dum enim extra Gelæ mœnia detecto capite conquiescebat, aquila testudinē furata unguibus, calvi capitis splendore decepta, in illud, velut in lapidem dimisit predam, ut diffracto cortice illius vesceretur: ideoque ejusdem cerebrum adeo contritum est, ut statim decesserit, & vitæ suæ tragœdiam absolverit. De hac ejus morte consule Ælianum *de animal. lib.7. cap. 16.* Plinium *lib.10. cap.3.* Valerium Maximum *lib.9. cap. 12.* Suidam *cit.* aliosque. Secundus Lancellottus *in libro Farfalloni nu. 31.* inter historicorum mendacia hoc mortis genus projecit, arbitratus in Sicilia aquilas haud inveniri: at aquilarum genus, quas ossifragas vocant, sæpius vidimus, & olim vidit P. Gaspar Schottus, ut testatur *in Physica curiosa par. 2. lib.9. cap.3. p. 1117.* apud D. Carolum Vigintimillium equitem Panormitanum: & propè Panormum in monte Gryphone nidificare compertū est. Sunt qui scribunt, teste Gyraldo, in aperto loco consedisse, quòd tabulati ruinam pertimesceret, quam ei oraculum prædixerat. Aliter rem narrant aliqui: Gyraldus *cit.* cum Alexandro ab Alex. *Gen.dier. lib.6. cap.19. p.707.* ait, quòd senior aliquando à Sophocle juvene in tragico certamine victus, mœrore confectus occubuit. Plutarchus verò *in Cimone,* narrat, victum in Siciliam velificasse, ibique circa Gelam defunctum sepulturæ traditum fuisse. Geloi verò publicas in ferias disposuere teste Casaubono *in Athen. lib.14. cap. 6. p. 899.* Carmina hæc sepulchro insculpta legebantur, ex Plutarcho *de exilio p. 604.*

Æschylus Euphorionis Athenis, natus, in arvis
Frugiferi jacet hic post sua fata Gelæ.

Clarere cœpit ex Vossio *de Poetis Grec. cap. 3.* olymp. 70. an. 4. obiit verò ex eodem *cap. 5.* olymp. 81. an. 1. attamē Eusebius *in Chron.* olymp. 71. an. 1. statuit. Ex Petavio *de doctr. temporum lib. 13. p.* 568. obiit olymp. 76. an. 1. ante Christum 476. ætatis 65. ex Brietio *annal. mundi par. 2. n. 1. lib. 3. cap. 9.* olymp. 77. mundi 3582. Joanne Frisio *in serie Philosoph. sive Biblioth.* apud Joan. Gualterium *in Chron. Chron. l. 2. p.*843. an. mundi 3490. ante Christum 472. Tirino *in indice auctorum in sacram script.* ante Christum natum 490. Cluverio *Sicil. antiq. lib. 1. cap. 1. p.* 4. an. 480. Thoma Pope-Blount *in censura celebr. Auctor. p.* 7. an. 482. Filios reliquit duos hæreditario quodam jure tragicos Poetas, nempe Euphorionem, & Bionem ex Suida *in Æschylo*, & Gyraldo *cit.* & mortuus quater vicit; Euphorion enim filius plures obtinuit victorias Patris fabulis non dum in lucem editis, teste Suida *in Euphorione*, Gyraldo, & Vossio *de Poetis cap.* 5. *p.* 29. & *lib. 2. artis Poeticæ cap.* 13. §. 4. Licurgus Atheniensium orator Æschylo æneam statuā excitavit, ejusque tragœdias exscriptas, custodiri mandavit, & ut publicè legerentur voluit, ex Plutarcho *in vitis x. Rhetor. in Licurgo.* Chamæleon librum de Æschylo scripsit, quem citat Athenæus *lib.9. c. 4. p.* 375. & *lib.* 10. *c.* 7. *p.* 428. de eodem verò orationem scripsit Dion Chrysostomus, quam habemus inter ipsius orationes. Scripsit Æschylus *Elegias, & Tragœdias xc.* at 28. vel 13. adversarios vicit: & aliquando injustis suffragiis victus, tempori suas tragœdias consacrare dixit; intelligebat enim aliquando meritum honorem adepturas, ex Atheneo *lib.* 8. *c.* 8. *p.* 347. Olymp. 76. an. 4. teste Vossio *de Poetis cap.* 5. *p.* 29. certavit, & pluries vicit. Harum Tragœdiarum septem solùm supersunt, nec eæ omnes integræ, nempè: *Promethæus vinctus. Septem duces ad Thebas. Persæ. Agamemnon. Choephori. Eumenides. Supplices.* Earumdem sex primùm græcè in lucem protulit Aldus. Venetiis 1518. in 8. totidem Adrianus Turnebus. Parisiis 1552. in 8. eodem anno, addita septima inscripta *Choephon* edidit Venetiis Franciscus Robortellus apud Gualterium Scotum in 8. quibus suas & Michaelis Sophiani conjecturas præmisit: & schola ex antiquis exemplaribus collecta addidit. Exinde septem græcè prodiere cum scholiis græcis plenioribus, & emendatis curâ Petri Victorii, & observationibus Henrici Stephani, & idem Stephanus edidit 1557. in 4. Et easdem Guliemus Cantherus cum ejusdem notis, sublatis mendis, in lucem emisit Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1582. in 16. Cum duplici interpretatione latina Stephani 1567. in 12. Latinas etiam edidit Joannes Sauromanus cum scholiis ex officina Oporiniana Basileæ 1550. in 8. Extant & inter Poetas Grecos Tragicos editos Coloniæ Allobrogum typis Petri de la Rovere 1604. in fol. & alibi. Tandem Thomas Stanlejus Anglus græcè cum latina versione edidit, & commentariis, in quorum principio de variis Æschylis, illustravit, una cum antiquis scholiis Londini 1663. in fol. hanc verò editionem laudant Ephemerides erud. Gall. *to.* 1. *p.* 115. *Agamemnonem* integritati suæ restituere Bartholomæus Barbadorus, & Hieronymus Mæus teste Gesnero *in Biblioth. p.* 14. In Promethæum vinctum scripsit Matthias Illiricus, eumque transtulit, & scholiis illustravit Matthæus Garbitius. Basileæ apud Oporinum 1559. in 8. ex eodem Gesnero. Æschyli Sophoclis, & Euripidis Tragœdiæ selectæ cum duplici interpretatione latina, una ad verbum, altera carmine, Genevæ prodiere 1567. in 16. Et tandem ex Æschyli Tragœdiis extant fragmenta varia in libro, cui titulus: *Excerpta ex Tragœdiis, & Comœdiis Græcis, tum quæ extant, tum quæ perierunt emendata; & latinis versibus reddita ab Hugone Grotio Græc. lat.* Parisiis apud Nicolaum Buon 1626. in 4. Præter prædictas septem Tragœdias aliarum nomina habemus apud nonnullos, ex quibus aliqua adducunt carmina: en illa.

Æthna. Macrob. *Satur. lib.*5. *cap.*19.
Ciberi. Natal. Comes *Mythol. lib.*6. *cap.* 8.
Sisyphus. Ælian. *de animal. lib.* 12. *cap.* 5. & Jul. Pollux onom. *lib.*10. *cap.*3. & *cap.*22.
Agamennon. Ælian. *cit. lib.* 7. *cap.* 47. & Athen. *lib.* 15. *cap.*20.
Athamas. Athen. *lib.*7. *c.* 19.
Aimymon. Athen. *lib.*15. *c.*12.
Glaucus Marinus. Athen. *l.*3. *c.*10. Pauſ. *l.*9. *p.* 576.
Danaides Athen. *lib.*13. *c.* 8.
Heliades. Athen. *lib.*10. *c.* 11 & *l.*11. *c.*5.
Hedoni. vel *Hedonis cymba.* Athen. *l.*11. *c.* 8.
Theori. Athen. *l.*14. *c.*7.
Cabiri. Athen. *lib.* 9. *cap.* 4. & *lib.*10. *cap.*7. & Scalig. *Poet. lib.* 1. *cap.* 16. idest Samothracum Dii ex Dalacampio *in annot. ad Athen. p.*769. sed de his consule eruditissimum opusculum clariss. viri Jo. Antonii Astorii, *de diis Cabiris.*
Crassæ. Athen. *l.*2. *c.* 11.
Camici. Athen. *lib.*2. *c.*11.
Lycurgus. Athen. *lib.* 10. *c.*14.
Adolescentuli. Athen. *l.*11. *c.*15.
Ostologi. Athen. *l.*15. *c.*2.
Perrhæbi. Athen. *l.*11. *c.* 7. & 14.
Sphinx. Athen. *l.*15. c.5.
Philoctetes. Athen. *l.*9. *c.*11.
Phineus. Athen. *l.*10. *c.*5.
Phorcides marinæ Deæ. Athen. *l.* 9. *c.* 14.
Phryges. Athen. *l.*2. *c.*11. Jul. Pollu. *l.*7. *c.*29. & Io. Stobeus *serm.* 32. Casaubonus *animad. in Athen. l.*1. *c.*19. *p.*56.
Iris. Pollu. *l.*10. *c.*34.
Talamopæi. Pollu. *l.*7. *c.*27.
Cercion. Id. *l.* 10. *c.*45.
Præcones. Id. *l.*9. *c.*8. & *l.*10. *c.* 19. & 49.
Pharistæ. Id. *lib.*7. *c.*22.
Psychagogi, siue *Psychostasia.* Id. *lib.* 10. *c.* 1. & Plutarch. *de audiendis Poetis.*
Cares, vel *Europa* Stephanus *de urbib. v. Mylassa. p.*476. & Stobæus *ser.*168.
Musæ. Steph. *v. Oeos p.*510.
Judicium armorum. Stob. *ser.*959.
Heraclides. Stob. *ser.*276.
Hector. Stob. *ser.*279.

Persæ.

Persæ. Plutarch. *in Themistocle*, & Athen. *lib.3. cap. 9.*

Myrmidones Athen.

Prothæus. Athen. *lib.9. c.11. p.394.* ita enim legunt alii, non in *Promethæo*, ut observat Jacobus Dalacampius *in adnot. ad Athen. pag. 763.* ita & Casaubonus in Athen. *l.9. c.11. p.425.* ex Hesychio.

Amphytrion, addit Gesnerus *in Biblioth. p.14.* Sed hoc opus est Æschyli Alexandrini, teste Athenæo *lib.13. cap. 8.* & Gyraldo *de Poet. hist. dial.6. p.252.*

Scripsit etiam

De Marathonia pugna carmen, ex Pausania *lib. 1.* Multa horum operum fragmenta extant apud auctores nuper citatos: aliaque exhibent suppresso operis nomine. Æschyli tragedias Harpalus misit Alexandro M. libros cupienti, ex Plutarcho *in Alex.*

AETIUS Medicus Siculus, cujus meminit Andreas Tiraquellus *de nobilitate cap. 31. p.253.* eoque teste scripsit librum

De Atrabile sive Malancholia, ex quo, & aliorum libris excerptus est Tractatus de Atrabile, Galeno adscriptus. Extat hic liber inter spurios Galeni libros ex editione Veneta apud Juntas 1586. *in fol. pag.* 114. Habetur & inter eadem opera Galeno attributa *pag.* 19. tractatus hoc titulo prænotatus. *Galeni attributus liber de Dynamidiis censura, liber magna ex parte ex Aetio desumptus, erroribus tamen plurimis scatens.* Sed an sit nostri Aetii, an veró Aetii Amideni, haud satis liquet. Sanè opus inscriptum: *Contractæ ex veteribus medicinæ Tetrabilos*, Lugduni ex offic. Godefridi & Marcelli Beringorum fratrum 1549. *in fol.* Aetio Medico Amideno adscribendum putant, quòd in dubium revocare posset.

AGATHINVS CASTILIONIUS Leontinus Sacræ Theologiæ Doctor, Prothonotarius Apostolicus, & Leontinæ Ecclesiæ Canonicus, antiquitatum studiosissimus, eximius divini verbi declamator, Paulo V. Sum. Pont. tum ob virtutis, tum etiam facundiæ ornamento carissimus. Pluries cum laude eodem Pontifici, ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus conciones habuit: & Romæ in æde S. Joannis Florentinorum Theologiam moralem docuit. Diem clausit extremum Leontini *an.* 1631. & in Ecclesia Fratrum Observantium S. Francisci humatus requiescit. De eo Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. p. 240.* & Carolus Ant. Conversanus *in atherea Leontinorum gloria p. 14.* edidit

Sermonem in Ascensione Domini habitum in Basilica S. Petri in Vaticano V. kal. Maii 1609. coram SS. D. N. Paulo V. Pont. Opt. Max. & Sacro Cardinalium Senatu. Romæ apud Guillelmum Facciottum 1609. *in 4.*

Sermonem in Feria IV. Cinerum habitum in Templo S. Sabinæ in Vrbe nonis Martii 1612. coràm SS. D. N. Paulo V. Pont. Opt. Max. & Sacro Collegio Cardinalium. Romæ apud Jacobum Mascardum 1612. *in 4.*

Orationem in Circumcisione Domini. Romæ 1608. *in 4.* ex indice Bibliothecæ Barberinæ *t.1. p.245.*

Acta SS: Leontinorum, ac officia cujusque S. Leontini à Paulo V. Pont. approbata. Romæ 1612. Servatur in Bibliotheca Collegii Panormitani Societatis Jesu, italicè

Apologia in difesa d'alcuni Santi di Lentini. M. S.

Alia prælo parabat, ac M. SS. reliquit.

AGATHINUS GUIGLIA Panormitanus Juris utriusque Doctor, vir doctrinâ, & ingenio insignis: causarum patrocinium egit cum laude in Panormitano Prætorio, & in supremis Magnæ Regiæ Curiæ, ac Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ subselliis pluries Iudex effulsit. Enituit etiam Messanæ Tribunalis bonorum confiscatorum (Regiã Iunctã vocãt) Moderator: et in Regii Patrimonii, & Magnæ Regiæ Curiæ foro Fisci Patronus. Tandem à Regiis Rationibus Magister electus in eodem munere vivit. Multa scripsit, at solùm edidit

Responsum Fiscale, in quo per semitas Justitiæ, Jura Regii Fisci penduntur, atque tuentur Juribus Regiæ Adhoę Publicanorum pro remissione mercedis adductis penitus rejectis. Panormi ex Typographia Augustini Epiro 1700. in fol.

AGATHON Poeta Tragicus, cujus patriam & si veteres Scriptores silentio tradidere, attamen Thomas Porcachius *in Insulis p. 40.* & Franciscus Apares *in triumpho Siculo p. 51.* Leontinum apertè scribunt. Ex Patritio *Poet. dec. hist. l.1. p. 91.* & Leonardo Cozzando *de magisterio antiquor. Philosoph. lib. 1. c. 3. p. 34.* Socratis Discipulus fuit: Platonem etiam audivit, ejusque benevolentiam adeò sibi conciliasse narrant, ut ab eo disticho extolleretur apud Laertium *in vita Platonis*, A. Gellium *in noct. Att. l.19. c.11.* & Cozzandum cit. *l.1. c.4. p.44.* Philosophus Pythagoricus doctrina eximiè excultus nominatur à Raphaele Volaterrano *in anthrop. l. 13.* Morerio *in dict. to. 1. p. 68.* & Cozzando *cit. p. 45. & lib. 5. c. 2. p.314.* At Suidas *tom.1. p.23.* Discipulum Socratis alium Agathonem Comicũ putat. Acre ingenium cum vultus elegantia excoluit: & ex Gyraldo *de Poet. histor. dial. 3. p.100.* munificentiã, & liberalitate insignis, præcipuus inter Platonis amicos recensitus effulsit. Philostratus *in vitis Sophistar. lib.1. p. 497.* ait quòd tragicus fuit Poeta (Morerius *cit.* Hofmãnus *lex. t.1. p.60. & 65.* & Coronelli *in Biblioth. t.2. n. 756. & 760.* Agathonẽ Philosophũ ab Agathone tragico Poeta distingunt) & in comica etiã facultate nõ minus sapientiã innotuit, quàm dicendi cultu. Addit & Crassus *in hist. Poet. Græc. p. 13.* quòd per omnes Græciæ regiones nominis sui fama irrepsit: & cũ æquè ejus ingenium in comicis, tragicisq; studiis versaretur, lõgè celeberior à tragicis studiis enituit: hinc sæpè tragicus tantùm dictus, ut ab Agathone altero comico secerneretur. Iidem Patritius, & Crassus notant, quòd accepta in tragico certamine victoria (de qua etiã Athenæus *l. 5. c. 17. p.216.*) opiparum cõvivium amicis suis instruxit; qua oblata occasione Plato convivium suum scripsit, quòd & Macrobius *Satur. l. 7. c. 1.* extollit. Ea occasione Platonem opus suum excogitasse

gitasse testes habentur Gyraldus, & Suidas, qui Agathonem carpit, ubi ait: quòd Agathon ob mollitiem infamis erat: at Aristophanis testimonio eumdem laudibus ornat ob morum elegantiam, mensæq: splendorem. Tragœdias suas spissa frequentique vestiebat antithesi, ac de ipsa magnoperè gloriabatur ex Æliano *var. historiar. lib.* 14. *cap.* 13. qui addit quòd admonitus Agathon, ut suas tragœdias crebrò illo antithesis vitio laborantes purgaret, *non animadvertis*, inquit, *o bone vir, te Agathonem ex Agathone delere*; putabat enim tragœdias suas reiteratis hisce figuris exornari: sed à Platone notatus, & irrisus teste Athenæo *l.*5.*c.*2.*p.*187. qui *lib.*5. *c.*17. *p.* 216. Pausaniæ in deliciis fuisse ait. Inter familiarissimos Archelai Regis enumeratus est, à quo interrogatus, cum quadragesimū (alii 80. legunt) suæ ætatis annū ageret, si robur viresq: adhuc servaret: sanè, inquit, nō solū enim ver, verùm etiā Autūnus solet bona, & prosperitates influere: ita Ælianus *var. hist.l.*13.*c.*4. De Agathone etiam Lucianus in *Rhetorum præcept. p.*448. & Xenoph. *in Symposio p.*898. Coevus fuit ex Cozzando *cit.* Socratis, Hellanici Mitylenei, Herodoti, Tucididis, & Euripidis. Claruit teste Fabro *de Poetis Græcis p.* 85. tempore Aristophanis. Ex Vossio *de Poetis Græcis cap.*6. *p.* 39. *& cap.*7.*p.* 50. Crasso, & Morerio *cit.* olymp. 90. ante Christum natum 416. Scripsit.

Tragœdias, & Comœdias, ex Patritio, & Gyraldo: ex Tragœdiis ab Athenæo *l.*10. *c.* 20. *p.* 454. *& l.* 12. *c.* 7. *p.* 528. memorantur

Thyestes, & Thelephus, ex quibus aliqua adducit fragmenta; sicut alia ejus carmina alibi exhibet suppresso operis nomine *l.* 5. *c.*1. *p.* 185. ubi lepidum Agathonem dicit, *lib.* 10. *c.* 12. *p.* 445. *& l.* 13. *c.* 6. *p.* 584. Extant & apud Jo: Stobæum nonnulla Agathonis Carmina; sed an nostri, an alterius Agathonis sint, pendet in ambiguo: quòd etiam dictum velim de Agathonis fragmentis in libro, cui titulus: *Excerpta ex Tragœdiis, & Comœdiis Græcis tum quæ extant, tum quæ perierunt emendata, & latinis versibus reddita ab Hugone Grotio Græco-lat. Parisiis apud Nicolaū Buon* 1626. *in* 4. carmen apud Aristotelem *l.* 5. *moral.* nostri puto. Aristotiles *Poet. c.* 7. aliam Agathonis Tragœdiam prodit, cujus nomen

Flos, in qua nedum actiones verùm etiam & verba erant ficta, sed nimis delectabilia: quòd etiam narrant Gyraldus *cit.* Paulus Benius *in Arist. Poet. cap.*7. *partic.* 54. *n.* 288. *p.*239. & Castelvetrus *in Poet. Arist. par.* 3. *partic.* 7. *p.* 211. *& seq.* ipse enim omnium primus fictis nominibus in tragœdiis usus est, ut cum Alex. Sardo *de rer. invent. lib.* 1. *p.* 43. scripsi *in Addictionibus ad Siciliam Inventricem D. Vinc. Auria cap.* 31. *p.* 247. Ipse etiam primus inter Tragœdiarum actiones interposuit Chorum, qui ab earumdem actionibus aliena, & penitus sejuncta caneret, ut ex Aristotele citato; quòd ipse cum eodem Castelvetro *par.* 3. *partic.* 20. *pag.* 402. non approbat: at ego ex hac tragœdiarum intersectione emanasse puto intermedia, ut vocant, quorum usus in recentioribus Comicis, est frequentissimus. Scripsit etiam.

Jambos, ad æmulationem Gorgiæ ex Crasso, Morerio, Patritio, qui nescire fatetur sitnè hic Gorgia celeberrimus noster Siculus, an alius: sed nostrum Gorgiam Leontinum fuisse clarissimè patet ex Philosostrato *in vitis Sophistar. p.* 497. qui in vita Gorgiæ Leontini ait: *Agathon verò Poeta tragicus, quem Comœdia sapientem, & elegantem esse non ignorat, jambicis plerumq: Gorgiacis utitur*. Tandem *Trojæ excidium* in tragico quodam opere occlusit: quod adeò Aristoteli displicuit, ut in objurgationem abjerit, dum in unica tragedia tantam eventuū molem coarctare ausus fuerit: ita in sua *poet. c.* 17. cujus sententiam sequutus est Paulus Benius *in Arist. Poet. c.* 17. *part.* 94. *n.* 450 *p.*376. & Castelvetrus *loc. cit.*

S. AGATHO Pontifex Maximus Panormitanus Ecclesiæ Catholicæ lumen. Priusquam illustriora ejus vitę gesta delibando referam, de patria tanti viri breviter disquisitionem instituere oportet, ut inanes infringam conatus, qui subripere eumdem Siculis, & Panormitanis attentarunt. Omnium primus occurit Alphonsus Ciacconius *in vitis Pontif.* qui cùm comperisset ab innumeris scriptoribus Agathonem Siculum renunciatum, perperàm Aquilani castro quodam vallis Sicilianæ in Provincia ulterioris Aprutii natum scripsit. At Ciacconii commentum convellunt Octavius Caetanus *in animad. ad to.* 1. *SS. Siculor. p.* 1. & Augus. Inveges *par.* 2. *annal. Panor. p.*466. Siculi enim voce ex vocabuli usu, sine alia appositione, in Insula Siciliæ natus indicatur: nec scriptorum quispiam cùm Siculum quēquam enunciavit in valle Siciliæ apud Samnites unquam intellexit: quòd præter citatos auctores affirmant Arnaldus Uvion *in ligno vitæ lib.*2. *c.* 1. *p.* 135. Franc. Scorsus *in vita Agathonis p.* 2. & Jos. Perdicarus *in vitis SS. Siculor. p.* 73. hinc cùm Ciacconius interpretationem suam nullo auctoris fulcimento communiat, eâ facilitate qua exhibetur etiam rejicitur. Hieronymus Marafioti *in Chronic. Calabrię lib.* 1. *cap.* 26. *p.* 56. hoc argumento Agathonem ad Calabriam trahere conatur: ait enim, Agathonem in epistola ad Constantinum Imp. Abundantium Episcopum Paternensem, & Joannem Episcopum Rhegiensem conterraneos suos vocasse: cùm autem Præsules ipsos Rheginos fuisse constet, Rheginum & Agathonem putandum concludit. At Caetanus *cit.* Marafioti argumentum retorquendo, ait: Si Agatho ab innumeris scriptoribus Siculus acclamatur, potius dicendum, Abundantium, & Joannem Siculos fuisse. Sed facilius Marafioti ratiocinatio diluitur, cùm Agathonis epistola spectatur: in ea enim, ut Caetanus observat, non conterraneos, sed confamulos legitur, quòd usus Pontificum est, & qui à limine Ecclesiasticam historiam salutavit satis superque scit: lege & epistolam ejusdem Agathonis & Concilii Romani *in Conciliis Generalibus to.* 3. ex editione Severini Binii *p.* 22. ubi Theodorum Angliæ Primatem Confamulum vocat. Demum P. Joannes Fiore *in Calabria illustr. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 5. *p.* 384. ut Cala-

Calabriæ causam defendat; primùm remissivè ait, Siculum etiam natum in Calabria intelligi; quod nos in nostro Bibliothecæ apparatu contra ipsius rationes refellimus. Secundò contra Inveges mirari, ait, eumdem Ciacconii opinionem novitatis, ac singularitatis damnasse, cùm multi Auctores celeberrimi Agathonem non natum in Sicilia dixere ante, & post Ciacconium: hos autem Auctores nominat Scipionem Mazzellam, Henricum Baccum, Joannem Tassonem, Marcum Ant. Politum, Gabrielem Barrium, Prosperum Parisium, Octavium Beltranum, & Hier. Marafiotũ. At hi omnes non Ciacconium sequuti sũt, sed Marafiotum, qui Rhegiensem dixit Agathonem, cujus opinionem jam satis reijecimus: omnes etiam, excepto Barrio, post Ciacconium scripsisse liquidò constat ex eorumdem libris editis, ut habemus apud Nic. Topinm *in Biblioth. Neapolitana*. Hinc meritò singularem, novam, & tanquam somnium damnavit Inveges Ciacconii opinionem; cui nec calculum rationibus suis Pater Fiore adjecit. Nec felicius Marafioti patrocinium cessit eidem Patri Fiore; ait enim: Marafiotus Vir Religiosus, ac prudens in Epistola Agathonis apud antiquiores Conciliorum editiones forsan *Conterraneos* vidit, non *Consamulos*; data verò ea lectione ad sui favorem Agathonem Rheginum fuisse ineptissimè deducit. At ego patienter omnes Conciliorum editiones observavi, in quibus constanter Consamulos adinveni. Ipsa etiam Agathonis epistola apud Baronium *ann. to. 8. an. 680. n. 9.* habet Famulos: ideoque ne dum de Marafioti fraude suspicandum, sed certè dicendum Agathonis epistolam deturpasse: seu potius Barrium hoc commentum excogitasse, ut aliorum spoliis Calabriam tegeret; hic enim *de situ & antiq. Calabriæ lib. 3. apud Italiam Illustr. p. 1094.* Conterraneos primùm protulit: hunc verò clausis oculis sequutus est Marafiotus: ideoq; omnis mala deducta ratiocinatio ex falsis penitus principiis corruit. Nec superest dubitandi locus, Agathonem in Sicilia ortum: ut ex antiquis, & recentioribus scriptoribus patet; ex quibus solùm memoriæ revocabo Anastasium Bibliothecarium *in vitis Pontif.* S. Antoninum *p. 2. hist. tit. 13. cap. 4. §. 4.* Jo. Tritemium *de Viris Ill. Ord. S. Bened. lib. 4. c. 4. p. 119. & lib. 3. cap. 150. pag. 84.* ita etiam *cap. Agatho distin. 63.* At quâ in Urbe Siciliæ natus Agatho? Non me latet Josephum Bonfilium *hist. Sicil. par. 1. lib. 1. p. 41. & in Mess. lib. 8. p. 57.* scripsisse Agathonem Catanensem: hinc Jo: Baptista de Grossis Catanensis in libris suis opus inscriptum, *Agatho Restitutus*, edendum pluries minatus est potius, quàm promisit. At quis unquam scriptorum Agathonem Catanensem fuisse affirmavit? Fabella hæc, ut Perdicarus *de SS. Sicul. p. 73.* ait, purum fuit Bonfilii somnium, ut de more Panormitanorum res exturbare tẽtaret. Ab ipsamet Catanensi Civitate, nec inter Sanctos suos recensitus Agatho: inter Sanctos enim quos Catanæ natos putant Catanenses, & in Choro Catanensis Ecclesiæ depictos omnium oculis exhibent, eodem de Grossis teste *in Decacordo Catanen. tom. 1. cord. 2. mod. 3. p. 43.* & Dom. Guglielmino in libro, *Catania Destrutta p. 45.* Agathonem apponere non ausi sunt. Panormi verò exortum Agathonem non pauci affirmant: ita Panvinus *in Chron. Ecclesiast. an. 676.* Arnaldus Uvion *in ligno vitæ lib. 2. cap. 1. p. 131. & 135.* Petrus Opmeerus *in opere Cronographico p. 338.* Victorius Baldinus *Cronolog. Eccl. p. 90.* Dominicus à SS. Trinitate *in Biblioth. Theologica to. 3. sect. 4. cap. 12. p. 239.* Gabriel Bucellinus *in annal. Ord. S. Bened. par. 1, an. 678. p. 95. & in Aquila Imp. Benedic. p. 109. & hist. univers. an. 678.* Gabriel Bisciola *Epit. annal. Baronii to. 2. in indice v. Romani Pontifices*, Fabius Justinianus *in indic. alphab. p. 12.* Coronelli *Biblioth. to. 2. n. 763.* Jo: Bollandus *in actis SS. to. 1. Ian. p. 1108.* qui Francisci Scorsi sententiam retulit, nec improbavit, Franciscus Carriere *in Chronol. Pontif. p. 22.* aliique. His innumeros Siculos, & Panormitanos non addo; satis enim esse reor hìc indicare, Panormitanam Ecclesiam, àvetustis temporibus, ut Civem suum inter precipuos Vrbis Patronos relatum peculiari cultu recolere, ut infra. Panormi itaque natus Agatho Patre Pannonio, sive Pontiano ab infantiâ pietate potius, quàm lacte nutritus, ad cœlestem patriam anhelare cœpit: sacrisque literis dicatus, ob ingenii felicitatem doctrinâ inclaruit. Parentibus defunctis facultates omnes pauperibus distribuit, & rejectis mundi illecebris in Cœnobio S. Hermetis Panormi, Ord. S. Benedicti, nunc S. Joannis Eremitarum, prima Regularis vitæ elementa suscepit; ibique die, noctuque in rerum cœlestium contemplatione defixus, breviter ad absolutissimum sanctimoniæ fastigium accessit. Ejus virtutum odor undique effusus Romanam replevit aulam, & Pontificis animum impulit, ut ad Catholicæ Ecclesiæ ornamentum in Cardinalium Senatum ascriberetur; & exinde omnium suffragiis, ac plausu, ad supremum Pontificiæ dignitatis gradum fuit evectus anno 678. Romanam sedem vitæ sanctitate venerabiliorem effecit, & præclarissima Christianæ perfectionis exempla longè, latèque omnibus exhibuit, ita ut unâ omnium voce Vir Sanctissimus vocaretur. Nec defuerunt sanctitatis testimonia: nempè supra naturæ ordinem patrata miracula; adeò ut Thaumaturgi nomen à Græcis acceperit. Inter alia narrant, leprosum dato osculo ab Agathone, statim mundatum. Insignia nonnulla ad Ecclesiæ utilitatem perpetravit: in primis ab Ecclesiæ facie maculam delevit; hoc est tributum, quod Imperatoribus persolvebant Pontifices statim ac ad dignitatem erant evecti; nã ad Agathonis petitionẽ Constantinus Imp. ab hujus pensionis onere Ecclesiam liberavit. Ecclesiasticorum mores ad sanctimoniæ regulam composuit. Verè pauperum Pater, omnium primus Ecclesiastici ærarii Custodem instituit, ipseque se primum Thesaurarium constituit, ac manibus suis stipem pauperibus erogavit. Memorabilem reddidere SS. Viri Pontificatum coacta Concilia: horum unum Romæ in Basi-

Basilica Lateranensi fuit celebratum, cui ipse Pontifex præfuit *an.* 680. & Monothelitarum errorem anathemate percussit. In eo interfuit Theodorus Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus, qui ad Agathonis pedes provolutus, obedientiam Romanæ Sedi sanctè juravit: & sedula nostri Pontificis curâ, sejunctam longo schismate Ecclesiam, Romanæ iterum colligavit. Celeberrimam item VI. Synodum Oecumenicam Constantinopolitanam coegit: literis ad Imperatorem datis excitavit, ac fovit. In eâ iterum contra Monothelitarum insaniam fuit conclamatum; & post diuturna dissidia, firmato inter Latinos, Græcosque fœdere, Agathonis studio pax Ecclesiæ redita. Grassante per Italiam contagiosa lue noster Agatho, eximia charitatis officia edidit Romæ; ubiq; enim paternâ curâ, eleemosynis, lachrymisque aderat, ut sævientis morbi vires enervaret: ac tandem divino monitu, cum Martyri Sebastiano aram excitasset, statim à dirissima clade Italia fuit liberata. Editis tandem aliis pietatis argumentis, nonagenario major ad Cœlestem gloriam evolavit anno 682. die 10. Iunii, vel ut aliis placet, 10. Ianuarii, & in Basilica D. Petri tumulatur, hac adiecta inscriptione.

Pontificalis Apex, virtutum pondere fultus,
Vt jubar irrideat, personat ut tonitru.
Quæq; modo hoc peragit doctrinæ fomes, & auctor;
Format enim gestis, quod docet eloquiis.
Dum simul æquiparat virtus, & culmen honoris,
Officium decorat moribus, arte gerit.
Præditus his meritis Antistes Summus Agatho,
Sedis Apostolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en prisca fides: insignia Patrum
Intemerata manent nisibus, alme, tuis.
Quis vero enumeret morum documenta tuorum,
Formula uirtutum, dum tua vita foret?

In Sanctorum fastos relatum Agathonem veneratur Ecclesia: hinc in Martirologiis Romano, Græco, Germanico, aliisque recolitur. Panormitana verò Ecclesia ut Civem suum, & præcipuum Patronum solemni prosequitur cultu 9. Julii. A Græcis ejus dies festus 21. Februarii peragitur. Guilelmus Cave *in Script. Eccl. hist. literaria p.* 327. primo Decembris anno 681. Agathonis obitum appingit, quòd apud neminem legi. Innumeri Auctores ejus gesta scripsere: consule Anastasium Bibliothecarium *in Vitis Pontificum*, Baronium *to.* 8. *annal.* Ciacconium ejusque Auctarios, Platinam, aliosque, qui Pontificum gesta edidere. P. Franciscus Scorsus Panormitanus ejus vitam seorsim scripsit an. 1640. Panormi excusam, ut etiam Petrus Fortis *in Vitis SS. Panorm. à p.* 91. Joannes Bollandus *in Actis SS. Januarii to.* 1. *à p.* 623. Jos. Perdicarus *in Vitis SS. Sicul. p.* 70. aliique. Edidit Agatho ex Ludovico à S. Carolo *in Biblioth. Pontif. p.* 5. Augustino Oldoino *in Athenæo Romano pag.* 39. aliisque apud ipsos.

Epistolas tres, quarum duæ ad Aug. Imperatores, tertia verò ad Edictum Archiepiscopum Viennensem. Harum prima ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Imp. legitur dimidiata apud Baronium. *to.* 8. *an.* 680. *à n.* 6. integra verò habetur *to.* 3. *Conciliorum Generalium* ex editione Severini Binii *in Concilio Constatinopolitano act.* 4. *à p.* 12. Secunda ab Agathone simul, & Concilio Romano ad eosdem scripta, extat apud Baronium *cit. an.* 680. *à n.* 33. *& in eodem Conciliorum tomo act.* 4. *à p.* 21. hæ duæ epistolæ in Græcum versæ, & in quarta memorati Concilii sessione recitatæ sunt 15. Novembris an. 680. ex Baronio *cit. an.* 681. *n.* 56. ibique à Concilii Patribus conclamata fuit divina Pontificis sapientia, fidei zelo, & eruditioni conjuncta. Tertia tandem epistola ad Edictum Archiepiscopum Viennensem habetur *in Bibliotheca Floriacensi* edita à Joanne Bosco *par. ult. pag.* 39. *in Antiquitatibus Viennensibus* Joannis Lieurçi *pag.* 163. *& in annal.* Baronii *to.* 8. *an.* 682. *n.* 1. italicè verò apud Aug. Inveges *to.* 2. *annal. Panormi p.* 576. Sed hanc tertiam epistolam rejicit contra Baronium Franciscus Combefis *in hist. Hæresis Monothelit. cap.* 2. §. 5. *& 6. p.* 146. *&* 152. aitque potius Leoni II. ascribendam: ideoque diem obitus S. Agathonis à Baronio emendatum, & ex hac epistola à 10. Januarii ad 10. Junii translatum, non admittit. Gulielmus Cave *in Scriptor. Eccles. hist. liter. p.* 327. & Morerius *in dict. to.* 1. *p.* 68. præter duas epistolas ad Augustos Imp. scripsisse putant aliam

Epistolam ad Ethelredum Marciorum Regem, & aliqs de collata Abbati Medamstedensi potestate vicaria. Extat ex Cave *in Conciliis Gener. to.* 4. *p.* 576. at L. Ellies du-Pin *in Bibliot. Eccles. to.* 6. *pag.* 33. hanc epistolam ab aliquo monacho Anglo efformatam suspicatur. Scripsit præterea Agatho alias epistolas, quarũ aliquę adCõstantinũ Imperatorẽ, quibus obtinuit, ut pensio illa à Romanis Pontificibus pro ipsorum consecratione solvi solita, remitteretur: hæ à Ciacconio *in vita Agathonis* memorantur, sed non extant. Alias scripsit ad Occidentis Episcopos, ut contra Monothelitarum dementiam Provinciales Synodos congregarent, quarum vigore plures sunt coactæ, nempè Anglicana, Gallicana, Mediolanensis, aliæque à Beda *hist. Anglic. lib.* 5. *cap.* 20. & Baronio *cit. to.* 8. *an.* 679. *n.* 1. memoratæ. De his epistolis, etiam deperditis Baronius *cit.* Binius *in notis ad Concilium VI. Constantinopolitanum*, Augustinum Inveges *cit. p.* 568. aliosque. Tandem Agathonis extant

Decreta apud Gratianum *cap. si omnes dist.* 19. *& cap. Agatho dist.* 63.

ALANVS Siculus, sed incertæ patriæ, Poeta, & Orator clarissimus: quo vixerit ævo, ignoratur. Scripsit ex Gesnero *in Bibliot. p.* 17.

In Ciceronis Rhetoricam secundam.

Ex Josia Simlero *in epit. Bibliot. Gesneri p.* 4. etiam edidit librum

De planctu Naturę, partim carmine, partim soluta oratione compositum (hoc modo primum, non hunc secundum librum concinnatum, perperam scribit Coronelli *in Biblioth. to.* 2. *n.* 2678.) At Robertus Holcoth, *in c.* 10. *Salomonis lect.* 129. apud eumdem Gesnerum opinatur, quòd opus de Planctu Naturæ, sit Alani de Insulis fœtus, non Alani Siculi. Et sanè Gulielmus Cave *in script. Eccles.*

Ecclef. hift.literar. to.1. p.492. Tritemius *de fcript. Ecclef. p.* 305. & Gefnerus *cit.* Alano de Infulis hoc opus accenfent: ideoque Joannes Mollerus *de fcript. Hononymis cap.6. p.* 534. cum Joanne Gebhardo *in Prologomenis ad parabulas Alani de Infulis*, Simlerum refellunt ab hononymiæ vitio deceptum.

ALBANICIUS ab ALBANO Siculus Juris utriufque doctor, cujus patria, & ætas in obfcuro eft. Scripfit

Confilium, in diverforum illuftrium fapientiffimorum Siculorum Confiliis, à Petro Luna collectis. Panormi apud Erafmum de Simeone 1627. in fol.

S. ALBERTUS Carmelitici inftituti fingulare ornamentum. De ejus Patria diuturna diffidia inter Drepanitanos, & Erycinos fovit Religionis ftudium, utrique enim ut civem fibi vindicare conantur: at ne pietatis obfequiis officiam, aliis differtationem remitto. Natus itaque eft patre Benedicto Abbate, & Joanna Politia nobilitate clariffimis. Præceffit Parentum longa fterilitas annorum 26. at edito voto quòd nafcituram prolem B. Mariæ Virgini in ordine Carmelitarum dicarent, optatam fœcunditatem impetrarunt. Vifa per fomniũ ab iifdem parẽtibus fulgidiffima fax, quam maternus venter emittere videbatur, futuræ fanctimoniæ fplendores prælignavit. Inania oblectamenta parvulus declinavit, & pietatis ftudia literis addidit: inde voti confcius ad Carmelitarum Cœnobium propè Drepanum convolavit, in quo mirabili animi æftu fanctiffimum vitæ genus amplexus eft. Virtutibus omnibus inftructus effulfit: in facrarum literarum ftudiis adeò profecit, ut inter eruditiffimos ea tempeftate eminuerit. Concionatoris munere fufcepto innumeros è vitiorum cœno ad falutarem pœnitentiæ vitam revocavit, ac nonnullos Ethnicos, & judaica labe affectos ad Catholicæ fidei lumen reduxit. Eximii viri fanctimoniam quamplurimis Deus miraculis illuftravit; illudq; in primis memorabile narrant ejus vitæ Scriptores, quòd dum ingenti claffe premebatur Meffana an. 1301. à Roberto Neapolis Rege, dira fames Urbem aggreffa, fupremum exitium minabatur obfeffis; ad civium preces Deum exoravit Albertus, & extemplò quatuor onerariæ naves per medios hoftes in portũ appulfæ, egeftatis anguftias expulere, & vrbem à periculo liberarunt. Prophetiæ dono futura prędixit; cordium abdita divinâ luce perfufus penetravit, aliaque mirabilia peregit, quæ fanctitati fuę venerationem, nomini fplendorem conciliarunt. Hinc non immeritò ordinis fui Fratres Siculæ Provinciç præfecerunt, quam zeli ardore, eximiâ prudentiâ, ac virtutum fplendore illuftravit. Demum in Cœnobio Meffanenfi dum ab hominum frequentia femotus folitudinis deliciis fruebatur, ingravefcente ętate, Cœleftis Patriç defiderio æftuare cœpit. Ineunte mortis die, Fratribus convocatis, obitus fui, ac Sororis horam eodem die Drepani morituræ prędixit. Inftante verò tranfitu genibus innixus Deum exoravit, & invocata Deiparę auxiliari ope, ad ea verba: *In manus tuas Domine, commendo fpiritum meum*, animam efflavit, quę in candidiffimę columbę fpecie recta ad Cęlum via; videntibus fratribus, evolavit 7. Augufti an. 1307. Corpus verò duriffimo cilicio circumfeptum odorem effudit gratiffimum. Meffanenfem Populum ad fanctiffimi viri exuvias vocavit ęs campanum, quod, nemine pulfante, ejus mortem enunciavit. Ad Cathedralem Ecclefiam funebri pompa cadaver delatum fuit; & cũ inter Clerum Populumque orta effet contentio, cantandumnè defunctorum facrum, an verò Confefforum; Deo remiffa eft quęftionis folutio; juffit enim Archiepifcopus Meffanenfis ut Deum enixè orarent: annuit Deus populi votis; ideoq; duo Angeli lumine radiantes, è Cœlo delapfi albis amicti veftibus, aureifq; ftolis pręcinti, decantarũt: *Os jufti meditabitur fapientiam*: & ftatim evanuere. Itaque patefacta Divini Numinis voluntate, confeftim Confefforum folemnia celebrata, non fine læta lacrymatũ effufione: quibus expletis, cadaver ad Carmelitarũ ædem redditum, innumera edidit miracula: proinde Sixtus IV. in Sanctorum numero retulit; ex Bulla data Romæ 31. Maii 1476. Sancti hujus vitam fcripfere multi præfertim Vincentius Barbarus Drepanitanus editam Panormi 1536. recusã ibidem 1688. quam excripfit Octavius Caetanus *to.2. SS. Siculor. à p.* 219. Jo. Maria Politianus, eamque adducit Surius 7. Aug. Theodorus Arianus Meffanæ 1656. Thomas Cantoni Bononiæ 1679. Laurentius Abbas carmine italico Florentiæ: carmine verò latino Bap. Mantuanus *in faftis lib.* 8. Petrus Ribadineira *in Vitis SS.* Herisbertus Hosveydus *in Gener. legenda SS. 7. Aug.* Alphonfus Vigliegas *in Vitis SS.* Placidus Samperius *Iconolog. M. V. lib.2. cap.9. à p.* 184. Joannes Maria Fornari *in anno memor. Carmelitar. to.1. 3. Maii p.736. & to.2. 7. Aug. à p.*242. De eo etiam Bzovius *annal. Ecclef. to. 13. anno* 1292. *n.* 7. Joannes Bapt. Lezana *annal. Carmelit. t.4. ab an.*1250.*& feq.* Michael Mugnòs *in Propugnaculo Æliæ lib.2. tit.3. cap.1. ar. 2. p.* 318. Marcus Antonius Allegre *in Paradifo Carmelitici decoris ft. 4. &* 14. Theophilus Raynaudus *de fcapulari Mariano par. 1. cap.4. §.4.* Andreas Bruner *in faftis Marianis 7. Augufti.* Daniel à Virg. Maria *in fpeculo Carmelit. to.1. p.3. l.6. n.3499. & to.2. par.4. 7. Aug. à n.*2162. 3404. 3420. & alii apud ipfum alibi pluries: & ut innumeros omittam Vinc. Coronelli *Biblioth. to.* 2. qui ter ipfius meminit nempè *n.* 3198. de Alberto Carmelita, *n.* 3226. de Alberto Meffanenfi, *n.* 3254. de Alberto Drepanitano, at eumdem effe legentibus patet. Ejus etiam memoria extat in Martyrologiis Romano, & Carmelitano Petri Tho. Saraceni *à pag.*299. aliifque. Joannes Tritemius *de Vitis illuftr. Ord. B. M. de Monte Carmelo* apud Danielem à Virgine Maria cit. *to.2. n.*3070. Albertum in divinis fcripturis ftudiofum, atque doctiffimum vocat: quem idem Daniel *n.* 3693. inter fcriptores Ordinis recenfet, Petrus Lucius Belga *in Biblioth. Carmel. p.*3. & Arnaldus Boftius *de Viris illuftr. Ord. Carmel.* apud eumdem Danielem *cit. n.* 3006. multa utilia fcripfiffe affirmant.

Possevinus *in appar. sacr. to. 1. p. 30.* ait: *Plura scripsisse, quæ cùm non venerint ad manus meas, sat fuerit ea indicasse.* Ex Joanne Maria Politiano in vita, Gesnero *in Biblioth. p. 19.* & Coronelli cit. *n.* 3254. scripsit

De Piis moribus.
De Timore Dei.
De Amore Fraterno.
De Patientia.
De Mundi contemptu.
De Fallaciis Diaboli.
Homilias ad Populum.

ALBERTUS FARDELLA nobilis Drepanitanus Clericus Regularis, natus *an.* 1620. & in ordinem admissus Panormi 25. Augusti 1632. solemnia emisit vota Romæ 25. Iulii 1637. ibique sæveriores disciplinas accepit, ac ita ob egregias ingenii dotes effulsit, ut eximiam in Philosophicis, ac Theologicis studiis laudem promeruerit: ideoque anno ętatis suæ 19. Philosophiam docuit Panormi, & exinde Scholasticam Theologiam, quam pluries ibidem tradidit, eo Discipulorum progressu, ut doctrinæ profunditate egregios instituerit viros ad Ordinis sui ornamentum. Galliam etiam scientiarum splendoribus illustravit; Parisiis enim easdem facultates docuit in regia domo S. Annæ. Hic ingenii acumine primarios Parisiensis Academiæ Doctores in sui admirationem traxit, qui, præter morem, pluries ad publicas disputationes accersere: & in Theologicis concertationibus celeberrimũ sibi nomen comparavit. Ibidem non sine maxima sui gloria primus omnium sententiam adinvenit, & docuit, quòd Dœmones, & animæ in Inferno æternis cruciatibus damnatæ, ab igne materiali torquẽtur per unionem hypostaticam ad ignem, ut fusius patet *in Addictionibus meis ad Siciliam Inventricem D. Vincentii Auria cap. 10. p. 228.* Romam regressus vix credibile dictu, quos à Magnatibus, ac S. R. E. Cardinalibus honores acceperit ob doctrinæ præstantiã: & dũ ibi moras protraxit in difficillimis rerum quæstionibus ipsum frequenter conveniebant, ut inextricabiles nexus sapienter enodaret. Carolus Robertus de Victoriis Cardinalis in suum Theologum, & confessarium Albertum delegit, & in omnibus legationibus suis, obitisque muneribus, individuum socium voluit. Eo defuncto per annos plures Theologiam docuit Romæ; & exinde Siciliam repetiit an. 1675. ut Præpositi munere Panormitanam domum S. Joseph moderaretur; ut antea ibidem aliam S. Mariæ de Catena gubernaverat. Siculæ etiam Provinciæ visitationem obivit. Concionator eximius, eloquentiâ claruit. In divinis rebus versatissimus, omnes propè scripturę libros insigni memoriæ vi retinebat. Instituti tenacissimus custos, virtutes egregiè coluit: morum præsertim suavitate, & singulari humilitate clarus, omnibus mansuetudinis exempla, non sine admiratione exhibuit. Tandem dum Theologicas lucubrationes, ut typis traderet, elimabat, inopinato morbo correptus, religiosè decessit Panormi 19. Januarii 1683. De eo P. D. Franc. Maria Magius *in propositis benè moriendi l. 1. prop. 22. p. 171.* Edidit suppresso nomine italicè.

Brieve compendio della vita del Gloriosiss. Martire S. Mamiliano, Cittadino, & Arcivescovo della felice Città di Palermo. Panormi apud Augustinum Bossium 1658. in 8.

Novena per la Nascita della Beatissima Vergine. Ibid. apud Petrum de Isola 1681. in 8.

Doctissimum reliquit M.S. Volumen, cui titulus

Optica invisibilium, seu veritates Fidei umbra, & naturæ lumine exortæ, per varias disputationes distinctas, de Deo secundum se.

ALBERTUS JOZZI Messanensis Poeta, tum vernaculâ, tum etruscâ linguâ carmina edendo, claruit circa annum 1662. Ipsum laudat Joseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. to. 2. p.* 388. ibique Alberti extant

Canzoni Siciliane. Panormi apud Joseph Bisagnum 1662. in 12.

ALBERTUS PALICIUS Catanensis propè annum 1637. vixit, quo edidit italicè

Carta della Nobiltà di Sicilia, che entra in Parlamento. Panormi 1637. *in fol.*

ALBERTUS PICCIOLUS Messanensis Sacerdos, aliquando Congregationis Oratorii Messanensis. A teneris unguiculis, literis addictus, diu in evoluendis auctorum voluminibus insudavit. Utriusque Juris laureâ insignitus, doctrinæ laude in Messanensi Academiâ Jura Pontificia docuit. In historiis sacris, prophanisque versatus, eximiam eruditionem pluries patefecit. Messanæ morum integritate, solitudine, & vitæ inculpatæ documentis clarus, veneratione dignum existimarunt. Florente adhuc ætate obiit Messanæ mense Iunii an. 1632. & in Ecclesia S. Agathæ Clericorum Minorum sepultus jacet. Laudibus ornant Albertum Benedictus Salvagus, & Franc. Maria Arena in orationibus funebribus Messanæ editis 1632. Placidus Samperius *Iconolog. M. V. lib. 1. p. 37.* Placidus Reina *Notit. hist. Messan. par. 2. p. 227. & 499.* Stephanus Maurus *in sua Messana cap. 21. p. 202.* Petrus Ansalonius *de sua familia p. 348.* & Joseph Ambrosius *in descrip. festi epistolæ Marianæ p. 125.* Edidit.

De antiquo Jure Ecclesiæ Siculæ dissertationem. Messanæ apud Petrum Brea 1623. *in* 4.

Philactirion adversus Mamertinæ Immunitatis calumniatores. Venetiis apud Nicolaum Misserinum 1623. in 4. sub anagrammatica larva L. Porcii Calbeti I. C. & Costantiæ 1628. ex Fontana *in Biblioth. legali p. 171.*

Apologeticam expostulationem pro S.P.Q. Mamertino. Venetiis apud Nicolaum Misserinum 1623. in 4. Hæc duo postrema opera à Siculis Quæsitoribus prohibita, jussu, supremi Tribunalis Hispaniæ publicæ luci restituta sunt. Scripserat etiam volumina duo

De Immunitate Ecclesiastica, quorum editionẽ aggressus, mors exturbavit, ut absolverẽtur, ex Mauro, & Reina *cit.* additq; Maurus, scripsisse etiã

De dividuis, & individuis M.SS. & *Poemata* M.SS.

ALBERTUS TUCCARI nobilis Messanensis. Politiores literas excoluit. Messanensem Academiam,

miam, cui nomen, *degli Abbarbicati*, destitutam instauravit, in proprias ædes excepit, & diù fovit. Senatoris munus in patriam exercuit. Relictis patriis laribus ab an. 1676. regressus est an. 1703. & Messanæ vivit. Ipsum laudat Petrus Ansalonius *de sua familia p.* 395. & Domin. Argananitius *in Pompis Festivis* p. 138. Italicè edidit

L' Arca Austriaca d scorso Accademico nella nascita del Prencipe delle Spagne. in libro inscripto. *Fastosi Presagii dell' Accademia degli Abbarbicati, per la nascita felice del Prencipe delle Spagne.* Venetiis apud Bodium 1659. in 4. in eo etiam nonnulla Alberti carmina habes italica. Ipsi etiam ascribūt librū suppresso nomine editū hoc titulo.

Il Veridico Messinese, o sia succinta Relatione di quanto è seguito nella Città di Messina dal giorno della Revolutione sino alla chiamata de Francesi. Rhegii apud Prosperum Vedrottum 1676. in 12.

ALCADINUS sive ALCADIMUS Siculus, & ni fallor, Syracusanus, ex Garsino Syracusano ortus, Salernum se contulit, ut ibidem literarum studiis operam daret. Ob ingenii felicitatem emenso brevi temporis tractu Philosophiæ, ac Medicinæ curriculo, eâ doctrinæ præstantiâ locupletatus effulsit, ut in eadem Urbe has facultates non sine maximâ laude, docuerit: hinc magnam nominis celebritatem adeptus: eximii medici opinione claruit: adeo ut singuli Principes, ac Dynastæ ad salutis tuitionem apud se habere semper maximè cuperent. Henricus VI. Imper. Neapolim appulsus, cùm letali morbo laboraret, ab Alcadini doctrinâ fuit pristinæ sanitati restitutus: ideoque Imperatori gratissimus, ab ipso muneribus, opibusq; cumulatus est. Defuncto Henrico, medicus etiam Friderici II. Imp. fuit, cujus rogatu de Balneis Puteolanis elaboravit opusculum latiis numeris concinnatum, ut Friderico Poesis amantissimo, morem gereret. Præstantissimus hic Medicus, ac Poeta claruit ann. 1191. ac fato cessit annos natus 52. De eo Gesnerus *in Biblioth. p.* 22. & ex eo Coronelli *in Biblioth. to.* 2. *n.* 3506. & Auctor *to.* 3. *Dictionarii Magni sive Supplem. ad dict. Lud. Morerii p.* 33. Scripsit

De Balneis Puteolanis metro. Extat in libro inscripto; *de Balneis omnia, quæ extat apud Græcos, & Arabes.* Venetiis apud Juntas 1553. in fol. & in libro, cui titulus: *Opusculum de Balneis Puteolorum, Bajorum, & Pithecusarum à Joanne Elisio medico instauratum, denuo á Scipione Mazzella Neapolitano recognitum &c.* Neapoli apud Horatium Salvianum 1591. in 8. in quo *pag.* 43. Alcadini elogium legitur. Jo. Franciscus Lombardus in libro *de Balneis Puteolanis*, edito in Italia illustrata, pœnè omnia Alcadini in opusculum suum exscripsit. Edidit etiam Alcadinus ex Gesnero

De Triumphis Henrici Imp.

De his quæ à Friderico II. Imp. preclarè, ac fortiter gesta sunt.

Hæc scripsisse etiam patet ex epigrammate, quo suum de Balneis opusculum Friderico Cæsari nuncupavit: ex eo etiam deducimus, quòd Annales Cæsarum moliebatur.

ALCIMENES Megarensis Tragicus Poeta, de quo Suidas *to.* 1. *p.* 178. Gyraldus *de Poet. histor. dial.* 7. *p.* 287. Crassus *de Poet. Græc. p.* 18. sed horum nemo de ætate, & de editis libris commemorat: ideoq; Vossius *de Poetis Græcis p.* 85. Poetis incertæ ætatis accenset: nec aliquis ex allatis scriptoribus exponit an Megarensis ex Sicilia, vel Græcia. Siculū verò puto, & illum, de quo Jo: Vigintimillius in indice Siculorū Poetarū, quem in ipso limite libri *de Poetis Siculis* præfixit. Hieronymus Ragusa tùm *in elog. Siculor. pag.* 19. *tū in Sicil. Biblioth. vet. p.* 18. Magarēsem putat, & inter Siculos recenset; ideoq; ex Magara Sicilię dicendus.

ALCIMUS Historicus incertæ patriæ, sed Siculus, ut apertissimè Athenæus *lib.* 10. *cap.* 10. *pag.* 441. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 23. Gerardus, Io: Vossius *de hist. Græc. lib.* 4. *p.* 501. Oct. Caetanus *in animad. ad Vitas SS. Sicul. to.* 2. *p.* 43. qui Alcinum vocat, Petrus Carrera *de Ætna lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 3. *& in hist. Catan. vol.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *p.* 277. ex Theocriti Scholiaste, Jo: Brujerinus Campegius *de re cibaria lib.* 3. *cap.* 7. aliique. Quo vixerit ævo in obscuro est; ideoque inter incertæ ætatis historicos Alcimum collocat Vossius cit. Græcâ linguâ scripsit historias, nempè

Italica, ex Athenæo, Gesnero, & Vossio *loc. cit.*

Siculas Res, ex Athenæo *lib.* 7. *cap.* 20. *p.* 322. & Natale de Comitibus *mythol. l.* 9. *cap.* 8. qui hujusce operis tertium librum citat.

De Statuariis librum Alcimi etiam citat idem de Comitibus *lib.* 7. *c.* 16.

Ab Athenæo Alcimus citatur *lib.* 12. *cap.* 3. *p.* 518. suppresso nomine operis. Laertius *lib.* 3. *in Platone*, Alcimum citat in libris, quos ad Amyntham scripsit: & de nostro Siculo intelligendum indicat Gesnerus: at *lib.* 2. *de Stilpone*, meminit Alcimi oratoris, sed an idem ac noster historicus sit, nescimus. Sanè Coronelli *in Biblioth. to.* 2. *n.* 3698. & 3701. de utroque distinctè egit.

ALCMAN celebris Poeta Lyricus. Hujus Poetæ gesta ex homonymiæ fraude confusa, sat notum: duo enim Alcmanis nomine Poetæ lyrici claruere, & unius gesta, scriptaque alteri ascribunt. Horum unum apud Sardem Lidiæ urbem, vel apud Amiclam Lacedæmoniorum civitatem, alium Messanæ in Sicilia, (perperam aliqui ex Messene apud Peloponnesum) natum scribunt. Suidas *to.* 1. *pag.* 179. cum de primo egisset, addidit: *Est etiam alius Alcman unus ex lyricis, quem Messane tulit, vel quem Messina genuit*: & Gyraldus *de Poet. hist. dial.* 9. *pag.* 328. ait: *Sunt & qui alterum Alcmana fuisse asserant in Urbe Messinæ, & ipsum Lyricum.* de utroque Vossius *de Poetis Græcis cap.* 3. *p.* 13. & 15. Hofmannus *in lex. to.* 1. *p.* 77. Morerius *in dict. to.* 1. *p.* 123. & Coronelli *Biblioth. to.* 2. *n.* 3743. & 3744. De primo consule Plutarchum *de exilio*; Gyraldum cit. & Carolum Stephanum *in dict. hist. & Poet. p.* 150. quibus ex Sarde fuisse placet. Statius *lib.* 4. *Sylvar. in epiced. in patrem*, ex Amicla Laconica urbe prolatum putat. Franc. Patritius *Poet. dec. hist. lib.* 1. *p.* 53. ex Laconia: etsi Velleus Paterculus *hist. lib.* 1. in fine, hanc opinionem reiiciat, ait enim: *Alcmena Lacones falsò sibi vindicāt.* De hoc vide etiam Gras-

Grassum *de Poetis Græc. p.* 19. Secundus verò Siculus fuit, quem Suidas Messoam Lacedæmoniorum genuisse opinatur: *Alcman Lacon ex Messea.* & infra: *est & alius Alcman unus ex lyricis, quem Messinæ tulit, vel quem Messana genuit.* At Suidam corrigit Gyraldus, Lacedæmonium enim cum Messanensi confundere videtur. *Suidas*, ait Gyraldus, *ex Urbe Messana, in eo licèt perperam legatur Messoam, fuisse ait*: quæ Gyraldi correctio haud placet Thomæ Pinedo *in Breviario Auctorum, quos citat Stephanus p.* 753. ait enim, unus Alcman ex Messoa loco seu tribu Laconicæ; alter ex Messene & Urbe Laconicæ. Hunc etiam Messanensem volunt Constantinus Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. l.* 1. *p.* 17. Placidus Reina *not. hist. Messanæ par.* 1. *p.* 110. Franc. Flaccomius *in sicelid. sect.* 3. *p.* 37. *& in æclog. p.* 34. Hier. Ragusa *in elog. Sicul. p.* 29. *et in Sicil. Biblioth. vet. p.*19. & alii. De tempore, quo claruerit Messanensis multiplex est apud Scriptores sententia, ex eadem confusionis ratione: Suidas enim & Gesnerus *in Biblioth. p.* 23. olymp. 27. vixisse putant. Eusebius *in Chron.* olymp. 30. & 42. At Vossius *cit.* existimat, intelligendum olymp. 30. de Lacedæmonio, olymp. 42. de Messanense: & licèt apud Eusebium olymp. 30. legatur Alcmæon, ut vidit Gyraldus, attamen scribendum Alcman ex Josepho Scaligero in eũdem Eusebium,& Vossio *cit.*Olymp.42.etiã statuit Petavius *de doctr.tempor. l.*13. *p.*553. Hinc Reina *cit. p.* 113. alium ab alio Alcmane secernens Lacedæmonium antiquiorem olymp. 27. (ita & Morerius *in dict.*) vel 28. vixisse ait; Siculum verò recentiorem olymp. 43. Noster Siculus Alcman Lyricus Poeta græcè scripsit,sed quę ediderit, quæq; gesserit divinare non audeo. Sed cùm Reina *cit. p.*114. opinetur nonnulla Alcmanis gesta, ac libros incertumnè nostri Siculi fuerint, an alterius; & Grassus, cum Coronelli existimet, quòd multa antiquioris recentiori ascribant Scriptores, & inter sese discrepent; ideoque Alcmanis omnia hic recenseo, ut quæ Siculo, sicut & extero convenire possint. Suidas itaq; *tom.* 1. *p.* 179. ait: Alcmanem ex servis parentibus natum, amoribus dicatum vixisse, quorum occasione amatorii carminis inventorem proclamat: scripsisse autem *Carminum libros sex*, ac fabulam, cui nomen:*Natantes fæminę.* de hac etiam Photius *in Bibl. cod.* 190. *p.* 486. Auctor fuit primus ne versus exametri ad Lyram canerentur. Ex eo originem traxit Alcmanicum dicendi genus (nam apud Almanem frequentissimum) quo ab utraq; orationis parte verbum inter nomina collocatur. Athenæus *lib.* 13. *c.* 8. *p.* 600. Alcmanem laudat ut amatorii carminis scriptorem, in eoque genere omnium Principem, & ducem vocat: additq. in amoribus mulierum impudentissimum fuisse, ac carminum fetidam libidinem olentium inventorem: Megaloastræ amoribus captum, eamdem versibus celebrasse. *& lib.* 10. *cap.* 4. *p.* 416. aliqua ipsius carmina describit, in quibus se voracem fuisse fatetur. Franc. Patritius *Poet. dec. hist. lib.* 1. *p.* 53. ait quòd Megaloastræ Poetriæ laqueis irretitus, amatoria carmina laconicâ linguâ modulare exorsus, ex quorumdam sententiâ melos primùm invenit, vel primus alio metro, ab exametris diverso, multimodè amatoria carmina scripsit; quæ deinde Lyrica vocarunt, multosq; sui imitatores invenit; ideoq:Poetarum lyricorum Princeps, & Parens. Testatur tandem, almanico genere usum, librosq; sex Lyricorum Poematum scripsisse. Giraldi *de Poet. hist. dial.* 9. *p.* 328. ait, quòd Patrem habuit Damantam, ex aliis Titarum. Agesidis autem fuit servus, sed ob virtutum merita, ingeniiq: felicitatem, libertate donatus. Gulę deliciis indulsit, ideoque inter helluones adscriptus. Inter lyricos poetas primus, ante omnes poemata, quæ absq: exametris modulantur, invenit: ab eo a item accepere nomen Almaici versus, perperam ab aliis Almanici vocati. Scripsit autem dorica lingua *Lacedæmoniorum Res familiares, & domesticas libris sex,& lyricos versus,*quosColimbosas vocavit: Græci verò dulci titulo Almanem notarunt: obiisse tandem pedicul ari morbo scribit. Eadem morbi vi interfectum testantur Aristoteles *hist.anim.* Plinius *hist.nat. l.*11. *c.*33. & Plutarchus *in Sylla.*Ex eodem Plutarcho *de musica,*quosdam musicos modos adinvenit. Ælianus *var. hist. lib.* 1. *cap.* 27. inter Gulosos reponit, ideoq: forsitan Scaliger in *Poet. lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 11. ait: unum ex his fuisse, qui vino poeticum furorem excitarunt. Suidas, cum Gesnero *Biblioth. p.* 23. & Scaligero *cit. lib.* 1. *c.* 44. *p.* 117. *&* 122. amatoris carminis inventorem putat. Pausanias *lib.* 3. Alcmanis sepulchrum in Gręcia observavit, qui ait quòd dorica lingua Lacedæmoniorum, minus per se suavi, scripsit: at ipsius insuavitate nihil officiéte,carminibus sui; gratiã sibi conciliavit; quòd post Pausaniam notat Nic. Cragius *de Rep. Lacedæmoniorum lib.* 1. *c.*3. *p.* 20. Alcmanem Messanensem cum laconico confundit Raph. Volaterranus *lib.*13. *anthrop.* & Gesnerus *cit.* In Anthologia sive var.epigrammatum florilegio, duobus epitaphiis Alcmanem laudant Antipatrus, & Leonida. Ipsum citant Ælianus *var. hist. l.* 12. *c.* 37. *de animal. l.* 1. *c.* 24. Athenæus pluries, ac nonnulla ejusdem fragmenta habet: & *lib.* 3. *c.*30. *p.* 114. *& lib.* 14. *c.*14. *p.* 646. testatur: Sosibium & Apollodorum libros de Alcmane scripsisse. Ipsius *Carmen de Castore & Polluce* citat Pausanias *lib.* 1. *De Annichoro* Stephanus *u. Annichorum*: idem Stephanus *de urbibus* pluries Alcmanis testimonio utitur,pręsertim ver.Erysice ait: *in principio secundi Virgineorum canticorum.* Alcmanis fragmenta extant in libro: *Carmina novem Illustrium Fœminarum, & lyricorum*: Græcè ex Bibliotheca Fulvii Ursini Romani; & latino versu expressa à Laurentio Gambara Brixiensi. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1568. in 8. Ibid. ex eadem officina 1569. in 16. Pindaro subjuncta: & inter Poetas Græcos Veteres Tragicos, & Lyricos Colonię 1604. *in fol.* & alibi.

ALEXANDER BONANNUS Panormitanus Ordinis Min. Conventualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister doctissimus, ac Concionator

tor egregius. Scientiarum, ornamento, sacrarum literarum eruditione, & singulari eloquentiâ celeberrimus effulsit. Ex hujus ore mirabilis in auditores concionando effluebat suavitas, adeout undique irruentibus populis, omnium animos sibi conciliabat: ejusque nominis fama ubique inclaruit; magnâque apud omnes extimatione valuit. Siculam Provinciam rexit an. 1562. & pietate eminuit. Obiit Panormi in Cœnobio Sancti Francisci 31. Augusti 1571. Funeri celebrando, honoris causâ, interfuisse legitur Canonicorum Capitulum Panormitanæ Ecclesię, ut ex defunctorum libris ejusdem habemus. De eo vide Prefationem, siue Elogium D. Leonardi Certosa Veneti, quod Alexandri concionibus prefixit. Possevinum *appar, sac.to.1.p.*40. Vvadignum *in scrip. Minor. p.*8. Philippum Cagliola *in manif. Prov. Sicil. Ord. Min. Conv. explor.* 2. *manif.* 1. *p.* 32. *manif.* 8. *p.* 40. *& expl.* 3. *manif.* 2. *p.* 98. Tossignanum *hist. Seraph. l.* 3. *p.* 306. & Franc. Baronium *de maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 6. *p.* 127. Hoc titulo prodiere Alexandri Conciones.

Portus Panormi, sive Conciones Quadragesimales. Venetiis ex officina Dominici Guerræi, & Io. Fratrum 1574. in 4.

ALEXANDER BURGOS Messanensis Ordinis Min. Conventualium S. Francisci, vir ingenio, & doctrinâ præclarus. Parentibus ex civili ordine natus 26. Decembris 1666. ab anno ætatis undecimo Clericali militiæ nomen dedit, & humanioribus literis dicatus, inter studiorum socios eminuit. Minorum Conventualium institutum amplexus 5. Octobris 1682. solemnia emisit vota 6. Octobris 1683. Emenso studiorum curriculo, sodales suos Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam docuit; & ut easdem facultates in Bononiensi Academia publicè traderet, electus est, in qua Rhetoricæ precepta exposuit. Romæ, & alibi tum à viris doctrinâ, & eruditione eximiis, tum etiam à Præsulibus, ac S. R. E. Cardinalibus magnâ extimatione prosequutus semper inclaruit. Hinc inter Sacræ Congregationis Indicis Consultores ascriptus, doctrinâ insigniter instructus effulget. Amœniores coluit literas inter egregios Poetas, & Oratores meritò recensendus: Ecclesiastes enim eximius in cinerali jejunio conciones habuit Panormi, & alibi magno cum literatorum plausu, ab eloquentiâ, & eruditione laudatus. In Romana Infecundorum Academia ascriptus, ibi à literatis omnibus semper cum laude excepta ejus ingenii monumenta. Vivit nunc vir inclytus Romę, gravioribus studiis addictus in Collegio S. Bonaventuræ, in quo jam Collegialis Sacr. Theologiæ emeritâ laureâ acceperat. Ipsum laudat Eustachius Manfredus *in fine Epistolæ ad Dominicum Quartaironum pro Reformatione Calendarii p.*62. edidit italicè

Lettera del P. Alessandro Burgos scritta ad un suo amico, che contiene le notitie sin ora avute de' danni caggionati in Sicilia da' Terremoti a 9. e 11. Gennaro 1693. con una Elegia nel fine. Panormi apud Augustinum Epirum 1693. in 4. Neapoli apud Dominicum Parrinum 1693. in 4. Extat etiam hæc Epistola apud Silvium Bocconem *in Museo* edito Venetiis typis Jo: Bap. Zuccato 1697. in 4. à *pag.* 25.

Palermo ossequiosa à piè di S. Rosalia sua Cittadina, e Protrettrice per haverla liberata dalle comuni rovine caggionate in Sicilia da' Terremoti. Panormi typis Aug. Epiro 1693. in 4.

Ad poeticas delicias à pueritia mirificè pronus, multa edenda paravit, præsertim italicè

Il Flauto di Pane, Sonetti Boschareсci.

La Cetra d'Arione, Sonetti maritimi.

Hæc I. U. D. Iosepho Prescimonio Vati eximio, & amico suo amantissimo nuncupavit.

Calme d'Ippocrene fra le tempeste del Faro, compositioni Morali, Eroiche, ed Encomiastiche.

Saette del Divino Amore, Elegie Sacre poste in bocca a più Sante Vergini.

Lagrime della Penitenza, Elegie Sacre espresse dalle Sante peccatrici convertite.

Diario del Sacro Parnaso, Sonetti sopra le azzioni più conspicue de' Santi, che corrono in ciascun giorno dell'anno.

Et alia quamplurima italicè, & latinè.

ALEXANDER CALAMATUS Messanensis Sacerdos, eximius divini verbi declamator: à doctrinâ, pietate, & eloquentiâ emeritis laudibus celebratus. In sacris literis, Sanctorumque Patrum libris apprimè versatus, non vulgari eruditione insignitus claruit. Decessit Messanæ *an.* 1648. Ipsum laudant Hippolytus Maraccius *Bibl. Mar. par.* 1. *p.* 34. & Placidus Reina *Not. hist. Messan. par.* 2. *p.* 500. Edidit

Sententias selectas pro concionibus totius anni, ex SS. Patribus, aliisque Doctoribus tum sacris, tum profanis excerptas. Messanæ apud Viduam Joan: Franc. Bianco 1637. in 8. Venetiis apud Juntas 1639. & 1653. in 4.

R. P. Antonini Diana Cl. Regul. & S. Officii in Regno Siciliæ Consultoris dignissimi selectorum conscientię casuum, qui in Resolutionibus Moralibus quinque prolixioribus partibus, variisq; tractatibus elucidantur cõpẽdium. Venetiis apud Juntas, 1642. in 8.

Officium Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Annotationibus Italicis. Ibid. apud Turrinum 1642. in 16.

Italicè verò

La Croce di Giesù, e di Maria, o vero Discorsi scritturali della Passione, e compassione di Christo, e di Maria. Messanæ apud Petrum Brea 1623. in 4. Ibid. apud Jo: Franciscum Bianco 1630. in 4. recusa exinde immutato titulo, nempè. *Doloroso spettacolo della Passione, e Morte di Christo N. S. e compassione di Maria Vergine sua dilettissima Madre.* Venetiis apud Juntas 1640. in 8. & 1653. in 4.

Delle Grandezze, e Prerogative di Maria Vergine Madre di Dio Raggionamenti sei per le festività di lei, Novena, e Sabbati di Quaresima, con due discorsi nel fine, l'uno della Lettera scritta dalla Sacratissima Vergine alla Città di Messina, e l'altro delle pene del Purgatorio. Messanę apud Petrum Brea 1630. in 4.

L'Avvento di Christo N. S. Ibid. apud Io: Franciscum Bianco 1627. in 4. recusus cum hoc titulo. *Espettatione del Verbo Incarnato, o vero Prediche*

che delle Domeniche dell'Avvento, e feste correnti. Venetiis apud Juntas 1639. & 1653. in 4.

Quaresimale con li Sabbati delle lodi di Maria Vergine. Bononię typis Caroli Zeneri 1648. in 4. & Venetiis typis Combi, & la Noù 1674. in 4.

Selva novissima di concetti fondati nell' autorità della sacra scrittura, de' SS. Padri, ed altri grauissimi Dottori di S. Chiesa, applicabili à tutte le ferie di Quaresima, Domeniche fra l'anno, e feste correnti. Messanæ apud heredes Bianchi 1640. in 4. pluries recusa Venetiis, præsertim typis Combi, 1643. 1648. & 1668. in 4. postrema hęc editio est decimatertia.

Instruttione de' Penitenti, nella quale s' insegna il modo di ben confessarsi sacramentalmente, con una brieve regola per farę la Confessione Generale fruttuosamente. Messanę apud Jo. Franc. Bianchi 1628. in 12. Ibid. apud Viduam Bianhi 1637. in 12. & post alias editiones, ibidem typis Hęredum Petri Brea 1656. in 12. editio decimatertia.

Esercitii spirituali per l'Oratione delle Quarant'hore. Ibid. apud heredes Petri Brea 1646. in 24. editio tertia, & iterum Messanę typis Pauli Bonacota 1672. in 12.

Historie sacre, & altre varie cose descritte. Ibid. apud Iacobum Matthęi 1647. in 12.

Le meraviglie oprate da Christo N. S. nell'Institutione del SS. Sacramento, discorsi tre. Ibid. apud eumdem 1647. in 12.

Hinni Sacri del Breviario Romano, con le quattro sequéze, che si leggono nel Messale nelle solennitá di S. Chiesa tradotti, e commentati in lingua volgare. Ibid. apud Petrum Brea 1629. in 8. & iterum juxta reformationem Urbani VIII. Messanę typis Viduę Bianchi 1642. in 8.

Trionfo dell' Amore di Maria Vergine verso Dio sopra tutte le Creature. Ib.ap.Iac.Matthęi 1647. in 12.

Serto spirituale intessuto di varie devotioni in honore della B. Vergine. Neapoli apud Goffardum 1646. in 12.

Delle Lodi, Virtù, Meriti, e Prerogative della Gran Madre di Dio, discorsi otto. Venetiis apud Oddonem 1646. in 4.

Santuario, o vero Discorsi panegirici per le feste di Giesù Christo, della Beatissima Vergine, e de' Santi, con tre discorsi per li tre giorni delle Rogationi, e un altro in occasione di Professione di Monaca. Venetiis apud Jo: Jacobum Hertz, & Giammos 1658. in 4. opus postumum.

Panegirico sacro de' pregi di Messina per la Lettera di Nostra Signora. Messanę apud Hęredes Petri Brea 1646. in 4.

Modo di aggiutare gli Agonizzanti. Venet. 1640. in 8. iterum cum hoc titulo. *Prattica per aggiutare à ben morire.* Ibid. apud Juntas 1653. in 4.

Messina Giuliva per la Lettera scrittale da M. V. ex Reina cit. p. 501.

Editioni paraverat latinè

Anatome conscientiæ, seu Resolutionum omnium ferè casuum, qui in administratione Sacramenti Panitentiæ occurrere possunt.

Vocabularium Ecclesiasticum Latino-Italicum ex Sacris Bibliis, Conciliis, Divorum Vitis, Sanctis Satribus concinnatum.

De Casibus Reservatis Tractatum.

Italicè

Vite de' Santi, che sino a nostri tempi da' Sommi Pontefici sono stati canonizati.

Il Sacerdote della nuova legge, ove si raggiona di quanto si appartiene al suo stato.

La Gerusalemme celeste, Raggionamenti sopra le feste del Signore, della Vergine, e de' Santi.

Il desio de' Patriarchi, e Profeti adempito nella venuta del Messia.

Il Cavaliere caritatevole cooperatore di Dio nella salute dell'anime.

Raggionamenti per le feste della Quaresima.

ALEXANDER CHIARENZA Paternionensis Juris utriusque Doctor, Poeta, & Orator egregius. Politiores literas coluit, inter Claros Catanę, & Renovatos in patria Academicos ascriptus. Sacris etiam literis instructissimus effulsit. Ab adolescentia, usque ad supremam vitę lineam rarò proprias relinquebat ędes solitudinis amantissimus; in libris etenim evolendis, & lucubrationibus moliendis pertinaci studio totus erat. A doctrinâ celebratus Alexandri VII. & Clementis IX. Pont. Regibusque Hispaniarum, ac Gallię, & Magno Melitensium Equitum Magistro gratissimus, illos ut Immaculatissimam Deiparę Conceptionem ex Fide deciderent, hos verò ut pro hac decisione preces effunderent, extimulavit. Eloquentiâ mirificè claruit; ideoque orator missus à Patrię Magistratu ad Camillum Astallum S. R. E. Cardinalem Episcopum Catanensem; eximias hujusce laudes obtinuit: quòd iterum contigit Panormi apud Sacrę Inquisitionis Judices, ab iisdem vocatus, ut quamdam propositionem in libro suo de Immaculatę Virginis Conceptione scriptam defenderet. Relicto sui desiderio obiit in Patria an. 1672. ętatis circiter 65. Scripsit Italicè

Poesie.

La Stella de' Magi Poemetto in ottava rima.

La Cuna Austriaca per la nascita dell' Augustissimo Cattolico Monarca Carlo II. Re delle Spagne. Poema Eroico.

L'Incendio del Monte Etna Poemetto allegorico in ottava rima.

L'Oreto armonioso. Poemetto allegorico per la Capitania della Città di Palermo in persona dell' Ill. Signor D. Luigi Riggio Marchese della Ginestra.

L'Amante Ravveduto. Poemetto.

Il Trionfo del Tebro. Poema Eroico Emblematico nel felice Ponteficato di N. S. Clemente IX.

Il Giuditio di Paride. Canzonetta allegorica.

Discorso Apologetico in lode del Sign. Fr. D. Carlo Riggio, oggi Bailo della Religione Gerosolimitana.

Discorsi Accademici.

Le Donne Mascherate. Poemetto allegorico.

L'Innocenza difesa. Discorso Apologetico per l'Immaculata Concezzione di Maria Vergine. in fol.

Hęc omnia M. SS. extant apud D. Gregorium Alessium Paternionensem, de patriis rebus benemerentissimum.

ALE-

ALEXANDER DIONYSIUS Panormitanus Poeta non contemnendus; etrusco carmine edidit

Gli Amorosi sospiri. Favola Pastorale. Panormi apud Jo: Anton. de Franciscis. 1599. in 8.

ALEXANDER GRANDIS Siculus, Musicus peritus: tum in Sicilia, tum in multis Italię civitatibus celebris vixit. Ferrarię, Venetiis & alibi musices moderator, claruit propè annum 1620. Edidit Italicè

Primo libro delli Mottetti a 2. 3. 4. 5. *e* 8. *voci.* Panormi apud Joan: Baptistam Maringum 1619. in 4.

Secondo libró di Mottetti a 2. 3. *e* 4. *voci.* Ibid. apud eundem 1620. in 4.

Terzo libro di Mottetti a 2. 3. *e* 4. *voci.* Ib. apud eumdem 1620. in 4.

Quarto libro di Mottetti a 2. 3. 4. *e* 7. *voci.* Ibid. apud eumdem 1620. in 4. quinta editio.

Quinto libro di Mottetti a 2.3.4. *e* 7. *voci.* Ibid. apud eumdem 1620. in 4.

Madrigali concertati. Venetiis apud Alexandrum Vincenti 1619. in 4. tertia editio.

ALEXANDER PALAZZOLUS Mœnensis Societatis Jesu, doctrinâ, ac virtutibus ornatus claruit. Humaniores literas, ac Rhetoricam docuit. Sed vix absoluto studiorum curriculo, vitam explevit Mœnis 17. Octobris 1648. Edidit

Orationē in literariis anni renascētis auspiciis apud Illustrissimum Senatum Panormitanum habitam in Aula Collegii Soc. Jesu Panormi. Panormi apud Decium Cyrillum 1644. in 4.

ALEXANDER STAITI Messanensis Poeta eximius, amœniores literas coluit, inter Officinę Academicos Messanę ascriptus. Octogenario major vivit Messanæ. Sub nomine Academici Ottusi laudatur à Fulgentio Arminio in Prosis Academicis Officinæ *lib.*1. *p.*73. & à Jo. Gotho in libro *Muse festeggianti ejusdem Academiæ p.* 35. Hujus extant carmine italico

Poesie: in libro, *Stravaganze liriche degli Academici della Fucina par. prima.* Bononiæ apud Joan. Bap. Ferronem 1642. in 4. item in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina parte prima.* Messanæ apud hæredes Petri Brea 1656. in 12. *& parte tertia.* Neapoli apud Ægidium Longum 1659. *in* 12.

Prælo paratum habet Poema ingentis molis, cui nomen: *Il Costantino.*

ALEXIUS GRIGNANUS Marsalensis Ordin. Capuccinorum, morum integritate conspicuus, Musas coluit etruscas. Claruit anno 1620. obiitque Panormi. Hujusce mentio extat apud Abb. Pirrum *not. Eccl. Mazar. p.*560. qui edidisse testatur italicè

Vita di S. Alessio in verso eroico. Panormi.

ALEXIUS LOMBARDUS. vide Laurentius Finicchiaro.

ALIPANDRUS Syracusanus historicus, cujus ætas ignoratur: scripsit

Histori as Romanorum ab ædificatione Urbis libris sex.

Pluries ejusdem testimonium adducit Christ. Scanellus *in Chronico Siciliæ*. Licèt verò Alipandrum, vel Aliprandum nominet, attamen Jacobus Bonannus *Syrac. Illust. lib.*2. *pag.* 305. putat. Alipandrum ex græco scribendum, & antiquis historicis accensendum.

ALOYSIUS BONONIUS ex equestri ordine Panormitanus, Francisci Bononiæ Baronis Sambucæ, & Cephalæ filius. Fuit Aloysius Montis Franci Baro; & ob eximiam prudentiæ laudem, egregiosque mores omnium extimationem promeruit. Amplissima honorum ornamenta assequutus est. Carolus V. Imp. ad munus Thesaurarii R. Patrimonii evexit an.1526. Siciliæ, ut vocant, Mag. Portulanus fuit. Panormi Dux an.1566. & tandē an.1573. R. Patrimonii à Rationibus Magister. Dum Montis Pietatis gubernacula moderabatur, studiosè curavit, ut mutuum pauperibus traderetur, eâ lege, quâ nunc ad omnium utilitatem, ac Urbis splendorem servatur. Caroli Aragonii Terrænovæ Ducis, & Siciliæ Præsidis facultate, ad Panormitanæ Urbis ornatum, ante Palatii sui prospectum, plateam expandit, quæ adhuc ab eo Bononiorum Platea vocatur: ac ex adverso ejusdem palatii, Ecclesiam D. Nicolai, ac Cœnobium Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo magnificentissimo sumptu excitavit, Obiit tandem Panormi 16. Junii 1574. & in eadem D. Nicolai Ecclesia tumulatus est. De eo Bernardinus Bononius *in descrip. famil. Bononiæ pa.* 44. 45. *&* 48. Pirrus *not. Eccl. Panorm. p.* 218. Mugnòs *Theat. Genol. p.*1. *p.* 144. Generis nobilitati literarum splendorem addidit: Academiæ Panormitanæ Accensorum nomen dedit: ac Musas amavit. Ex ejusdem ingenii monumētis supersunt italicè

Rime: in libro cui titulus: *Rime degli Accademici Accesi di Palermo libro secondo.* Panormi apud Jo: Matthæum Maidam 1573. in 8.

ALOYSIUS BRANCIFORTIUS nobilissimus Panormitanus Herculis Brancifortii Ducis Sancti Joannis, & Cammaratæ Comitis, ac D. AgathæЛанceæ ex Principibus Trabiæ filius: Octavii primùm Cephaludensis, exinde Catanensis Episcopi frater. Literis addictus, utriusq; juris lauream obtinuit: ob doctrinæ, morumque præstantiam ab Octavio fratre Episcopatus, ac Diœcesis Catanensis Vicarius Generalis, & Catanensis Academiæ Viceccancellarius electus est. Exind restituta Ecclesiæ Catanensi Archidiaconi dignitate, idem Octavius in eadem primum Archidiaconū collocavit. Tandem illustriores promeritus honores, ad Episcopalem Melphiensis Ecclesiæ infulam in Regno Neapolitano evectus est 28. Septembris an. 1648. quam cúm non sine prudentiæ, ac virtutis laude per annos 18. gubernasset, vivere desiit an.1667. De eo Jo: Bap. de Grossis *in decac. Catanen. to.* 1. *p.*67. *& Catana Sacra pag.* 287. Blasius Altimarus *Geneol. fam. Carafæ lib.* 3. *p.* 210. Aug. Inveges *annal. Panor. in appar. to.* 2. *p.*72. *& to.*3. *p.* 46. & Ughellus *Ital. sacr. to.*5. *in append. ad to.*1. *pag.*1522. Edidit opusculum inscriptum

Iter Pœnitentis. Neapoli apud Lucam Antonium Fusco 1662. in 12.

ALOYSIUS CIACCIUS Thermitanus, publicus in patria Tabellio, ac Poeta: claruit propè annum 1582. Edidit italicè

Brieve ritratto di sentenze Christiane, e documenti utili ad ogn'vno, fatto in versi distici con loro espressione in lingua Siciliana. Panormi 1582. in 8. sine typographi nomine.

ALOYSIUS GUILELMUS MONTECATINUS nobilissimus Panormitanus, Dux Montisalti, Parentibus Antonio Montecatino Montisalti Duce, & Paternionis Principe, & Jeanna la Cerda Medinecœli Ducis filia, lucis usuram Panormi accepit primo Januarii 1614. sæculi pompis nuncio à patre remisso, noster Aloysius anno ætatis suæ 15. amplissima familiæ suæ bona assequutus est; ac titulis in Sicilia, & extra sat notis, insignitus effulsit. Hæreditarias familiæ fortunas, honoribus adeptis mirificè illustravit: adhuc enim ephebus à morum excellentiâ clarus enituit: ideoque Ferdinandus Alfau Dux Alcalæ, Siciliæ Prorex, unicam ipsi filiam suam nuptui tradidit: ac anno ætatis suæ 21. egregiè instructum arbitratus, ut in Sicilia moderanda sibi succederet, Siciliæ Præsidem reliquit an. 1635. quòd Philippus IV. Catholicus Rex approbavit: ideoque non sine maximâ prudentiæ laude Regni clavum tenuit usque ad an. 1638. Nonnulla memorabilia perpetravit: ea sunt: è Sicilia expulsa fames, quæ ob tritici inopiam populos urgebat: eliminati fures: Generalia Regni Comitia bis coacta, quibus ingentem pecuniæ vim in regium ærarium transtulit: editio secundi Voluminis Sanctionum Regni: ac supra cœtera intemeratus justitiæ cultus, omnium acclamatione probatus. Adhuc ejusdem nominis fama perenniter vivit nonnullis in ornamentis, quibus patriam illustravit; sed in primis ad Urbis commodum, ac magnificentiam Portam extruxit, & aperuit, quæ ab eo nomen asservat Montisalti. Hinc eximiis prudentiæ argumentis detectis, Catholicus Rex ad Sardiniæ administrationem Aloysium transmisit, quam & laudabiliter rexit ab ann. 1645. ad ann. 1647. ibique ne dum rerum ubertatem retinuit, verùm etiam ex eo in regiorum exercituum beneficium, Cataluniam oppugnantium, magni momenti bellica transmisit auxilia: & Neapolis, Siciliæque Regnis caritate laborantibus salutaria exhibuit præsidia. Inde in Valentinum Regnum missus, ut ibidem regias substineret vices, semel, iterumque illius Regni gubernacula tenuit, ac singularis prudentiæ, justitiæ, & vigilantiæ bona constantissimè explicavit: hinc ab ejus gesta numeris omnibus absoluta, celeberrimum sibi nomen comparavit; & in Magnatum etiam animos, gloriæ suæ magnitudo mirabiliter adaucta, livoris igniculos excitavit. At Philippus Rex majori præmiorum cumulo dignum ratus, Aloysium, ter inter Hispaniarum Magnates ascriptum, Regiæ Cameræ Cubicularium, aurei velleris Equitem, Belvis Sierræ Commendatarium, in Neapolitano Regno equitatus Generalem Ducem delegit: ac Oratorem extra ordinem ad Leopoldum Imperatorem misit: nec Reginæ uxori præcipuũ Regnorum suorum Ministrum designare dubitavit, dum gravi morbo urgebatur: quo existimavit satis Regiæ familiæ cõsultum, si decedere contingisset. Regnante demum Carolo II. filio, ac Maria Anna Regina, dignitate, ut ajunt, Majoris domus, & Consiliarii Status cohonestatus: & ad eorumdem petitionem ab Alexandro VII. in amplissimum Cardinalium Collegium cooptatus est, ut Romanam Aulam exornaret, ut Regiam illustraverat. Ab infantiâ literis satis instructus, morales, ac civiles scientias egregiè calluit: quibus accessit Musarum cultus. Hinc ingenii præstantissimi dotes carminibus Etruscis, Hispanis, ac Siculis exercuit, & magnâ omnium admiratione, in tantâ rerum agendarum mole, nonnulla edidit ingenii monumenta. Immortali tandem relictâ nominis famâ, decessit Matriti an. 1673. De eo multi, inter quos August. Lengueglia *in Epist. nuncup. familiæ Montecat. & par. 1. p. 673.* & in libro cui titulus, *Staffetta privata* per totum. Vincentius Auria *histor. Chronol. Proreg. Siciliæ p. 100. & seq.* Franciscus Strada *in Glor. Aquilæ Triumph. p. 180.* Aug. Inveges *in appar. to. 3. annal. Panorm. p. 95.* Ab. Pirrus *Chronol. Reg. p. 112.* Ioseph Galeanus *in epist. nuncup. Musar. Sicul. to. 1. & 2. par. 2. & ibid. p. 1.* Aug. Oldoinus *in addict. ad Ciacconium to. 4. p. 766.* Joseph Munebria in libro *Musa Risvegliata p. 1. p. 213.* aliique. Scripsit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane: harum nonnulla extant in libro *Muse Siciliane to. 2. par. 2.* Panormi apud Deciũ Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagni 1662. in 12. Hispanicè

Consultationem pro Proregibus naturalibus. Matriti 1662. in fol.

ALOYSIUS HEREDIA Panormitanus nobili, ac patritio genere ortus. Non Hispanus ut perperam Nicolaus Antonius *Biblioth. Hispan. to. 2. p. 35.* Vir sanè eruditione, poesi, ac politioribus literis instructissimus claruit: unde ne dum Siciliam, verùm etiam & Italiam nominis gloriâ replevit. Romæ, & in præcipuis Italiæ civitatibus, quas studiosè peragravit, ejus eruditio, ac doctrinæ præstantia Literatis innotuit, & eorumdem venerationem sibi conciliavit: ibique amicitiam cum primariis contraxit, inter quos non ultimi Antonius Querengus, & Joannes Bap. Marinus. Philosophiam Platonicam maximè in deliciis habuit. Juris utriusque Doctor, in nonnullis delegationibus à Siciliæ Moderatoribus est adhibitus: his etenim gratissimus fuit. Tandem diuturnis doloribus confectus, è morbi, vitæque laboribus excessit Panormi an. 1604. Laudibus ornant Aloysium Ioseph Galeanus *in epist. ad Lectorem*, quam carminibus Io: Bap. de Iudice præfixit, & in *Musis Siculis to. 1. par. 2. p. 349.* Vincentius de Ioanne *in Panor. triumph. lib. 12. p. 125.* Petrus Carrera *epigr. lib. 2. p. 80.* inter doctos auctores, qui contra celeberrimum Baptistæ Guarini opus, cui nomen *Pastor Fido*, scripsere, Herediam accensent Scipio Glareanus, idest Angelicus Aprosius in libro, *Occhiale stritolato*, & clarissimus vir Io: Marius de Crescimbeni *in hist. Poes. vulgar.*

vulgar. lib. 5. pag. 361. Edidit italicè

Apologia nella quale si difendono Teocrito, e i Doresi Poeti, e Ciciliani dalle accuse di Battista Guarino, e per incidenza si mette in disputa il suo Pastor Fido. Panormi apud Io. Anton. de Franciscis 1603. in 4. & Vicentiæ typis Laurentii Cori 1608. in 8.

Intermedii della Trappolaria, Comedia recitata con superbo apparato nelle felicissime nozze di D. Lorenzo Lanza, e D. Elisabetta Barresi Conti di Mussomeli. Panor. apud Io: Ant. de Francis. 1603. in 4.

Oratione nell'Esequie dell'Eccell. Prencipe D. Bernardino de Cardines Duca di Macheda Vicerè di Sicilia in italiano, e spagnolo, con le lagrime dell'Eccell. Signora Duchessa di Nasciara, e Macheda, in ottava rima. Ibid. apud Ioan: Baptistam Maringum 1602. in 4.

Hispanicè

Canzon Primera de Bartolome Martinez de Quintana al Ill. Senor D. Geronimo de Guzman Successor de la casa Olivares, con Annotaciones de D. Luis de Heredia. Ibid. 1594. in 4.

Canzon Segunda de Bartolome Martinez de Quintana, con Annotaciones de D. Luis de Heredia. Ibid. 1595. in 4. Carmine Siculo, sub nomine Baptistæ Basili prodiere

La Surci Giurania Poema Heroicu. Ibid. apud Jo: Ant. de Franciscis 1604. in 4. Ibid. apud Petrum Coppola 1663. in 12. & pluries ibidem.

La Siringa Idillio. Ibid. 1613. in 12.

Infidi lumi Madrigali a 5. voci di diversi Autori Siciliani. Panor. apud Io: Bapt. Maringum 1603. in 4. Nonnulli Siculi musicis modulis hec expressere; carmina verò omnia sunt nostri Aloysii. Extant apud me m. ss.

Rime di D. Luigi Eredia. in 4.

ALOYSIUS LA FARINA nobilis Panormitanus vir sanè præstantissimus. Parentibus Vincentio la Farina Asperimontis Barone, de quo suo loco, & D. Aleonora Madrigale, in lucem editus est 6. Novembris 1597. Generis claritatem illustriorem reddidit honoribus, quos literis, armisque adeptus est. Ætate adhuc florente miltaria studia sequutus, Catholico Regi, supra Regni Neapolitani triremes, celebranda præstitit obsequia. Octavii Aragonii Panormitani strenuissimi triremium ducis individuus comes; in præclarè gestis consors fuit: & unius legionis loricatæ Dux egregius. Hinc Catholicus Rex horum gratia, ac eximiâ morum præstantiâ, an. 1639. in Equitum S. Jacobi de Spada album adscripsit: & an. 1650. Marchionis Madoniæ titulo cohonestavit. In Generalibus Regni Comitiis an. 1648. Panormi coactis, unus ex Regni, ut vocant, Deputatis, eligitur. Secundò hunc Regni clavum suscepit an. 1658. ac tenuit usq; ad an. 1660. & confirmatur an. 1661. quòd vix, vel numquam de alio legitur. An. 1650. Senatoris munere patriam gubernavit: nonnulla alia ejusdem Urbis munia obtinuit, & non sine prudentiæ laude moderavit. At majora laudum ornamenta ob literarum studia promeruit; egregium enim nactus ingenium, indefesso studiorum labore mirificè illustravit. Severiores scientias insigniter calluit; ideoq; philosophicis, mathematicis, astronomicis, civilibus, aliisque disciplinis instructissimus effulsit. Linguam Italam, Hispanam, Gallicam, Latinam, & Hebraicam eximiè assequutus, rarioribus earumdem eruditionibus mentem locupletavit. Nec amœniores literas neglexit. Musarum, eloquentiæ, & historiarum studia coluit: & in Panormitanâ Reacensorum Academiâ ascriptus, insignia cum sui laude protulit ingenii monumenta. Antiquitatum sedulus perscrutator, eruditionis thesaurum sibi collegit: de quo satis testatur ejus Bibliotheca selectissimis referta codibus tum editis, tum manu exaratis. Hinc non modò Sicilia, verùm etiam, & Italia famæ suæ præconia audivit: ibique præstantioribus literati Orbis candidatis in amoribus fuit; inter hos non ultimus celeberrimus Leo Allatius, qui nostrum Aloysium, ob plenissimam græcarum literarum cognitionem, plurimùm dilexit, ac mutuum amorem, ac studia, frequenti epistolarum usu magnopere fovit. Hinc, teste Philippo Labbe in *Bibliotheca Bibliothecarum p.* 144. prodiit: *Leonis Allatii librorum editorum Elenchus ad Illustr. Dom. Don. Aloysium la Farina Marchionem Madoniæ &c.* Romæ ex Typographia Varesii 1659. in 8. Sicut Literatorum omnium venerationem promeruit, ita & Literatos benevolentiâ, ac Mœcenatis liberalitate semper excepit. Tandem annum agens 68. ingenti sapientum mœrore, decessit Panormi 18. Aprilis an. 1664. & in Ecclesia S. Annæ Fratum S. Mariæ de Mercede tumulatus est: ibiq: in majori familiæ suæ sacello, ad perennem tanti viri memoriam ejus effigies marmoribus insculpta conspicitur, hac adiecta inscriptione.

Qui avitâ gloriâ, in præliis animi robore excelluit, D. Octavii de Aragona strenuus comes, & consors classe de Thurcis victrice; qui Palladis utriusq; artibus prædictus; calamo, & gladio potens, voluminum assiduus lector, & auctor, in quo uno totius antiquitatis, & historiæ memoriam, linguarumq: penè omnium peritiam effulsit; qui politicæ doctrinâ insignis hujus Urbis Senator, ac Regni, ut ajunt, Deputatus effectus, aliaq: munera pari solertiâ, integritate, ac prudentiâ administravit, is est D. Aloysius la Farina, & Madrigal Marchio Madoniæ, & Eques S. Jacobi; ne Patriam hanc suam nobilibus privaret ossibus, fato cessit an. salutis M. DC. LXIV. die XVIII. Aprilis ætatis suæ LXVIII. Monumentum hoc D. Vincentius Patri Benemerenti mæstissimus posuit.

Laudatur ab Aug. Inveges *annal. Panor. par.* 1. *p.* 82. *& appar. tom.* 3. *ubi de familia la Farina*, à Josepho Galeano *in Musis Siculis par.* 1. *p.* 13. *to.* 2. *par.* 2. *p.* 13. *& epist. nuncup. par.* 3. Franc. Baronio *in Siculæ nobil. amphit. p.* 13. Franc. Scorso *proem.* 3. *§.* 2. *ad homilias Theophanis Ceramei, & in Latio Christ. p.* 694. Vinc. Auria *hist. Cephal. c.* 8. *p.* 57 Jo. Caramuele *in Rhytmic. pag.* 222. & Phil. Mugnòs *Theatr. Geneolog. par.* 2. *p.* 53. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. in Musis Siculis tom. 2. par. 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagni 1662. in 12. Alia plu-

ra scripsit, quæ m.ss. servantur in laudatâ Bibliothecâ, nunc D. Vincentii la Farina Marchionis Madoniæ ejus filij; præsertim

De Scriptoribus Siculis ab Orbe condito. opus inceptum, at non dum ab umbilicum productum. Italicè

Rimario Siciliano. in 4.

Rime Italiane. in 4.

Discorsi Politici, Filosofici, e Morali. in 4.

Discorso in cui si prova la lingua Siciliana esser Madre dell' Italiana. in 4.

Raguagli di Parnaso. in 4.

Il Ministro di Stato. in 4.

Corona di Sonetti in lode del Ser. D. Gio. d' Austria. hujus operis editionem exorsus, exinde dissolvit.

ALOYSIUS LANUSA sive Lanuzza Leocatensis Societatis Iesu præclarissimum ornamentum, & celeberrimus Siciliæ orator apostolicus. Natus anno 1591. Patre Ioanne Lanusa equite Aragonense, à teneris adhuc annis futuræ sanctitatis edidit argumenta. Orationis studio dicatus supernas prægustavit delicias, morum innocentiam servavit, sæverioribus pœnitentiæ legibus corpusculum excruciavit. Sed ad virtutum fastigia anhelans, Societatem Iesu amplexus est Messanæ 16. Ianuarii 1608. In eâ obumbrare studuit eximias ingenii dotes; adeo ut nonnulli propè stolidum putaverint. At detectâ humilitatis industriâ, gravioribus studiis admotus, inter coætaneos præstantissimi ingenii laude semper effloruit. Panormi Societatis juniores Rhetoricam docuit, & ad perfectionis regulam direxit. Absolutis studiorum spatiis, ad animarum salutem supra modum æstuare visus: hinc ad eorum lucra omnes dicavit animi vires in Sacris Missionibus, in quibus usq; ad ultimum vitæ spiritum constantissimè desudavit. In sacris ad populum declamationibus admirabilis fuit:ad ipsū audiendum undiq; confluebat magnus omnium ordinum concursus: adeo ut nec ampliora Templa auditorum frequentiam capere poterant. Hinc ut omnium cupiditatem expleret, in amplissimis plateis, ac apertis camporum spatiis detonare cogebatur: & non semel Panormi confluentium numerus 25. millium fuit. Siciliæ totius Urbes, oppida, insulasq; propinquas, concionibus suis illustravit: apostolico spiritu incensus prædicationis faces indefesso labore circumtulit, ac animos cœlestium rerum amore inflammavit: ideoque unâ omnium voce Siciliæ Apostolus nuncupabatur. Innumeros è vitiorum cœno ad meliorem frugem revocavit: ipsius etenim verbis, velut orationis fulminibus, perditos viros terrore concussos emollire solitus, duriora corda in lachrymas eliquare consuevit. Apostolicos tanti viri labores, ac ardentissimum animarum zelum benedictionibus suis cumulavit Deus; miraculorum etenim numero propè infinito, ac mirabilibus signis ejus sacras expeditiones illustravit. Innumeris deperditam sanitatem restituit: puerulos duos jam mortuos ad vitam revocavit: propheticâ luce perfusus futura prædixit; occulta, ac longiora prospexit; & abdita cordium penetralia detexit. Dum è suggestu fervebat ipsius orationis vis, múltoties visa fulgidissima velut stella in ejus fronte defixa: facies flammis redimita, ac Sole similis refulgens: in capitis vertice demirata columba, & lateri suo astare Angelus. At si scire singula præclarè gesta cupis, animarum lucra, patrata supra naturæ ordinem, heroicarum virtutum excellentiam, consule ejus vitam Panormi editam à P. Michaele Frazzetta Soc. Jesu an. 1677. in epitomen à P. Dominico Stanislao Alberto italicè, & à P. Andrea de Puteo latinè contractam. Tandem prænunciato mortis die, dum fractis viribus à labore non desistebat, morbum contraxit, & vitæ cursum feliciter consummavit Panormi 21. Octobris 1656. Ad accipiendum æternam gloriæ felicitatem sibi paratam,ad Cœlum evolare visus splendoribus præcintus: ac innumeris, ejus operâ Cœlo adjunctis, constipatus. Funus magno civium concursu celebratum: nec cohiberi potuit confluentis populi vis, quin devotionis sensu vestes in frustra dilaniaret. Sepulturæ traditus fuit in domo Professorum: de vitæ gestis, ac editis miraculis, Præsulum autoritate confecti processus, ac Sacræ Rituum Congregationi sunt exhibiti. De Aloysio vide etiam Bibliothecam Soc. Jesu *p.* 29. Franc. Mariam Magium *in Soc. Jesu Mariana p.*179. Silvium Tornamiram *in Soc. Jesu Illustrata Passionis Dominicę devotione cap. ult. p.*330. *& in prodigiis Euchar. cap.* 15. *p.* 353. Placidum Reinam *not. hist. Messan. par.* 2. *p.* 95. Ioannem Nadasi *in anno dier. memor. par.* 2. *p.* 236. Antonium Natalem *de Cœlesti convers. par.* 3. *n.* 910. *p.* 186. aliosq; Edidit hispanicè suppresso nomine

Remedio precioso contra la pestilencia del pecado mortal. Panormi apud Nicolaum Bua 1640. in 12. Italicè vertit Carolus Latius, & apposito auctoris nomine, hoc titulo in lucem prodiit. *Antidoto pretioso contro il Peccato mortale.* Ibid. apud Josephum Bisagni 1662. & apud Petrum de Insula 1678. in 24. Italicè

Le due Machine potentissime per convertire l' anime a Dio, cioè le considerationi delle due morti temporale, & eterna. Ibid. apud Anglesium, & Leonem 1695. & 1699. in 12.

ALOYSIUS lo SCAUVZZO Panormitanus elegantissimi ingenii vir, amœnioribus literis expolitus claruit, Musis Italis, Siculisq; impensè addictus. Inter Reaccensos Panormitanæ Academiæ ascriptus, eruditorum amorem promeruit. Neapolim se contulit, & ejusdem Urbis Academias non sine laude frequentavit; inter Otiosos, Rotios, Curiosos recensitus. Adversantis fortunæ injuriis affectus, & ætate gravatus, ex inopinato apoplesiæ ictu obiit Neapoli propè annum 1688. Eumdem laudant Ioseph Galeanus *in Musis Siculis to.*2.*par.*2. *p.*22.& par. 4. p.258. Pyrrus Schittinus *carm. p.* 42. Dominicus Ant. Parrinus *in epist. ad lectorem Ideis Musarum Andreæ Perrucci perfixa.* Vernaculâ linguâ scripsit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *to.* 2. *par.* 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud

apud Iosephum Bisagni 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. Ibid. par. 3. apud eumdem 1651. in 12.

Canzoni Siciliane Sacre. In eodem opere par. 4. Panormi apud Iof. Bisagni 1653. in 12. Italicè

Rime. In libro cui titulus. *Raccolta di Rime di Poeti Napolitani non più ancora stampati*. Neapoli apud Dominicum Ant. Parrinum 1702. in 12. Inter Neapolitanos ex incolatu, & obitu recensuit Parrinus; fuit etenim Panormitanus, quòd idemmet Parrinus dixerat in epistola citata.

ALPHIUS FERRAROTTUS nobilis Leontinus, patre Antonino Ferrarotto an. 1619. natus, ingenii præstantiam politioribus literis coluit, & eruditionis ornamento locupletavit; quam ex historicis, ac civilis doctrinæ libris eduxit. Patriam Urbem Senatoris munere gubernavit an. 1643. 1644. 1648. & 1649. ac Senatui Leontino Patritius præfuit an. 1650. & 1651. Florente adhuc ætate obiit Leontini 1652. Eumdem laudat Philadephus Maurus *in vita SS. Alphii, Philadelphii, & Cirini lib. 1. cap. 10. pag. 61. & 72.* Edidit italicè

Gli Ambitiosi disegni. Racconto Politico. Bononiæ apud Cardonem 1644. in 12. Ejusdem operis paraverat partem secundam, & alia erudita ingenii monumenta.

ALPHIUS MATTHIOLUS Alcamensis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, Sacræ Theologiæ Magister, doctrinâ, prudentiâ, ac virtutum laude floruit. Gravioribus disciplinis, humanis divinisque literis instructissimus, Philosophiam, ac Theologiam docuit: & præsertim Drepani, Panormi, Neapoli, & Patavii Ordinis Academias Regentis munere instruxit. In Romano Sapientiæ Lyceo Professorem egit doctissimum: ibiq; à doctrinæ, & eruditionis præstantiâ magnam nominis celebritatem est assequutus. Conciones in cinerali jejunio habuit eloquentiâ, & eruditione refertas: etenim Ecclesiastes fuit celeberrimus. Siculas Provincias S. Alberti, & S. Angeli rexit. In Sicilia etiam, Neapoli, atq; Hispaniis Visitator Generalis, & Apostolicus Commissarius. Romæ ad munus Procuratoris Generalis, & Socii Generalis erectus est: aliisq; sæpius præclarissimis muneribus, ac dignitatibus semper ornatus effulsit. A Duce Feriæ Siciliæ Moderatore Philippo III. Catholico Regi in Episcopum Agrigentinum oblatus est. Alcamense Cœnobium magnificentissimis ędificiis illustravit. Tandem morum integritate conspicuus, Romæ decessit an. 160, De eo Petrus Lucius Belga *Biblioth. Carmel. p. 4.* Ant. Possevinus *Appar. Sac. tom. 1. p. 51.* Daniel à Virgine Maria *Specul. Carmel tom. 2. par. 5. lib. 3. n. 3413. p. 972. & lib. 5. n. 3694. p. 1067.* Pirrus *not. Eccl. Mazar. p. 580.* Scripsit

Lectiones Theologicas, & Philosophicas.

Conciones per Sacrum Quadragesimale tempus.

Orationes varias.

Lucubrationes in Methaphysicam, & alia multa.

ALPHIUS URSUS ex oppido Militelli Philosophiæ, ac Medicinæ doctor, ac poeticæ facultatis amantissimus. Obiit in patria circa annum 1696. Typis tradidit italicè

Il Giuseppe Giusto. Atione drammatica.

ALPHONSUS BOCCONUS Panormitanus Savonâ Liguriæ Urbe oriundus, Ordinis Prædicatorum, Frater P. D. Silvii Bocconi Ordinis Cisterciensis, de quo suo loco, vir doctrinâ, & ingenio clarus, eloquentiâ præcipuus, virtute inclytus. Post graviores disciplinas, amœniores literas coluit, ac castissimas adamavit Musas. Ecclesiastem eruditione, & eloquentiâ clarum egit: cui ut dum orationis flores & nervi, verùm etiã corporis proceritas, vitæ sanctimonia, & animarum zelus venerationem conciliarũt. In cinerali iejunio non sine plausu an. 1676. in principe Templo conciones habuit Panormi, & ex inde in pręcipuis Siciliæ, & Italiæ Civitatibus. Bis in Generalibus Ordinis comitiis Romę coactis, egregii concionatoris partes explevit, ac singulares in auditoribus plausus excitavit. Apostolico animarum zelo æstuavit: morum suavitati eximias virtutes addidit. Deiparæ cultum in recitatione SS. Rosarii promovere studuit multis in locis, præsertim Panormi, ubi an. 1676. ut recitaretur quando ad infirmos SS. Eucharistiæ Sacramentum deducebatur, impensè curavit. Inter suos lectoris munus obtinuit. Tandem dum concionandi causâ apud Forum Livii moras protrahebat, ibi vitæ finem imposuit circa an. 1681. ubi SS. Rosarii societatem excitaverat. Tanti viri cum laude meminit Aug. Oldoinus *in Athen. Ligustico p. 543.* & Franc. Fulvius Frugonus in libro *Cane di Diogene latr. 5. racc. 10. p. 484.* & seq. Edidit italicè

La Statua effigiata in un Monte, o vero il Simulacro di S. Alessandro invittissimo Martire, e vessillifero trionfante della Gloriosa Legione de' Santi Martiri Tebei oratione Panegirica. Bergomi apud filios Marci Ant. Rubei 1675. in 4.

Le Tenebre luminose, o vero l' Ineffabile Mistero d' un Dio Trino, & Uno occulto all' occhiuta superbia dell' ingegno humano, veduto senz' ombre dalla cecità della Fede. Cantico Sacro. Ibid. apud eosdem 1675. in 4.

Le Tre Sacre Metamorfosi della fidelilissima, e antichissima Città di Bergamo. Cantico Sacro. Ibid. apud eosdem 1675. in 4.

Il Cadavero Taumaturgo della B. Caterina da Bologna Imagine viva del Corpo di Giesù, agonizzante nel Getsemani, morto nel Calvario, e glorioso nell' Empireo, Orationi Panegiriche. Bononiæ apud Hæredem Bonacci 1679. in 12.

Il Dito Taumaturgo Oratione Panegirica per S. Tomaso d'Aquino. Ibid. apud. Josephum Longum 1679. in 12. Editioni parabat

La Ruth Domenicana, cioè gl' Huomini, e Donne Illustri in santità, e lettere dell' Ordine di S. Domenico, che vissero nel suo secolo.

ALPHONSUS CAETANUS Syracusanus Societatis Iesu, frater Octavii ex eadem Societate, & P. D. Constantini Casinensis, de quibus alibi. Natus an. 1578. parentibus Barnaba Caetano, & Hieronyma Perna Baronis Floridiæ filia, societatem amplexus est an. 1593. in eâque vitam virtutibus egregiè ornatam traduxit. In se ipsum sævie-

sæviebat, tenui, ac vulgari victu contentus: in alios verò curæ suæ demandatos, juxta cujusque habitudinem, benignus. Regularis paupertatis observantissimus fuit: gravissimos mores in quotidiano convictu servavit: & à jocis penitus abhorrens, vel utilia, vel de rebus divinis aliqua studiosè inserebat. Fervida colloquia cũ Deo, ac Cœlicolis frequẽtabat: mens ipsi in omnibus Cœlo defixâ. Omnes hebdomadæ dies eâ lege, distribuit, ut dispartitis vicibus quotidie Deum, Sanctissimã Virginẽ, aliosque Cœlestes patronos successivè igniti pietatis obsequiis veneraretur: & ad eorumdem cultum facilius prosequendum precum, & meditationum libellum sibi conscripserat. Ad tyrones efformandos præfuit aliquandiu Messanæ, maximâ cum eorumdem utilitate. Per aliquot Annos Nobilium Sodalitium rexit Panormi, ac juniores Societatis in Panormitano Collegio ad perfectæ vitæ regulam instituit. Panormi tandem, ubi diu religiosissimè vixerat, piissimè decessit 7. Ianuarii 1647. quatuor vota professus: de eo *Biblioth. Soc. Jesu p.35.* Franciscus Scorsus *proem. 3. §.2. in homilias Theophanis Ceramei.* Edidit italicè

Vita di Francesco Gaetano della Compagnia di Giesù. Panormi apud Decium Cyrillum 1637. in 12. aucta & recusa Panormi & Bononiæ 1649. In latinum sermonem transtulit P. Toussanus Bridoul Belga ac edidit Insulis apud Petrum de Rache 1641. in 8. ex eadem *Biblioth. cit. p. 771.* PP. Scorsus cit. Petrus Salernus *In epist. ad lectorem præfixa Vitis SS. Sicul. Octavii Gaetani*, & Joseph Perdicarus *in epist. ad lectorem operis sui de Sanctis Siculis* testantur, quòd diu insudavit, ut opus Octavii fratris de Sanctis Siculis ad unicum stylum redigeret, ac in publicam lucem emitteret.

ALPHONSUS CARIBDUS Messanensis Antonii filius Jurisconsultus doctrinâ clarus, ac magni nominis causarum forensium Patronus. Plurics Iudex Stradacotialis Messanæ fuit, ac in Magnæ Regiæ Curiæ subselliis itidem Judex sedit. Ob doctrinæ, ac prudentiæ præstantiam multùm apud Siciliæ Moderatores existimatione valuit: & ipsius curæ magni momenti negotia demandarunt. Superstes erat anno 1537. eo enim anno Iudicem Messanensem video, ex Ferrarotto *de Præeminentiis officii Stradic. disc. 24. p. 132.* de eo etiam Petrus Ansalonius *in sua familia pag. 292.* & Mugnòs *Theatri Geneologici par. 1. pag. 231.* Edidit

Cõsuetudines Nobilis Civitatis Messinæ. Post alias editiones prodiere Venetiis sumpibus Laurentii Peguli 1575. in 4.

Regni Siciliæ Capitula à Iacobo Rege, usque ad Carolum V. Imp. collegit, & ad justum ordinem disposuit: quibus Proemium præfixit, ediditque Messanæ apud Georgium, & Petruccium Spira 1526. in fol. ejusdem Regni Pragmaticas collegit ex Reina *not. Mess. p.2. p.226.*

ALPHONSUS SALVUS Panormitanus Sacerdos eximiæ literaturæ vir. Ingenii aciem gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ studiis mirabiliter patefecit, magnam nominis celebritatem consequutus. Non modo Theologiæ lauream, verùm etiam Jurisprudentiæ, cui etiam operam dedit, obtinuit. Sæverioribus disciplinis amœniores literas adjecit: eruditione quà sacra, quà prophanâ egregiè instructus, eloquentiam, ac poesim professus est; orator enim disertissimus: poeta non vulgaris, latinâ, etruscâ, & vernaculâ linguâ multa eleganter scripsit, tum solutâ oratione, tum etiam carmine. Hinc meritò in Panormitana Reaccensorum Academiâ erudita ejus ingenii monumenta à doctioribus nunquam sine plausu excepta. A Francisco Gisulfo Episcopo Agrigentino, cui semper gratissimus fuit, instantissimè accersitus est, ut Seminario Agrigentino præesset, ac Clericorum ingenia Rhetoricæ, & Poeticę pręceptis informaret, tandem pertrahi se passus, ibi nominis sui famam excitavit, ubi adhuc constantissimè viget. At post brevem temporis lapsum, obiit Agrigenti 26. Octobris 1660. magno Literatorum dolore, & in Cathedrali Ecclesia sepultus est. Reaccensorum Academia sodali suo justa persolvit, & in ejus laudem funebrem orationem dixit Antoninus Romanus Columna 26. Octobris 1661. Academici verò omnes Musarum fletu ejus jacturam collachrymarunt. Laudant Alphonsum Joseph Galeanus *in Musis Siculis p.2. to.1. & par. 4. pag.32.* & Vincentius Auria *in Rosa Cœlesti pag. 114.* Edidit italicè

Prose Sacre, e Morali, o Familiari. Panor. apud Iosephum Bisagni 1655. in 8.

Delle Prose Parte Seconda, cioè le Morali, o Familiari. Ibid. apud eumdem 1655. in 8.

Tributo di gratitudine dell'anno 1656. che Palermo offerì alla sua Cittadina, e Tutelare la Vergine S. Rosalia nel solenne anniversario per l'inventione del sacro Corpo di lei. Ibid. apud Petrum de Insula 1656. in 4.

La Trionfal solennità fatta nel 1657. dalla Città di Palermo nel rinovarsi la memoria del ritrovamento felice del sacrato Corpo della gloriosa Vergine S. Rosalia sua Cittadina, e Liberatrice della Peste. Ibid. apud Augustinum Bossium 1657. in 12. suppresso nomine.

Il Disegno Panegirico di S. Ottavio Martire. Ib. apud eumdem 1656. in 4.

La Melia Idillio Siciliano. Ibid. apud Cyrillum 1649. in 8. sub anagrammatico nomine Alphii Lussani.

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis to. 1. p. 2. Ib. apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis cit. par. 3. apud Iosephum Bisagnium 1651. in 12. sub nomine Alphii Lussani.

Canzoni Sacre Siciliane. in ejusdem Musis par. 4. apud eumdem 1653. in 12.

Epigrammata aliquot ex innumeris in libro. Selecta Epigrammata, Elegiæ, & Poemata aliquot ex Catullo &c. Panormi apud Hæredes Iacobi Maringo 1656. in 12. in eodem libro præter sua nonnulla Epigrammata Poetarum recentiorum, præsertim Siculorum non dum edita colle-

collegit, & publici juris fecit. Ex Hieremiæ lamétationibus aliqua italicis carminibus expressit, ac edidit unà cum aliis Simonis Rao in libello, cui titulus: *la Cetra dogliosa del Profeta Geremia.* Ibid. apud Iosephum Bisagniũ 1656. in 4. Scripsit etiam

De antiqua Vrbis Panormitanæ Religione dissertationem. M. S. in 4. hujus authographum extat apud P. D. Michaelem de Judice virum eximium Panormitanum, Priorem Ordinis Casinensis S. Benedicti, cum aliis auctoris opusculis, & apud P. Jo: Mariam Amatum eruditissimum Panormitanum Soc. Jesu, quam ipse Amatus citat *in notis ad orationem primam ad Illustriss. Senatum Panormitanum pag.* 30. qui etiam *à pag.* 63. *opusculum criticum in August. Inveges*, exhibet ex M. SS. apud de Judice laudatum. Prælo paraverat

Opuscula Scholastica, & Moralia.

Disceptationem de S. Sylvia Divi Gregorii Magni Matre, Panormi ex nobili, & Senatorio genere orta.

Carmina. Italicè

Delle Prose Parte Terza.

Panegirici.

Vite d'alcuni Santi.

Poesie Toscane. Tandem moliebatur: *Historiam Panormitanam.*

ALPHONSUS S. LUCIA Panormitanus Ord. Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Sacræ Theologiæ Lector, & Magister, ac Cœnobii Panormitani S. Demetrii Minister. Philosophiam, ac Theologiam inter suos docuit Neapoli: conciones etiam habuit cum laude. Post severiores disciplinas Musas amavit. Panormi obiit circa annum 1670. Edidit italicè

La Celeste instruttione del Sacro Ordine della Santissima Trinità della Redentione delli Schiavi, con il Racconto della Vita de' suoi Santi Patriarchi Gio. de Mata, e Felice Valois, e delle miserie, che patiscono i fedeli Christiani schiavi de' Barbari, e delle Indulgenze, Privilegi, e Gratie, che i Sommi Pontefici hanno concesso per lo riscatto di quelli. Panormi apud Mandrachiam 1655. in 12.

ALVARUS PATERNIONIUS nobilis Catanẽsis, ac Patritius Romanus. A Canonicorum Catanensiũ Capitulo Patriæ Episcopus electus, morte tamen preventus Episcopalem infulam tantùm promeruit, non accepit, ut habemus ex Mattheo Silvagio *de tribus Peregrinis cap.* 44. *p.* 165. Obiit Catanæ an. 1518. ex Francisco Privitera in libro *Annuario Catanese p.* 193. sed *pag.* 206. sibi contrarius, an. 1516. decessisse putat, & in Ecclesia S. Mariæ de Jesu Fratrum Strictioris Observantiæ S. Francisci sepulchro traditum: ipseque Privitera testatur, solemnia D. Agathæ, quæ singulis annis Catanæ quatriduo triumphali pompâ celebrantur, instituisse. Vt habet Vincentius Auria *hist. Cephal. p.*59. scripsit

Chronicon Siciliæ, ex quo fragmentum adducit: & apud ipsum servabat M.S. nunc apud Illustr. D. Hieronymum Septimum Marchionem Jarratanæ virum literarum gloriâ celeberrimum. Scripsit etiam

Chronicon Civitatis Neapolis, quod M. S. servabat Carolus Vigintimillius Panormitanus; antiquo charactere exaratum, in fine historiæ Siculę Nicolai Specialis, unâ cum alio breviori Chronico, & epistola Geneologica Regum Siciliæ ejusdem Specialis, quæ omnia unico volumine cõplexæ ad N. Cannizzarium Passaniti Baronem pervenere, ex relatione ejusdem Auriæ.

AMBROSIUS BORGHESIUS Panormitanus, eruditione & politioribus literis clarus: in Reaccensorum Academia ascriptus, poeticam facultatem impensè coluit. Anno ætatis suæ 26. obiit Panormi 26. Januarii 1659. Hujus meminit Vincentius Coronelli *in Biblioth. to.* 3. *n.* 704. Edidit italicè

L'Ambrosia Comedia. Panormi apud Coppolam 1656. in 12:

AMBROSIUS PIAGGIA Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, doctrinâ, & pietate insignis. Martino Miræ Episcopo Cephaludensi gratissimus vixit, qui in suum Vicarium Generalem delegit, teste Benedicto à Passaflumine *de orig. Eccles. Cephal. p.* 78. claruit an. 1610. Typis tradidit

Metodo spirituale per li fratelli Sacerdoti Confessori della Compagnia de' Bianchi di Palermo impiegati al servigio della Cappella, ed al conforto degli Afflitti condennati á morte. Panormi apud Jo: Antonium de Franciscis 1613. in 8.

Discorsi spirituali per l' annuntio della morte, & degli Afflitti condennati à morte. Ibid. apud eumdem 1617. in 8.

AMERISTUS v. Mamertinus.

ANCHITUS Siculus, Pausanię Geloi Medici pater, doctrinâ, & sapientiâ claruit, ex Empedocle, qui de eo apud Laertium *in vita Empedoclis* cecinit:

Pausania Anchiti sapientis, percipe, fili. &
Pausaniam Anchiti natum, Phœbique nepotem.

Empedoclis amicus, ac familiaris fuit, & ut narrat Jamblicus *de Vita Pithagoræ lib.* 1. *cap.* 25. *pag.* 110. & Nicolaus Scutellius *in vita ejusdem p.* 8. cum adolescens quidam irâ incensus, stricto gladio in Anchitum Empedoclis hospitem irruisset, ut occideret, quòd patrem suum publico judicio, capitis supplicio affecisset, Empedocles cantu furibundum adolescentem sedavit: ideoque Anchitum hospitem è morte, furentem ab homicidii flagitio liberavit. Hic autem, ex eodem Jamblico, imposterum inter Empedoclis familiares insignis, summâ extimatione claruit. Eodem quo Empedocles tempore vixit, nempè olymp. 84. ex Laertio in vita Empedoclis. Inter Siciliæ Scriptores à Hieronymo Ragusa *in Siciliæ Biblioth. vet. p.* 21. recensetur: at quæ scripserit incertum.

ANDREAS antiquus, & insignis historicus Panormitanus, cujus expressè meminit Athenęus *lib.* 14. *cap.* 8. *pag.* 634. fuit eximius Philosophus: Andreas enim Philosophus, *de iis, quæ falsò creduntur*: scripsit, ex eodem Athenæo *lib.* 7. *cap.* 18. *pag.* 312. quamvis autem haud aperiat Athenæus an Andreas Panormitanus opus hoc scripserit: attamen Tho: Fazellus *dec.* 1. *de reb. Sicul. lib.* 8. *pag.* 190. nostro Panormitano ascribit: ideoque

An-

Andreas noster historica, ac philosophica facultate inclaruit. Medicum etiam fuisse patet ex Friderico Bonaventura Urbinate in libro *de naturâ partus octimestris*, edito Venetiis 1602. qui in auctorum indice inter medicos hunc Andream collocat his verbis. *Andreas Siculus*: cùm autem non comperiatur alter Andreas inter veteres Siculos, nisi Panormitanus iste, rectè deducendum, de nostro Panormitano intellexisse, ac medicâ doctrinâ effulsisse. Hinc uti Medicus citatur ab Athenæo *l.15.c.5.p.675.& l. 3. c. 30.pag.* 115.& Tertulliano *de anima cap.* 5. Addo Gesnerum *in Bibl.pag.*40. opus nostri Andreę, *de quibusdam falsò creditis* commemorans, ipsum Medicum, appellasse: quòd observat etiam Paschalis Gallus *inBibl.medic.p.*19. qui eumdem esse putat Andreã medicum, qui de Plantis, de quibusdam falsò creditis, & narthix, idest ferulis, scripsit: *& pag.* 375. Andream Medicum, ait, de Serpentibus: de iis, quæ falsò creduntur, & narthix scripsisse. Hinc non ambigendum puto Andream illum esse à Plinio citatum *lib. 20. cap. 18. nat. hist.* (ubi ex editione Veneta anni 1519. legitur Andron, & in ore libri corrigitur, Andreas: & ita Hermolaus Barbarus *in castigat. Plinii ibidem*, & in editionibus ex recentione Dalacampii, & Gelenii) *lib.22. cap. 23. de Silphio*, ubi habet Andreas: sicut & *lib. 32. cap. 5. de Halcyoneo*. Idem Plinius inter medicos scriptores recenset, ex quibus suos de historia naturali libros 23. 24. 25. 26. & 27. concinnavit: sicut & inter auctores ex quibus librum 31. & 32. confecit, qui de medicaminibus ex aquatilibus agunt: & tandem inter auctores librorum 33. 34. & 35. ubi de metallis, & picturis scribit. A nonullis etiam medicis ejus testimonium adducitur, ut mox addam. Nec prætermittenda sunt, quæ de Andrea habet eruditissimus Andreas Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. *p.* 256. *Andreas*, ait, *sive Andras, sive Andrias, sive Andron, vel Andros, nam & hæc omnia nomina medicorum reperio, nisi diversi sint. Andream citant Discordes in præfatione*, Cornelius *Celsus lib.5. cap. 1. & 18. & Galenus, qui eum non multi facit, nam in libro qui inscribitur suffiguratio Empirica, eum vocat superbum, & experientiæ expertem; & in præfatione lib.6. Simplicium Pharmacorum, eum vocat præstigiatorem, & arrogantem. Sed & eum Andream vocat Epiphanius* Cyprius *statim post princ. lib.* 1. *Hæreseon, ubi eum dicit scripsisse de herbis. Andronem citat idem* Cornelius *lib.5. Galenus, Aetius, & Paulus Ægineta. Andram ipse Dioscorides, Celsus, & Plinius. Et quòd Andreas, & Andron unus sit, potest videri ex eo, quòd quem Andream vocat Dioscorides lib.4. cap.59. ubi de Papavere loquitur, Andronem appellat Plinius de eadem re loquens lib. 20. cap.18. Ipse* Cornelius *Celsus illo lib.5. cap. 5. Paulus Ægineta lib.3. cap.42. & lib.4.cap.25.* Ex quibus apertissimè liquet eumdem esse Andron, & Andream. Addit Tiraquellus: *eum quoque Athenæus citat ex libris de* Serpentibus, *& de quibusdam falsò creditis, & auctor magni etymologici*. At nostrum Andream Panormitanum librum de quibusdam falsò creditis scripsisse, innui supra cum Fazello. Hinc rectè deducimus, quòd noster Andreas, utpote medicinâ excultus à pręcitatis scriptoribus adducitur, & de medicinâ, herbisque scripsit. Immo omnigenæ scientiæ capacem credimus; nam ipsi oratoria facultas nõ defuit. Andreas namque inter Declamatores accensetur à Seneca *in fine 2. suasor. & contr. lib.2. contr.7.* ubi Andreas Schottus *in notis ad suasoriam citatam p.* 34. de Andrea hæc habet. *Andreas infra nominatur contr.7. & medicus quidam apud* Plinium *lib.20. 23.31.32.33.34.35.nat.hist. item apud Dioscoridem & Nicandri interpretrem*; ideoque noster Andreas inter oratores etiam numerandus. Quamvis autem Cujacio, ut Janus Gruterus *in notis ad contr. 7. Senecæ pag.* 125. refert, videbatur Andreæ nomini, utpote recentiori, substituendum Hybreas apud Senecæ controversias frequens: attamen Schottus loc. cit. *& in Vitis Declamatorum apud Senecam pag.* 400. hanc futilem opinionem optimè, more suo, repellit: nam Andreæ nomen novitatem non sapit; cum expresè apud Athenæum, Plinium, Dioscoridem, aliosque veteres scriptores supracitatos legatur. Andreas autem alius est ab Hybrea oratore. Hinc Schottus *in Declamatorum Vitis citatis p.* 400. cùm primùm de Andrea scripsisset, de Hybrea, utpote diverso, exinde *pag.* 411. scribit: aitque cum Strabone *lib.*13. Hybream in urbe Milesia natum, eorumque opinionem rejicit, qui eumdem Andream, & Hybream fuisse putarunt. Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap.7.§.5. pag.* 14. Mathematicis disciplinis excultum Andream putat, illumque fuisse Vitruvio memoratum *lib.9. arch. cap.9.* ubi ait, quòd unâ cũ Theodosio Horologium quoddam excogitavit, Parmenion vocatum ad omnes Cœli inclinationes, vel climata accomodatum: cui *in addictionibus ad eumdem pag.* 125. addidi Alex. Sardum *de rer.invent. lib.1.pag.*32. Tandem addam Andream hunc Ptolomæi Philopatoris Ægyptiorum Regis medicum fuisse, suumque interitum exponit Polybius *lib.*5. ubi Theodoti scelus enarrãs ait, quòd dum mortem Ptolomæo inferre tentabat, Regem in tentorio non comperto, Andream Regis medicum interfecit. Ex quo Andreæ præstantiam, ac ejusdem ætatem deducimus, nempè eodem tempore Ptolomæi claruit: hanc verò Andreæ occisionem an.1. olymp. 141. affigit Brietius *annal. to.1. par.* 2. nempè an. 210. ante Christi Domini adventum: etsi Vossius *de hist. Græcis lib.4.par.3,pag.*501. inter incertę ætatis historicos collocet. Præter auctores hactenus citatos Andreæ meminere Inveges *to.2.annal. Panor. pag.* 353. Thomas Porchachius *in Insulis pag.* 41. Oct. Caetanus *in animad. ad to. 2. SS. Siculor. pag.* 43. *n.* 21. Vinc. Coronelli *Biblioth. tom.* 3. *n.* 2497. aliique. Scripsit Andreas græcè ex Athenæo *lib.14. cap.8. p.* 634. & Vossio cit.

De Rebus in quibusque oppidis Siciliæ memorabilibus. hujus operis librum 33. citat Athenæus. At Fazellus *de reb. Sicul. dec. 1. lib. 8. p.* 190. Athenæum explanando, ait, quòd Andreæ opus, Historiam civilem Siculorum complectebatur.

De Medica origine. Ex Tiraquello *de nobilit. cap.* 31.

31. p. 256. eoq. teste hoc in opere Hippocratem infamare tentavit, quòd fortasse Galenum ad scribendum contra Andream extimulavit: Galenus n. in libro inscripto, *Subfiguratio Empirica*, *cap.* 10. *p.* 33. Andreæ superbiam, & imperitiam obiiecit: & Jacobus Thomasinus *de Plagio literario* §. 76. *p.* 33. & §. 358. *p.* 156. Plagiariis accenset, ex Brassicano *Prover.* 17. *p.* 291. An opus hoc fuerit alii Andreæ à nostro diversi, dubitat Vossius cit.

De iis, quæ falsò creduntur. Hujusce libri mentio habetur apud Athenæum *lib.* 7. *cap.* 18. *p.* 312. Fazellum, Tiraquellum citatos, Gesnerum *Biblioth. p.* 40. & Paschalem Gallum *Bibl. Medic. p.* 20. & 375.

De iis, quæ morsu venenata sunt, sive de serpētibus. ex Athenæo Tiraquello, Gesnero, & Gallo loc. cit.

De Herbis, sive de Plantis. ex Epiphanio Cyprioto *lib.* 1. *Hæreseon* apud Tiraquellum cit. & ut Herbarum Scriptor adductus videtur ab Apuleo Celso Siculo de herbis c. 63. 67. & 68. Plinio locis supra relatis, Dioscoride *lib.* 4. *cap.* 60. Galeno de simplicium medicam. facultate. *Ex scholiis Nicandri in Theriacis*, & Paschale Gallo *cit. p.* 19. 20. & 375. scripsit opus inscriptum, *Narthis, sive de ferulis*, at non diversum puto à libro de Plantis.

Glossemata ad Nicandrum, teste Pierio Valeriano *lib* 29. *hyerogl. cap.* 24. *pag.* 296. Ex Andrea superest fragmentum apud Senecam *lib.* 2. *contr.* 7. & antidota nonnulla apud Galenum *de antidotis cap.* 13. *p.* 117. *de composit. Pharmac. lib.* 9. *cap.* 2. *p.* 198. *de composit. medicam. lib.* 7. *cap.* 7. *p.* 266. *lib.* 4. *c.* 13. *p.* 243. & *de composit. pharmac. lib.* 10. *c.* 2. *p.* 207.

ANDREAS ADONNINUS Messanensis clarissimo ortus genere an 1639. omnium fratrum natu major, familię splendorem virtute, ac literis amplificavit. Absoluto humaniorum literarum, & Rhetoricæ curriculo, ac degustatā Philosophiā, ad evolvenda præcipuorum auctorem volumina versu, prosaq: insignium, sese vertit; ideoque amœnioribus literis abundè instructus claruit. Florente adhuc ætate Italiam, ejusque præstantiores Academias cum sui laude lustravit. In patrię suæ obsequium Catholici Regis aulam adiit, ubi civilis doctrinæ cognitionem plenè assequutus est, ad quam ex naturali propensione flectebatur. Vix ad patriam regressus, in Officinæ Academia Princeps electus, ingenii præstantiam, tum carmine, tum solutā oratione patefecit. Ætate maturus iterum in Hispaniam se transtulit, in Galliam divertens, & à Carolo II. Catholico Rege, pro magnis in ipsum editis obsequiis, Comitis titulum pro se, suisque hæredibus obtinuit, ex privilegio dato primo Februarii 1678. cui addidit octoginta aurea singulo mense sibi solvenda, vitā ejus durante. Munia obiit præclara Messanæ, & in Sicilia, quibus egregiam indolem, integritatem, animique fortitudinem in publicis, ac privatis rebus pertractandis detexit. Ætatem etsi gravem, adhuc vividam servat; & eloquio, moribq; suavitate insignis effulget: in egregio enim viro natura, sagacitati eximiæ animi candorem, raro nexu, alligavit. Multa scripsit, at solùm prodiere italicè.

Discorso in lode della Peregrinatione. extat in libro: *Prose della Fucina libro secondo.* Neapoli apud Andream Colicchia 1669. in 4.

Rime. in libro: *Duello delle Muse dagli Accademici della Fucina Trattenimento Quinto.* Ibid. apud eumdem 1671. in 4.

Nonnulla etiam foliis expansis edita divagantur. Præcipuè aliqua ejus carmina vidi in laudem Principis Buteræ Caroli Mariæ Carafa, in ejusdem libris inscriptis: *Istruzione Cristiana a Principi, e Regi*, & *Via sicura al Cielo.*

ANDREAS de BARTHOLOMÆO, sive BARBATIA, ita dictus ex prolixæ barbæ cultu. Quòd autem ex familia de Bartholomæo exortus fuerit, primùm deduxi ex lectura M. S. in cap. Volentes apud Vincentium Auriam, in qua ita subscriptū animadverti: *Et ita ut superius scriptum per me & dico, & consulo Ego Andreas de Bartholomæo, quem Barbaciam vulgus dicit.* Ibique calamo expressa ejus effigies spectatur, cui appicta nimiùm producta barba. Confirmavi ex eodem Barbatia, qui in consiliis editis Venetiis anno 1581. *vol.* 1. *in calce consil.* 63. *p.* 202. ita se subscribit: *& ita ego Consulo Andreas Siculus, quem Barbatiam vulgus dicit:* Antonius Corsettus *in epist. nuncupat. singulariorum*, ait, *Andreæ Siculo, vulgo Barbatia*, ita & Azorius *Inst. moral. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 24. his addidi Augustinum Fontanam *in Biblioth. legali par.* 1. *p.* 70. ubi de Andrea de Bartholomæo, ibique ad Andream Barbatiam lectorem remittit. Post hæc scripta incidi *in vol. consiliorum, seu Responsorum ad causas criminales to.* 1. *Venetiis* 1582. ubi *consil.* 93. *pag.* 80. extat: *Consilium Andreæ Barbatia Siculi* &c. & in fine *p.* 84. legitur: *& ita ut superius scriptum est dico & consulo ego Andreas de Bartholomæo de Sicilia* &c. tandem Henricus Wharton *in append. ad hist. literariam Guilelmi Cave p.* 98. ait: Andreas Barbatius, seu Barbatias, alias Andreas de Bartholomæo. Andream itaque de Bartholomęo celeberrimum Jurisconsultum Messanæ natum putant Franc. Maurolycus *hist. Sicil. lib* 5. *p.* 185. Bonfilius *in sua Messana lib.* 7. *p.* 54. qui eumdem falsè Joannem appellat, (ut etiam *in hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *p.* 62.) Fazellus *in addict. ad dec.* 1. *de reb. sicul. lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 50. Matt. Silvagius *de trib. Peregrinis cap.* 42. *p.* 149. Franc. Flaccomius *Sicelid. sect.* 3. *p.* 37. Franc. Faraonius *inst. gramm. lib.* 2. *ubi de cosmographia*, Placidus Samperius *Iconolog. M. V. lib.* 1. *p.* 34. Placidus Reina *not. hist. Mess. par.* 2. *p.* 501. Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 17. *p.* 122. Petrus Ansalonius *in sua familia p.* 232. Leonardus Orlandinus *in disc. de Sicilię laudib. p.* 81. Joseph Ambrosius *in descr. solemnitatis epistolæ Marianæ p.* 126. Henr. Wharton cit. qui mendosè Siculum Mastanensem dixit. Vincentius verò Ferrarottus in libro *de offic. & præeminentiis Straticoti cap.* 18. *p.* 106. ex oppido Cataracti propè Messanam oriundum ait. Sanè ipsemet Andreas se Messanensem fatetur *de offic. legati n.* 19. & *in consiliis Vol.* 2. *consil.* 58. *p.* 167.

167. Sed patriâ Netinum privilegio Messanensem existimant Vincentius Littara *de Reb. Netinis pag.* 143. & Rocchus Pirrus *not. Eccl. Messan. pag.* 360. *& not. Eccl. Syrac. p.* 227. auctoritate fulti inscriptionum ejusdem Barbatiæ, quæ Neti asservabantur; ac testimonio Josephi Bonasiæ, qui in eadem Urbe ædes Andreæ indigitabat: & Magni Netini nomine proclamatum affirmat Pirrus. Hanc sententiam sequitur Leander Albertus *in Insulis pag.* 56. Christophorus Scanellus *in Chronica Siciliæ*, & Joseph Carnilivarius *hist. Sicil. lib.* 2. *p.* 221. Hinc Morerius *in dict. tom.* 1. *p.* 437. Barbatiam Siculum Netinum, vel Messanensem fuisse ait: P. verò Hier. Ragusa *in elogiis Sicul. p.* 23. Netinum, *in Siciliæ ver. Biblioth. p.* 21. Messanensem voluit: etsi pro utraque opinione patronos exhibeat. His addam quod Andreas ipse, qui se Messanensem dicit, ut supra innui, attamen *consilio* 93. supra citato, *in vol. consiliorum ad causas criminales to.* 1. *p.* 82. ait: *facit ad prædicta quod voluit Dominus, & concivis meus Abbas in cap. postulasti de Judæis*. Nicolaum Tudeschum concivem dicit, qui nec Messanensem, nec Netinum fuisse scimus; sed Panormitanum, vel Catanensem. Quò te vertas lector nescio; ego Siculum fuisse tantummodo affirmo. Andreas Patre Bartholomæo natus, literarum studiis addictus, an. 1448. Bononiam profectus est; ibiq; sub Joannis Imolensis, & Ioannis Ananiæ disciplina Iurisprudentiæ operam dedit. Acutissima ipsi fuit ingenii acies, adeo ut vix peracto anni secundi curriculo, publicè, non sine omnium admiratione, de utroque jure doctissimè disseruerit. Juris utriusque laureâ donatus, ac patefactâ ingenii felicitate, Ferrariæ primùm, inde Bononiæ Pontificia Jura publicè interpretatus est. Ibidem etiam Cæsarea Iura enucleatus, magni ingenii, doctrinæq; laude, inter celeberrimos Italię Iurisperitos, magno omnium plausu, ascriptus est. Bononiæ sui æmulum habuit Alexandrum Tartagnam egregium Iurisconsultum, cui memoriæ felicitate anteivit, quam singularem accepit: adeo ut omnia quæ oculis lustrabat memoriâ tenaciter complecteretur: hinc ne dum maximâ omnium admiratione in causarum patrocinio usque ad satietatem dicebat, verùm etiam centum, & bis centum argumenta, ipsi obiecta, fideliter repetebat, ac responsa celeriter ad omnia reddebat. Brevi horarum intercapedine causas plures inter se dissidentes propugnabat: & ingenii acutissimi ope, de re quacumq; etiam inopinatè disceptabat. Ideoq; ob clarissimam nominis celebritatem ubiq; diffusam, Dynastarum, Regumq: venerationem promeruit: ac passim legum Monarcha vocabatur. Et sanè si ab incœpto studiorum ardore ingenium non amavisset, ipsum exæquare potuisset nemo, ac Doctorū primas ipsi detulissent omnes: in eo enim quod inventu difficile, & ingenii subtilitas, & memoria ad miraculum fœcundissima colligata demirabantur. Memoriam verò calamo adauxit, cui nunquam parcendum dicebat. Interfuit Concilio Basiliensi, & in eo summa Patrum laude pro illibata Deiparæ Virginis Conceptione doctissimè disputavit, teste Matthæo Silvagio *de trib. peregrinis cap.* 42. *p.* 149. quem nonnulli ex allatis scriptoribus sequuntur: eoque instante, Mariæ immunitas ab originali labe fuit conclamata. Divitiis adauctus Margaritam duxit uxorem è nobilissima Pepulorum familia Bononiensi, cum ampla bonorum dote. At studiorum solertiâ relaxatâ, cùm morum gravitatem neglexisset, multùm apud doctos ejus doctrinæ opinio diminuta est. Hinc Franc. Aretinus asserere non dubitavit, Barbatiæ famam velut palearum ignem futuram: idest momentaneo lumine refulgebit. A nonnullis ut inanis gloriæ cupidum, & jactantiæ reum criminatus est. Pluries minus prudens inventus, adeo ut ad risum, & irrisionem discipulos excitaverit. Ab aliquibus quorumdam criminum insimulatur: præcipuè rerum suarum studiosissimum, ac venalem prædicant. Nonnulli etsi doctrinæ suę præstantiam, ingeniiq: fœcunditatem fateantur; attamen ipsi loquacitatem obiiciunt: ac disputationibus nimis addictum, & mendacem renunciant Laurentius Calcagnus *cons.* 1. *in princip.* Zolius *lib.* 1. *singular. resp. cap.* 7. *n.* 11. Nevizan. *lib.* 5. *Sylv. nupt. n.* 28. Menochius *de recup. possess. remed.* 14. *n.* 57. & Dionysius Simon *in Biblioth. hist. & Chronol. pag.* 32. adduntq. cartas pauperibus, ac viduis venditasse. Felinus *in cap. postulasti enim de rescrip.* furti reum incusat: & tandem Suarez *tit. de las arras n.* 40. ait, æternam ejus salutem in dubio versari. At extollere non dubitant Andream gravissimæ notæ scriptores infra citandi: inter hos Ant. Corsettus à quo *in singular minor.* 1. Lucerna Iuris vocatur: & passim in operum suarum editionibus: Eques Apostolicus appellatur, Regis Aragonum, & Siciliæ Consiliarius, utriusq. Iuris Monarcha, & Princeps clarissimus, Canonum Pater famigeratissimus, utriusq: juris Illuminator, Iurisconsultus eminentissimus, ac facundissimus. Tandem cùm astrorum periti imminentem primarii Iurisconsulti mortem prædixissent; prognosticum sibi ascribens (etenim putabat se inter omnes primum) extimescere cœpit supremum diem. Sed cùm è vivis excessisset Alexander Tartagnus, majori extimatione Alexandrum teneri perpendens, molestè hoc pertulit, ac nimio dolore animum dilaniavit. Excursis verò quatuor propè annis post Alexandri mortem, vitę cursum absolvit Bononiæ circa annum 1476. ex Guidone Pancirolo *de Claris legum Interpretib. lib.* 2. *cap.* 116. licet Bellarminus *de script. Eccl.* Aubertus Miræus *in Bibliot. Eccl. cap.* 484. *p.* 272. & Wharton cit. ad ad annum 1460. Sansovinus in Chronolog. ad an. 1477. Philippus Bergomensis *in suppl. Chronic. lib.* 15. ad an. 1483. & Maurolycus *hist. Sic. lib.* 1. *p.* 33. ad annum 1494. vel paulò ante rejiciant. In Ecclesia S. Petronii sepultus jacet, hac adjecta inscriptione.

Andreæ Barbatiæ Siculo, Maximo Juris utriusque Monarchæ, Equiti Aurato, hic molliter agenti, Suav. Conjux D. Margarita de Pepulis, & pia in parentem Proles, hoc S. opus B. M. F.

Ex

Ex ejus schola nonnulli eximii Jurisprudentiæ Doctores prodiere, inter quos Hippolytus Marsilius. Ex eo genus deducit nobilissima Barbatiarum familia, quæ adhuc Bononiæ floret, ut Leander Alberti testatur *in Insulis pag.*56. & Morerius *in dict. to.*1. *pag.* 437. De Andrea scripsere, præter auctores supra relatos, Marcus Mantua *Epit. Viror. illustr. n.* 15. *p.* 23. Philippus Labbe *de Scrip. Eccles. to.*1. *p.* 75. *&* 718. Raphael Volaterranus. *lib.* 22. *anthrop.* Possevinus *appar. sacr. to.*1. *pag.*81. Marineus *in Epist. lib.* 5. *ad Cataldum Parisium.* Ioan. Antonius Bumaldi, seu verius, Ovidius Montalbanus *in Biblioth. Bononiensi p.* 15. qui Siculum, & Bononiensem civem Andream vocat, aliiq; multi. Edidit.

Consiliorum Volumina quatuor. Venetiis per Philippum Pincium 1516. in fol. ibid. 1563. in fol. ex Biblioth. Classica *pag.* 679. & Biblioth. Exotica *pag.* 471. iterum apud Bernardum Juntam & fratres 1581. in fol. Lugduni apud Thomam Bertellum, & Claudium Servantium 1559. in fol.

Lecturam in Clementinarum Compilationem. Venetiis apud Philippum Pincium 1516. in fol. Parisiis apud Reginaldum Chaudiere 1517. in fol.

De Testibus ad c. Testimonium de Testibus. Extat in tom.4. Tractatuum universi Juris. Venetiis 1584. in fol. *à pag.* 130. & in Volumine inscripto *Tractatus de Testibus probandis, vel reprobandis variorum Auctorum, per Jo. Bap. Ziletum in lucem editi.* Venetiis apud Jacobum Vitalem 1574. in 4. *à pag.* 193.

De Præstantia Cardinalium. In Tom. 13. Tractatuũ *par.*2. Ibid. *à pag.*63. Hunc Tractatum adhuc juvenis exaravit ex Mantua cit. Pancirolus verò Bassarioni Card. Bononiensi Legato anno circiter 1454. nuncupasse testatur.

De Cardinalibus Legatis. In Tom. 13. *cit. p.*2. *pag.* 131. cum addictionibus Joannis de Gradibus excusus est Lugduni 1518. in fol. ex Fontana *in Bibl. legali p.*1. *p.*62. *&* 439.

In libros Decretaliũ Commentaria. In Tom. V. Venetiis 1508. in fol. ex indice Bibliothecæ Barberinæ *to.*1. *pag.* 109. & Bumaldi *Bibl. Bonon. p.*15. Ibidem 1511. ex Vuharton cit.

In Titulum Digestorum de verborum obligationibus: ex Fontana cit. *par.*1. *pag.*62. & Bumaldi. cit.

Repetitionem in Rubrica C. qui admitti. extat apud Repetentes *in* 2. *p. Codicis vol.*8. Venetiis sub signo Aquilæ renovantis 1608. in fol. *à p.*18.

Repetitionem in l. cum acutissimi, C. de fideicomm. Ibid. *à p.*385.

Super 2. *ff. novi. & in* 1. *Infortiati.* ex Gesnero *in Bibl. p.* 41.

Idem Fontana cit. *pag.*61. ait: *Andreæ Barbatiæ Siculi à Terra S. Georgii Molariæ: Repetitio in Rubrica de fide Instrumentorum, habetur in tom.* 4. *Repetentium in jus Canonicum.* sed quis iste Barbatius Siculus à S. Georgio? errorem puto: sanè noster Barbatia scripsit.

Super 2. *Decretalium Rubr. de fide instrumentorum c. dilectorum*, ex Gesnero *Bibl. pag.* 41. extat inter Repetentes Juris Canonici *tom.* 4. ex indice Bibliothecæ Barberinæ *pag.* 109. & Fontana.

Additiones ad commentaria in Jus feudorum Vbaldi Baldi in Codicem, Digestum, Feuda, & Infortiatum. Lugduni 1545. ex Vvharton cit. qui & Barbatiæ *Repetitiones varias* editas testatur Papiæ 1496. Lugduni 1553. & Venetiis 1587.

Consilium. In libro Consiliorum sive Responsorum ad causas ultimarum voluntatum &c. Volum.2. Venetiis apud Franciscum Zilettum 1581. In fol: *consil.*24. *p.* 30. ubi subscribitur, Barbatius Messanensis.

Consilium. Inter Consilia, seu Responsa ad causas criminales tom. 1. Venetiis apud Joan. Bapt. Ziletum 1582. in fol.

Decisiones Rotæ Romanæ, ex Fontana cit. *par.* 2. *p.*201. Sed an Barbatia fuerit Romanæ Rotæ Auditor, nescimus. Sanè *in Syntaxi Auditorum Rotæ Romanæ* auctore Jo: Bapt. Catalmajo, non inveni Barbatiam.

ANDREAS CASTROREGALENSIS Ord. S. Mariæ de Monte Carmelo, Provinciæ Reformatæ, ut vocant, Primi Instituti Montis Sancti. In Civitate Castriregalis Diœcesis Messanensis ortus ex honesta familia Ferraria, regularē disciplinam amplexus est. Exacto studiorum curriculo, clarissimam nominis famam sibi comparavit, sive è suggestu declamando, sive è cathedra docendo. Concionatoris munere, pluries in cinerali jejunio eruditionis, ac eloquentiæ ubertatem patefecit in præcipuis Siciliæ, & Italiæ urbibus: dicendi copiæ pondus non leve addidit fervidus animarum zelus. Philosophiam, & scholasticam Theologiam sodales suos docuit cum doctrinæ laude. Promeritis exigentibus ad nonnullos Ordinis honores evectus est; fuitque in Cœnobio Neapolitano studiorum Præfectus: Conventus Montis Sancti bis, ut vocant, Prior; Provinciæ Montis Sancti Definitor, Vicarius Provincialis: ipsamque Provinciam semel, & iterum rexit. Doctrinam morum integritate, ac virtutum splendore exornavit. Tandem vitæ sanctimonia, ac religiosæ disciplinæ zelo insignis, obiit Neapoli 24. Julii 1685. De eo Placidus Reina *in Not. hist. Messanæ par.*2. *pag.* 56. Daniel à Virgine Maria *in Specul. Carmelit. to.*2. *par.*5. *lib.*5. *n.*3723. *pag.* 1070. & Marcellus Baro *in carm. sacr. p.*180. Edidit

Intelligentiarum Divinarum B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Ordinis Carmelit. libros septem. Neapoli typis Hyacinthi Passari 1666. in fol.

Divini Amoris spicula S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Ibidem apud eumdem 1673. in 16. Italicè

Discorso funerale nella morte dell' Ill. Sig. D. Diego Marotta Presidente di Giustitia nel Regno di Sicilia. Panormi apud Augustinum Bossium 1661. in 4.

All'una delle due discorsi disingannanti. Neapoli apud Hyacinthum Passarum 1667. in 4. & iterum apud eumdem 1679. in 8.

Sacra Novena Problematica dell' Incarnatione del Verbo per li giorni d' innanzi il Parto di Maria Vergine. Neapoli apud Hyacinthum Passarum 1673. in 4.

Compendio della Vita di S. Maria Madalena de Pazzi Carmelitana. Ibid. apud eumdem 1669. & iterum Panormi apud Petrum de Insula 1669. in 16.

Saette d'Amor Divino di S. Maria Madalena de Pazzi Carmelitana. Neapoli apud Hyac. Passarum 1674. in 16.

L' Imparadisata Maria Predica della Lettera di Maria Vergine a' Messinesi. ex Reina *cit.*

ANDREAS CHIARELLUS Messanensis, animi, corporisque dotibus clarus, ad musicam mirè pronus, ut ipsam edisceret Romam, ac Neapolim se contulit. Messanam remeans, omnium oculos, auresque ad se traxit ob singularem majoris Lyræ, quam *Arciliuto* vocamus, sonum. Cùm autem uxorem duxisset, vix excurso tertio mēse, vivere desiit mense Septembris 1699. non sine æternæ felicitatis argumentis, annum agens 24. & sepulturæ traditus fuit in Ecclesia S. Nicolai Societ. Jesu. Edidit Italicè

Suonate Musicali di Violini, Organo, Violone, Arciliuto Tom. IV. Neapoli ex nova typographia Michaelis Aloysii Mutii 1699. in 4.

ANDREAS CIRINUS nobilis Messanensis, Ordinis Clericorum Regularium, egregiâ instructus indole, adolescens Ordini nomen dedit, & sese solemnibus adstrinxit votis Messanæ 16. Julii 1634. Absolutis studiorum spatiis, ad antiquitatum monumenta quà sacra, quà prophana animā toto pectore adjecit; ac omnia, quæ antiquitatem redolerent, mirâ aviditate perlustravit. Sanctorum Patrum volumina evolvit omnia, diu, noctuque in perscrutandis omnium scientiarum scriptoribus tempus impendit, eâ animi contentione, ut adhuc adolescens, librorum helvo meritò proclamaretur. Singulari ideoque, ac impervià eruditione locupletatus effulsit. Præstantissima erat ipsi memoriæ vis, adeout lecta semel firmiter retineret; & ad rem promptè promeret eruditionis thesauros. Vix sacris initiatus acceptâ à Superioribus concionandi facultate, inter egregios Ecclesiastes ascriptus est: ejusque conciones doctrinâ, eruditione, & Patrum copiâ affluentes, haud exiguum pepererunt nomini suo gloriam. In Ecclesiis, ac oratoriis ter, & nonnunquam quater eodam die, eruditissimè, mirâque facilitate declamavit. Panormi in Divi Josephi Templo è suggestu singulis festis diebus per multa annorum spatia sacras literas, ac historias expensus est, magnâ populi frequentiâ, ac plausu. Prudentiâ, ac consilio plurimum valuit: hinc nobiles, Dynastæ, ac cujusque ordinis viri in difficillimis rebus statuendis, consilii causâ ad ipsum confluebant. His accessit humillimus sui ipsius sensus, morumque suavitas, quibus omnium animos sibi conciliavit. Omnimodam quietem neglexit, nunquam otiari visus, nec corpori relaxando aliquantulum indulsit: velaudiendis sæcularium curis, vel evolvendis scriptorum libris, vel concionibus habendis semper-defixus: itaut constans fuit omnium sententia, ea ipsum perfecisse, quæ quinque non desidiosis operariis sat esse possent. Tandem ob diuturnam laborum, studiorumque pervicaciam morbo correptus, mirabili animi tranquillitate sese ad mortem composuit: & ingeminatis suspiriis, divini amoris flammas succendebat. Hinc 8. Idus Septembris supremam vitæ horam præsentiens, eja, inquit, commendationis animæ signum edite; mediâ enim elapsâ horâ hinc commigrantes, ad cœlestem gloriam properabimus. Exinde emissis probitatis eximiæ, ac futuræ felicitatis argumentis, dum Christi Domini cruciatus ex D. Joanne, sodales circumfusi recitabant, sublatis ad Cœlum oculis, pièque ad crucis formam compositis brachiis, ad ea verba: *& inclinato capite emisit spiritum*, efflavit animam 6. Septembris 1664. ætatis suæ 46. Mortis suæ nuncium excepere omnium lachrymæ. In funere celebrando ea confluxit omnium frequentia die obitus, ac postridie, ut expulso nimio labore concursu, cadaver vix provehi posset. De eo vide Josephum Silos *Hist. Cler. Regul. par.* 3. *pag.* 527. *& in Analectis epist.* 100. *pag.* 274. *& inscr. p.*71. *pag.* 203. Franc. Mariam Magium *in præfat. ad librum de Urbe Roma* ab ipso edita, & in libro, *Proposita benè moriēdi prop.* 26. *pag.* 194. & Placidū Reinā *Not. hist. Messan. par.* 2. *p.* 501. Edidit

Variarum lectionum, sive de Venatione Heroum libros duos. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1650. in 4.

De Venatione, & naturâ Animalium. Panormi apud Josephum Bisagnium 1653. in 4.

De Natura & solertia Canum librum singularem. Ibid. apud eumdem 1653. in 4.

De Natura Piscium. Ibidem apud eumdem 1653. in 4.

Variarum Lectionum de Urbe Roma, ejusq: conditore Romulo librum singularem. Ibid. typis Augustini Bossii 1665. in fol. Italicè

Historia delle cause, & effetti della Peste. Genuæ apud Benedictum Guascum 1656. in 4

Feste celebrate in Napoli per la nascita del Serenisss. Principe delle Spagne dal Sig. Conte di Castriglio Vicerè &c. Neapoli ex typographia SS. Apostolorum 1659. in fol. cum figuris ære incisis.

Oratione nell' Esequie dell Emin. Card. Doria Arcivescovo di Palermo. Panormi apud Decium Cyrillum 1643. in 4.

Discorso detto nella solennità della Lettera di Maria Vergine scritta a' Messinesi. Monteleoni apud Jo: Bap. Rubeum 1649. in 4.

Vita del Ven. Servo di Dio D. Francesco Olimpio Chierico Regolare. Neapoli apud Novellum Bonis 1655. in 4.

Reliquit hæc m. ss. ingenii monumenta Panormi, quæ in Bibliothecâ S. Joseph Clericorum Regularium asservantur; nempè

De Pulchritudine B. Mariæ librum.

Commentarium in Genesim. Tom. II. in fol.

Commentarium in D. Joannis Apocalypsin. Tom. II. in fol.

De Interregno Urbis Romæ, ejusq. Rege Numa Pompilio. lib. 2.

De Sedanda, ac componenda Republica. in 4.

De Obeliscis, Pyramidibus, Saxis, & Columnis Ægyptiorum. Tom. III.

Cla-

Clades Orbis Terrarum, Terremotus, Pestis &c.
De Natura Elephantorum.
De Passione Domini.
Prodigia Orbis Terrarum.
Commentarium in D. Joannis Evangelium.
Commentarium in D. Joannis Epistolas.
Philosophiam Platonicam.
In Petronium Arbitrum Notas.
Antiquarum, Variarumq; lectionum libros quamplures.
Philosophiam Epiteti, sive de Constantiâ.
Encomium Medicinæ Artis.
De Prodigiis, & Apparitionibus S. Crucis.
Historiam ab Orbe condito.
Lectiones in Sacram Scripturam.
Conciones varias, Meditationes, & Historias.
Et alia, vel jam absoluta, vel non dum elimata.

ANDREAS CORDONE Alcamensis, aliquandiù in Societate Jesu vixit: inde egressus Sacræ Theologiæ laureâ, & Abbatis titulo insignitus claruit. Divini verbi egregius præco, quadragesimæ tempore conciones habuit doctrinâ, & eloquentiâ refertas Panormi in Principe Templo anno 1651. & alibi in precipuis Siciliæ, & Italiæ urbibus, non sine laude, & plausu. Politioribus literis, scholasticæ, & moralis doctrinæ ornamentum addidit. Jo: Domenico Spinolæ S. R. E. Card. & Episcopo Mazariési gratus fuit, qui Synodalem Examinatorem in Mazariensi Ecclesia delegit, ut ex ejusdem synodo *p.* 174. patet. Obiit Panormi 9. Ianuarii 1656. & in Ecclesia S. Matthæi sepulturæ traditus est. Andream laudat Hyacinthus Maria Fortunius *in Plausib. Panormi p.* 10. Edidit italicè

Il Servo Servito, Raggionamento Panegirico del B. Filippo Benizio Fiorentino, Quinto Generale, e Propagatore dell' Ordine de' Servi di Maria Vergine, detto nella Chiesa di S. Maria d' ogni bene di Napoli. Neapoli apud Franciscum Savium 1636. in 4.

Relatione della divotione de' dolori di Maria Vergine, e de Confrati, e Sorelle ad essa scritti, Panormi 1648. ex Augustino Lavezoli in libro: *Modo di compatire la Vergine Addolorata, cap.* 3. *p.* 29. *& cap.* 6. *p.* 46. Prelo paraverat

Quæstiones Theologicas Scholasticas, & Morales, Compendium artis concionatoriæ. Carminum, & elegiarum libros duos. Quadragesimales duos. Panegyricorum librum. Orationum funebrium librum.

ANDREAS JUSTINIANUS Messanensis, ex Patritia Ianuensi familia Justiniana. Parentibus Cassano Justiniano, & Caterina Belli, ex Comitibus Chelmi Messanæ ortus est 14. Octobris 1605. Literarum studiis dicatus, Iurisprudétiæ lauream accepit primo Februarii 1625. Inde Romam se trastulit; ibiq; 28. Decembris 1637. Vincentii Justiniani Bossani Marchionis hæres renunciatus est: qui ab anno 1631. ex testamento instituerat, suadentibus consanguinitatis vinculis, & eximiis Andreæ moribus: quibus accessere Urbani VIII. Pont. Max. hortationes. Acceptâ hæreditate, an. 1649. uxorem duxit Mariam Panfiliam, Io: Baptistæ Panfilii Card. neptem, qui anno 1645. ad Pontificatus apicem evectus, assumpto Innocentii X. nomine, Andream unum ex nepotibus suis, ac Pontificiæ Sedis Principibus declaravit, & molis Adriani præfectum, Bassaniq; Principem elegit. Ex filiis suis Olimpia major nata Maffeo Barberino Palestrinæ Principi nupsit, Urbani VIII. pronepoti; Francisci, & Antonii Barberini Card. Nepoti: & Caroli Barberini Card. germano fratri; eorumq; Sponsalia solemni ritu, maximâq; pompâ idem Innocentius in pontificio Sacello celebravit anno 1653. Caterina verò natu minor anno 1664. Iulio Savelli Albani Principi, Principis Pauli Savelli, inde S.R.E. Cardinalis fratri, nuptui tradita est: & sponsaliorum minester fuit memoratus Card. Carolus, confluentibus Cardinalium Collegio, ac omnium nobilium ordine. Ad otia domestica, ac œconomica negotia pertractanda propensus, à Reipublicæ muneribus alienus vixit: in amoribus habuit sodalitatum frequentiam, & asceticorum librorum usum, quibus christianam pietatem foveret. Attamen scientiarum studia, & liberalium artium cognitionem non neglexit, quibus instructissimus claruit. Romæ obiit mense Maii an 1667. ejusq; laudes retulit Ab. Michael Justinianus *de scrip. Liguris p.* 57. & in Epistolis memorabilibus. & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico p.* 24. Italicè scripsisse testantur

Diario del Viaggio del Marchese Vincenzo Giustiniani fatto nel 1605. per la Germania, per la Fiandra, per l' Inghilterra, e per la Francia. Latinè ex Oldoino

Propositiones Legales à se collectas, & evulgatas.

ANDREAS LAMOSTOLFUS v. Thomas Fardella.

ANDREAS LAUS, sive ANDREAS A CRUCE Catanensis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, Theologus præstantissimus, ac Ecclesiastes numeris ónibus absolutus. Die 13. Februarii 1614. natus Carmelitarum institutum à teneris annis amplexus est. In ea gravioribus scientiis insigniter excultus, adeptam doctrinam virtutum splendoribus illustravit; ideoque ad nonnullos honorum gradus, ascendit, ab incomparabili morum integritate, & egregiâ doctrinæ excellentiâ promeritos. Philosophiam, ac Theologiam non sine plausu sodales suos docuit, ab ingenii acie demiratus. Studiorum, ut vocant, Regens, & Præfectus effulsit in Regio Neapolis Cœnobio, & alibi; ac Sacræ Theologiæ laureâ ornatus est. In publica Patavina Academia Sacrarum Literarum explanator, eximiam eruditionem detexit. Anno 1640. ætate adhuc florente, Siculam Provinciam S. Alberti insigni prudentiæ laude moderatus est: in eaq; Provincia Visitatorem, & ut dicunt, Reformatorem, & Comissarium Generalem egit. Inde arctioris vitæ desiderio extimulatus ad Carmelitas Excalceatos transiit an. 1647. accepto nomine Andreæ à Cruce. Sed tanti viri jacturam egrè ferens Carmelitarum Institutum, hunc discessium irritum tentavit; hinc per annos quatuor apud Sacram Congregationem ab his Ordinibus disceptatum, & ex utraq: parte pugnatum pro hujus doctissimi, ac absolutissimi viri regressu, ac tuitio-

tuitionē. Sed tandem adjudicatâ primævo Ordini causâ anno 1651. Andreas ex obedientiâ ad dimissum Institutum remeare coactus est; ut gravis culpæ & apostasiæ notam declinaret: quòd scriptis mandavit Io: Baptista Lezana *in consultationibus cons.* 17. idemq: Andreas *in præf. to. 2. in p.p. D. Tho.* Nec minori extimatione exceptus Andreæ regressus: ideoq: bis ad Procuratoris Generalis, semel ad Vicarii Generalis munera Carmelitici Ordinis assumptus est. Quo ipsum in pretio habuere Romani Pontifices ex eo colligimus, quòd inter Consultores Sacræ Rituum Congregationis ascripsere: Sacræ Congregationis SS. Inquisitionis Censorem, & Episcoporum examinatorem delegerunt. Alexander VII. Reverendissimi titulo exornavit Andream, & ut primum suffragium post Vicarium Generalem haberet in Generalibus Ordinis comitiis decrevit. Concionatoris munus egregiè exercens, inter celeberrimos ævi sui Ecclesiastes, qui eloquentiæ gloriâ Italiam illustrarunt, meritò cooptatus est. In præcipuis Europæ civitatibus conciones habuit, semper faustis omnium acclamationibus auditus: & multoties ad eadem pulpita instanter revocatus. Ob sacræ eloquentiæ vires, ac zelum in excitandis ad pœnitentiam, virtutesq; populis, Concionatorum Pater, Sacrarum Literarum familiaris Doctor, populorum, ac plausuum Magnes, passim vocatus. Dum Romæ in Vaticana Basilica è sugestu orabat singulari laude, & incredibili audientium frequentiâ, pluries Clem. IX. Pon. Max. ad ipsum audiendum accessit. Neapoli cineralis jejunii conciones in Ecclesia S. Ioannis Majoris eo excepere plausu docti viri, ut nonnulli libellum poeticis encomiis concinnarunt, quem hoc titulo prænotatum typis tradidere Neapoli an. 1643. nempè: *Sacre acclamationi alle Glorie sublimi del M. R. P. Andrea Lao.* Ob virtutum splendorem, doctrinæq: opinionem, & uberrimis animarum lucris, quę declamando assequutus est, omnium venerationem sibi concilavit. Proceribus ideoq; carus fuit S.R.E. Cardinalibus, & Episcopis jucundus, ac omnibus gratissimus, qui eumdem veluti singulare Carmelitici Instituti, Romanæq: Aulæ ornamentum intuebantur. Tandem virtutibus, doctrinâ, & honoribus cumulatus, è vivis abiit Genuę 23. Decembris 1675. relicta apud mortales clarissimi nominis famâ. Andream celebrant Io: Bapt. de Grossis *in decac. Catan. tom. 1. cord. 2. mod. 10. pag.* 160. Placidus Reina *not. hist. Messanæ par 2. p.* 496. Ab. Michael Justinianus *in literis memor. par. 3. lit.* 117. *p.* 593. Daniel à Virgine Maria *in Speculo Carmel. t. 2. par. 5. lib. 5. n.* 3724. *p.* 1070. Ioseph Maria Fornarius *in Anno memorabili Carmel. t. 2. p.* 732. Franc. Fulv. Frugon. *in Cane Diogenis lat. 5. nar.* 10. *pa.* 603. & Jacob. Phil. Tomasinus *in Gymnasio Patavino l. 3. c. 5. p.* 287. *& c. 35. p.* 332. Edidit

Compendiosas totius Philosophiæ Disputationes, in quibus dilucidè, & succintè rationes magni ponderis juxtà angelicam D. Thomæ doctrinam, obiectionesq: uniuscujusq; materiæ funditus dispunguntur. Neapoli ex typographia Ægidii Longhi 1643. in 12.

In Primam partem D. Thomæ Disputationes Theologicas à quæst. 1. usq. ad quæst. 23. inclusivè. Tomum Primum. Genuæ apud Io: Mariam Ferronum 1650 in fol.

In Primam partem D. Thomæ Disputationes Theologicas de libro Vitæ. de Omnipotentia. de Trinitate. de Creatione. de Angelis. Tomum Secundum. Ibid. apud eumdem 1652. in fol

In Primam Secundæ D. Thomæ Disputationes Thologicas de Fine. de Beatitudine. de Voluntario, & Involuntario. de Actibus humanis. de Bonitate, & de Malitia humanorū actuum. Tomum Tertium. Ibid. apud. eumdem 1653. in fol.

In Primam Secundæ D. Thomæ Tomum Quartum. Ibid. apud eumdem 1656. in fol. hic in tractatu de conscientia, habetur opusculum *de Romano Pontifice*; exinde seorsim recusum Romæ an. 1663. in 8. & tandem in *Bibliothecâ Maximâ Pontificiâ editâ à Joanne de Roccaberti Archiepiscopo Valentino tom.* 3. Romę typis Jo. Francisci Buagni 1697. in fol, *à pag.* 591. ubi laudatur Andreę doctrina. Placidus Reina cit. opus *de Epistola Mariana ad Messanenses*, scripsisse testatur: sed publicam non vidit lucem.

ANDREAS LONGUS Panormitanus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, vir ne dum gravioribus Philosophię, & Theologiæ disciplinis egregiè excultus, verùm etiam politioribus literis ornatus. In dicendo è suggestu eloquentiâ valuit. Ætate adhuc florente obiit Panormi circa annum 1672. Edidit italicè

Il Demostrativo della retta pronunzia degl' Infiniti de' Verbi Toscani. Panormi apud Augustinum Bossium 1657. in 8.

La Germana pronunzia di tutti gl' Infiniti de' verbi Italiani. Ibid. apud eumdem 1667. in 16. & iterum locupletata prodiit eodem anno apud eumdem in 16.

ANDREAS MASTRILLI nobilis Panormitanus, Marii Mastrilli Iurisconsulti eximii filius, & Garsiæ frater: effulsit doctrinâ, morumq: integritate pręclarus, Philippi III. Catholici Regis Cappellanus, à quo primùm Abbas S. Marię de Altofonte, sive de Parco; inde an. 1618. Archiepiscopus Messanensis electus, à Messanensibus ęgro animo exceptus est: & licèt oculata Præsulis prudentia, omnium offensionum suspicionibus aditum occludisset, invidię ictus declinare non valuit: ideoque innocentię suę candorem apud Romanam Sedem falsis criminationibus denigrare tentavit adversariorum procacitas. Sed vibrata jacula retundit integerrimæ vitę candor, pietas, & constantis animi celsitudo: adeout nè dum Pontificis sapientia, verùm etiam iidem adversarii, refulgente Andreę virtute, in emerita laudum pręconia erumpere conati sint. In Ecclesia gubernanda sedis suæ jura contra Liparensem Episcopum propugnavit: Archiepiscopales ędes ampliavit, & in elegantiorem formam egregia munificentiâ redegit. Seminarii Clericorum fundamenta ad Messanense lictus projecit. His, & præcipuè morum integritate, omnium benevolentiam sibi conciliavit. Obiit tandem 31. Maii 1624.

1624. & in Cathedrali Ecclesia sepultus est, hac inscriptione cohonestatus.

D. O. M.

D. Andreas Mastrillus Panormitanus post plurimos honoris gradus ad Messan. Sedem evectus; Messanensium studiosissimus fuit. morum candore, aditusq; facilitate vix parem habuit, pietate, exemplo, precibusq; Auxit Alumnorum redditus exiguos, Præsulum ædes dilatavit, perfecitq; hisq; animo majora concipiens sibi parum, muneri satis cùm vixisset, abiit non obiit, en memoria 3. nonas Maii anno salutis 1624.

Quod sedes aliis condis Mastrille superbas
En tibi vix superest hoc breve marmor, habe.
Mausolea tuis meritis jam merita tecum
Condita Zancla simul condere non potuit.

Tanti Præsulis laudes è suggestu proclamavit Carolus Cirinus Messanensis Soc. Jesu funebri oratione, quam suppresso nomine edidit Messanæ eodem anno. De eo etiam Ab. Pirrus *not. Eccl. Messan. p.* 380. & 387. Franciscus Baronius *de maest. Panor. lib.* 3. *p.* 136. Petrus Ansalonius *de sua familia p.* 315. Franciscus Rodella *in epist. nuncupat. libri Memoriæ artificialis Anselmi Fatii*, aliisq; Synodum Diœcesanam coegit, quam typis tradidit hoc titulo

Constitutiones Synodales. Messanæ 1621. in 4.

ANDREAS MINUTOLUS Messanensis, Eques Hierosolymitanus, natus est 5. Octobris 1668. ex nobilissimis Joanne Minutolo oppidi Callaris Barone, ac feudorum Boccarrani, Oleastri, & Massariæ, & Cornelia de Joanne. Militaribus studiis addictus, & in Equitum Hierosolymitanum albo adscriptus, militiæ tyrocinium super ejusdem ordinis triremes posuit. Nonnulla fortissimæ indolis argumenta edidit: anno n. 1692. à Veneta, & Melitensi classe obsessâ Canea in Cretensi Insula, Andreas in magis dubiis oppugnationibus, ubi incalescebat conflictus, adfuit, ac intrepidè, strenuèq; pugnavit: labores, ac pericula neglexit, & multoties ad difficillima loca, periculis undique obsessa progressus est: unus ex iis, qui primi in hostes irruere in expugnando suburbio. In nonnullis hostium eruptionibus, eminentiora loca propugnando, haud exiguam militaris gloriæ laudem promeruit. Anno verò 1693. cum eadem classe profectus (quæ oram Corinthi custodire, & ab hostilibus incursionibus Pelopennesum liberare curavit) in eadem adfuit legatus, vulgò *Tenente*, militaris cohortis Equitis Dominici Savini, ac præclaris laboribus enituit. Pietate conspicuus, dum Gubernatorem ageret Archiconfraternitatis Messanensis, ut vocant Ceruleorum, in novis ædificiis ejusdem sodalitii eleganter extruendis animum appulit: Pinacothecam, Sacrarium, aliaq; haud parvo profuso ære perfecit. Politiores literas, historiarum, ac poesis studia summoperè coluit: ac ingenii vires calamo nunc Messanæ adauget non sine plausu in Clitiæ Academia. Ipsum laudat Nicolaus Maria Sicauvs *in funebri pompa pro D. Joanne de Joanne p.* 30. Italicè in lucem emisit

Memorie del Gran Priorato di Messina. Messanæ apud Vincentium Amicum 1699. in fol.

Applausi nel dì Natalizio di Filippo V. Gran Monarca delle due Sicilie, e delle Spagne. Ibidem apud Dominicum Costa 1704. in 8.

Nonnullos etiam dialogos italicis carminibus concinnatos etsi parvæ molis, quia collectos simul recudere meditatur, additis aliis ingenii monumentis, hic recensebo, cum annorum editionibus.

La Scala del Cielo 1685.

Il Tobbia 1687.

La Casta Trionfante per S. Bernardo 1688.

I Trionfi di Giuseppe Giusto 1695.

Il Fonte svelato dall' Angelo d' Agar per dar la vita al sitibondo Israele figura del Pane Eucharistico 1696.

La Donna forte 1697.

Il Giacobbe travestito figura del Pane Sacramentato 1698.

L'Amazzone Zanglea per lo monacato della Sig. Domenica Marino 1698.

La Donna costante. 1699.

La Sapienza coronata. 1699.

Prælo parat

Notizie Istoriche della sacra Religione Gerosolimitana, appartenenti alla Ven. lingua d'Italia, col Ruolo generale di tutti i Cavalieri di Malta Italiani.

Ne lo Sdegno l'Amore, Drama per Musica.

Non è forza l'Amor, genio è l'amare, Comedia in prosa.

Nobile amor di Cavaliere, e Dama, Comedia in prosa.

Poesie.

ANDREAS MUGNOS ex oppido Licodiæ, Francisci Mugnòs, de quo suo loco, pater. Poeticas amœnitates non sine ingenii laude professus est. Obiit Panormi ætate gravis 29. Martii 1669. & in Ecclesia S. Jacobi Hispanorum sepultus est. Emeritis laudibus Andream extollit Joseph Galeanus *in Musis Siculis to.* 1. *par.* 2. *pag.* 78. ibique invenies Andreæ vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12. Extat apud D. Rosam Mugnòs Linguæ grossæ dominam Principem, magnum *Volumen Siculorum cantionum, quas latinitate donavit.* m. s. in 4. ex expistolis mihi datis à Michaele Angelo Mancharuso Syracusano viro erudito.

ANDREAS MUSCARA Libritiensis, Juris utriusque Doctor, unus ex celebrioribus causarum Patronis, doctrinâ præclarus: meritò nonnullis honoribus cohonestatus, Magnæ Curiæ Archiepiscopalis Panormi Assessor, pluries Magnæ Regiæ Curiæ, & semel Consistorii Sacræ Reg. Conscientiæ Index: tandem Fisci Patronus effulsit. Vivere desiit Panormi 11. Novembris 1666. & in Ecclesia S. Antonini Fratrum Strictioris Observatiæ S. Francisci sepulturæ traditus est. In lucem emisit

Defensionem Immunitatis Ecclesiasticæ. Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanova 1647. in fol.

Consilium in causa competentiæ jurisdictionis vertente inter Eminentiss. Dom. Card. Montalto Archiepiscopum

typis Nic.Bua, & Mich. Portanova 1647. in fol.

Consilium in causa competentiæ jurisdictionis vertente inter Eminentiss. Dom. Card. Montalto Archiepiscopum Montis regalis ex una, & Illustriss. Inquisitores parte ex altera. Editum à Francisco Baronio *in Consiliis diversorum Siculorum super privilegio Felicis Urbis Panormi, quòd Fiscus non possit principaliter agere contra cives,* Panormi apud Maringum 1656. in 4.

Allegationes apud Paulum Franciscum Perramutū *in Cōflictu Jureconsultorū par.3.to.2.à p.290.* Plurimorum manibus teritur

Consultatio Juridica pro exactione Tandarum in donativo per tria brachia impositum, Ill. & Excell. D. Ferdinando de Ayala,Comiti Ayalæ &c. Proregi. m. s. in fol.

ANDREAS NOLEDO Panormitanus: in ipso ætatis flore egregiam ingenii præstantiam Musis Latinis,Etruscis, Siculisque addixit: ætate verò maturior ab his avulsus,forenses curas aluit: aliorum negotia procuravit, ac ratiocinationes tractavit. Obiit Panormi 26. Maii 1677. De eo Ioseph Galeanus *in Musis Siculis to.1. par.2. pag.* 54. *& par.*4. *p.*68. Siculo carmine scripsit

Canzoni Siciliane. in eodem to.1. p.2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Sacre Siciliane. in Musis cit.par.4. Ibid. apud Iosephum Bisagnium 1653. in 12. Italicè

Traduttioni,o vero Parafrasi poetiche sopra il Credo, Dies iræ, Miserere, Stabat Mater, Veni Sancte Spiritus, Lauda Sion, Quicumque vult salvus esse. m. s. in 4. extant apud filium Panormi,cum aliis Cantionibus Siculis.

ANDREAS PANARELLUS Messanensis, Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, pietate, & doctrinâ insignis: Præfecti munere Messanensem domum rexit:ubi an.1660. superstes clarebat, De eo Dominicus Regi *hist.Cler. Regul. Ministr. Infirm. lib.* 15. *cap.*7. *pag.* 462. Publici juris fecit italicè

Dispositione per incaminare l' anima al Cielo nel tempo dell'infermità, e morte, & anco delli suffragii, che si doveranno fare. Messanæ apud viduam Ioan. Franc. Bianco 1639. in 8. & iterum ibidem 1660. in 4. Prælo parabat

Modo come disponer si devono coloro, che vorrano haver cura d'anime.

Modo di quello, che deve fare il Cristiano nel tempo da che haverà l'uso della ragione,sino all'infermità, come spender debba tutto il tempo di sua vita.

ANDREAS PERRUCCIUS Panormitanus, Iurisprudentiæ Doctor, ac Poeta eximius. Natus Panormi 1. Iunii 1651. ex Francisco Perruccio, & Anna Fardella nobili Drepanense: annum agens octavum unâ cum Patre Neapolim petiit; ibique humanas literas à Patribus Soc. Iesu, Philosophicas verò disciplinas, ac Theologiæ partem à Fratribus Ord. Prædicatorum non sine eximii ingenii laude accepit. Inde Iurisprudentiæ studiis admotus, in publico Neapolitano Lyceo sub disciplina celebrium Iurisconsultorum Anelli de Philippis, & Iulii Capone, civilia jura, & à Iosepho Pulcharello Pontificia didicit. In iis mirè profecit, & in eadem Academia emeritâ laureâ donatus, causarum patrocinium suscepit, doctrinâ, ingenioque insigniter instructus:& sub vitæ finem Neapolitanæ Urbis Advocatus extraordinarius electus est.Poeticū ingenium nactus,à pueritia cum Musis ludere cœpit: ideoque nondum duodecimum ætatis annū excesserat, cùm carmine opus prælo dignū scripsit proBethleemitici Infantis Domini incunabulis; cui italicè nomen fecit: *Le staggioni mutate*: quòd sequuta sunt alia multa in publicis, privatisque theatris exposita, quorum aliqua musicis modulis expressa, magno semper eruditorum plausu excepta sunt. Musas non dum Etruscas,& Latinas, verùm etiam Hispanas, Siculas, Neapolitanas, & Calabras egregiè coluit: & inter Fori clamores, patris obluctantis conatus, ac ægritudinum, animique molestiis,innumera scripsit ingenii monumenta. In poeticis studiis, numeris omnibus absolutus enituit,& Literatorum opinione,cum primis apollineæ facultatis candidatis meritò conferendus. Per annos plurimos Parthenopæo Theatro Sancti Bartholomæi præfuit ut Poeta, constitutus à Neapolitani Regni Moderatoribus Marchione de los Velez, Marchione del Carpio, Comitestabili Columna, & Comite S. Stephani, quibus gratissimus fuit: multaque ad illius theatri splendorem edidit, præsertim Proloquia, & Intermedia. Ludrica etiam metro cum maledicorum metu,amicorumq:oblectamēto lepidissimè scripsit. His accessit uberem omnigenæ eruditionis copiam: & his omnibus præclarum sibi nomen comparavit. In celebrioribus Italiæ Academiis ascriptus fuit, ut inter Incultos, vulgò *Rozzi*, in quibus à secretis fuit, Otiosis, aliisque Neapolitanis. Extra verò nonnullis aliis nomen dedit; inter Peregrinos Romæ, Reaccensos Panormi, Pigros Barii, Incuriosos Rusciani, (inter hos Censorem, ut vocant, Promotorialem egit) & alios alibi claruit. In his verò amœnioris literaturæ præstantiâ, eruditione, ac doctrinâ egregiam ingenii excellentiam patefecit. Hinc haud mirùm si celebrium Literatorum,Procerumque benevolentiam, & eximias sibi laudes conciliaverit; & à Marchione de los Velez, à Ferdinando Carolo Gonzaga Mantuæ Duce, aliisque Dynastis,magnâ existimatione prosequutus sit. Tandem acutâ febre confixus, Neapoli decessit 6. Maii 1704. non sine Literatorum dolore. Ipsum laudant Sicula *in nobilitate gloriosa pro S. Aspreno p.*270. Sigismundus Fanelli *in otiis æstivis pag.* 116. Balthassar Pisanus *Poes. par.*2.*pag.*95.Carolus Sernicola *Poes.*& post alios, Vincentius Auria *in epist. nuncupatoria Siciliæ Inventricis.* at omnino videndus clarissimus Hyacinthus Gimma *in eruditiss. elogiis Academicis Societatis Incuriosorum Rosciani par.*2. *elog.*33. *pag.* 47. Paduanus Guascus apud ipsum *in epist. ad Lectorem*, & Auctor operis inscripti *Galleria di Minerva to.*4. *par.*11. *pag.* 223. Edidit Neapolitano carmine

L' Agnano Zaffannato d' Apollo Poemma Aroico Giocoso, e la malatia d' Apollo. Neapoli apud Io: Fran. Pacem 1678: in 12.

Italicè

La

La Stellidaura Vendicante. Drama prr musica. Ibid. apud Carolum Porsile 1678. in 8. & iterum 1679. 1685. in 12. & Genuæ, & Romæ. Exinde prosâ expressa à Francisco Massaro, hoc titulo edita, nempè: *la Viva sepolta, o vero la Stellidaura Comedia tradotta dal verso.* Neapoli apud Franciscum Mollum 1690. in 12.

Chi tal nasce, tal vive, o uero l'Alessandro Balà, Drama per musica. Neapoli apud Carolum Prosile 1678. in 12.

Il Convitato di Pietra, opera tragica. prosâ ibid. apud Franciscum Mollum 1678. in 12. exinde recognita, & in elegantiorem formam concinnata prodiit sub anagrammatico nomine Henrici Preudarcha. Neapoli apud Joan. Franc. Pacem 1690. in 12. & pluries.

L'Epaminonda, Drama per musiea. Ibid. apud Antonium Gramignanum 1684. in 12. & Panormi apud Epirum 1687. in 8.

La Fede Trionfante sù le rovine di Buda. Opera scenica. Neapoli apud Michaelem Monachum 1687. in 12.

Il Figlio del Serafico S. Pietro d'Alcantara. Opera Tragi-sacra. Venetiis apud Ziuum 1684. in 12. Neapoli apud Pacem 1692. in 12. apud Carolum Troise 1695. & apud Dominicum Parrinum 1699. in 12.

Il Devoto della Vergine Maria Immaculata. Opera Tragi-sacra. Romæ apud Mascardum 1691. in 12. & Neapoli apud Mutium, & Parrinum 1697. in 12.

La Costanza nelle sventure. Tragi-comedia. Neapoli 1694. in 12. Ibid. apud Troise 1695. in 12. & Venetiis 1694.

La Fragiltà Costante nel Martirio de' SS. Vito, Modesto, e Crescenza. Opera Tragi-sacra. Neapoli apud Carolum Troise 1695. in 12. & iterum apud eumdem 1698. in 12.

Il Zelo animato del gran Profeta Elia. Ibid. apud Franc. Pacem 1691. in 12.

Complire con la sua obligazione. Opera scenica in prosa. Ibid. apud Purpuram, & Troise 1697. in 12.

Il Vero lume tra l'ombre, overo la spelonca arricchita per la nascita del Verbo Incarnato. Opera Pastorale sacra. Neapoli apud Pacem 1698. in 12. sub nomine Casmiri Rogerii Oconis.

Il Calloandro, o vero l'Infedele Fedele. Opera recitativa. Ibid. apud Carolum Prosile 1698. in 12.

Idee delle Muse. Poesie. Ibid. apud Socios Parrinum, & Mutium 1695. in 12.

L'Arte Rappresentativa, Premeditata, & all'Improviso. Parti due. Ibid. apud Michaelem Aloysium Mutium 1699. in 12.

Oscurarsi per risplendere. Opera Tragi-sacra del Martirio della gloriosa V. e M. S. Lucia. Ibid. apud Dominicum Ant. Parrinum. 1701. in 12.

Sodissimi fondamenti sopra i quali si stabilisce la gloriosa Vergine S. Rosalia Palermitana non essere stata Religiosa Basiliana, ò d'altra Religione; ma Solitaria Romita secondo il giustissimo Decreto del Reverendiss. & Illustriss. D. Ferdinando Bazan Arcivescovo della Fedeliss. e Feliciss. Città di Palermo. In risposta alle brievi Ragioni per l'Abito Basiliano portate dal R. Abbate D. Demetrio Roscovizzo del SS. Salvatore di Grotta Latomia. Neapoli 1701. in 8.

Distinto diario dell' operato dalla Maestà Cattolica di Filippo V. Re delle Spagne, Napoli, *Sicilia &c. dalla sua partenza da Barcellona, sua dimora, e partenza da questa Città di Napoli, con esatto, e complito raguaglio delle Feste, Cavalcate, Giuramento, Iscrizioni, Apparati, ed Azioni più solenni da esso quì fatte.* Ibid. apud Dom. Ant. Parrinum, & Michaelem Mutium 1702. in 12.

La Sacra lega Tomo IV. Neapoli. suppresso nomine.

Il desio di Napoli appagato nella venuta dell' Eccellentiss. Signore il Sig. D. Gio. Emmanuele Fernandes Paceco Duca d'Ascalona, Marchese di Vigliena &c. in Vicerè, e Capitan Generale del suo Regno. Corona di Sonetti. Neapoli apud Dom. Ant. Parrinum 1702. in 8.

Alias etiam cantiones, ac dialogos exiguæ molis edidit, nempè

La Susanna. Neapoli apud Carolum Prosile 1686. in 8.

La Debbora. Ibid. apud Mutium 1698. in 8. & apud Hyac. Pictantem 1701. in 8.

La vera Armonia per S. Cecilia. Panormi apud Jacobum Epiro 1688. in 8.

La Sirena consolata per la ricuperata salute della Maestà Cattolica di Maria Anna di Neoburgo sposa di Carlo II. Monarca delle Spagne. Serenata. Neapoli apud Mutium, & Parrinum 1692. in 4.

L'Unione d'Amore, Bellezza, e Grazia. Serenata. Ibid. apud Mutium 1699. in 4.

Serenata dedicata al nome dell'Eccell. Sign. D. Geronima Pignatelli Principessa d'Avellino dall' Eccell. Marchese di Cocogliudo. Ibid. apud Camillum Cavallum, & Mutium 1689. in 4.

Gli stupori per la nascita del Signore. Ibid. apud Mutium 1700. in 4. & in 8.

Il Roveto di Mosè Geroglifico della SS. Trinità per la sua Santiss. festa. Oratorio per musica. Ibid. apud eumdem 1700. in 8.

L'Eresia discacciata dal suolo di Partenope dalla Fede di S. Gaetano. Oratorio. Ibid. apud eumdem 1679. in 4. & 1700. in 4.

Il Gedeone Geroglifico del Santiss. Patriarca S. Domenico Istitutore del Sacratiss. Rosario della Vergine. Oratorio per musica. Ibid. apud Pictante 1701. in 8.

L'Arca del Testamento di Gerico, ed il Laccio Purpureo di Rab simboli della Sacratiss. Vergine, e suo Sacratiss. Rosario, Oratorio per musica. Ibid. apud Carolum Troise 1702. in 8.

La Verga, la Manna, e la Legge nell'Arca del Testamento, simbolo della Santiss. Trinità. Oratorio per musica. Ibid. apud Hyacinthum Pittantem 1703. in 8.

Elogio alla gloriosa S. Rosalia Vergine Palermitana. Neapoli apud Socios Parrinum, & Mutium 1693. in 8. Prælo paraverat

L'amor vendicativo, o Dafne in alloro. Drama recitativo.

Gl' Incanti di Lotilda disturbati dal caso. Opera Tragica.

La Grandezza nel precipizio in Belisario. Tragedia.
Gli effetti della Grazia nella nascita di S. Gio: Battista. Opera sacra per musica.
Gli scherzi della sorte. Drama per musica.
La Zenobia. Opera Tragica.
L'Alano. Melodrama sacro.
Sospetto mal fondato.)
Gedeone.)
Non può evitarsi il destino.)
Infedele per necessità.) Drame.
L'Invenzione a tempo.)
Il Tiresia.)
L'Angelo decollato.)
L'Adalgiso. Melodrama per musica.
La fatalità delle Sfere. Recitativo.
La Staggione mutata per la nascita del Verbo.
Lo splendore degli Eremi per S. Rosalia. Tragisacra.
Discorsi Accademici Problematici, e Panegirici.
Discorsi Accademici Legali.
Poesie. Tomi 8.
Canzoni Siciliane.
Epistole eroiche sacre, e profane.
La Biageide, o vero il secondo D. Ciccio. Poesie giocose.
Idee armoniche contenenti 60. Oratorii per Musica, Serenate, & altri componimenti.

ANDREAS RIZZO Catanensis Poeta, vernaculâ linguâ lepidè, venustèq; multa cecinit. Ipsum laudat Joseph Galeanus *in Musis Siculis to. 1. par. 2. pag.* 74. ubi ejusdem leges Siculo carmine.

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

ANDREAS SCAMARDI Panormitanus, Congregationis Oratorii Panormitani Sacerdos, quã Præpositi munere rexit: vir gravioribus disciplinis, eruditione, prudentiâ, morumque integritate conspicuus. Ætate gravis, etsi morbotum molestiis cruciatus, vivit Panormi. Edidit italicè

Il Mistero della Santità, Panegirico in lode del Glorioso Patriarca S. Filippo Neri Fondatore della Ven. Congregatione dell' Oratorio. Panormi apud Rumolum 1691. in 4.

ANDREAS TRIMARCHI nobilis Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, doctrinâ clarus, & in anathomicis rebus scientissimus: Collegii Messanensis, vt vocant, Prior. Apud Siculos non modò, verùm etiam & exteros magnâ æstimatione vixit: in arduis enim sanitatis negotiis pluries, datis ad ipsum epistolis, salutarem ejus sententiam multi expetere curarunt. Amœnioribus literis instructus, Poeta non injucundus fuit. Obiit Messanæ circa an. 1660. ætatis 80. Edidit italico carmine

Discorso capriccio Anatomico. Messanæ apud hæredes Petri Brea 1644. in 4.

ANDREAS VATTICANE nobilis Messanensis Poeta eximius: floruit eodem tempore, quo Panormi celeberrimus Antonius Venetianus, nempè circa annum 1590. & Siculâ linguâ poemata sua cecinit. Ipsum laudat Joseph Galeanus *in Musis Siculis par. 1. pag.* 105. ibique ex eo habentur

Canzoni Siciliane. Panormi apud Buam, & Portã novam 1645. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

ANDREAS VETRANUS Panormitanus Philosophiæ, ac Medicinæ studia amplexus, eorũdem laureâ cohonestatus est. Ab egregia ingenii præstantia, ac doctrina laudatus, magnâ æstimatione claruit: ideoque Panormitani Prætoris Consultor, ac Urbis Archiater electus est. Defunctâ uxore, clericali militiæ mancipatus, ad Jurisprudentiæ, & Theologiæ studia animum appulit, & in utraque facultate emeritâ doctoris laureâ donatus, ad nonnullos honorum gradus Panormi ascendit: fuit etenim Parochus Ecclesiæ S. Nicolai de Calcia, Apostolicus Prothonotarius, Tribunalis SS. Inquisitionis Siciliæ Consultor, in Panormitana Diœcesi Examinator, & Judex Synodalis, & Monasteriorum, ut vocant, Deputatus, sub oculato regimine Præsulum Jacobi de Palafox, & Ferdinandi de Bazan. Doctrinâ, honoribusque clarus, decessit Panormi 24. Martii 1689. anno ætatis circiter 64. & in eadem Parochiali Ecclesia sepultus est. Edidit

Trutinam Apologeticam Consilii Medici à Paulo Strectes nuper editi pro Alexandro la Barbera & Restivo, contra RR. PP. & Moniales Carmelitas discalceatos. Panormi typis Nicolai Bua 1651. in 4.

Amussim Medicamentariam ad usum Pharmacopolarum Felicis Urbis Panormi. Ibid. apud eumdem 1655. in 4.

Medicum discrimen de Lepra Gallica. Ibid. apud Augustinum Bossium 1657. in 4.

Orationem Gratulatoriam de recepta Cataluniæ victoria. Ibid. apud Nicolaum Buam 1653. in 4.

Orationem habitam in salutari Medicorum Academia Panormitana in funere Ar. & Med. Doctoris D. Marci Antonii Alaimi. Ibid. typis Aug. Bossii 1662. in 4.

ANGELICUS CALATANISSECTENSIS, ex familia Vavanuzza Ord. Strictioris Observantiæ S. Francisci. Concionatoris, Lectoris, & Provinciæ Vallis Mazariæ Definitoris munera exercuit. Obiit anno 1648. De eo Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. p.* 569. qui scripsisse testatur italicè

Spiegatione della Regola di S. Francesco m. s. in 4. quod opus morte instante P. Michaeli Angelo Bonadies, tunc Vicario Provinciali, mox Episcopo Catanensi reliquit.

ANGELICUS SPATAFORA nobilis Messanensis Ordinis Capuccinorum, vir pietate, doctrinâ, & eruditione insignis. Scholasticam Theologiam Sodales suos docuit, & in Messanensi Provincia pluries Definitoris gradum obtinuit. Concionatoris munus, apostolico spiritu munitus, eximiisque virtutibus ornatus egregiè professus est: ac præsertim in præcipuis Italiæ civitatibus doctrinæ, eloquentiæ, ac zeli lumina effudit. Magnas, ad aliorum exemplum, virtutes coluit; inter quas singularem in Deiparam amorem. In ea recolenda totus erat, ejusque illibatam Conceptionem impensè venerabatur, eoque animi sensu, ut nunquam, etsi in supremam senectutem

nectutem ingressus, ausus sit in ejusdem obsequium preces fundere, nisi in genua reverenter provolutus: aliquoties verò furtivè auditus, audientes ad Virginis studium mirùm in modum excitavit. Obiit tandem non sine absolutissimi viri fama, Messanæ an. 1659. De eo Hippolytus Marraccius *in Bibl. Mariana par.1. p.104.* Wadignus *in Scrip. Ord.Min. p.26.* Angelus Maria Gagliardo *in Adamante Mariano p.* 103. Pagnotius *in Maria Triumphante*, Torrecilla *in Specul.Seraph. Relig.* Placidus Reina *not. hist. Messan. par.* 2.*pag.* 502. Dionysius Genuensis *in Biblioth.Capuc.p.16.* Typis tradidit Italicè.

L' Unigenita della Gratia Maria adorna del candore dell'Innocenza, e ricca di eccellentissime prerogative, rappresentate con dodeci luminosi candelieri. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1640. in fol.

ANGELUS ANTONIUS FOTIUS Messanensis, publicus in patria sua Tabellio. Edidit

Formularium cujusvis generis instrumentorum ad stylum, & omnem usum Regni Siciliæ. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1659. in 4.

ANGELUS FARDELLA nobilis Drepanitanus Ord. S. Mariæ de Monte Carmelo, vir gravioribus disciplinis apprimè instructus, quas Regentis munere docuit, & concionator eloquentiâ illustris. Drepanense Cœnobium semel, & iterum Prior rexit. Claruit an. 1650. Edidit italicè

Oratione funerale recitata nella Città di Piazza il giorno 30. di Gennaro dell'Anno 1648. nell'esequie del Sig. che fù D. Giuseppe Strarabba. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1648. in 4.

Il titolo di Maria, Maria del Carmine, Predica fatta in Palermo nel 1648. Ibid. apud Petrum de Isola 1648. in 4.

ANGELUS GALIOTUS Saccensis Ord. Obs. S. Francisci, historicâ eruditione clarus: vixit propè an. 1597. Ipsius meminit Ab. Pirrus *not. Eccl. Agrig. p.339.* & Wadignus *in script. Minor. p.23.* Italice evulgavit

Relatione dello Scisma Anglicano, e del Glorioso Martirio del B.F.Gio:Foresta Francescano Osser. Confessore di Catarina d Aragona Regina d' Inghilterra, e d' altri Santi Martiri d' Inghilterra nella persecutione d'Enrico Ottavo. Panormi apud Jo: Ant. de Franciscis 1597. in 4.

Nil mirum Siculum exteri vitam scripsisse; dum tẽpore quo liber in lucem prodiit, ejusdem familię ramus in Sicilia pedem fixerat, ut ex epistola nuncupatoria, Ludovico Foresta data, patet. Scripsit etiam teste Pirro citato

De universo orbe volumina quatuor.

De Monarchia Mundi.

De antiquis familiis Siculis. Italicè

Chorografia Francescana m. s. in fol. extat in Bibliot. Cœnobii Panormitani S. Antonini Fratrum Obser. S. Francisci ex Petro Tognoletto *in Parad. Seraph. par.1. p. 22. 35. & 487.*

*Il caso memorabile di Giacomo Perollo Portulano, e Bartolomeo di Pandolfina, commesso da D.Sigismondo di Luna Conte di Caltabellotta, successo nella Città di Sciacca l'an.*1529. m.s. in 4. multorũ manibus teritur Panormi sub nomine F. Angeli Candela.

ANGELUS GIARDINA Messanensis ex Ordine Cler. Regul. Ministrantium Infirmis, vir religiosâ morum elegantiâ, ac doctrinâ æquè conspicuus. In evolvendis sacrarum literarum, Sanctorumq; Patrum voluminibus assiduus. Obiit Messanæ circa an.1656. Ipsius laudes vide apud Dominicum Regium *in hist. Cler. Reg. Min. Infirm. l.15. c.7. p.462.* & Placidum Reinam *not. hist. Messanæ par.2. pag.* 502. Edidit

Viridarium florum scientiarum, ex Sanctis Patribus potissimùm, ac Philosophis desumptum. Panormi apud Alphonsum Isolam 1633. in 4. Exinde copiosissimis accessionibus locupletatum, iterum hoc apposito titulo, prodiit, nempè

Sacrum Stagnum sententiarum, atque conceptuum ex pluribus Sanctis Patribus potissimùm, aliisq; Doctoribus haustorum. Messanæ ex Typographia Jacobi Matthæi 1645. & 1651. in fol.

ANGELUS MARIA RAMPULLA Panormitanus Philosophiæ, ac Medicinę Doctor eximius. Doctrinâ præfulsit, ac eò medendi peritiâ pervenit, ut singulari æstimatione prosequutus, inter præstantiores ævi sui medicos haberetur. Primarius fuit Hispanæ Militiæ, & Nosocomii Panormitani S.Jacobi Medicus. Ferdinandi de Ayala, Ayalę Comitis, & Claudii Lomoraldi Principis Lignè, Siciliæ pro Rege Moderatorum, valetudinem tutavit, ac feliciter instauravit. Ingenii elegantiam politiorum literarum, ac poesis usu detexit: cecinit enim nõ sine laude rhythmis Latiis, Etruscis, Siculisq; Obiit Panormi 16. Novembris 1673. & in Ecclesia SS. Annuntiatæ Fratrum Tertii Ord. S. Francisci Zisæ sepelitur. Ipsum laudat Didacus del Mastro *in causa Medicorum Poetarum p.56.* Posteris reliquit

Epistolam enarratoriam medicam de ægritudine Principis à Lignè, & Sacri Romani Imperii, Siciliæ Proregis. Panormi apud Petrum Camagnam 1672. in 4. Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane Burlesche. Extant in Musis Siculis p.3. Panormi apud Bisagnium 1651. in 12.

Descrittione dell'antico sito di Palermo, e della sua Rocca, e come, e quanto girava per tutta la Città. m.s. in 4.

ANGELUS MARIA A RESURRECTIONE Panormitanus, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, in sæculo Balthassar Carmignanus. Natus an.1599. annum agens 17. Ordinis habitum accepit Panormi 13. Aprilis 1616. & elapso probationis anno, solemnia emisit vota 16. Aprilis 1617. Vir moribus integerrimis, tanquã singulare regularis observantiæ exemplar, omnibus præluxit. In detegendis rerum creatarũ, ac Dæmonũ technis, & in orationis studio incomparabilis fuit: cujus suffragio eximias coluit virtutes. Pluries Cœnobiorum Priorem egit, ac tandem meritis plenus obiit Panormi 31. Decembris 1672. Edidit Italicè

Christo Amante dell'Anima; detto il Passare Solitario. Opera non meno erudita, che profittevole à qualsivoglia persona spirituale. Panormi apud Bossium 1664. in 4.

Libro Secondo. Ibidem apud Petrum de Isola

Isola 1670. in 4. sed non absolvit.

ANGELUS MATTHÆUS BONFANTES de CASSARINIS Panormitanus Genuâ oriundus Juris utriusq; Doctor, Philosophicis disciplinis instructissimus enituit: civilem doctrinam, medicinam, ac amœniores literas eximiè calluit: magno ideoq; pretio apud doctos fuit. In Reaccensorum Academia Panormitana, & Officinæ Messanensis, quibus nomen dedit, præclaras ingenii vires patefecit, editis quà carmine, quà soluta oratione ingenii monumentis. Musis carus, Latiâ, Etruscâ, Hispanâ, Siculâq; linguâ multa concinit. Botanicus expertissimus herbarum, plantarumq; genera, ac vires mirâ solertiâ perscrutavit; è cujus doctrina nonnullarum stirpiû discrimen, ac salutaria documenta hausere Panormitani Pharmacopolæ. Longâ annorum serie à secretis fuit Principis Carinis, aliorumque Procerum. Repentino tandem morbo consossus, vivere desiit Panormi 13. Septembris 1676. & in Ecclesia S.Petri in Vincula Fratrû Hospitalariorum S.Joannis de Deo sepultus est. Ipsû laudat Nicolaus Gervasius *in Succedaneis pag.* 11. & alibi. Joan.Bap. de Judice *in praef. par.* 2. *p.*97. & 84. Franciscus Cupanus *in epist. ad Lectorem Horti Catholici*, Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico p.*544. Angelicus Aprosius, sub Jo.Petri Jacobi Villani Larva, in lib. *la Visiera alzata p.* 30. & Silvius Bocconus *in Musæo Plantar. p.* 159. & *in Musæo Physic. p.* 127. Edidit Italicè

La Fortuna di Cleopatra Reina d'Egitto. Poemetto heroico. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portam iovam 1644. in 4.

L'Amor Fedele di Bianca da Bassano. Poema liritragico. Ibid. apud Petrum Coppolam 1653. in 4.

Il Cigno provocato risposta Apologetica al Giudicio Poetico di Antonino Zincone sopra una canzone di D.Francesco Mugnòs. Venetiis apud Turriniû 1661. in 4. sub nomine Friani Farbotta.

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento IV.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1671. in 4.

Epistole Botaniche. in libro: *Bizzarrie Botaniche di alcuni semplicisti di Sicilia publicate, e dichiarate da Nicolò Gervasi.* Ibid. apud Novellum de Bonis 1673. in 4. Quæ prælo paraverat hæc sunt.

Politicorum civilium, & œconomicorum axiomatum Epocha.

De morte amplectenda, & de vitæ contemptu epilogismus latiis numeris, Carmen.

Vocabularium Botanicum.

De Lythiasi, Nephritide, ac Renum & vesicæ vitiis, quæstiones CCCC. Italicè

Poesie Toscane.

Discorsi Accademici.

Somiglianza di parole, overo sinonimi nella lingua Italiana, opera grande, e necessaria à Poeti, Secretarii, Predicatori, Historici, e Prosanti.

Lettere Italiane.

Gli affetti svelati nel significato de' colori, uccelli, animali, pesci, alberi, herbe, fiori, e altre cose indifferenti, e varie al numero 1500.

Discorso Politico sopra le Rivolutioni della Città di Messina dell'anno 1675.

ANGELUS de SETTI Siculus ex Jo:Viginti-millio in Indice Poetarum Siculorum, quem libro primo Poetarum præfixit. Messanensem suspicor, nam Messanensis Bonfilius *in sua Messana l.*8. *p.*49. eumdem laudibus ornans: utriusq; Juris Doctorem, & eximium humanarum literarû professorem prædicat. Quæ scripsit me latent, exceptis carminibus, quæ edidit cum Messanæ Carolo V. Cæsari justa persolverentur, idemque Bonfilius protulit loc. cit. & *in hist. Sicil. par.* 2. *lib.* 5. *pag.* 529. Claruit circa annum 1559.

B. ANGELUS SINESIUS (Senesium, vel Sinicium, vel Senisium alii vocant) Catanensis Ordinis S. Benedicti Catanensis Cœnobii S. Nicolai de Arenis Monachus, vir sanctitate celebris. Dû eo in Cœnobio pietate omnibus præluceret, an. 1342. ab Emmanuele Spinola Archiepiscopo Montisregalis efflagitatus est, ut collapsam disciplinam in Monasterio S. Mariæ Manjacis instauraret. Sed dum sanctissimis morum documêtis regularem observantiam reparare curabat, à Monachis variè vexatus, tandem ab eorum audacia è Monasterio unà cum sociis suis, fuit expulsus. Post diuturnos labores invictâ constâtiâ exantlatos, à prædicto Archiepiscopo benignè exceptus, ab eodem antiqua diruti Monasterii S.Martini de Scalis rudera (ab Urbe Panormo 6. p. mil. distat) olim à D. Gregorio Magno fundati, obtinuit. Cœnobium jam à Saracenorum incendiis absumptum, unà cû quinque Monachis sedulâ curâ breviter instauravit; ibique piè, sanctèque vivendo, nonnullos nobiles Panormitanos virtutum odore traxit, qui eleemosynarum copiis, Monasterium amplificare curarunt; ac divitiis Salerni Evulo nobilis Panormitani locupletatum, fuit numeris omnibus absolutum. Hinc cùm quinquennio Prioris munere Cœnobium gubernasset, exinde ex Bulla Clem. VI. Abbatiæ titulo insignito Monasterio, à Monachorum cœtu B. Angelus primus Monasterii Abbas post reædificationê electus est 5.Julii 1352. Sub ipsius regimine mirificè reflorruere antiquæ regularis disciplinæ leges, & Monachorum virtutes, ac sanctimoniæ famâ non modo Siciliam, verùm etiam, & occidentales plagas replevere. Piissimi viri, Dynastæ, ac Siculi Reges Cœnobiû amplissimis donis, ac annuis redditibus locupletarunt: Summiq; Pontifices nonnullis diplomatibus munire studuerunt; interque alia nostrum Angelum, ejusque successores Pontificalium usu cohonestatos voluere. Monasterium per annos 39. sanctissimè rexit; Religionis habitum 500. propè viris concessit, quos sanctimoniæ famâ traxit, egregiis moribus informavit, sanctarumque virtutum exemplo instruxit. Denique virtute, & opere clarus ab eodem Monasterio ad Cœlestem patriam evolavit 27. Novembris 1386. cujus cadaver adhuc in sacrario servatur, marmoreo sepulchro occlusum, sub Sanctarum reliquiarum altari, ab anno 1585. ibi collocatum: hac adjecta inscriptione.

Reverendissimi Viri Angeli Senesii hujus Sacri Monasterii Abbatis hic ossa requiescunt.

De

De eo plura leges apud Ab. Pirrum *lib.* 4. *Sicil.sacr.p.*168. *& seq.* Joannem Aloysium Lellum *in hist. Eccles. Montisregalis par.* 2. *pag.*34. *& seq. & par.* 3. *pag.* 56. *& seq.* ex nova editione anni 1702. operâ, & studio P. D.Michaelis de Judice Prioris Casinensis observationibus, multisque accessionibus illustrata: Auctorem opusculi de Reædificatione Monasterii S.Martini per totum, Jo.Bap.de Groffis *in decacor. Catan. tom.*1.*cord.*2. *mod.* 5.*pag.* 128. qui lapsus est in eo, quòd Beati viri obitum ad annum 1380.præfixit,& carmina exhibet,quæ nō ad sepulchrum,ut ipse ait,sed in quodam m.s.in membranis leguntur,ut ex Pirro habemus,quòd & intuenti patet. Vide etiamCamillum Borellum de præstantia Regis Catholici *cap.* 70. *n.* 82.*pag.*453. Octavium Caetanum *in Idea Sanct. Sicul. pag.*52.*&* 142. Arnaldum Wion *in ligno Vitæ par.*2. *lib.*3. *pag.* 410. Seraphinum à Panormo *in declaratione arboris Monastici pag.*76. qui testatur vitam m. s. in eodem Cœnobio servari, Petrum Ant. Tornamiram *in Judith Panormitana pag.*168. *& seq.& in hist. Congreg. Casinensis to.*2. *pag.* 449. Franc.Priviteram *in Annal. Catanens.pa.* 210.Ansalonium *de sua familia pag.* 382. Blasium Altimarum *in familia Carafa lib.* 3. *pag.* 640. Addit Ab. Pirrus *cit. p.* 177. quòd: *ob sanctitatis famam, & ardentissimam in pauperes,peregrinos,suosque alumnos,& Fratres charitatem,communi Beati nomine semper est appellatus.* A nonnullis supra allatis scriptoribus Beati titulo est insignitus.DeGroffis verò ait,quòd:*Viri hujus sanctitatem plurimis in vitâ, & post mortem Deus miraculis comprobavit.* Fuit Angelus non modò sanctitate conspicuus, verùm etiam doctrinâ præclarus; scripsitque ex Pirro *cit. pag.* 177.

Expositiones Psalmorum.

Modum meditandi.

Expositionem Regulæ S. Benedicti.

Historiam Monasterii S.Martini de Scalis.

Catalogum Contractuum, & Bonorum Monasterii S. Martini.

Vocabularium latinum pergrande.

Omnia m.ss. in eodem Monasterio servantur, præter historiam, cujus aliqua tantùm fragmenta supersunt.

ANNA MARCHESIA LAVAGI Panormitana Monialis in Panormitano Monasterio S. Catharinæ Ord.S.Dominici,ingenio, & religione conspicua:Musis vernaculâ, & etruscâ linguâ loquentibus grata. In eodem Monasterio hydropisi affecta,an.ætat.73.obiit 17. Februarii 1704. Edidit Italicè

Mazzetto di fiori spirituali,e varie canzoni sopra la Nascita, Vita, e Morte del nostro Redentore, con una raccolta di Canzoni,e nenie Siciliane al Bambino Giesù. Panormi apud hæredes Petri de Isola 1687. in 8. Alia multa poetica scripsit Siculâ, & Italicâ linguâ,ac etiam *Expositionem Apocalypsis.*

ANNA MARIA ARDOINA nobilis Messanensis ex D. Paulo Ardoino Palicii Principe, & Marchione Florestæ, ac D. Joanna Furnari, Ducis Furnaris filia, nata,à teneris adhuc annis ornamenta, quibus nobilissimarū mulierum ordo cohonestatur, egregiè consequuta est. Corporis venustate eminuit: musicæ,picturæq;artes, phrygio labore acupingere telas, ac choreas ducere, eximiè calluit. Nacta mirificas ingenii dotes ferè omnium liberalium artium, ac scientiarum arcana penetravit. Philosophiam præsertim Rhetoricam, Poesim, amœnioresq: literas supra sexus vires didicit. Pluries Philosophicas theses doctissimè propugnavit. Plura cedro digna versu, prosâque, latinè, ac italicè scripsit cum Literatorum plausu. Hinc non modo apud Siculos, verùm etiam, & apud exteros magnâ valuit doctrinæ, & ingenii opinione. Plumbini Principi nupsit:hinc Romæ se contulit, ubi, editis ingenii monumentis, in sui admirationem Urbis Academias traxit: & inter Arcades, aliquaq:eruditorum lycea fuit ascripta. Ex memorato viro filium habuit; sed acerbo fato cùm extrema clausisset Princeps, Patris vestigia sequutus est Puer:Anna verò superstes elapso vix anno à filii morte,obiit Neapoli 29. Decembris 1700.editis in suprema ægritudine egregiis virtutū argumentis.Cadaver in Ecclesia S. Didaci delatum magnificentissimo funere cohonestatū, confluentes cujusvis ordinis viri mœrentes conspexere. Laudatur in epistola nuncupatoria Militis Rhetorici Antonii Fortis eidē dicati, à Mario Reitano in Poemate inscripto *il Rogiero in Sicilia lib.*10. *stan.*75.*p.* 281. & ab egregio viro de orbe literato benemerentissimo Joan: Mario de Crescimbenis *in hist.vulgaris Poesis lib.*2.*p.*169.*& lib.* 3.*pag.*228. Edidit carmina latina hoc titulo prænotata.

Rosa Parnassi plaudens triumpho imperiali S.M.C. invictissimi Leopoldi de Austria Romanorū Imperatoris &c. ejusq; dignissimæ uxoris Eleonoræ Magdalenæ Palatini Rheni. Neapoli apud Salvatorem Castaldum 1687. in 4. Apud Crescimbeni *cit.p.* 228. carminum suorum libamentum invenies, italicè scriptum.

ANNIBAL DE AFFLICTIS Panormitanus, Rhegynus Archiepiscopus, vir nobilitate clarus, sanctimoniâ verò longè illustrior, in lucem editus est anno 1560.Patre Vincentio Sinagræ Domino,matre verò Francisca Bardi Comitis Acis filia.A teneris annis ad pietatem mirificè pronus futuræ sanctimoniæ non obscura edidit argumenta. Spretis sæculi pompis Clericali militiæ nomen dedit, & confecto Bononiæ, & Patavii studiorum curriculo, Jurisprudentiæ laureâ insignitus est.Patris jussu ad CatholiciRegis Aulam transiit, ubi statim inter Regii Sacelli Capellanos cooptatus, vitæ inculpatæ splēdoribus, Philippi II.Regis, omniumque amorem pariter, ac venerationem sibi conciliavit. Hinc Rhegynâ Ecclesia viduatâ Pastore, ad ipsam regendam Rex Annibalem,etsi reluctantem,designavit.Romæ 30. Novembris 1593. consecratus, & in Ecclesiæ suæ possessionem immissus, statim in ejusdem beneficium sanctitatis lumina effudit. Sibi, ac domesticis suis pietatis, immò sanctimoniæ leges inviolabiliter observandas præscripsit; & ut ab Ecclesiastico foro injustitiæ labes elimina-

ret,

ret, Curiæ suæ administris ex ære suo stipendia assignavit, ne supra mercedem statutam aliquid extorquerent: eaq; institutione laudem haud exiguam Romæ promeruit, præsertim à Clemente VIII. qui Annibalis integritatem permaximâ æstimatione prosequutus est. Omnem vitæ suæ rationem ita composuit, ut ne temporis particula boni operis vacua pertrãsierit: omnia enim tẽporis momẽta vel in gregis beneficium: vel in præclaris pietatis officiis studiosè impẽdit. Noctu cùm exiguam corpori quietem super stramentorum fasces concessisset, reliquum orationi dabat: ajebat enim, dum oves somno indulgent, evigilare Pastorem oportet. In pauperes liberalitatem exercuit summam: ipsos etenim proventuum suorum dominos appellabat. Hinc integras sæpe familias frumento, puellas dote, pauperes omnes victu providere consuevit. Nec defuere tantæ charitati divinæ providentiæ subsidia; multoties enim horreos mirabiliter vidit frumenti copiâ multiplicatos: ideoque Pauperum Pater, immò & vir Sanctus omnium voce proclamabatur. In nosocomiis, ægrotis humiliter inservire, Annibali solemne fuit; quorum unum Sacerdotio insignitum, ulceribusq; plenũ, propè cubiculum suum apportavit, & quinquennio in infimis ministeriis inservivit. Clericorum Seminarium proprio ære excitavit. Diœcesim omnem singulo biennio perlustrans, operariis sanè sedulis munivit. Pueros fidei rudimentis informabat; è quibus vividiores diligebat, ut in Seminarium instituendos trasferret; eoq; præsidio non impigros vineæ suæ cultores obtinuit. In Bovensem etiam Seminarium operam contulit suam. Monialium Rhegyensium perfectionẽ fovit: & Puellarum Gynæceum eâ tempestate excitatum, eximiis constitutionibus vallavit. Virtutes, quibus enituit, virum undiq; egregium ad sanctitatis fastigium evexere: humilitate, charitate, angelicâ puritate, prudentiâ, pietate, modestiâ, ecclesiasticæ disciplinæ zelo, mirificè effulsit. Vitæ sævitiem, & austeritatem usque ad supremum spiritum produxit. Prophetiæ, ac miraculorum dono conspicuus claruit. Noctes insomnis orationi dicavit, in qua extaticas suavitates delibavit, ejusq: ope multa à Domino obtinuit. Rhegynæ Urbi inopinatam frumenti copiam impetravit: pluvias petiit, & assequutus est. Ad opulentiores Ecclesias à Catholico Rege non semel vocatus, primam sponsam pro ditiori dimittere recusavit. Depopulato à Thurcis Rhegyo an. 1603. ne dum ecclesiasticos census, verùm etiam, & patrimonii sui proventus pauperibus liberalissimè addixit: & Cathedralis excidium, propriis usurpatum oculis, instauravit: aliasque omnes Ecclesias, immanissimè direptas, reparavit: & non semel exornavit. Ecclesiasticã Immunitatem imperterrito pectore defendit, & in ea propugnanda divinám opem expertus est. Synodum coegit, in qua suffraganei Præsules interfuere, nempè Nicotrensis, Militensis, Tropiẽsis, Boviensis, & Heracensis, in eaq; ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam, saluberrimas edidit sanctiones. Tandem numeris omnibus absolutus, præcognita divinitùs morte, in supremũ morbum incidit, in quo doloribus patientiam expolivit: & prædictis terræmotibus Calabriam excussuris, inter ferventissimos animi affectus, in Domino sanctè quievit primo Aprilis 1638. an. ætatis 79. Confluentes populi ejus vestes, aliaq; avidissimè expetiere, ut tanquam reliquias viri sanctissimi servarent. Tanto Pastori Rhegyum solemniter justa persolvit, & funebrem orationẽ dixit Stephanus Pepe Cl. Reg. quam ad publicum beneficium edidit. Mira patrata, ac cadaver post annos quatuor incorruptum adinventum, sanctimoniæ ipsius opinionem firmarunt: magnificentissimo verò tumulo cohonestatus est, hoc addito epitaphio.

D. O. M.

Annibali de Afflictis
Patritio Panormitano, Archiep. Rhegyno,
Comiti Bovensi, Reg. Consiliario &c.
Pastorali vigilantiâ, ac pietate noto,
Sed profusa in pauperes liberalitate notissimo.
Ne desint vel præmia virtuti, vel exẽpla posteritati,
Quod vivus noluit per summam modestiam,
Hoc defuncto propter summa in hãc Ecclesiã merita,
D. Matthæus de Januario Archiep. Rhegynus
Addicti animi monumentum
suo ære posuit.
Anno salutis humanæ M.DC.LXII.

Egregii Præsulis vitã edidit Josephus Fozius Soc. Jesu Romæ an. 1681. ejusque meminere Ab. Pirrus *not. Eccles. Agrig. pag.* 117. & *Pat. pag.* 416. Franc. Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *pag.* 135. Joannes Rhò *in var. virtut. hist. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 2. *pag.* 703. Placidus Reina *not. hist. Messan. par.* 2. *pag.* 57. Ughellus *Italiæ Sacræ tom.* 9. *pag.* 453. & Jo. in. Bapt. Pacichellus *in epist. famil. tom.* 2. *pag.* 160. qui falsè Matthæum vocat. Edidit ex indice *Bibliothecæ Barberinæ tom.* 2. *pag.* 277. & 433.

Synodum Rhegyensem ann. 1595. Rhegii 1595. in 4.

Synodũ Rhegyensẽ ann. 1614. Rhegii 1614. in 4. In Bibliotheca Collegii Panormitani Societ. Jesu servatur volumen cui titulus

Lettere m. s. in fol.

ANNIBAL BUFALUS Messanensis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius. Politiores literas, poetica studia Etruscâ, ac Latiâ linguâ, Græcasq; literas calluit. A secretis Senatus Messanensis fuit, & in gravioribus negotiis pertractandis admotus. Claruit anno 1602. Ipsum laudant Franc. Flaccomius *in ludricis pag.* 94. & Placidus Reina *not. hist. Messan. par.* 2. *pag.* 503. qui edidisse ait

Aphorismorum Hippocratis Erometaphrasis. Messanæ typis Petri Breæ per Laurentium Vallam 1605. in 8. Italicè

Canzone per l'Epistola di Maria Vergine scritta a Messinesi. Messanæ apud Petrum Bream, & Laurentium Vallam 1602. in 4.

Canzone alla sua cara Patria Messina. Ibid. apud eumdem 1602. in 4. Extant apud Franciscum Flaccomiũ *in libro Carminum* edito Messanæ an. 1609. typis Petri Breæ *pag.* 91. & 100. *Epistolæ*

duæ

duæ Annibalis carmine scriptæ. Tandem apud Rocchum Gambacurtam in fine Fori Christiani, Panormi apud Jo: Franciscum Carrara 1594. in 4. editum vidi: *Rosarium Deiparæ Virginis carmine descriptum.*

ANNIBAL RUBA' Patritius Messanensis, Jurisconsultus doctrinâ clarus. Obiit propè annum 1662. edidit

Summarium notabilium Decisionum S. R. C. Neapolitani. Venetiis apud Franciscum Baba 1654. in 4.

ANONYMUS CATANENSIS Græcus Encomiastes, cujus extat apud Octavium Caetanum to. 2. *Sanct. Sicul. p.6.*

Vita, & Gesta B. Leonis Episcopi Catanæ ex Græcis versa. Versionem è græco in latinam linguam adornavit Jacobus Sirmundus Soc. Jesu, ex Codicibus Vaticano, Cryptæ Ferratę, & Bibliothecę Cœnobii Sanctiss. Salvatoris juxtà Messanam, ut idem Caetanus ait *in animad. p.6. n.1.* ubi auctorem Siculum fatetur, & *n.5.* Catanensem: idque ex eo deducit, quod Berillum Episcopum Catanensem, Episcopum nostrum vocat.

ANONYMUS alter CATANENSIS Græcus Poeta, carmine jambico scripsit

Vitam S. Leonis Catanensis Episcopi versibus expressa. ex m. s. Codice Monasterii S. Salvatoris Messanæ latinitate donavit Augustinus Floritus Soc. Jesu: extat apud Caetanum cit. *tom.2. Sanct. Siculor. à pag.22.* qui *in animad. pag. 11. n. 1. & 2. & pag. 12. nu. 19.* Catanensem putat, & ante annum Christi 800. ac paulo ante floruisse rectè suspicatur.

ANONYMUS tertius CATANENSIS claruit anno 1669. eoq; anno edidit italicè

Relatione del nuovo incendio fatto da Mongibello, con la rovina di molti Casali della Città di Catania, e de' miracoli, e prodigii operati dal sacro Velo dell' Invittiss. V. e M. S. Agata à dì 11. del Mese di Marzo del presente anno 1669. fino alli 11. di Luglio del medesimo anno quando terminò l'incendio. Catanę apud Bonauenturam Roccam 1669. in 4. & Messanæ apud Josephum Bisagnium 1670. in 4.

ANONYMUS DREPANITANUS, ex Leone Allatio in sua *Drammaturgia ind. 6. pag. 613,* ubi de ineditis operibus, prosâ scripsisse ait

Girandola Comedia curiosa. A' scenâ quæ Drepani effingitur, & ab interloqutoribus Drepanitanis, Drepanitanum Auctorem putavit Allatius; qui addidit, quòd unà cum aliis m. ss. operibus extabat in Bibliotheca Ducum Urbini, exinde in Vaticana.

ANONYMUS JVRISCONSVLTVS SICVLVS edidit

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmaticam Alphonsi Regis de Censibus Annotationes. apud Petr. de Greg. *de Censibus.* Panormi typis Jo: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterum ibid. typis Franc. Ciotti 1622. in fol.

ANONYMVS alter JVRISCONSVLTVS SICVLVS, cujus extant

Addictiones super Ritu Regni Siciliæ. in Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

ANONYMUS MESSANENSIS eruditione & doctrinâ refertus claruit anno 1668. Scripsit

Consilium, in quo cujusdam dissertationis vanitas adversus Virginalis Epistolæ ad Messanenses scriptæ immemorabilem traditionem, evidenter ostenditur. Extat in calce notitiarum historicarum Messanæ Placidi Reina par. 2. Messanę apud Paulum Bonacotam 1668. in fol. à pag. 537.

ANONYMUS PANORMITANUS Theologus doctissimus, edidit

Votum Responsivum pro serenatione conscientiarum Monialium SS. Salvatoris Urbis Panormi psallentium ad præscriptum Dominicani Breviarii. Messanæ 1681. in 4.

ANONYMUS SICULUS Monachus scripsit græcè

Vitam S. Cononis Monachi, quam latinitate donavit Abbas Franciscus Maurolycus Messanensis: & repurgatam habes apud Caetanum *tom.2. SS. Siculor. p. 200.* de quo etiam *in animad. p.67.*

ANONYMUS SICULUS Monachus græcè scripsit

Vitam S. Virginis Marinæ, ipsam protulit Caetanus cit. *to. 2. SS. Sicul. p. 109.* Qui *in animad. p. 40.* Siculum, ac monachum fuisse putat: & græcam habuisse ex m. ss. membranis Monasterii SS. Salvatoris Messanæ affirmat. Hieronymus Ragusa *in elogiis Sicul. p. 28. & in Siciliæ Biblioth. vet. p. 26.* Augustinum Floritum Soc. Jesu latinitate donasse testatur.

ANONYMUS SICULUS. Leo Allatius *in sua dramaturgia in ind.6.p.612.* ubi de quibusdam operibus m. ss. ab incertis auctoribus exaratis, hanc opellam italicè scriptam prosâ exhibet

La Costanza d'Adone Tragicomedia. Auctorem Siculum fuisse putat Allatius ex servis interloqutoribus siculâ linguâ loquentibus: servabatur in Bibliotheca Ducum Urbini, nunc in Vaticana.

ANONYMUS SICULVS, & forsan Panormitanus Monachus Benedictinus in Monasterio S. Martini de Scalis juxtà Panormum, qui propè annum 1390. floruisse creditur. Huius extat opusculum

De Reædificatione Monasterii S. Martini de Scalis Panormi Ordinis S. Benedicti. Romæ apud Nicolaum Piccolettum 1567. in 4. iterum ibid. apud Aloysium Zannettum 1596. in 4. & Panormi typis Augustini Epiri 1702. in fol. in calce Historię Montisregalensis Aloysii Lelli: etsi in tertia editione annus, locus, & typographus secundæ editionis spectetur. In lucem emissus fuit liber jussu Ludovici de Torres Archiep. Montisregalis in multis vel auctus, vel diminutus, prout ad firmanda Montisregalensis Ecclesiæ jura oportunum putavit, & primęvo exemplari m. s. in Bibliotheca S. Martini de Scalis haud respondere testatur Ab. Pirrus *lib. 4. Sic. Sacræ p. 168.*

ANONYMVS SICVLVS, qui claruit non longè ab ævo S. Alberti Carmelitæ, cujus obitum, scriptores ipsius vitæ an. 1307. notant, ut in Al-

Alberto scripsi. Apud Danielem à Virgine Maria in *Speculo Carmelitarum* edito Antuerpiæ 1680. in fol. *tom.2. par.4. n. 2176. à pag.631.*& seq. extat opusculum inscriptum

Vita S. Alberti Authore æquali, aut suppari Siculo: & inde ulterius tradita per Theodoricum de Aquis, ex codice Carmeli Coloniensis, collato cum altero m. s. codice Carmeli Mechliniensis, & extracto Bibliothecæ Vaticanæ. Quòd verò vitæ istius scriptor Siculus fuerit, & quòd ex ea S. Alberti vitam digesserit Theodoricus de Aquis, habetur ex eodem Daniele cit. *n. 2175. pag. 630. & n. 2182. p. 632.* additque auctorem hunc Siculum non longè ab Alberti obitu vixisse.

ANONYMUS SICULUS Astronomiæ peritus. ex M. Georgio Draudio *in Biblioth. classica pag.* 1025. opusculũ astronomicũ scripsit, ait enim

Siculi cujusdam Astrolobium. Venetiis apud Junctam 43.

ANONYMUS SICULUS, sub nomine Academici Fumici Absconditi, eruditè edidit italicè

Relatione delle feste fatte in Palermo per lo felicissimo nascimento del Serenissimo Principe della Spagna, Primogenito dell' Invittissimo Re di Spagna, e di Sicilia D. Filippo IV. Panormi apud Decium Cyrillum 1630. in 4.

ANONYMUS SYRACUSANUS græcè scripsit

Vitam S. Zosimi Episcopi Syracusani, quam ex m. s. Ecclesiæ Bovinensis, latinitate donatam, edidit Octavius Caetanus *to. 1. SS. Siculor. p. 226. in animad.* verò *p.* 180. Syracusanum auctorem putat, cujus meminit etiam *in animad. ad to. 2. p. 106.*

ANONYMVS alter SYRACVSANVS antiquus encomiastes: antequam Saraceni Siciliam occuparent, claruit; sæculo nempè reparati orbis septimo, vel octavo, ut ex Caetano citato *in animad. ad to. 1. p. 7. n. 1.* Extat apud ipsum *t. 1. p. 4.*

Narratio S. Patris nostri Marciani Episcopi Syracusani, & Martiris incerto, sed antiquo Auctore. Latinam fecit ex græco P. Jacobus Sirmundus Soc. Jesu ex cod. m. s. Bibliothecæ Vaticanæ. eodem Caetano teste *p. 3. & in animad. p. 7.* de quo etiam *in animad. to. 2. p. 106.*

ANSELMVS CRASSVS Acensis Ordinis Capuccinorum Messanensis Provinciæ Sacerdos. Inter suos morum integritate, eruditione, doctrinâ, & concionatoris munere, venerandam sui opinionem fovit. Humilitati præsertim addictus, neglecta Ordinis munia studiosè amplectebatur: ab honoribus verò semper abhorruit. Luminibus captus, cæcitatis incommoda alacriter pertulit, divinæ voluntati conformis, usq; ad supremam vitæ lineam. Annua Provinciæ monumenta superiorum jussu curavit: & relicto sodalibus suis probitatis exemplo, in patrio Cœnobio Septuagenarius decessit 9. Decembris 1689. Ipsum laudant Placidus Reina *not. hist. Mess. par. 2. pag.* 57. Dionysius Genuensis *in Bibliot. Capucc. p.* 28. & Joseph de Ambrosio *in relat. solemnitatis epistolæ Marianæ p.* 626. Edidit italicè

Le Ammirande Notitie della Patria, Vita, e Trionfi della Gloriosa S. Venera, detta pur Veneranda, e da Greci Parasceve, Predicatrice Evangelica V. e M. del Regno di Sicilia Cittadina, e Tutelar Padrona dell' amplissima Città di Aci. Messanæ apud Jacobum de Mattheo 1665. in 4.

Compendio dell' Ammirande Notitie della Patria, Vita, e Trionfi della Gloriosa Predicatrice S. Venera. Catanæ apud Bisagni 1687. in 4.

ANSELMVS FATIVS Ennensis, musices peritus. Edidit

Sacras Cantiones,

Italicè

Il Primo libro de' Madrigali a cinque voci. Messanæ apud Faustum Busalinum 1589. in 4.

ANSELMVS FATIVS, (an idem qui suprà, haud satis liquet) Ennensis Ord. S. Augustini, vir eruditione, & doctrinâ clarus. Edidit italicè

Memoria artificiale di casi di conscienza, o vero nuovo modo di apprendere con facilità, e di ritenere con felicità tutto ciò, che appartiene alla materia de' casi di conscienza, disposto artificiosamente per via di numeri. Parte Prima. Messanæ apud Franciscum Bianco 1628. in 8. Secundam promiserat partem, at non edidit.

ANSELMVS SAMSON Mazarensis, ex Ordine Montis Oliveti. Poeta eximius. Obiit Caccabi an. 1699. In lucem emisit italicè

La Genevieffa, o vero il Tradimento svelato, Drama musicale. Panormi apud Bossium 1667. in 8. ibid. apud Buam, & Camagnam 1667. in 12. typis Petri de Insula 1677. in 12. Neapoli, & alibi.

Santa Giuliana di Tolemaida V. e M. con S. Paulo suo Fratello. Opera Sacra. Panormi apud Petrum de Insula 1672. in 8.

Maria Stuarda Drama Tragico. Ibid. apud eumdem 1672. in 12.

ANTANDER vel ANTANDRVS Syracusanus Agathoclis Syracusarum tyranni frater. Syracusis natum ex eo rectè deducit Jacobus Bonannus *in Syracus. Illustr. lib. 2. pag.* 303. quòd cum Syracusas ipsius parentes commigrassent, Agathoclem puerum secum deduxere, ut habet Diodorus Siculus *lib. 19. n. 2.* hinc cùm Antander fuerit natu minor, inferendum putat, Antandrum Syracusis natum, ubi deinde incoluere parentes. Agathoclis fratrem fuisse liquet ex Justino *hist. lib.* 22. & Diodoro cit. *n. 3. & in Eclogis lib. 21. n. 12.* A' Paulo Orosio *hist. lib. 4. cap. 6.* mendosè Andron vocatur: ut observavit Bonannus cit. sed in editione Moguntina an. 1615. ab Andrea Schotto castigatâ *p.* 235. rectè legitur Antander Agathoclis frater. Fuit Antander militari gloriâ præclarus, unusque ex Ducibus, qui magnâ militum manu à Syracusanis in Crotonitarum auxilium sunt missi contra Brutios, ut ait Diodorus cit. *lib. 19. nu. 3.* Thom. Fazellus etiam *dec. 2. de reb. Sicul. lib. 4. cap. 1. pag. 342. 346. & 347.* bellica fortitudine munitum prædicat, adeout ob strenuissimas pugnando res gestas; præclarissimam nominis famam sibi comparaverit. Cùm autem Agathocles ab Amilcare Carthaginensium duce obsessus, (egregio sanè consilio) ad evertẽdas hostium vires, bellum in Africam transferre deliberasset, Antandro (cujus animi virtutum, fidemque satis noverat) bellicis Siciliæ rebus, ac Syracusis præfecit

fecit

fecit; qui mirâ prudentiâ, ac fortitudine, urbem, civesque fluctuantes, contra hostium conatus, & astus firmavit: immò profligatis Carthaginensibus, ac interfecto Amilcare, insignem retulit victoriam, ut narrat Fazellus. Attamen Diodoro *lib.20 n.16.* natura effœminatus, vocatur: & contrarium, fratris audaciæ, rebusque præclarè gestis, ingenium habuisse ait: ideoque quamvis ad urbis præsidium relictus, ut ibidem dixerat *nu.* 4. attamen urbem Carthaginensibus tradendam censuit: at prævalente prudentiorum sententiâ, in fide fortiter perseveravit. Agathoclis jussu eorum consanguineos omnes, qui Carthaginensis militiæ socii fuerunt, magnâ perpetratâ clade, trucidavit, ut habet Diodorus cit. *nu.* 73. Claruit ex Bonanno eodem ferè tempore, quo Timæus historicus vixit, nempè olymp.120. ante Christum natum an.296.Scripsit ex Diodoro *in eclogis lib.21.n.12.*

Historias, quibus complexus est res gestas Agathoclis fratris, ut exponit Bonannus.

ANTIOCHUS Syracusanus historicus âtiquus, teste Dionysio Halicarnasseo *lib. 1. antiq.* Xenophanis filius, claruit circa olymp.90.nempe 416. ann. ante Christi Domini nativitatem, ex Vossio *de hist. Græcis lib.4. cap.7. pag.456.& 457.* Bonanno *Syrac. illustr. lib.2. pag.* 297. & Morerio *dict. tom. 1. pag.* 275. Eo tempore vixisse deducitur à Diodoro Siculo *lib.12 nu.* 71. ubi cùm de Xerse scripsisset, cui Darius successit, addit: *hoc anno Sicilicarum rerum scriptor Antiochus Syracusanus historiæ suæ finem imponit, quam libris IX. à Cocalo inde Rege deduxit.* Darius autem regni primordia exorsus est anno primo olymp. 89. ideoque rectè Bonannus Philippi Cluverii sententiam rejicit, qui *lib. 1. Sicil. antiqu. cap. 2. pag.28.* ait; Antiochum Thucydide multo priorem fuisse: nã Thucidides in exordio belli Peloponnesiaci, Atheniensium dux interfuit olymp. 87. ex quo historiam suam aggressus est, ex Diodoro cit. *l.12. n.* 37. hinc Bonannus concludit Thucididem, & Antiochum, vel eodem tempore floruisse, vel Thucididem aliquantùm Antiochi ætatem præcessisse. Idem Cluverius, qui *in Italia lib. 1. cap.1. pag.10. & lib.3. cap.2. pag.835.* ait Antiochum Aristotele superiorem fuisse annis propè ducentis, rejicitur à Vossio cit. *pag.457.* & meritò: Alexander enim Aristotelis discipulus ann. 1. olymp. 111. regnare cœpit; adeout intersunt olymp. 22. ab olymp. 89. Antiochi, ad 111. Alexandri:quibus si addere velis olymp.3. regni ejusdem Alexandri, annos centum conflabis ante Aristotelem, non ducentum,ut Cluverio placet. Ideoque ex Vossii computo claruit Antiochus olymp. 90. Romæ 330. Ex Mariano Valguarnera *antiq. Panor. pag.* 20. Herodoti coevus fuit, qui historiam olymp. 89. scripsit. Timæi Siculi historici vetustior, ut deducere licet ex Josepho Hebræo *contra Appionem lib.1.* Scripsit græcè

Historiam Siciliæ libris IX. comprehensam, à Cocalo Rege, usque ad obitum Xersis deductam, ut ait Diodorus cit. hujus historiæ meminit Pausanias in Phocicis,siue lib.10.ubi ait *Antiochus Syracusanus Xenophanis filius in Siciliensi historia*: quibus adde Vossium, Bonannum cit. Lascarem apud Maurolycum *hist. Sicil. lib. 1. pag.* 19. Goltzium *hist. post. Sicil. p.* 91. Gesnerum *in Biblioth. p.* 55. Fazellum *de reb.Sicul. dec.1.c.1.p.102.* qui ex Pausania libros X.scripsisse tradit.

Historiam Italiæ, ut ait Dion. Halicarnasseus *lib. 1. antiq.* qui Anthiocum perantiquum scriptorem vocat: & infra addit. *Antiochus Xenophanis è vetustis monumentis hæc, quæ bona fide dignissima, & certissima visa sunt, de Italia conscripsit*: ibique hujusce operis fragmentum adducit: pluries etiam citat infra. Historia hæc de Italia citatur à Strabone *Geog. lib.* 5. ubi ait *Antiochus, quod de Italia scripsit*: eodem libro sæpius Antiochum citat, ut etiam *lib.6.* de eadem etiam Stephanus *de urbib.* & Hesychius apud Vossium cit. Gesnerus *in Biblioth.pag.*55. aliique. Testatur Vossius quòd ea, quæ Strabo *l.5.* scripsit de Campania ab Opticis, siue Ausonibus inhabitata; & ea, quæ *lib.6.* scripsit de Tarentinæ urbis origine, omnia eruit ab historia Italiæ nostri Antiochi. Additque Vossius, quod ubi Festus *ver. Roma*, citat Antigonum Italicæ historiæ scriptorem, cujus lectionem sequutus est Scaliger, corrigendum Antiochum. Lascari apud Maurolycum *lib.1. hist.Sicil. p.19.* scribit Antiochum *Romanorum historias* edidisse à Pausania citatas: at Bonannus censet, ni intelligat de historia Italiæ, in errorem lapsum esse: nemo etenim scripsisse Romanorum historias testatur. Idem censendum de Goltzio, qui Lascarem sequutus est, & de Josepho Bonfilio *histor. Siciliæ par. 1. lib. 1. pag.* 27. dum ait: scripsisse bellum inter Romanos, & Syracusanos. Arnobius *contra Gentes lib.6.* Historiarum Antiochi librum nonum citat. Morerius tandem edidisse ait: *Historiam Bizantinam*: quòd apud neminem legi. Antiochum ab Antiloco historico, qui *de viris illustribus* scripsit, diversum esse, rectè advertit Coronelli *in Biblioth. to.3. nu.*4221. qui de Antiocho ibidem agit *n.* 4306. Diversus etiam ab Antiocho Alexandrino ab Athenæo *lib.11. ca. 9. pag.* 482. & ab Antiocho Leodiceno à Laertio *in Pyrrone* citatis.

ANTONINUS ALFANUS Panormitanus Philosophus, ac Theologus doctissimus, qui sævioribus disciplinis politiores literas addidit; & poetica ingenii monumenta Etruscis, Latiisque numeris non sine laude exposuit. In Panormitana Accensorum Academia inter clariores prominuit. Obiit Panormi 16. Augusti 1578. & in Ecclesia S. Petri Martyris, nunc Monialibus Vallis viridis adjuncta, sepelitur. Laudatur à Leonardo Orlandino *in disc. Siciliæ in calce descriptionis Ætneæ pag.* 80. *& in lib. var. Imaginum pag.* 49. & à Hieron. la Rape, Argistro Giuffredo, Barth. Bonanno, aliisque *in carm. Accensorum lib.1.p.9.* 50. & 67. Italicè scripsit

La Battaglia celeste tra Michele,e Lucifero. Poema. Panormi apud Jo: Matthæum Maidam 1568 in 8.

Rime. in libro: *Rime dell'Accademia degli Accesi di Palermo.* Ibid. apud eumdem 1571. in 8.

Rime. in libro secundo eorumdem Carminum.

num. Ibidem apud eumdem 1573. in 8.

Vittoria del Marchese di Pescara Poema, ex eisdem carm. lib. 1. pag. 9. scripsit etiam *de S. Christina V. & M.* teste Orlandino cit. *in cod. lib. pag.* 168. ubi eumdem laudat.

ANTONINUS AMATUS Panormitanus celeberrimus Juris utriusque Doctor, inter causarum forensium Patronos sua tempestate nemini secundus: doctrinâ, & eloquentiâ apud supremos Siciliæ Magistratus mirabiliter valuit. Ob egregiam Juris doctrinam nonnullos honores promeruit, & obtinuit. In Prætorio Panormitano, & Tribunalis Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & Magnæ Regiæ Curiæ pluries sedit Judex. Tandem morborum vi lacessitus, Panormi decessit 31. Julii 1653. Placidus Carafa *in Sicaniæ descrip. pag.* 49. inter Illustriores Iurisconsultos adnumerat: ipsum laudat Franc. Strada *in quietationib. p.* 13. Mar. Giurba *obser.* 104. *n.* 24. ejusque etiam meminit Coronelli *in Biblioth. to.* 3. *n.* 402. Edidit

Variorum Forensium, & Practicabilium Juris Resolutionum librum Primum. Panormi typis Jo. Ant. de Franciscis 1616. in fol. & Ibid. apud Angelum Orlandum 1627. in fol.

Variarum Forensium, & Practicabilium Juris Resolutionum librum Secundum. Ibid. typis Decii Cyrilli 1634. in fol. Exinde uterque liber unico volumine complexus prodiit Venetiis apud Turrinum 1655. in fol. & Lugduni 1668. in fol.

Patrocinium pro Senatu Panormitano contra Fisci Patronum. Panormi 1646. in fol.

Allegationes pro Serenissimæ Altitudinis D. Ducis Sabaudiæ contra hujus Siciliæ Regni Prothonotarium, Magistrum Notarium Regiæ Cancellariæ, Magistrum Notarium Regii Patrimonii, & Consortes. Ibid. apud Decium Cyrillum 1632. in fol.

ANTONINUS AMICUS Messanensis Sacerdos, vir eximiæ eruditionis historicus, ac Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus. A' Philippo IV. Catholico Rege Historiographi Regii titulo insignitus. De antiquis rebus benemerentissimus, omnia Archiviorum Siciliæ, & Neapolis tabularia indefesso perquisivit labore, è quibus monumenta omnia cedro digna, quæ Siculam respicerent historiam vel sacram, vel prophanam, eruit diligenter: eorum magna pars in plures digesta Codices, hodie in refertissima Bibliotheca D. Aloysii la Farina Marchionis Madoniæ (nunc D. Vincentii filii) asservatur: nonnulla cùm ad Archiepiscopum Panormitanum D. Jacobum Palafox pervenissent, secum transtulit, quando ad Ecclesiam Hispalensem regendam transiit. Variis tandem ærumnis affectus, Panormi ultimum clausit diem 22. Octobris 1641. & Canonicorum sepulturæ in Ecclesia Cathedrali traditus fuit. Ipsum laudat Petrus Carrera *in epist. nuncupat.* libelli inscripti: *Discorso sopra quella scrittura di quattro fogli*, nostro Antonino dicati, & Hier. Ragusa *in Elog. Sicul. p.* 170. Edidit

Dissertationem Historicam, & Chronologicam de antiquo Urbis Syracusarum Archiepiscopatu, ac de ejusdem in universa Sicilia Metropolitico Jure. Neapoli apud Octavium Beltranum 1640. in 4. Huic operi plenè respondit Franc. Baronius edito libro: *Historiæ, & Chronologicæ dissertationis &c. Judicium.*

Seriem Ammiratorum Insulæ Siciliæ ab anno Domini 842. *usque ad annum* 1640. Panormi apud Petrum Coppolam 1640 in 4.

De Messanensis Prioratus Sacræ Hospitalis domus Militum S. Joannis Hierosolymitani Origine. Ibid. apud eumdem 1640. in 4.

Trium Orientalium Latinorum Ordinum post captâ à Duce Gothefredo Hierusalem, videlicet Sacræ domus Hospitalis, sive militum S. Joannis Hierosolymitani: Sacræ domus Templi, sive Militum Templariorum ante ipsorum extintionem: & S. Mariæ de Valle Josaphat Ord. S. Benedicti Notitias, & Tabularia. Ibidem apud Alphonsum de Isola 1636. in fol. at horum opusculorum unum tantummodo editum apparet, nempè: *de orig. sacr. domus templ.* Hispanicè

Chronologia de los Virreyes, Presidentes, y de otras personas, que han governado el Reyno de Sicilia despues que sus Reyes han dexado de morar, y vivir en el. Ibid. apud Decium Cyrillum 1640. in 4. & apud Petrum Coppola 1640. in 4. Tertiò apud Jacobum Epirum 1687. in 4. adjecta Chronologiæ continuatione usque ad annum 1687. ab V. J. D. Josepho Scoma. Multa edere promittebat tum propria, tum alienarum indiculum in calce dissertationis de Syracusanæ Urbis Archiepiscopatu exhibuit. Quæ ipse scripserat, hæc sunt.

Vindiciæ Tutelares Urbis Messanæ.

Historia Ecclesiæ Messanensis, & Archiepiscoporum Vitæ.

De germano magni Monasterii S. Salvatoris Ord. S. Basilii, olim in Promontorio Portus Urbis Messanæ constructi Auctore, Chronologica, & Historica dissertatio. Authographum extat apud me m. s. in fol.

Historia Magni, & Regii Monasterii S. Salvatoris Linguæ Phari nuncupati, Ord. S. Basilii propè Messanam: in qua Archimandritalis dignitatis origo demonstratur, & omnium Archimandritarum vitæ scribuntur.

Brevis dissertatio de servato apud Beneventanos S. Apostoli Bartholomæi corpore.

Sacræ domus Hospitalis, sive Militum S. Joannis Baptistæ Hierosolymitani, Notitiæ, & Tabularia. m. s. apud me in fol.

Brevis, & exacta notitia originis Monasterii S. Mariæ de Valle Josaphat Ord. S. Benedicti in Urbe Hierusalem fundati &c. m. s. in fol. apud me.

De sacra Regum Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Unctione, & Coronatione in Urbe Panormo constituta, dissertatio.

De Officina Monetaria Regni Siciliæ in Urbe Messana constituta, dissertationes duæ.

Parænesis ad Panormitanos, & Messanenses, in qua Messanensis, & Panormitanæ Urbium antiqua amicitia declaratur, & recentiorum inter eas simultatum origo demonstratur.

De origine, progressu, immunitatibus, & Privilegiis Cruce signatorum. Quæ deinde in Sanctiss. Fidei Quæsitores, eorumque Ministros, ac Familiares Romanorum PP. dispositione collata sunt, Apodictica dissertatio.

Re-

Rerum à Martino Siciliæ Rege, & Martino Montis-Albi Duce, postea Aragonum, & Siciliæ Rege ejus patre, in Siciliæ gestarum usque ad eorum interitum brevis, & exacta enarratio. Extat authographum m. s. in fol. apud me.

Speculum Tragicum clarissimorum quorumdam virorum, ac supremorum Magistratuum *auctoritate præstantium, qui vectigalium Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ amplificandi, novorumque eidem Regno imponendi Carolo I. Siciliæ Regi., & Andegaviæ, ac Narbonensis Provinciæ Comiti Auctores fuere.*

Serenissimorum, ac Invictissimorum Siciliæ *Regum Annales, ab anno* 1060. *reparatæ salutis, quo expulsis Maumethanis, piissimus Princeps Comes Rogerius Normannus Siciliam conquisivit, usque ad præsens sæculum.* Hispano sermone etiam promisit.

Notitiam Regiminis Regni Siciliæ, in qua omnium Magistratuum ratio, & Proregis munia in singulis eorum adamussim explicantur.

Notitiam Principum, Ducum, Marchionum, *Comitum, & Baronum Regni Siciliæ, ubi germanum cujusvis genus, ac dominatus, quem in suis oppidis, pagisque obtinent, brevi narratione traduntur.*

ANTONINVS AMICVS alter, v. Laurentius Amicus.

ANTONINVS ANSALDVS. v. Gerardus Ansaldus.

ANTONINVS ANSALONIVS nobilis Messanensis, in equestris ordinis muneribus insigniter versatus. Hunc illum esse puto, quem Petrus Ansalonius *in sua familia pag.* 200. prudentiâ, & virtute egregiû, & adversæ fortunæ injuriis exagitatum describit. Vivebat anno 1637. Edidit italicè

Il Cavalier descritto. Messanæ apud Petrum Bream 1629. in 4.

Il Torneo à piede, discorso, nel quale si raggiona con quãta magnificenza si sia combattuto nella sbarra da' Signori Cavalieri della Stella nell' anno 1636. Ibidem apud hæredes ejusdem 1637. in 4.

ANTONINVS de ASSALI Panormitanus Jurisconsultus doctrinâ clarus. Inter præcipuos causarum Patronos inclaruit. Obiit Panormi anno 1636. ætatis 80. & in Ecclesia Monialium S. Catharinæ sepultus jacet. Edidit

Allegationes pro Regio Fisco, & Terra Tortoreti contra D. Aloysium Mastrilli. in fol. sine loci, anni, & typographi nomine.

Allegationes pro D. D. Alvaro Valdaxi, Russo, & Spatafora Barone Martinorum contra D. Franciscum Campulo. in fol.

ANTONINUS BONONIA v. Antonius Bononia.

ANTONINUS BOTTUS Panormitanus, Jacobi Botti nobilis Genuensis filius, Ordinem Carmelitarum Excalceatorum ingressus, inde ad Clericos Regulares Somaschos transiit. Egregiis doctrinæ splendoribus effulsit, quorum præstantiâ sui admirationem excitavit, cùm sexennio philosophiam, ac duodecim annis scholasticam Theologiam docuisset Neapoli, Genuæ, & Romæ. Ad Clerum Torellanum apud Venetos Theologiam moralem publicè exposuit, ad hoc munus ab Episcopo loci electus. Honorum gradus, ad quos sæpè promerita virum eximium accersere, constantissimè respuit, ut quieti, & studiorum otiis indulgeret. Inter celeberrimos verbi divini concionatores recensetur à Joanne Franchino *in Bibliosophia Francis. n.* 41 *p.* 66. Romæ vivebat an. 1684. Edidit

Disputationes in Aristotelis Logicam, Philosophiam naturalem, & Metaphysicam, in tres tomos distributas. Genuæ ex typographia Antonii Georgii Francelli 1671. in 4. Prælo paraverat

Theologiam in quatuor Tomos distributam. in fol. & nonnulla *opera Theologiæ moralis.*

ANTONINUS BRANCACCIO Messanensis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor; ob doctrinæ præstantiam pluries in Medicorum Collegio Messanensi Prior, ac illius Urbis Archiater. Claruit an. 1636. De eo Placidus Reina *not. hist. Messanæ par.* 2. *p.* 503. qui edidisse testatur italicè

Breve Racconto de' favori, e beneficii ricevuti dalla B. V. e delle feste celebrate in rendimento di gratie nella solennità dell' Epistola Mariale nel 1636. *nella Città di Messina.*

ANTONINVS BRVNVS Panormitanus Juris utriusq; Doctor, natus anno 1673. 16. Iulii, & literarum studia amplexus, Jurisprudentiæ laureâ insignitus est. Causarum patrocinium naviter agit, ab ingenio, doctrinâ, & eruditione laudatus. Vivit nunc vir eximius in studio indefessus, & sui spem in diem excitat. Edidit

Allegationes in causâ spolii feudi Belliscaræ pro Ill. D. Joseph Monreale Duce Castriphilippi contra D. Carolum Deodato. Cum Tribunalis Concistorii S. R. C. decisione, & motivis juxtà allegata. Panormi apud Felicem Marinum 1702. in fol.

Allegationes Juris, & Facti pro Ill. D. Joseph Valguarnera Principe Niscemis, contra Ill. D. Pontium Valguarnera. Ibid. 1700. in fol. Italicè

Discorso in Fatto, con alcune considerationi legali, e precisamente sopra la l. si unquam C. de rev. don. *per la validità dell' insinuata revocazione fatta a* 26. *Maggio* 1653. *della donazione fatta a* 8. *Luglio* 1643. *dall' Ill. Qu. D. Vitale Valguarnera Prencipe di Niscemi &c. a due figli naturali.* Ibid. 1702. in fol.

Præventionis Judicialis Notula coram Ill. D. Francisco Arana Consultore E. S. Anno 1703. *Pro Ill. D. Joseph Monreale Duce Castriphilippi contra D. Rainaldum Deodato.* Panormi in fol. ex typographia Fœlicis Marino, fulcita postea favorabili decisione ejusdem Ill. Consultoris Anno 1705.

Legalis discursus tribus munitus sententiis conformibus: ne attendatur dupplex consanguinitatis vinculum in Feudis Jure Francorum, Primogeniis, Majoratibus, & Fideicommissis, pro Ill. D. Pancratio Rao, & Corivaja Marchione Mongiuffi &c. contra D. Matthæum Fusca. Panormi 1706. in fol. Sub prælo Fœlicis Marini.

Scripsit suppresso nomine, *Pro Ill. D. Ioseph. Valguarnera Principe Niscemis super textu in l. quod jussit ff. de re judicata sub die primo Maii* 1700. *in* fol.

Italicè scripsit suppresso pariter nomine, *super textu in l. si unquam C. de revoc. donat. & super l. comparationes C. de fide instrum. pro eodem Ill. Principe Niscemis* in fol.

ANTONINUS COELI Messanensis, Philosophus, ac Medicus doctrinâ instructissimus: in Messanensi Collegio Prioris munere claruit. Vixit anno 1618. quo in lucem emisit

Introductionem Universalem ad medicā facultatem, ac brevem methodum curandi particulares præter naturam corporis humani affectus : nec non de pulsibus tractationem : quibus additur commentarius in primum librum Aphorismorum Hippocratis, Messanæ apud Petrum Bream 1618. in 4.

ANTONINUS COLLURAFI ex oppido Libritii, Diocœsis Pactensis, in lucem editus an. 1585. à teneris annis clericali militiæ nomen dedit. Literarum studia eâ animi cõtentione amplexus est, ut ob egregiā ingenii felicitatē mirabiliter profecerit, & Philosophię, ac Theologiæ laureā adhuc adolescens obtinuerit. Exinde elegantissimum ingenium ad amœniores literas admovit, tanto cum fructu, ut in prestantissimum virum evaserit: ob reconditam eruditionis copiam, tum sacram, tum profanam, historiarum cognitionem, civilemq; doctrinam; sed præcipuè ob singularem eloquentię cultum, splendoreq; eximium, inter præclariores ævi sui viros meritò accensendus. His munitus præsidiis, extra Siciliam benignæ fortunæ vestigia pertentans, Venetiis se contulit; ubi cùm ejus literarum ornamenta intellexissent bonarum artium amatores, egregium virum perhumaniter foverunt: & à nobilissima donata familia, memorabili munificentiâ fuit exceptus: ibique ornatissimâ eloquentiæ, & eruditionis venustate, Literatorum omniũ amorem sibi conciliavit. Senatus decreto publicè civilis doctrinæ, & Rhetoricæ præcepta docuit; tantâque doctrinæ laude, ut ubique præclara celeberrimi sui nominis fama effunderetur; & eloquentiæ præstantiam prædicarent omnes. Nobiles Venetiarum adolescentes suo in gymnasio eruditi, novis literarum splendoribus patriam amplitudinem exornarunt: ex eius enim Schola prodiere laudatæ sapientiæ viri, politioribus literis celebres, inter quos Jo: Franciscus Lauredanus, ab editis libris longè, lateque notus, quem, ut testatur Gaudentius Brunaccius *in ejus vita p. 17. & 18.* & Auctor libri inscripti, *Glorie degl' Incogniti p. 246.* vivida eloquentiæ lumina à Colurafi pręceptis originem traxisse scribunt; quòd idem Lauredanus in libro, *Scherzi Geniali*, (quorum unum nostro Antonino dicavit) apertè fatetur. Suorum Discipulorum numerum auxere Petrus Michael, Fernandus Pallavicinus, Victor Contarenus, aliique plures, quorum libri omnium calculo probantur. Cùm autem summâ apud omnes veneratione vigeret, in Equitum S. Marci albo, maximo honore fuit relatus, & in ejusdem dignitatis diplomate, amplissima nostri Antonini promerita recensentur. Ipsius doctrinæ fama ultra mõtes progressa est, & à Ferdinan. III. Imp. eloquentiæ suæ vi demiratâ, in libris, quos eidem nuncupavit; grati animi testimonium Cęsar edidit, suique æstimationem patefecit: ideoque imagine sua graphicè effictâ, ac duodecim gemmis ornatâ eum muneravit, & Comitem Palatinum delegit. Nec minori æstimatione Antoninum prosequutus est Philippus IV. Hispaniarum Rex; statim enim ac ad regiam aulam accessit Antoninus, illius benevolentiam promeruit: ob eximia ingenii monumenta, quibus Hispanæ coronæ decus propugnavit, ipsum Regium Hispaniarum Chronographum constituit, ac Capellæ S. Petri in Regio Panormi Palatio Cantorem (hæc unica est inter Canonicos ipsius Sacelli dignitas) ejusque animi, ingeniique dotes, in regio diplomate extulit. Nec reticiam, quòd ad eminentiorem dignitatum fastigium evexisset, si tunc præstantior vacasset dignitas: pluries enim animi sui propensionem aperuit Rex liberalissimus: at Antoninus moræ impatiens, Panormum se transtulit; ibique Literatorum omnium amorem, ac venerationem sibi comparavit: & in Panormitana Reaccensorum Academia recensitus effulsit. Panormi tandem ætate gravatus, magno cum bonorum dolore, decessit 27. Maii. 1655. æt. 70. & in Regio Sacello sepultus est. Ipsum laudant Lauredanus cit. *in epistolis par. 1. p. 246. 284. & 333.* Brunaccius *cit.* Petrus Angelus Spera *de nobil. Profess. Gramm. lib. 3, p. 150.* Glicerius ab Annunciatione *in lib. sfoghi sacri p. 104.* Philadelphus Magnos *in Vespere Siculo* primæ editionis *p. 57. & Theatro Geneol, par. 1. pag. 283.* ubi ait, proprium familiæ cognomen fuisse Collura, ab Antonino verò immutato, ut dulciorem ederet sonum. Vide etiam Antonium Sanctam Crucem *in lib. Secretaria d' Apollo p. 165.* & Nicolaum Antonium *in Biblioth. Hispana to. 2. p. 351.* qui Antonii Colurafi nomen anagrammaticum fuisse, minus rectè, dubitavit. Edidit

Perspicuam totius dicendi artis, in tres compendiarios libros distinctam explicationem, in qua quidquid ad perfectum spectat Oratorem, ex summis, probisque Rhetoribus decerptum, singulari ordine, mirâ brevitate, & facili methodo continetur. Venetiis typis Jacobi Sarzina 1619. in 8. Italicè

Idea del Gentilhuomo di Republica nel governo Politico, Etico, ed Economico, o vero il Nobile Veneto. Venetiis apud Andream Muschium 1623. in 4. Exinde recognitum & auctum, addita secunda parte. Ibid. apud Paulum Balionum 1630. in 4.

L' Effigie divina, o vero S. Domenico di Suriano. Ibid. apud Iacobum Sarzinam 1638. in 12.

Lettere Parte Prima, e Seconda. Ibid. apud eundem 1628. in 8. & apud Ginammum 1655. in 8.

L' Amicitia Incõparabile degl' Illustriss. Nicolò Barbarigo, e Marco Trivisano. Panegirico; e

La Pacienza dell' Illustriss. Sig. Aluise Donato. Panegirico. hæc seorsim primùm edidit, inde cum laudatis Epistolis.

I Trionfi della Virtù nella coronatione del Ser. Francesco Erizzo Principe di Venetia. Panegirico. Venetiis apud Jacobum Sarzinam 1631. in 4.

L'Aquila Coronata, o vero la felicità sospirata dall'Universo, alla Maestà sempre Augusta di Cesare il Grande Ferdinando III. Imp. Panegirico. Ibid. apud Marcum Ginammum 1637. in fol.

I Disinganni Politici, Risposta à i Felici Progressi dell'

nell'armi del Re Christianissimo nelle Provincie di Spagna, Fiandra, Borgogna, ed Italia. Panormi apud Decium Cyrillum 1641. in 4. Hispanâ linguâ editos perperam scripsit Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispana tom. 2. pag.* 351. nisi fortè aliquis in eam lingua verterit.

L'Occhio sopra lo Scettro, o vero la Prudenza Regia delineata nell' Idea della Maestà del Re N. S. Filippo IV. il Grande. Matriti apud Joannem Sanchez 1643. in 4. hoc opus Hispanicè etiam edidit hoc titulo

El Ojo sobre el Cetro, de la Prudencia Real. Ibidem apud eumdem 1643. in 4.

Il Racquisto di Portolongone, e di Piombino fatto dall' Armi Cattoliche di Filippo IV. il Grande, Panormi 1651. in 4.

Le Tumultuationi della Plebe di Palermo. Panormi 1651. in fol. sed priusquam absolveretur editio, decreto Regis fuit suspensa. Hos etiam in lucem emisit libros, quos adhuc non vidi.

L'Accademia.

La morte di Catone Uticense.

Declamatione per la morte di Catone Uticense.

Il confuso aspetto di ringratiamento all' Imp. Ferdinando III.

Expumicabat, ut in lucem emitteret, *Historiam Familiæ Aragoniæ, & Pignatelli*, quam m. s. reliquit.

ANTONINUS DIANA nobilis Panormitanus Clericus Regularis, ne dum Patriæ, verùm etiam Siciliæ singulare ornamentum. Natus an. 1585. à teneris unguiculis literis addictus, adolescens præclaram genii indolem detexit. Florente ætate Musis indulsit, non sine ingenii laude; suasq; ingenii dotes conjectare licet, ex paucis vernaculâ linguâ cantionibus, quas leges *to. 1. par. 2. Musarum Sicularum pag.* 84. Clericalem militiam sequutus, & Sacerdotio jam initiatus, exinde Clericorum Regularium institutum amplexus est, annum agens 30. Panormi Ordinis habitum accepit primo Februarii 1615. ibique solemnia emisit vota 2. Februarii 1616. teste P. D. Carolo Morales *in Diana Vindicata pag. ultima*: vel ex Josepho Silos *in hist. Cler. Regul. par. 3. pag.* 533. die 4. Octobris 1614. Absolutis studiorum spatiis, ob ingenii præstantiam, ac memoriæ felicitatem doctissimus evasit. Eximiæ doctrinæ, singularem prudentiam sociavit; adeout tùm inter sodales suos, tùm extra, magnam sibi æstimationem comparaverit. Morali Theologiæ toto pectore, diuturnis vigiliis, & non intermisso labore adhæsit, eo animi fervore, ut, in eruditionis, doctrinæque Thesaurum adauctus, refulserit. Totus erat in pervolvendis Auctorum libris, in pervestigandis sententiis: non volumen neglexit, quin non lustraret: non Doctorum placita, quin non rectè perpenderet. His munitus præsidiis, Primam Resolutionum Moralium Partem absolvit, in qua, acri sanè judicio, in opinionum delectu, non trivia, non obvia, sed peregrina congessit, ac breviter, & dilucidè omnia, ad prudentiæ libram perpensa, digessit; adeò ut typis tradita communi omnium plausu fuerit excepta: & tot suarum lucubrationū sortitus sit laudatores, quot habuerit lectores. Id Dianæ animum roboravit, ut ea studia prosequeretur, aliaque exararet volumina, quæ successivè edita, eâdem felicitate, eximiis laudum præconiis sapientes exornarunt. Opera hæc sua summâ aviditate amplexa, doctiorum desideria excitabant ad alia expetenda, & expectanda. Hujusce verò cupiditatis testes sunt, repetitæ, brevi temporis lapsu, editiones: vix namque exacto quinquennio, primæ operum suarum partes septies fuerunt recusæ, bis Panormi, bis Lugduni, ter in Hispaniis. Nec minori plausu aliæ Resolutiones exceptæ: vix enim in lucem emissæ, cùm statim celebriores typographorum officinas inspexere Romæ, Venetiis, Lugduni Avenione, Parisiis, Antuerpiæ, Monochii, Matriti, Syracusis, & alibi. Universalem omnium approbationem testantur, doctissimi, celebresque viri, qui multoties in compendium ejus volumina contraxere, ut infra distinctè recensebimus: & tandem Resolutionum omnium Coordinatio à P. Martino Alcolea doctissimè, prudenterque digesta. Innumeri tandem Doctores prædicare non cessant, Dianam Moralis Theologiæ Principem, ac Magistrum. Summâ veneratione egregiæ doctrinæ suæ, & eruditionis præstantiam venerabantur viri sapientissimi, quorum amorem sibi conciliavit: & in primis recensendi Joannes Caramuel, Antonius Cotonius, Angelus Maria Verticelli, Franciscus Pellizzarius, Sforza Pallavicinus, Augustinus Barbosa, Franciscus de Lugo, Antonius Escobar, Gregorius Gobat, Joannes Dicastillo, aliique ab editis libris celeberrimi. E' dissitis Regionibus, & etiam (quod mirùm dictu) à novo Orbe, datis ad ipsum literis, veluti ad Theologiæ Moralis oraculum; pro enodandis difficillimis controversiis, advolabant. Academiæ per Europam celebriores ipsius probavere doctrinam. Panormi eâ sapientiæ opinione floruit, ut Proceres, Dynastæ, Senatus Panormitanus, ac ipsi Siciliæ Moderatores, in gravioribus conscientiæ negotiis ejus consilium exploraverint. Hinc meritò ob singularem doctrinæ splendorem, morum gravitatem, prudentiam, vitæque integritatem, ad nonnulla honorum culmina evectus est. Ter Romæ apud Præpositos Generales Clericorum Regularium astitit Consultor: Panormi Synodalis examinator, & Tribunalis S. Officii Siciliæ Consultor effulsit. Romæ etiam, ubi per annos 26. moras protraxit, nonnulla ipsius æstimationis argumenta edidere Pontifices Max. Episcoporum etenim Examinator fuit coram Urbano VIII, Innocentio X. & Alexandro VII. Tanta ejusdē doctrinæ opinio apud Innocentium valuit, ut amplissimis pensionibus, & annuo censu ejus studia levaverit: & bis ante Quirinale Cœnobium D. Silvestri Clericorum Regularium pertransiens, Aulicis, Proceribusq; stipatus, Dianam nostrum, qui de more, unà cum aliis Patribus ad domus ostium accurrerat, suo nomine salutatum misit: quòd sicut in Pontificibus inusitatum: ita & Dianæ honorificentissimum. Ea in Urbe omnium Sapientum animos ad se traxerat: immò ibi nullus

lus accedebat, qui Dianam studiosè nõ perquireret, & quem famâ clarissimum intellexerat, præsentẽ agnosceret. Nec demùm apud Romanam Curiam disceptatio aliqua incalescebat, quin ad eum, veluti ad Delphicum Tripodem, non accurrerent: jurgii qualitatem exponerent, ac sententiam suam enixè perquirerent. Inter hos viri Religiosi, Præsules, Proceresque præcipui enumerandi. Relictâ tandem posteritati celeberrimi nominis famâ, magno Sapientûm dolore vivere desiit Romæ 18. Julii, ex Philippo Brietio *Annal. mund. par.4. to.2. pag.569.* vel 23. Junii, ex P. Morales *in Diana Vindicato pag.* 143. seu verius 22. Julii, ex Francisco Marchesio in Elogio infra notando, ann. 1663. In postremis operum Dianæ editionibus luculentum Auctorum Catalogum leges, qui Dianæ doctrinam emeritis laudibus extollunt: quem, ne actum agam, hic non exscribo; solùm addam præter supra citatos, Josephũ Silos *hist. Cler. Regul. par.3. pag.* 533. *& in analectis epist.* 33. *p.* 76. Franc. Mariam Pratum *in Discept. Forens. cap.1. n.76.* Frances *in semicenturia consultationum consf.19. nu.* 1. Angelicum Aprosium, sub nomine Scipionis Glareani, *in Scuto Rinaldi, cap. 29. pag.215.* Lud. Morerium *in dict. to. 1. p.1061.* Aug. Oldoinum *in addict. ad Ciacconium to.4. pag.* 528. *&* 718. Nicolaum Antonium *in Bibliot. Hispan. to. 1. pag.595.* Ioannem de Cardenas *in Crisi Theol. ad propos. dam. diss. 25. cap.7. n.66.* & Sforciam Pallavicinum *in epist. pag.12. &* 14. Tandem doctissimus, & æquè eruditissimus Frãciscus Marchesius Canonicus Panormitanus, ann. 1694. P. Dianæ Imaginem ære insculptam, in lucem emisit, hoc adjecto elogio. *R. P. D. Antoninus Diana Cl. Reg. Nobilis Panormitanus, in Sicilia Sanctiss. Inquisitionis Consultor, Romæ Episcoporum Examinator, ubique Sapientum calculo Doctor celeberrimus, ac Libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ strenuus Propugnator. Obiit Romæ 22. Julii 1663. ætatis annorum 77.*

Edidit Diana

Resolutionum Moralium Partes duodecim, quarum primæ editiones hoc ordine prodiere.

Pars Prima, & Secunda. Panormi apud Hieron. Rossellum 1629. in fol.

Pars Tertia. Ibid. apud eundem 1632. in fol.

Pars Quarta. Lugduni typis Laurentii Anisson 1636. in fol.

Pars Quinta. Ibid. apud eumdem 1639. in fol.

Pars Sexta. Ibid. apud eumdem 1642. in fol.

Pars Septima. Lugduni apud Laurentium Anisson 1644. in fol.

Pars Octava. Ibid. apud hæredes Petri Prost, Philippi Borde, & Laurentii Arnaud 1646. in fol.

Pars Nona. Lugduni apud Laurentium Anisson 1649. in fol.

Pars Decima. Lugd. apud Anisson 1651. in fol.

Pars Undecima. Lugd. apud eũdem 1655. in fol.

Pars Duodecima. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1656. in fol.

Recusæ sunt successivè, & exinde simul variis in locis. At non omnes hic recenseam editiones, quòd longum immò ferè impossibile erit, cùm innumeræ sint eorumdem operum impressiones, omnibus perviæ: solùm coordinatam editionem operum omnium, studio P. Alcoleæ innuam, quæ hoc titulo prodiit

Diana Coordinatus à V. P. Martino Alcolea Carthusiensi ex Regali Cœnobio de Paulár. Lugd. 1667. in fol. & iterum ibid. sumptibus Jo: Ant. Huguetan, & Soc. 1680. in fol.

Opusculum: *de Primatu solius D. Petri, Disceptationes Apologeticæ*: primò fuit editum Romæ ex typopraghia Mavelphi Mavelphii 1647. in 4. inde parti 9. operũ tract. 10. adjunctũ, & tãdem recusum in opere magno, cui titulus: *Bibliotheca Maxima Pontificia Sanctor. Patrum, & aliorum Catholicorum &c. in lucem edita à Fr. Joanne de Roccaberti Archiepiscopo Valentino tom.* 4. Romæ typis Ioannis Francisci Buagni 1697. in fol.

P. D. Carolus Morales Matritensis Cler. Reg. edidit Volumen inscriptum

A. R. P. D. Antoninus Diana Panormitanus Congreg. Cler. Reg. Doctor celeberrimus, Episcoporum Examinator, coram tribus Sum. Pontif. Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. Dogmaticus, sive id omne, quod controversim ex professò, vel obiter ipse variis in Resolutionibus discussit, quibus Pontificia potestas adversus præcipuos nostræ Religionis hostes, præsertim Semicatholicos, Sacramentarios, Novatianos, aliosque Hæreticos vindicatur, clara, ac scholastica methodo ad unicum volumen redactum. Cui in calce affixus Idem venit Vindicatus, seu defensus ab omnibus proscriptis Propositionibus à Sum. Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Neapoli ex typographia Felicis Mosca, & hæredum Layni 1697. in fol.

P. D. Carolus Tomasius Cler. Reg. in coordinanda omnium Resolutionum mole desudavit, ut ait Silos *cit. pag.*558. sed à P. Alcolea præventus, opus edere neglexit: attamen ejusdem operis Tabulam, veluti Coordinationis Regulam, typis tradidit, hoc titulo.

Tabula Aurea operum omnium Antonini Dianæ Cler. Regul. quâ Resolutionum plusquam sex millia, pluraque aliorum casuum millia in duodecim partes promiscuè impressa rectâ, & clarâ methodo in 150. *Tractatus ritè, ac scolasticè ordinantur.* Romæ ex typographia Angeli Tinassi 1664. in fol.

Nonnulli Dianæ opera in compendium cotraxere, nempè

Joannes de la Val Belga, Tres tantùm Partes compendio suo complexus est. Lugd. apud Iacobum Cardon 1634. in 24.

Alexander Calamatus Messanensis. Quinque Partes. Venetiis apud Iuntas 1642. in 8.

Anonymus quidam Sex partes. Antuerpiæ apud Joannem Meursium 1645. in 24.

Antonius Cotonius Siculus Nicosiensis Tertii Ord. S. Francisci Partes Sex, quas edidit sub anagrammatico nomine Antonii Noctinoct. Lugduni sump. hæredum Gabrielis Boissat, & Laurentii Anisson 1644. in 4. & Venetiis apud Junctas 1646. in 4. & additâ septimâ parte, Lugduni apud heredes Petri Prost, Philippi Borde, & Laurentii Arnaud 1646. in 4. & 1660. in fol. & alibi

bis etiam cum aliis partibus, quas alii addidere. Idem Cotonius edidit Summarium Summæ Venetiis apud Matthæum Lenium 1648. in 24.

Andreas Guadagnianus, & *Poatanus*, usque ad decimam partem compendium produxere: ex Silos, & 8. 9. & 10. cum aliis Cotonii prodiere in Lugdunensi editione 1660, in fol.

Engelbertus Euvich Belga Soc. Jesu sub nomine Theologi Cluniensis decem partes incompendium edidit. Antuerpiæ apud Maursiũ 1637. in 24.

Paulus Maria Quartus Cl. Reg. compedio Engelberti addidit undecimam partem. Romæ apud Joannem Casone 1655. in 12.

Duodecim partes cõplexi sunt sequentes nempè

Nicolaus Antonius Lotharingus,

Anonymus Antierpiensis,

Matthæus Defendius, Lugduni apud Gabrielem Boissat 1642. in 8.

Joannes à Valle

Michael Van Triest. Antuerpiæ apud Jacobum Meursium 1660. in 8.

Simon Rendolinus Pernsinus. Venetiis typis Jo: Jacobi Herz 1672. in 8.

Antonius Montes de Torres Ord. S. Mariæ de Mercede. Auctor hic hispano idiomate compendium suum edidit, quòd insuetum & rarum apud Hispanos; exterorum enim opera in propriam linguam transferre, vel in compendium redigere maximè abhorrent.

Guilelmus de Osca compendium etiam evulgavit Hispanè

ANTONINUS DREPANENSIS Ordinis observantium S. Francisci, vir doctissimus, graviores disciplinas docuit, & ad Lectoris, ut vocant Jubilati, gradum evectus est. Disertissimus, & apostolicus concionator, in cinerali jejunio cum laude, & fructu declamavit. Anno 1693. in Sicilia Provinciam rexit: apud Siciliæ Inquisitores Consultor, & Censor effulget. Apud suos magnâ æstimatione prosequutus vivit. Edidit italicè

Novena da farsi ad honore dell' Gl. S. Antonio di Padova. Panormi apud Coppulam 1693. in 12.

Ottavario del SS. Viatico, nel quale s' esortano i Fedeli all' accompagnamento del SS. Sacramento quando è agl' Infermi, e nelle Processioni portato; con alcuni Avvertimenti a' Predicatori, e Parochi: Bolle, e Sommario d' Indulgenze per ciò concedute, e con un Panegirico *di S. Pasquale di Bailonne*. Ibidem apud Constantium 1703. in 12.

ANTONINUS FALSAPERLA Panormitanus, Patre Balthassare, de quo suo loco, in lucem editus est 11. Aprilis an. 1666. Literis, & eruditione instructissimus irradiat. Latiis Musis impensè addictus, elegantissimi ingenii opes, planè egregias, detexit summâ cum laude, & Literatorum æstimatione. Plausit Philippo V. Hispaniarum Regi elegiaco carmine typis edito: nempè

Ob Successionem S. C. M. Philippi V. Hispaniarum, & Siciliæ Regis Augustissimi Triumphus. Panormi typis Michaelis Constanzo 1701. in fol. Excepit Ovidiano concentu Marchionem Villenæ, edititque

Gemebundæ dudum Siciliæ Imaginem, modò exultantis, ob suspiratum Excel. Domini D. Joannis Emmanuelis Fernandez, Paceco, Marchionis de Villena, Ducis de Escalona Proregis, accessum. Panormi typis Gramignani 1701. in 4.

Nonnullos concinnè elucubratos asservat libros, prælo tradendos, non sine literati Orbis supercilio: videlicet,

Moream Venetorum armis subactam, Duce Francisco Maurocено, sive de Bello Peloponnesiaco, heroico carmine.

Paraphrasim divini Poematis Comitis Hieronymi Gratiani, cui nomen, il Conquisto di Granata, *heroico carmine*. Italicè

Elisire Poetico, Selva di Poesia Italiana, che contiene, Sinonimi, Epiteti, Definitioni conglobate, e Amplificationi Poetiche.

Frasologia Siciliana, Italiana, e Latina. Quæ omnia quamprimùm in lucem prodiret vir eximius, ni domesticis distractus curis, & forensibus involutus negotiis, sæpè manum è calamo removere coactus sit.

ANTONINUS FABA Messanensis Barbitonsor peritus, italicè edidit

Prattica di Barbiero circa il cavar sangue, ed altre cose appartenenti a detto officio. Messanæ apud Vincentium Amicum 1698. in 8.

ANTONINUS FERRAROTTUS Nobilis Messanensis Caroli Ferrarotti, & Antoniæ Lapis, ex Baronibus lapidum S. Mariæ, Filius. Natus 30. Augusti 1637. Exactis studiorum spatiis, Juris utriusque lauream accepit Messanæ an. 1657. Ob doctrinæ præstantiam à Siciliæ Moderatoribus ad nonnullas causas delegatus: & titulo ducis armorum fuit cohonestatus. An. 1664. à Duce Sermonetæ pro Rege Siciliam gubernante, munere Regii Syndicatoris Thermarum functus est. Dum verò ad alia properabat, honorum progressus inhibuit tẽporum sævitia. Amœniores etiam literas coluit, & poesi, ac eruditione inter Officinæ Academicos claruit. Tandem annum agens 48. obiit Messanæ 1685. De eo Ansalonius *de sua familia p.294*. Librum de Præeminentiis Stratacoti Messanensis, auctore Vinc. Ferrarotto, additionibus locupletatum, recusit hoc titulo

Della Preminenza dell' Officio di Stradicò della Nobile, ed Esemplare Città di Messina, e sua Regia Corte Compendio brevissimo diviso in Trenta discorsi, composti dal Dottor Vincenzo Ferrarotto Gentilhuomo dell' istessa Città ristampato di nuovo, e ricorretto con l'addizioni del Dottor D. Antonino Ferrarotto Nipote dell' Autore. Cosentiæ apud Jo: Bapt. Rubeum 1671. in 4.

Scripsit ac m. s. reliquit, *Chronicon suorum temporum*.

ANTONINUS FORMICA Siculus: musices peritus. Hujusce extant nonnulla in libro, cui titulus:

Infidi lumi Madrigali a 5. voci di diversi Autori Siciliani. Panormi apud Jo: Bapt. Maringum 1603. in 4.

ANTONINUS GALLEGUS Panormitanus Philosophus, ac Medicus Doctor: ab eruditione, & doctrinâ laudatus. Edidit

Ora-

Orationem habitam in funere Artium, & Medicinæ Doctoris D. Gerardi Natalis, cùm parentalia persolverentur, in salutari Jatrophysicorum Academia Panormitana, de tanto Fundatore benè, optimèque promerita. Panormi typis Dominici de Anselmo 1667. in 4.

ANTONINUS GUERCIO Panormitanus Ordinis Prædicatorum, vir eruditione, doctrinâ, ac eloquentiâ clarus, Baccalaurei munere insignitus, vivit. Edidit italicè

Il Macabeo delle Spagne Oration funerale recitata per le seconde esequie del gran servo di Dio Don Gio: Barbosa del Conseglio di S. M. e suo Castellano di Castell' à Mare di Palermo. Panormi apud Thomam Romulum 1692. in 4.

ANTONINUS JURATUS Terrænovæ in Sicilia nobilibus parentibus ortus, ab adolescentia Jurisprudentiæ laureâ donatus, postquam causarum Patronum in supremis Siciliæ subselliis, non sine egregiæ doctrinæ, ingeniique laude egit, ad nonnullos honorum gradus ascendit. Prætorii Panormitani primùm Judex, inde Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, ac semel, & iterum Magnæ Regiæ Curiæ integerrimus Judex refulsit. In sævissimæ famis angustiis, quibus Sicilia laboravit an. 1671. Commissarii Generalis munus prudenter obivit. Post hæc Fisci Patronus Regii Patrimonii, ac Magnæ Reg. Curiæ, & bellicæ gentis Auditor electus. A' Rationibus etiam Magister Regii Patrimonii, & Primus novi Tribunalis Regię Juntæ Messanæ excitati, Supremus præfuit Minister. His in muneribus semper intemeratæ justitię jura servavit, & integritate, prudentiâ, ac doctrinâ inclaruit. Anno tandem 1683. in Hispaniam evocatus, ut in Supremo Italiæ Consilio Regentis munere præesset, ibi hactenus degit, ob eximias animi dotes, ac sapientiam, inter egregios Hispanæ Monarchię Ministros recensitus: ideoque venerationem, amoremque omnium promeretur. Hujusce laudes vide apud Ignatium Gastone *in distept. fiscalibus disc. 4. n. 27. p. 42.* Franciscum Stratam *in suis quietationib. p. 17. & in Clementia Regia pag.* 508. & Vincentium Auriam *in hist. Chronol. Proreg. Siciliæ pag.* 403. Edidit

Allegationes pro D. Philippo Hozes, & Corvaja, contra D. Mariam Lazari, & Hozes. Panormi typis Bossii 1671. in fol.

Allegationes pro Regio Fisco. Ibid. in fol.

ANTONINUS DE JUDICE Panormitanus ex nobili, eruditâque familiâ natus, Patre Cæsare de Judice; de cujus Pietate, Doctrinâ & generis decore suo loco scribendum erit. Fratres habuit Joannem Baptistam, & P. D. Michaelem superstitem, de quibus in hac Bibliothecâ suus erit dicendi locus: sicuti de Octavio Bellia, ipsius ex sorore nepote. Ab adolescentiâ Iurisprudentiæ laureâ insignitus, forensibus causis tuendis, non sine plausu operam dedit. Amœnioribus etiam literarum studiis, ingenium plurimorum capax, & unius facultatis impatiens, admovit. Sacræ, prophanæque eruditionis copiâ instructissimus præfulget. Poesim præsertim Etruscam hæreditario quodam jure feliciter excoluit, & ad animi oblectamentum, subcesivis horis cum laude cecinit. Pro meritis exigentibus anno 1701. in Panormitano Prætorio Judex fuit constitutus, mox Syndicatorem egit: nunc verò in Tribunali Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ integerrimus Judex sedet: & ad alia promovendum speramus. Ipsum laudat Michael Perramutus *in Patrocinio causæ Buteræ nu. 112. pag. 34.* Ex innumeris lucubrationibus in jure scriptis, solùm typis cudendum permisit

Propugnaculum Apologeticum Veritatis, constructum in judicio manutenendæ possessionis Comitatus S. Marci, Principatus Mirti, aliorumque Statuum, & Titulorum, pro Ill. D. Maria Anna de Filingerio, & de Vigintimilliis, contra Ill. D. Joseph de Filingerio. Panormi ex typographia Augustini Epiro 1700. in fol.

Multos præterea Dialogos Etruscis numeris concinnatos, & Musicis modulis concinendos, ut amicis morem gereret, edendos permisit, suppresso nomine. Hi sunt

La Carità Prodigiosa nel Glorioso S. *Francesco di Paola.* Panormi apud Aug. Epirum 1691. in 4. & Drepani apud Bartholomæum Francum 1696. in 4.

Il Giosuè. Drepani apud Francum 1697. in 4.

Le lagrime di S. Maria Madalena. Ibid. apud eumdem 1697. in 4.

I Presagj di fedeltà per il Glorioso Patriarca San Benedetto. Panormi apud Epirum 1698. in 4.

L'Eleazaro. Ibid. apud Eumdem 1700. in 4.

S. Rosalia in Quisquina. Messanæ apud Vincentium Amicum 1701. in 4.

L'Alcide Prologo per lo Drama intitolato la caduta de' Decemviri, Panormi apud Felicem Marinum 1698. in 12.

In quinque etiam festivitatibus D. Rosaliæ celebratis Panormi, quarum prænobilem ideam, multiplici eruditione refertam disposuerat P. D. Michael de Judice ejus frater, Etrusca edidit Pœana in triumphali Curru cōcinenda, quæ unâ cum Relationibus earumdem festivitatum sunt excusa, nempè

L'Applauso delle Regie Virtù. Panormi apud Epirum 1695. in 4.

L'Intelligenze. Ibid. apud eumdem 1696. in 4.

La contesa delle Muse, e delle Sirene. Ibid. apud eumdem 1697, in 4.

Epitalamio per lo Sponsalizio di S. Rosalia con l'Amor Divino. Ibid. apud eumdem 1699. in 4.

Cantata à 3. voci con quattro minori nelle conquiste di S. Rosalia. Ibid. apud eumdem 1701. in 4.

ANTONINUS LAGUIDARA Messanensis Sacerdos, natus 13. Aprilis 1660. ex Petro la Guidara nobili Messanensi, & Antonia Pavone. Studiis sęverioribus admotus, utriusque Juris lauream obtinuit. Cùm autem causarum Patrocinium cum laude egisset per aliquot annos, à forensibus clamoribus, ad Ecclesiasticam quietem se vertit, ac anno ætatis 30. Sacerdotio insignitus, nunc Messanæ vivit, morum integritate, eruditione, & doctrinâ præclarus. Edidit italicè.

L'Ana-

L'Anacoreta Zancleo, o vero le Notizie di S. Nicandro venuto, e morto in Messina co' suoi seguaci Gregorio, Pietro, Demetrio, ed Elisabetta. Messanæ apud Vincentium Amicum 1685. in 12.

Il Secolo impugnato, e revocato da' vitii. Parte Prima. Ibid. apud eumdem 1691. in 8.

L' Avvocato Ravveduto, opera drizzata al vero bene degli Avvocati. Ibid. apud eumdem 1706. in 4.

Molitur & alia præsertim, *Vitas aliquot Messanensium Sanctitatis famâ illustrium.*

ANTONINUS MAGRI' ex oppido Frazanò Diœcesis Messanensis, Sacerdos, & Abbas. Natus 28. Septembris 1668. literarum studiis impensè addictus, Philosophiam, ac scholasticam Theologiam didicit Panormi. A' teneris unguiculis ad poeticas delicias pronus, Etruscas, Siculasque Musas dilexit: ideoque multa tunc protulit ingenii monumenta cum literatorum laude: præsertim vernaculo carmine, Vitam, & miracula S. Coni cecinit, dum decimum quintum ætatis annum non excesserat. Politioribus literis egregii ingenii dotes addixit, & eruditione clarus elucet. Siciliæ monumenta tum vetera, tum recentiora perscrutando, sui æstimationem promeret. Vivit Panormi vir eximius studiis intentus. Edidit italicè

La Ricetta del Cielo per la Podagra nel Patrocinio di S. Stapino Vescovo, e Romito. Discorso Encomiastico. Panormi apud Buam, & Barberam 1695. in 12.

Sole, ed Orsa in nuovo Cielo. Panegirico Encomiastico recitato nella nuova Chiesa del Monastero de' PP. Basiliani nuovamente eretto nella Città di Palermo sotto titolo di S. Basilio, ed una Notizia Istorica della fondatione di detto Monastero, e degli Antichi, ch'ebbe la medesima Religione in questa Felice, e Fedelissima Città di Palermo. Ibid. apud Anglesem, & Leonem 1697. in 4.

Prælo paravit

La Santità Coronata d'Alloro, Vita di S. Lorenzo Basiliano di Franzanò.

Istoria dello stato antico, e moderno di S. Marco Città di Sicilia.

Vita, e Miracoli del B. Giosafat Basiliano Arcivescovo di Polocia, e Martire, per l'unione con la Chiesa Cattolica Romana.

Vita, e Miracoli di S. Cono della Terra di Naso, Poema Eroico in verso Siciliano.

ANTONINUS MARCHESIUS nobilis Panormitanus Clericus Regularis, natus anno 1602. Ordinis institutum amplexus est Panormi 3. Decembris 1617. & ibidem solemnia nuncupavit vota 7. Aprilis 1619. Vir doctus æquè, ac pius, gravioribus disciplinis ingenii præstantiam excoluit, ac sodales suos exinde Philosophiam docuit. Inerat ipsi peracutum ingenium, adeout difficillima Doctorum placita seligere videbatur: celeberrimum sibi nomen comparaturus, nisi mors in ipso ætatis flore vitam obtruncasset Panormi 5. Septembris 1637. De eo Joseph Silos *hist. Cler. Reg. par. 3. lib. 12. pag. 536.* Hippol. Marraccius *Biblioth. Mar. par. 1. pag. 110.* Ad excitandam in Deiparam pietatem. Edidit italicè

Meditationi dell'Espettatione del Parto di Maria Vergine. Panormi apud Rossellium 1635. in 16.

ANTONINUS MARIA SIERIPEPOLI nobilis Drepanitanus Soc. Iesu. Lucis usuram accepit 18. Octobris 1641. Societatem verò ingressus est 28. Iunii 1658. in qua solemni quatuor votorum sacramento se adstrinxit 2. Februarii 1675. Emensis studiorum spatiis, post humaniores literas, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam docuit Panormi, & Messanæ; ob egregiam ingenii felicitatem, ac singularem doctrinæ præstantiam summis laudibus prosequutus. Nunc præest Collegio Drepanitano studiorum Præfectus, & in Mazarensi Diœcesi Synodalem Examinatorem agit. Edidit

Corollaria Moralia, quibus ea, quæ pertinent ad Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ per illationes ex principiis Theologicis communiter receptis, breviter, ordinatè, & clarè traduntur. Panormi per Calatro, & Drepani per Franco 1698. in 12.

Cursus Theologici Partem Primam de Visione Dei, Panormi apud Josephū Gramignani 1700. in 12.

Partem Secundam de Voluntate Dei. Drepani apud Bartholomæum Francum 1703. in 8.

Alia Prælo paravit, quæ successivè in lucem emittet.

ANTONINUS MAZZONUS Netinus Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister doctissimus: eâ claruit doctrinæ, & sanctimoniæ opinione, ut permaximam sui æstimationem excitaverit. Integerrimos servavit mores, quos scrupulorum molestiis elimavit: virtutes verò eximiæ egregium virum insigniter exornarunt. In morali Theologia versatissimum, passim consulebant viri primarii, qui ad ipsum tanquam ad oraculum in difficillimis rerum quæstionibus confluebant. Non sine sanctimoniæ fama obiit Neti an. 1660. Edidit

Propugnaculum contra impugnantes metam Netinam. Neapoli apud Ægidium Lōgum 1644. in 4.

ANTONINUS DE MICHAELE Ragusanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ, & Juris utriusq: Doctor, ac Prothonotarius Apostolicus. Doctrinâ, & eruditione excultus, fuit Siclensis Ecclesiæ Archipresbyter, mox Ecclesiæ Syracusanæ Canonicus an. 1640. à Francisco de Ælia, & Rubeis Episcopo Syracusano electus: ibique etiam Judicem, & Examinatorem Synodalem egit. Obiit Syracusis 3. Septembris 1666. in Ecclesia S. Hippolyti extra Urbis mœnia sepultus. De eo Ab. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. p.* 257. Evulgavit italicè

Brieve Relatione della Vita, Morte, e Miracoli del B. Guglielmo Eremita Patrono di Scicli. Panormi apud Io: Bap. Maringum 1630. in 8.

Alia quæ scripsit hæc sunt, nempè

Clypeus Ecclesiæ in competentia Fori inter Judicem Laicum, & Ecclesiasticum, Resolutiones Canonicæ lib. IV. m. s.

De antiquo, & novo statu Ecclesiæ Syracusanæ libri IV. m. s. ubi de Episcopis Syracusanis, de Mensa Episcopali, de Canonibus, aliisque ad eam Ecclesiam pertinentibus. Ex relatione viri eximii

nii Michaelis Angeli Mancharusi, extant apud heredes. Opus *de antiquo, & novo statu Ecclesiæ Syrac.* citatur à Mariano Perrello *in vita S. Luciæ p.* 35. Ioseph Michael hujusce Antonini frater in libro Hispanè inscripto: *Imperio de Satanas p.*50. ipsum citat: *in sermone de providentia.*

ANTONINUS DE MICHAELE alter ex oppido Tusæ Sacerdos à morum integritate laudatus. Obiit Tusę an. 1680. Edidit italicè

La Nova Chitarra di Regola, di dichiarationi, e figure, con le Regole della Scala. Panormi apud Barberam, Rumulum,& Orlandum 1680. in 4. & apud Petrum Coppolam 1698. in 4.

ANTONINUS MIRELLUS, & MORA Messanensis Pictor: ne dum è penicelli laboribus, verùm etiam è politioribus literis sibi gloriam comparare putavit. Academiis Officinę, & Radicatorum Messanę; ac etiam Otiosorum Neapolis nomen dedit. Vivebat an. 1667. Consule Cornelium Aspasium Antivigilmi, sive potius Angelicum Aprosium Vigintimillium *in Bibliath. Aprosiana pag.* 430. & 431. ubi hujusce viri judicium habes. Edidit italicè

La Diva Senia Prencipessa. Bononiæ apud Corduban 1644. in 8.

Discorsi delle Glorie della Nobile, Fedele, Insigne, ed Esemplare Città di Messina. Venetiis apud Hæredes Iuntę 1649. in 4.

Vita del P. Antonio Fermo Fondatore della Congregatione sotto titolo di Giesù, e Maria. Messanę apud Iacobum de Matthęo 1655. in 12.

L' Arcadio Liberato Poema Heroico. Bononię apud Io: Bap. Ferronum 1660. in 12. At hoc opus ab alio Messanense, nempè N. Tuppo elucubratum nonnulli Messanenses mihi testati sunt; plagiarii vitio Mirello ascriptum.

Discorso, che fà la lingua volgare, dove si vede il suo nascimento essere Siciliano. Messanę apud Paulum Bonocotam 1660. in 8.

Discorso dove si mostra che la Sicilia sia stata Madre non solo dello scrivere, e poetare, ma anco della lingua volgare. Cosentię apud Io. Bap. Mojum, & Io. Bap. Rubrum 1662. in 8.

Risposta di Antonino Mirello, e Mora ad una lettera di D. Diego di Mora Regio Castellano nella Città di Milazzo. Ibid. apud eosdem 1663. in 4.

Risposta ad una seconda lettera di D.Diego di Mora Regio Castellano nella Città di Milazzo. Neapoli apud Salvatorem Novellum 1664. in 4.

Il Rimanente della Risposta alla Seconda lettera di D.Diego di Mora &c. Ibid.apud eumdem 1664. in 4. Has responsiones contra eruditissimum virum Ioannem Vigintimillium non à Mirello, sed à Petro Henrico Messanensi scriptas, mihi renuntiarunt Messanensium eruditi.

La Fama Oratrice per la morte di D. Gio. Ventimiglia Cavalier della Stella, e de' Conti di Ventimiglia. Messanæ ex typogr.Pauli Bisagni 1665. in 4.

Vita di Guido delle Colonne Messinese. Venetiis apud Guerilios 1665. in 4.

Vita di Tomaso Caloria Messinese. Ibid.apud eumdem 1666. in 4.

Vita di Monsig: Gio: Antonio Viperano Vescovo di Giovenazzo Messinese. Ibid.apud eumd.1667.in 4. Edidisse etiam referunt

L' Astrea.

Poesie.

Capricci Poetici.

La Lucerna.

Nettunno componimento dramatico.

Odi Pindariche. at ea non vidi

ANTONINUS MOLETUS Messanensis, Pauli Moleti Patritii Messanensis filius. Generis nobilitatem egregiis ingenii dotibus, ac studiis splendidiorem reddidit. Politioribus literis addictus poesi, eloquentiâ, & eruditione eminuit. Romæ apud Urbis Literatos, Principes, ac S. R. E. Cardinales consanguineos magnâ doctrinæ opinione valuit, & ibidem inter Academicos Infecundos inclaruit. Messanæ etiam in nova Clitiæ Academia ascriptus est, ubi in Officina recensitus effulserat. Edidit italicè

Oratione funerale nella morte di Felice Rospigliosi, detta nell' Accademia degl' Infecondi. Romæ apud Angelum Bernabò 1688. in fol.

Discorso Accademico per lo Pontificato di Papa Innocenzo XI. Ibidem apud Jacobum Komarek. 1691. in 4.

Etrusca etiam carmina edidit nonnulla expansis foliis excusa.

ANTONINUS PILUS nobilis Panormitanus, à teneris annis vividam ingenii indolem detexit, quam poeticis studiis excoluit. Panormi vivebat an.1662. laudatur à Josepho Galeano *in Musis Siculis to.*1. *par.*2. *pag.*88. ubi ex eo leges vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

ANTONINUS PLATAMONIUS Catanensis nobilitate,& doctrinâ clarissimus, Juris utriusque Doctor celebris:vixit circa an.1540.De eo cum laude meminere Marius Cutelli *de donationib. to.*1. *tr.*4. *disc.*2. *partic.*11.*n.* 80. *pag.* 354. Io: Bapt. de Grossis *in decac. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 146. Multa scripsit, ex quibus supersunt

Annotationes super Ritu Regni Siciliæ. in commentariis super Ritu collectis à Marcello Cõversano. Panormi apud Angelum Orlandum,& Decium Cyrillum 1614. in fol.

ANTONINUS RANDATIENSIS ex familia Tetti, natus an. 1578. annum agens 20. institutum Fratrum Strictioris Observantiæ S. Francisci amplexus est an. 1598. inter quos doctrinâ, & religiosis moribus floruit, immò & omnibus se præbuit virtutum exemplum. Hinc pluries præfuit Custos Provinciæ Siculæ, & maximo charitatis, zelique fervore Provinciam gubernavit. Visitatorem,ut ajunt, in Provincia Apuliensi Septem Martyrum egit; in eaque cùm comitia celebrasset, & reditum in Siciliam meditaretur, apud Tropeam morbo correptus, ibi non sine absolutissimi viri famâ decessit 13. Iunii 1632. eo die quo Ecclesia S.Antonii Patavini festum celebrat, ut ipse exoptaverat, & à Domino enixè petierat. Viri sanctimoniam nonnulla, supra naturæ vires patrata post mortem,probavere. Plura de eo Lucas

cas Vvadignus *de scrip. minor. p.* 37. Angelus Rodriquez *in sua respons. pag.* 27. Benedictus à Passafiumine *de orig. Eccles. Cephal. pag.* 56. & 83. Lireus *de imitat. Chr. Patientis lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 108. & *lib.* 4. *cap.* 7. *pag.* 302. Petrus Tognolettus in Paradiso Seraphico *par.* 1. *in proem. pag.* 2. *lib.* 4. *cap.* 87. *p.* 561. *l.* 5. *cap.* 1. *pag.* 566. *cap.* 2. *pa.* 583. & *seq.* & *par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *pag.* 269. & *l.* 9. *cap.* 7. *pag.* 522. Scripsit italicè

Processi delle Vite di molti Frati, e Tertiarii, che vissero, e morirono con fama di santità, e d'alcuni altri Huomini illustri di questa Provincia di Sicilia, con altre cose notabili. Tom. 1. 2. & 3. m. s. in fol. Primi, & Tertii Tomi authographum erat apud Vvadignum, inde apud Tognolettum: Secundus verò servatur in Cœnobio Sanctæ Mariæ Portus Salvi Messanæ. Ex hoc opere, sicut & ex sequentibus multa excerpsit P. Tognolettus pro suo Seraphico Paradiso, & nonnulla ipsius fragmenta in eo exscribit.

Cronica delle Vite de' Beati, & altri Servi di Dio dell'uno, e l'altro sesso, che nell'Osservanza di Sicilia fiorirono con fama di santità. m. s. in fol. servatur in eodem Cœnobio Portus Salvi.

Cronica delle Vite de' Beati, e altri Servi di Dio dell'uno, e l'altro sesso, che nella Riforma di Sicilia fiorirono con fama di santità. m. s. in fol. Idem Tognolettus servabat. Anno 1611. nonnullas Icones Fratrum Strictioris Observantiæ, qui sanctitatis famâ claruere, ære incisas edere curavit, & unicuique suum addidit elogium.

ANTONINUS SALAMON Panormitanus Eques Hierosolymitanus Petrarum vivarum Baro, in Melitensium equitum albo ascriptus ann. 1671. elegantissimi ingenii vires politioribus literis admovit: lyricâ suavitate, & argutiis referta multa cum plausu cecinit: ideoque non modo in Sicilia, verùm etiam & extrà estimationem summam sibi comparavit. In Academia Reaccensorum Panormitana ascriptus, laudes promeruit haud vulgares. Obiit Panormi 14. Octobris 1697. & in Cœnobio Capuccinorum sepultus est. Laudibus exornatur ab Ant. Forte *in Epigram. pag.* 48. Balthassare Pisano *in eruditis armoniis ferialib. pag.* 209. Ioan. Baptista de Iudice *Poes. par.* 1. *pag.* 74. Gutterra la Valle *in observationib. ad Batillum ejusdem de Judice pag.* 231. & 287. Vincentio Auria *ibid. pa.* 335. & Ioannes Silvester Salva in libro, *el Embaxador de Apolo pag.* 15. Ipsius etiam meminit Andreas Minutolus *in not. Prioratus Messan. pag.* 340. Edidit italicè

La Fiordispina Drama per musica. Panormi apud hæredes Bossii 1678. & apud Petrum de Insula 1680 in 12.

La Rosidora Melodrama. Ibid. apud Iacobum Epirum 1685. & 1687. in 12.

La Cassandra in Babilonia Drama per musica. Ibi. apud Anglesem 1691. in 12.

Il Trionfo della Virtù per le Glorie della Felice Città di Palermo Dialogo. Ibid. apud Petrum de Insula 1681. in 4.

La Susanna Dialogo. Ibid. apud D. Cillenium Hesperium 1684. in 4. Post ejus mortem prodiere

I Ghiacci d' Ippocrene Poesie liriche. Messanæ apud Vincentium Amicum 1703. in 12. Dramatico operi inscripto, *l'Orfeo*, nonnulla addidit.

ANTONINUS SALDANUS v. Gerardus Ansaldus.

ANTONINUS SALONIA Panormitanus Iuris utriusque Doctor, claruit doctrinâ excultus an. 1632. Edidit

Addictiones ad Singularia Nicolai Intriglioli. Panormi apud Angelum Orlandum 1632. in fol.

ANTONINUS SAPONIUS Panormitanus Sacerdos, natus 11. Julii 1670. severiores disciplinas accepit in Collegio Panormitano Soc. Jesu: ibique Sacræ Theologiæ laureâ insignitus est 12. Julii 1692. cui etiam moralem Theologiam, Pontificia jura, ac sacram eloquentiam addidit. Ingenio, doctrinâ, & eruditione clarus Panormi vivit. Edidit italicè suppresso nomine

Vita di S. Peregrino Confessore cavata dalli Codici manuscritti della Città di Caltabellotta. Panormi apud Felicem Marinum 1699. in 8.

Vita, e Miracoli del glorioso S. Filippo Sacerdote volgarmente detto S. Filippo d'Argirò. Ibid. apud eumdem 1699. in 12.

ANTONINVS SERRA Messenensis Poeta. Edidit italicè

Il Trionfo ammirabile, o vero il Martirio glorioso della Vergine S. Agata descritto in ottava rima. Catanæ apud Bisagnium 1685. in 8.

ANTONINVS SVRDVS Alcarensis Sacerdos Abbas Sanctæ Mariæ lo Rogato in Oppido Alcariæ Diœcesis Messanensis. Natus 14. Augusti 1646. cùm literis sese addixisset Jurisprudentiæ lauream accepit, ac causarum Patronum egit non sine laude. At anno 1680. rejectis forensibus curis, Clericalem habitum suscepit, & ad sacræ eloquentiæ studia ingenium convertit: ideoque in nonnullis Siciliæ Civitatibus, oppidisque, magno cum animarum fructu per annos 20. quadragesimale curriculum, ad populos declamãdo, confecit. Ab Archiepiscopo Panormitano in sacris missionibus pluries adhibitus est. Nunc vivit Panormi. Anagrammatico nomine Nuntii Surdani edidit vernaculâ linguâ

Vita, Morte, e Miracoli del glorioso Eremita San Nicolò in ottava rima Siciliana. Panormi apud Jacobum Epirum 1692. in 12. Prælo paravit italicè

La Penitenza vittoriosa, Vita, Morte, e Miracoli di S. Nicolò Eremita in istile oratorio.

Quaresimale. Panegirici.

ANTONINVS ROSEA nobilis Messanensis, Natalis Roseæ, & Agathæ Donati filius, amœniores literas coluit, magnâque pietate exornatus refulsit. Divi Michaelis Archangeli præsertim studiosus, ipsum præcipuo honore veneratus est. Obiit Messanæ 13. Decembris 1700. Edidit italicè

La Domitilla, o vero i tormenti d' una Donzella innamorata. Racconto. Messanæ apud Iacobum Matthęi 1651. in 12.

L'Eugenio. Amore di Purità libri quattro. Ibid. apud eumdem 1652. in 12.

La bellezza di Marcellino, e di Cleto libri tre;

Melitæ apud Hieronymum Montefortem 1653. in 12.

L'Evario, o vero la Virtù coronata in tre libri. Venetiis apud Io: Iacobum Hertz 1656. in 12.

ANTONINUS TANTILLUS Panormitanus vir sanè egregius, literis instructissimus, publicum in patria Tabellionem egit. Naturali propensione politioribus literarum studiis addictus, eâ animi contentione iis operam dedit, ut primas obtinuerit; præstantissimis, qui sua tempestate poesi, & oratoria facultate inclaruerunt, meritò accensendus. Poemata sua Siculo, ac Italico idiomate; tragicis, lyricisque numeris scripta, singularem promeruere laudem. Etsi autem perpetuis adversæ fortunæ injuriis comitatus; attamen semper apud eruditos, literatosque magnâ valuit æstimatione: ideoque Academiæ Panormitanæ Reaccensorum ascriptus summo semper honore fuit prosequutus. A' Pindarica poësi celebris; in ea demirabantur doctiores, dicendi gravitatem, ab ineptiis penitus alienam. Nec minor ipsi gloria accessit in tragœdiis scribendis juxtà præscriptas Aristotelis leges, cujus præcepta, in omnibus ingenii monumentis, servata inviolabiliter voluit. His celeberrimum sibi nomen comparasset, si publicam inspexissent lucem: sed inopiâ obsistente, quæ usque ad supremum ejus vitæ diem, virum meliori fortunâ dignum, urgere non cessavit, multa manu exarata relinquere coactus fuit: in illis verò, quæ typis tradidit, mirè refulgent styli elegantia, dictionis cultus, ac carminis puritas; in quibus superiorem fortasse neminem habuit. Obiit tandem Panormi 25. Febr. 1659. ipsumque laudant Io: Baptista Vallegius *in poes. pag.* 52. Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. to. 1. pag. 98. & in lib. Diporti Giovanili pag. 189.* Edidit italicè

Compendio di quanto si contiene nella Tragedia di S. Lucia da rappresentarsi per gli Accademici Agghiacciati, con un Raggionamento Poetico. Panormi apud Decium Cyrillum 1622. in 4.

Sommario di quanto si contiene nella Tragedia di S. Alessio da rappresentarsi per gli Accademici Agghiacciati, con un discorso sopra la Tragedia. Ibid. apud Angelum Orlandum 1621. in 4.

Della Cetra Pindarica il Leoluca, ode sacra. Ibid. apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1642. in 8.

Della Cetra Pindarica la libertà di Genova, ode morale. Ibid. apud eosdem 1642 in 8.

Della Cetra Pindarica la povertà, ode morale. Ibidem apud eosdem 1642. in 8.

Della Cetra Pindarica *l' Aquila Trionfante, ode morale.* Ibid. apud eosdem 1643. in 8.

Della Cetra Pindarica la Bellezza interna, ode morale. Ibid. apud eosdem 1643. in 8.

Della Cetra Pindarica odi tre morali. Il Betli festante. Il Bagno. la Servitù coronata. Ibid. apud. eosdem 1643. in 8.

Della Cetra Pindarica la Romita d' Oreto, ode Sacra. Ibid. apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1643. in 8.

Della Cetra Pindarica la Ricchezza, ode morale. Ibid. apud Petrum de Insula 1652. in 8.

Della Cetra Oratiana la virtù mal gradita. Ibid. apud Nicolaum Buam 1649. in 8.

Raggionamento Poetico. Sub nomine Academici Humidi, extat in Tragœdiis Hortesii Scammacca.

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *tom. 1. par.* 1. Ibid. apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagni 1662. in 12.

Canzoni *Siciliane Burlesche.* In Musis Siculis par. 3. Ibid. apud Bisagnium 1651. in 12.

La Rosalia Tragedia Sacra. m.s. in 4. authographum extat apud me.

Della Cetra Pindarica la difesa: la Speranza: la Giostra, odi tre morali. m. ss. apud Vincentium Auriam Panormitanum.

Della Cetra Pindarica le Muse, ode morale. m. s. apud me.

La Natività di Cristo N. S. Tragedia Sacra. m.s.

Oratione dell' arte histrionica. m. s. in 4. apud Auriam.

L'Albero di Merlino, Comedia. Hanc Vincentius Tudiscus annis elapsis Panormi servabat.

ANTONINUS THERMITANUS Ord. Strictioris observantiæ S.Francisci Laicus, ex familia Aidonia. Panormi magno probitatis exemplo diu in quærendis, ac colligēdis eleemosynis constitutus est: laudabilē vitam mors haud dissimilis sequuta est Panormi 1656. ex Petro Tognoletto *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag.* 569. qui vernaculâ linguâ scripsisse testatur

Historia di S.Caterina V. e M. in ottave Siciliane. m. s. servabatur apud eumdem Tognolettum.

ANTONINUS de VINCENTIO Panormitanus Societatis Jesu, in lucem editus 15. Martii 1655. Societatis habitum suscepit 14. Octobris 1671. ac votorum quatuor Sacramento se astrinxit 15. Augusti 1688. Exacto studiorum cursu elegantissimam ingenii præstantiam sacræ eloquentiæ dicavit. Conciones in cinerali jejunio emeritis laudibus, & plausu habuit in præcipuis Siciliæ Civitatibus: pluries enim Panormi, Messanæ, Drepani, Monteregali, & alibi declamavit: à dicendi copia, styli cultu, & eruditione celebratus. Panormi cùm magnâ populi frequentiâ conciones dixisset Quadragesimali tempore, libellum ejusdem laudes complectentem edidere, hoc titulo: *Applausi di Accademici Riccesi in lode del R. P. Antonino di Vincenzo famosissimo Predicatore nella casa Professa della Compagnia di Giesù nel* 1693. Panormi apud Josephum la Barbera 1693. in 4. Vivit nunc eloquentissimus vir Panormi, veneratione dignus. Edidit italicè

Il Ritratto del Cuor di Maria inviato nella Sacrata sua Lettera a' Messinesi. Panegirico Sacro. Messanæ apud Michaelem Amicum 1697. in 4.

La Vita ammirata in un Simulacro. Panegirico Sacro in honore della SS. Annunziata di Trapani. Drepani apud Francum 1702. in 4.

L' Oggetto di Beatitudine alle Pupille de' Viatori. Panegirico Sacro della SS. Annunziata di Trapani. Ibid. apud eumdem 1702. in 4.

Discorsi Panegirici in lode di S. Rosalia Vergine Romita Palermitana. Panormi apud Dominicum Cor-

Cortesium 1703. in 12. Suppresso nomine

Aræ Maximę in atrio Panormitanę Regiæ inter Octodiales Corporis Christi ferias erectæ anno 1679. Brevem descriptionem. Panormi typis Barberæ, Rummuli, & Orlandi 1679. in 4.

ANTONINUS XIBECCA Panormitanus Jurisconsultus ob egregiam doctrinam meritò eximiis laudibus exornandus. Inter præcipuos causarum Patronos nulli secundus claruit: ideoque nonnullis honoribus cohonestatus: fuit etenim in Panormitano Prætorio Judex, Regii Patrimonii Fisci Patronus, Regni Siciliæ Prothonotarius, Regiusq; Consiliarius. Doctrinâ celebris decessit Panormi 3. Iulii 1584. & in Oratorio Charitatis D. Bartholomæi Sepulturæ traditus est. Laudatur à Francisco Strada *in quietationib. pag.* 13. Hujus extant

Consilia quatuor: in selectis consiliis collectis à Petro Luna. Panormi apud Erasmum Simeonem 1627. in fol. Italicè

Constitutioni Pragmaticali fatte sotto M. Antonino Colonna Vicerè di Sicilia. Ibid. apud Ioannem Franc. Carrara 1583. in fol.

De Regia Monarchia Regni Siciliæ Tractatus, & Allegationes. m. s. in fol. passim in Jurisconsultorum Bibliothecis vagantur; & citantur ab Abb. Pirro Sicil. Sacræ *to. 2. pag.* 455. Antonino Diana *par. 3. tract. 1. resol.* 74. Muta *in Proem. ad consuetudines Panormi pag.* 13. & 729. aliisque.

Allegationes de Regio Jure Patronatus in Archiepiscopalibus, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis Regni Siciliæ. m. s. in fol. apud Doctores multos. citantur à Muta *in proem. cit. pag.* 13. & *Capit. Regni Sicil. to. 1. cap. 39. n. 66.*

Annotationes in Consuetudines Panormi. citantur à Muta *in consuet. Panor. in proem. n. 49. pag. 9.* & alibi passim.

Votum pro Ill. D. Pompeo Columna, ex Muta cit. *cap. 11. n. 45. pag.* 118.

Allegationes pro Magnifico Procuratore Regii Fisci contra D. Joannem de Vigintimilliis. ex Muta cit. *tom. 4. capitulor. cap. 132. n. 51.*

Allegationes in causa Friderici Sabia. ex Antonino de Ballis *tract. var. lib. 1. qu. 7. n. 6. p. 11.*

Super Institutionibus Iustinianeis. citatur à Fran. Baronio *de effect. minor. ætatis, eff. 1. n.* 19.

ANTONINUS AGRAZ Nobilis Panormitanus, parentibus Alphonso Agraz Hispano, Regii Patrimonii in Sicilia Præside, & in Supremo Hispaniarum Consilio Regente, & D. Angela Spucces, natus est 25. Maii 1640. Fuit Antonius hæreditario jure Langoniæ Marchio, & Baro oppidi kaggi. Literis ab adolescentia apprimè instructus, ob egregiam ingenii indolem doctrinâ, & eruditione maximè præfulsit. In utraq; juris facultate scientissimus fuit, ac laureâ insignitus. In politioribus literis nemini secundus, Musas sive Etruscas, sive Latias magnâ cum laude coluit. Eruditissimis, doctisque ingenii monumentis quà prosa, quà versu concinnatis, mentis aciem patefecit tum Panormi in Reaccensorum Academia, in qua Principem egit, tum in Neapolitanis, Romanisque Literatorum Liceis. Hinc non immeritò Abbas SS. Salvatoris de Placa in Sicilia, & an. 1658. Regni, ut vocant, Deputatus electus est. Apud D. Petrum Aragonium Ducem Sergobiæ Neapolitani Regni Moderatorem, magnâ æstimatione valuit; qui Orator electus ad obedientiam Apostolicæ Sedi præstandam, Caroli II. Hispaniarum Regis nomine, an. 1671. Romæ nostrum Antonium secum adduxit, qui ejusdem nomine orationem habuit ad Clementem X. Pont. Max. Eâ in Urbe magnâ æstimatione, ab eruditione, prudentiâ, & ingenio prosequutus, inter Honorarios cubiculi Clementis IX. & X. ascriptus claruit, ac inter Purpuratos Patres recensendum putarunt omnes. Neapoli apud D. Antonium Alvares Astorgæ Marchionem eo effulsit honore, ut prædicaverit fama (vera ne, an mendax nescio) invidiam, propinato veneno, ejus mortem sollicitasse. Obiit 27. Maii 1672. anno æt. suę 32. dum ad majora honorum culmina properabat. Intempestiva ejus mors literatorum animos summoperè exacerbavit, ac in primis gravi dolore Marchionem, Regni Moderatorem, affecit, qui amplissimo funere, magnâ Procerum, ac Nobilium frequentiâ suo sumptu Antonium cohonestatum voluit. Laudatur à Nicolao Antonio *in Biblioth. Hispana par. 2. p.* 316. Vincentio Tancredo *quæs. moral. par. 2. tr. 5. qu. 23. pag.* 271. Dominico Antonio Parrino *in Theatr. Proreg. Neapol. t. 3. p.* 266. Francisco Londres *in epist. nuncupat. concionum Quadrag.* Fulgentio Arminio *in epist. etiam nuncup. discursus inscripti*, la comedia, Antonio Pesciullo *in speculo Principum in epist. nuncup.* & Iosepho Galeano *in lib. Diporti Giovanili pag.* 148. Edidit

Donativum Voluntarium Politicum Diatribe. Romæ typis Iosephi Corbi 1672. in 4.

Orationem Caroli II. Hispaniarum Regis, & Mariæ Annæ Reginæ Matris nomine ad Clementem X. P. O. M. habitam Romæ 4. kal. Februarii 1671. Ibid. typis Dragondelianis 1671. in 4. Prælo paraverat

Panvini epitomen Pontificum Romanorum, & S. R. E. Cardinalium auctam, notisque illustratam. in fol.

Museum Siculum, sive de Veteribus Siciliæ Scriptoribus. in 4.

Siciliam Normannam, Suevam, & Aragonensem in tres Tomos distinctam varios continentem auctores de rebus Siculis antiquos, partim antea editos, partim nunc primùm edendos. in fol.

De Panbasilia, & Basiliis, sive de summa, & amplissima Principum potestate, ac de Regibus. in fol.

De Privilegiis Ecclesiæ Viduæ tum Principis, tum Inferiorum. in 4.

Politicum Historicum, sive Methodum legendi historias ad politicam componendam. Hæc scripsisse Antonium, Nicolaus Antonius *in Bibl. Hisp. loc. cit.* testatur, quæ m. ss. forsan servantur in Bibliotheca Marchionum Astorgæ in Hispaniis: memoratus etenim Prorex Dux Astorgæ, emptâ Antonii nostri Bibliothecâ, ac suæ adjunctâ, in Hispaniam secum transtulit. Scripsit præterea ex Vincenzo Auria *in Elogiis m. ss. Illustr. Panormitanorum*

Poemata varia, & orationes.

De

De Inquisitoribus Siciliæ.

ANTONIVS DE ALEXANDRO Catanensis Philosophiæ, ac Medicinæ doctor eximius, ac Siciliæ, Insularumque sibi adjunctarum Archiater. Claruit an. 1441. ex Jo: Bap. de Grossis *in decac. Catan. to.* 2. *Cord.* 9. *pag.* 151. Scripsit

Constitutiones, & Capitula, nec non Jurisdictiones Regii Protomedicatus officii Siciliæ, quas approbarunt Nicolaus Specialis, & Gulielmus Montagnana (corrige Moncada) an. 1429. Siciliæ Moderatores, ut ex earumdem exordio habetur: at recognitas, & elucidatas edidit Jo: Phippus Ingarsia etiam ejusdem Regni Archiater. Panormi apud Jo: Antonium de Franciscis 1564. in 4.

ANTONIUS ANSALDUS v. Gerardus Ansaldus.

ANTONIUS de BALLIS nobilis Drepanitanus Senior dictus, Joannis de Ballis I. V. Doctoris filius: fuit & ipse Jurisconsultus doctrinâ insigniter excultus, & primarius causarum Patronus, à doctrinâ, & integritate laudatus. Hinc meritò Magnæ Regiæ Curiæ Iudex, & Regii Patrimonii à Rationibus Magister claruit: nam etsi Philadelphus Magnòs *par.* 1. *Theatr. Geneolog. pag.* 98. affirmet, Antonium de Ballis juniorem à Rationibus Magistrum fuisse, in errorem lapsum puto; Antonius n. de Ballis junior *in tract. varor. lib.* 5. *de prag. Regni prag.* 4. *tit.* 2. *n.* 1. Antonium Seniorem citans, quem patruum suum vocat, hac dignitate ornatum prædicat. Obiit Panormi 8. Novembris 1591. & in Ecclesia S. Nicolai de Calcia sepultus est. Hunc laudant Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *de familia de Ballis*, Octavius Corsectus *quæst. forens. q.* 12. Hujus, an sequentis Antonii honorificè loquatur Orlandinus *descr. Drep. pag.* 48. non liquet. Edidit

Ad Bullam Apostolicã Nicolai V. & Reg. Pragm. Alphonsi Regis de censibus Annotationes. Apud Petrum de Gregorio de censibus. Panormi apud Io: Antonium de Franciscis 1609. in 4. & iterum apud Franciscum Ciottum 1622. in fol. Scripsit etiam

Allegationes m. ss. quarum *lib.* 2. *alleg.* 21. citat supra laudatus de Ballis junior.

ANTONIVS DE BALLIS Drepanitanus junior dictus, supradicti nepos, Iuris utriusque Doctor, non minus doctrinâ, quàm integritate ornatus refulsit. Prætorii Panormitani, ac Magnæ Regiæ Curiæ Iudex præfuit: ac Fisci Patronũ egit. Obiit in oppido Busacchini 23. Aprilis 1598. & in majori Ecclesia ejusdem oppidi fuit sepultus. De eo Pirrus *not. Eccles. Mazar. p.* 555. Vincentius Nobilis *in thesaur. abscond. pro Deipara Drepanitana pag.* 788. & Mugnòs cit. Edidit.

Variorum Tractatuum libros sex, omnem ferè materiam criminalem Judiciorum, & Torturæ complectentes, & præcisè ubi proceditur ex abrupto, non datis defensionibus, in Regno Siciliæ ex Excell. Proregum dispensatione, cum aliquibus quæstionibus. Adjunctis Annotationibus ipsius Regni Pragmaticarum, etiam & Bullæ, Commentariisque ad Capitula ejusdem Regni Regis Alphonsi nu. 363. *&* 364. *de Syndicatu Officialium*. Panormi apud Ioan. Antonium de Franciscis 1606. in fol. & iterum typis Petri Coppola 1646. in fol. Lugduni etiam in 4. ex Catalogo librorũ Philippi Borde, & Laurentii Arnaud 1662. *pag.* 141. His argumenta, summaria, & indices addidit Ioannes Andreas de Ballis Alcamensis Jurisconsultus, auctoris filius, natus Alcami 4. Septembris 1561. pluries in eadem Civitate Alcami Gubernator, & Iudex supremus, qui ibidem obiit 13. Augusti 1630. sepultus in Ecclesia majori, & Sacello Sanctiss. Rosarii. Fontana *in Biblioth. legali par.* 1. *pag.* 58. præter Tractatus prædictos edidisse ait, opus cui titulus: *Tractatus varii criminales*. Panormi 1646. in fol. in quo 25. Tractatus complecti affirmat, quos distinctè recenset: an autem hoc verum, videant Jurisconsulti. Hujus, vel præcedentis Antonii citat Muta *in consuet. Panorm. cap.* 84. *nu.* 17. *pag.* 814.

Votum pro Josepho de S. Clemente Barone Gibilæ.

ANTONIVS BLANDVS ex oppido Mazzareni Soc. Iesu, vir à virtutum, & sanctimoniæ splendore clarus. Sub auspiciis Sanctiss. Encharistiæ in lucem editus, adolescens virtutum specimen dedit: virginalem etenim candorem intemeratum servavit: à noxiis omnibus sensus custodire studuit, oculos præsertim summâ vigilantiâ cohibuit: quibus spectacula, licèt honesta, negavit. Societatem ingressus est ann. 1602. & absoluto probationis biennio ad humillima ministeria adhibitus est, sed eâ vitæ innocentiâ, ac puritate, ut inter coquinæ sordes pluries Iesum puerulum viderit, qui se spectabilem fecit. Studiis admotus, temporis reliquias maximo spiritus fervore orationi dicabat, in qua sex integras quotidie horas insumebat. Perspectis virtutum, & prudentiæ dotibus, ad informandos Societatis tyrones præficitur Panormi, & Messanæ: eaque tyrocinia per ann. 18. summâ utilitate, ac laude moderatus est: in his verò domibus ædificiorum magnificentiam produxit, in qua multoties opem divinam expertus est: ab Angelis enim juvenili specie ad ipsum missis, ingentes pecuniarum summas accepit: ad remunerandas forsan profusas eleemosynarum copias; quibus paterna Antonii charitas inopes ad ipsum confluentes sublevabat. Habuit & tutelaris Angeli promptam opem, dum non sine vitæ discrimine flumen traiiciebat, nam invocato ejus auxilio, ast it Angelus sub pulcherrimi juvenis forma, cumq[illegible] ab imminenti periculo liberavit. Tyrones s[illegible]ctissimis legibus, ac pietatis studio ad perfe[illegible]ionis apicem direxit: & ad virtutes adipiscend[illegible]s verbo, & exẽplo inflammavit. Prophetico afflatus spiritu multa prædixit, ac intima cordium penetravit. Humilitatem in amoribus habuit: hinc quatuor votorum professionem ẽdere constantissimè recusavit, suadentibus dicere solitus: finite me in mea humilitate mori. Beatissimam Virginem summoperè coluit, adeout apud omnes constans fuerit opinio, sæpius ipsi se spectabilem fecisse, ac familiariter de rebus divinis secum egisse: ipsamque Deiparam ei aperuisse in toto terrarum orbe se inter ferventiores Virginis cultores secundum tenere locum. Virginitatis candorem usque ad supre-

supremum vitæ spiritum illibatum servavit. Tribus instituti votis quatuor addidit eximiæ perfectionis vota: primùm nempè, ne læthali culpa conscientiam temeraret. Secundum: ut sanguinem, vitamque pro Dei amore profunderet, quoties id exhiberet occasionis ratio, ac Divini Numinis gloria. Tertium: ut non à creaturis, sed tantummodo à Deo, ejusque sapientia, ac providentia penderet. Quartum: ut nullam cordis affectionem in creaturis collocaret. His editis votis, à creaturis solutus vixit, adeo ut res omnes creatas, veluti paleas habuerit. Aliud tandè emisit votum, quod inter Missarum solemnia Deus voce propè sensibili ipsi inspiravit, nempè ut in divinam voluntatem, nomen, famamque omnem remitteret: ac paulò post multa pertulit adversa, ac etiam à tyrocinio fuit amotus: at perpensâ tandem ejus vitæ innocentiâ, antequam ad pristinum munus restitueretur, ad Cœlum evolavit. Obiit Panormi 27. Martii 1649. numeris omnibus absolutus. Consule Ioannem Nadasi *in anno dier. memor. 27. Martii pag.* 171. Silvium Tornamiram *in prodig. Angelor. cap.* 3. *pag.* 33. *& seq.* Michaelem Frazzettam *in Vita Aloysii Lanusa lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 233. & Carolum Mariam Plateam *in vita Gasparis Paranimphi lib.* 2. *cap. ult. pag.* 160. Hujusce post mortem italicè prodiere

Contemplationi per l'espettatione del Parto della Vergine N.S. Panormi apud Insulam 1669. in 12.

Stanza della Colomba nelle piaghe del Crocifisso. Ibidem apud Buam, & Camagna 1671. in 12.

ANTONIUS BONONIA, passim ANTONIUS PANORMITA dictus, ex nobilissima Beccadelli familia ortus, quã Panormi Bononiã dicimus, ex quo è Bononiensi vrbe originem traxit: antonomasticè Panormita vocatus à Patria Panormo, ubi natus: quòd innumeri testantur auctores. Perperam Petrus Angelus Spera *de nobil. Prof. Gramm. lib.* 3. *pag.* 135. Pandulfus Collennutius *in hist. Neapol. lib.* 6. *pag.* 270. Morerius *in dict. to.* 1. *pag.* 281. & Coronelli *in Biblioth. to.* 3. *n.* 4674. Bononiæ exortum dixere: origine enim Bononiensem, ortu Panormitanum fatentur omnes: & profectò si ejusdem Panormitæ Epistolas percurrissent, in quibus Panormum Patriam suam pluries vocat, lapsum declinassent. Originis verò causâ inter Bononienses non immeritò recensetur à Ioanne Antonio Bumaldo, seu veriùs, Ovidio Montalbano *in Biblioth. Bonon. pag.* 21. Fuit Antonius inter ævi sui literatos celeberrimus, immò facilè Princeps. Natus an. 1393. patre Henrico Bononio, qui pluries Panormum Prætoris munere rexit, ex Balthassare Bononio *in descrip. famil. Bonon. pag.* 3. *& Chronol. Prætorum Panorm.* apud Vincentium Auriam *in Chronol. Proreg. Siciliæ pag.* 256. A' teneris annis literis admotus Panormi Germanum quemdam audivit, cujus meminit Pontanus *de fortuna lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 832. Bononiã exinde se contulit, ibique, ob præstantissimam ingenii indolem, doctrinæ celeriter instructissimus, Juris utriusque laureâ insignitus est. At ingenii vastitatem unius facultatis limitibus continere haud passus, ad alias animum contulit: hinc multiplici doctrinâ excultus floruit; ac Theologus, Orator, Historicus, & Poeta effulsit clarissimus. In amœnioribus literis mirabiliter profecit, ac studiorum amore extimulatus præcipuas Italiæ Urbes excurrit, præsertim Papiam, Placentiam, Bononiam, Patavium, aliasque literis insignes, lustravit, & literatorum benevolentiam sibi conciliavit, ut ex ejus oratione ad Alphonsum Regem *in suarum epistolarum calce p.* 123. patet. Celeberrimo sibi nomine adepto, ob egregiam literarum præstantiam, ingeniique elegantiam, omnium calculo, literati orbis ornamentum proclamatus est, Poeticũ nactus ingeniũ, Musarum venultates, non modo suo tempore deflorescentes, verùm etiã emortuas, iterũ enatas, ac expolitas, pristino splẽdori restituit; ad cujus styli æmulationem poemata sua exornarũt Pontanus, ac Sanazarus: ideoq; Pontanus *de sermone lib.* 6. *pag.* 247. ait: *obliteratam ne dum languescentem in Italia Poeticam, restituit in antiquam penè formam. & in lib. amorum pa.* 3278. ita Antonium alloquitur: *Antoni decus elegantiarum, atq; idem pater omnium leporum.* Gyraldus *de Poetis nostrorum temporum dial.* 1. *p.* 385. scribit: *Quidam excellentes viri elegantiæ Parentem appellant:* ita & Barth. Fatius *de reb. gestis Alphonsi lib.* 3. *pag.* 102. qui de eo tradit: *Hic præter eximiam doctrinam, excellenti ingenio præditus, & carmine, & solutâ oratione, quòd est perrarum, propè æquè valuit, in suadendo, & dissuadendo perfacundus habitus: judicio propè acerrimus, atque in primis facetus, jacentem tempestate nostrâ elegiam excitavit.* Philippus Maria Vicecomes, Mediolanensium Dux, in epistola ad Antonium, *Poëtam non minus admirandum, quam insignem* vocat. Æneas Sylvius Senensis Antistes, inde Pius II. Pontifex Summus, *in proem. ad Panormitæ libros, Oratorum, & Poetarum limatissimum proclamat.* A' doctrinæ splendodore veneratus singularem promeruit æstimationem apud Italiæ Magnates, ac viros literis instructissimos; inter quos recensendus Sigismundus Imp. à quo plaudentibus bonarum artium amatoribus, fuit poeticâ laureâ redimitus propè annum 1433. non 1449. ut perperam Toppius *in Bibliothec. Neapol. pag.* 24. meritò à Ioanne Maria Amato *in not. ad Orationẽ* 1. *pro Collegii Panor. studiis n.* 137. *p.* 124. rejiectus. Philippus Mediolani Dux paternã sui benevolentiã Antonio promittẽs ad se attraxit, nec inanem ipsius spem, dimisit, summum etenim amorem in Antonium fovit: in suum discipulum se ipsi tradidit: cùm eo familiariter semper usus est. Annuum octingentorum aureorum censum ipsi constituit, ut ea in vrbe publicè politioribus literis Mediolanenses adolescentes informaret; quòd testantur Paulus Jovius *in elogiis*, Pontanus *de liberalitate*, Petrus Angelus Spera *de nobilit. profess. Grammaticæ lib.* 4, *pag.* 203. ipsemet Panormita *in epist. l.* 1. *pag.* 8. Idem Viperã Mediolanensiũ Ducũ insigne gentilitium, olim à Britannis Regibus Panormitæ majoribus concessum, ut gentilitiis Antonii tesseris emineneret, permisit. At Duci præclarissimo, ob bellorum ingruentium sævitiam, interrupto studiorum cursu, Antonius noster Alphonso Siciliæ, Nea-

Neapolisque Regi adhæsit, qui ad se evocaverat. Hic literatorum amantissimus, Panormitæ studiosus mirum in modum semper fuit: ne dum in suum præceptorem constituit, verùm etiam, & à secretis, & consiliis suis delegit. In itineribus suis terrâ, marique emensis, perpetuum sui comitem voluit. In gravissimis rebus agendis ejus eximiæ prudentiæ, doctrinæq; sententiā explorabat: immò ab eo quotidie sapientiæ documēta ediscere cōtendebat;absoluto etenim prandio,literariis Antonii colloquiis summoperè animū demulcebat; teste Pontano *de convivio p.* 143. Ipsum maximo amoris æstu complexus est; honoribus continuò affecit, muneribus regiâ liberalitate honestavit; quod idem Panormita fatetur *in epist. lib.*5. *p.*99.103. *& alibi.* Nec prætermittendum illud amoris, honorisque argumentum, quod cùm Messanæ, eo præceptore, Virgilii explanationem audiret; mox Regum Hispanorum more, potio afferetur; Rex ipse Antonio manu sua ministrare gaudebat, saccari condimenta, aliaque offerebat, inservientibus primoribus Regiæ Aulæ Equitibus, ex Petro Spera cit. *lib.*3.*pag.* 135.Hos inter honores reponendū in primis munus Præsidis Regiæ Cameræ Summariæ, ad quod Neapoli Antonium evexit, idque perhonorifico patet diplomate, apud Nicolaum Toppium *de orig. Tribunal. Civ. Neapolis par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 10. *p.* 139. quo etiam in Neapolitanorum civiū albū Antonium cooptavit. Ab eodem Alphōso pluries Orator missus est ad Venetam Rempublicam, ex *epistolis suis lib.* 5. *pag.* 104. 115. *&* 120. ejusque oratio ad Venetos de Pace habetur apud Barth. Facium *de reb. gestis ab Alphonso pag.* 259. in harum legationum una à Senatu petiit, & obtinuit, ut è Patavina urbe brachium sibi concederent celeberrimi Titi Livii, ut ex inscriptione in Patavino Palatio rationis colligitur, quam exhibent Angelus Portinarius *in felicitate Patavii lib.*3.*cap.* 6. *pag.* 98. Franciscus Scotus *Itinerar. Italiæ par.* 1. *pag.*41.& Joan.Bap.Pacichellus *in Itiner.per Europam Christian. par.*4. *to.*1. *pag.*63. Oratoris munere functus est etiam ad Rempublicam Genuensem, ut ex oratione ad ipsam habitam patet in calce epistolarum ipsius Antonii *pag.* 124. Missus etiam Orator ad Florentinos, *ex epist. cit. lib.* 4. *pag.*74. ad Caetanos, ex oratione, teste Fatio cit. *lib.*4. *pag.*120. ad Calatiam obsessam ex eodem *lib.*7. *pag.*205. ad ad Borsum Atestinum Ferrariæ Marchionem; ac tandem ad Fridericum III. Imp. cùm se Neapolim transtulit, ut ex *lib. de dictis,& factis Alphonsi l.*4. *p.*108. *& epist. cit. lib.*5. *p.*115. Tanta igitur legationum frequentia ipsius eloquentiæ vim, singularem prudentiam, & supra communem omniū ordinum merita testatur. Ideoque optimo jure à Rege dilectus, ac beneficiis sæpè ornatus; inter alia annuas centum uncias auri (eò tunc magni ponderis summa) ipsi donavit, ex proventibus Regiis sibi Panormi solvendas, quas voluit omnibus præferrent: facultatem etiam fecit, ut Regia insignia, tesseris gentilitiis suis superimponeret: quæ omnia diplomate regia manu exarato 5. Febr. 1450. concessit; eumque leges apud Balth. de Bononia *in descript. suæ familiæ pag.* 12. Vetustissimum palatium à Saracenis extructum juxtà Panormum, cui nomen Zisa, ipsi largitus est,ut etiā viridaria, fluenta,& proventus eodem annexa, ex eodem Balth. cit. *pag.* 14. de quo etiam habetur epistola ejusdem Panormitæ ad Alphonsum Regem *lib.*5. *pag.* 108. Nec minori claruit æstimatione apud Ferdinandum, qui Alphonso successit: iisdem etenim dignitatibus: honoribusque cohonestatum apud se voluit. Nonnulla virtutum ornamenta Antonium veneratione dignum effecere. Pontanus *de serm.lib.*6.*p.*247. ipsius modestię meminit.Idē Pontanus in dialogo, cui titulus *Antonius p.*68.Panormitę hilaritatē, & imperturbabilē animi constantiam, cum adversis urgeri videbatur, mirabiliter detexit: æquo etenim animo tolerabat fortunæ injurias, & omnia ad Deum referebat. Idem *de fortitudine lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 240. generosam Antonii fortitudinem extollit; cum enim acerbissimis calculi doloribus cruciaretur, dissimulata morbi vi, nec angoris signum edebat: quòd & affirmat Ravisius Tex. *in officina tit. constantes*. Neapoli Academiam excitavit,ex qua literis præstantissimi prodiere: & ingravescente senectute hoc literatorum lyceum variis propositis quęstionibus fovebat, ac doctissimis exhortationibus inflammabat, ut testatur Pontanus *in dial.inscripto Antonius pag.* 68. ubi etiam festivam animi indolem, & lepidissima ipsius eloquia commemorat, usq; ad senilem ætatem servata: de quibus etiam *in lib. amorum pag.* 3278. & Bartol. Fatius *cit pag.* 102. Panormitam etiam laudat Pontanus *in dial.* cui nomen, *Actius*, *& de sermone lib.* 6.*pag.* 193. *&* 241. *& lib. de laudib. divinis.* Antonio nuncupavit Pontanus Carmen *de Mundi creatione p.* 3431. & alibi sæpius variè extollit Panormitam: quòd ut benè perpendit Leonardus Nicodemus *in addict.ad Biblioth. Neapol. Nicolai Toppi pag.* 22.tum Panormitæ merita, tum grati animi indoles hoc exigere videbatur; dum Pontanus Antonii nostri discipulus, doctrinæ præstantiam à Panormitæ præceptis derivatam agnoscit: id ipsum scribit Jo: Matthæus Toscanus *in Peplo Italiæ pag.* 32. apud Nicodemum *cit.pag.* 131.& Henricus Wharton *in append. ad hist. literariam Guilelmi Cave pag.* 125. qui & addit quòd Panormita Pontano honores procuravit; ipse enim ut apud Alphonsum Ferdinandi Regis Filium Magistrum, ac à Secretis esset, auctor fuit: & defuncto Rege in ejusdem Panormitæ locum successit, teste etiam Toppio *in Bibl. Neapol. pag.* 151. Panormitæ spectatissimam fidem, prudentiam, æquitatem, commendarunt omnes, ex Bart. Fatio *cit. pag.* 102. Inter alia Petrus Ranzanus *lib.* 41. *to.*8. *annal. m. s.* prædicare non cessat ipsius pietatem, ac christianæ religionis zelum. Uxorem duxit Neapoli Lauram Arcelliam,quam ipse Panormita à nobilitate, pulchritudine, ac morum elegantia laudat *in epist. lib.* 1. *pag.* 1. *& lib.*5. *pag.*108. *&* 115. cujus etiam Pontanus *in tumulis p.* 3417. exhibet epitaphium. Hinc Neapoli familiam pro

propagavit, quæ adhuc inter nobiles Sedis Nidi adscripta floret, ex Mazzella *in descript. Regni Neap. p.689.* Octavio Beltrano *in descrip. ejusdē p.26.* & Blasio Altimaro *de familia Carafça l. 3. p.404.* Aliā etiā duxit uxorē nomine Philippā Ferrussinā, cujus etiā meminit *in epist.l.4.ep.5.p.74.* Tandē meritis, honoribusq; onustus, à Regibus, Proceribus, ac doctissimis viris æquè veneratus, ætate, & urinæ morbo confectus, Neapoli maximo omnium dolore vivere desiit 6. Januarii 1471. æt.78. & marmoreo sepulchro ante majorem aram in Ecclesia S.Dominici, hoc additum fuit epitaphium, quod ipsemet in supremo morbo sibi scripserat.

Quærite Pierides alium, qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat.
Me Pater ille ingens hominum sator, atq. Redēptor
Evocat, & sedes donat adire pias.

Janus Vitalis celeberrimus Poeta Panormitanus aliud edidit Epitaphium in Antonii laudē, quòd habes *in deliciis Poetar. Italor. à Ranutio Ghero collectis par. 2. pag.* 1437, aliud Elisius Calentius, & aliud Pontanus scripsit *lib. 1. Tumulorum pag.* 3384. Egregiis laudibus Panormitam exornant Scriptores innumeri, ac præter autores supra citatos, non ultimi Bart. Fatius *de dictis & factis Regis Alphonsi lib. 4. pag. 120. lib. 7. pag. 205. & alibi,* & lib. *de humanæ vitæ felicitate,* Leander Albertus *descr. Siciliæ pag. 46.* Fazellus de reb. Siculis *dec. 1. lib. 8. cap. 1. f. 190.* Sannazarius *Arcad. prof. 11.* Baronius *de maest. Panor. lib. 3. cap. 3. pag. 106. & Siculæ nobil. amphit. p. 6.* Honorius Dom. Caramella *in Museo,* & Michael Foscarenus *in notis p. 20.* Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispan. to. 2. p. 364.* Nicolaus Toppius *in Bibl. Neap. p. 24.* Petrus Opmeerus *in opere Chron. pag. 416.* Maurolycus *hist. Sicil. lib. 1. pag. 32.* & *lib. 5. pag. 179.* Paulus Jovius *in Elogiis pag. 10.* Raphael Volaterranus *antrop. lib. 21.* Aubertus Miræus *in Bibl. Eccl. cap. 499. pag. 275.* Vossius *de hist. latinis lib. 3. cap. 7. pag. 592.* Jo: Mariana *de reb. Hispanicæ lib. 22. cap. 18.* P. Jo: Maria Amatus *in not. ad orat. 1. n. 137. p. 123. & seq.* & alii sexcenti, quos lubens prætermitto. Panormitæ extant

De dictis & factis Alphonsi Regis Aragonum libri quatuor. Commentarium in eosdem Æneæ Sylvii, quo capitatim cum Alphonsinis contendit. Adjecta sunt singulis libris Scholia per D. Jacobum Spiegelium. Basileæ ex officina Hervagiana 1538. in 4. Æneas Sylvius, exinde Pontifex Max. Pii II. nomine insignitus, prædictum edidit Commentarium cùm Ecclesiæ Senensi præesset, & in epistola ad Panormitam, summis laudibus ipsum celebrat. Prodiit iterum opus Panormitæ cum eodem Commētario, & Scholiis Vitembergæ 1585. in 4. Hannoviæ 1611. in 4. Rostochii typis Myliandrinis studio Chytræi 1590. in 4. *ex Biblioth. Pontificia* Lud. Jacobi à S. Carolo, *lib. 1. p. 188.* Hispanâ etiam linguâ donavit Joannes de Molina Hispanus, & edidit Burgis apud Joannem Junctam 1530. in 4. & Cæsaraugustę apud Augustinum Millan 1553. in 4. Pro lucubratione hac Alphonsus mille aureis muneravit Antonium, ut ait Pontanus *de liberalitate cap. 29. pag. 328.*

Epistolarum libri V. orationes duæ, (ad Ligures unam, ad Alphonsum alteram) *Carmina præterea quædam, quæ ex multis ab eo scriptis adhuc colligi potuere.* Venetiis apud Bartholomæum Cesanum 1553. in 4.

Ad Fridericum III. Imperatorem Antonii Panormitæ ab Alphonso Aragonum Rege legati, in coronatione illius Romæ habita oratio. Extat inter Scriptores Germanicarum Rerum tom. 3. Hannoniæ impensis claudii Marnii, Hęredum Jo: Andreæ Marnii, & consort. 1611. in fol.

Orationes duæ ad Caetanos, & Venetos de Pace. apud Bartolomęum Fatium de rebus gestis Alphonsi. Lugduni apud Hæredes Sebast. Gryphi 1560. in 4. *lib. 3. à pag. 103. & lib. 9. à pag. 259.*

Epistolæ. in libro inscripto: *Regis Ferdinandi, & aliorum Epistolæ ac orationes utriusq: militiæ.* Vicia-æquensi apud Josephum Cocchium 1586. in 8. hæc non extant in supra dicto epistolarum libro. Scripsit etiam

Hermaphroditum. liber hic graviter olet, obscenis enim carminibus fuit concinnatus: Cosmæ de Medicis Florentiæ Duci nuncupavit, qui eā excepit extimatione, ut nonnulla exarare exemplaria demandaverit, quorū aliqua m.ss. servantur Florentiæ in Bibliotheca S. Laurentii: extat & m. s. apud præclarissimum Antonium Magliabechū literati Orbis Ornamētum. Ipsius meminit Panormita *in epistolis lib. 2. pag. 39. lib. 3. pag. 48. & lib. 4. pag. 75. 76. & 79.* Gyraldus, & Fazellus cit. à nonnullis utpote lasciviori Carmine fœdatus execratur, ab aliis ob elegantiam commendatur: consule citatos auctores, & epistolas, aliosque apud Nicodemum *in addit. ad Biblioth. Neapol. pag. 20.* Scripsit præterea Panormita

De Rebus Gestis Ferdinandi Regis: Ex Ranzano, & Fazello cit. Testatur Ab. Pirrus *lib. 4. Sicil. Sacræ p. 180.* Ambrosium Isfar & Coriglies nobilem Panormitanum Abbatem S. Martini, Neapoli decessisse, ac Panormitam Alphonsi Regis nutu cultissimam orationem de ipsius laudibus habuisse. Addit Pirrus: *Inde Panormita nobilem, & antiquam ejusdem Ambrosii progeniem versibus expolitis conscripsit; ipsius præclara gesta illustravit.* Opus hoc in Cœnobio S. Martinj de Scalis juxta Panormum asservari innuit. Scripsit & alia, quę ad nostram ætatem non pervenere; nempè

Commentaria ad Plautum. ex epist. Panormitæ lib. 1. pag. 19. 22. lib. 2. pag. 54. & lib. 5. pag. 99.

In Rhodum Poema, Carmine elegiaco, *ex epist. lib. 2. pag. 40.* opus contra Antonium Raudensem scriptum, qui teste Ranzano, e Fazello, Panormitam maledictis provocaverat

Tragædias. ex epist. lib. 3. p. 55.

Memorat & *lib. 3. pag. 53.* opusculum quoddam jam inceptum, non dum verò absolutum: & *lib. 3. p. 69.* ait, quòd edere cogitabat lucubrationem *de dolore.* In epistolis citatis epigrammata quædam exarasse ait, quæ periere, ut *lib. 1. pag. 22.* in laudem Ambrosiæ *lib. 3. pag. 50.* Epitaphium Leonardi *lib. 3. pag. 53. & 54.* Epigramma ad Catel-

Catellam Antonii Abbatis, & *lib.* 3. *pag.* 53. Epigramma ad sepulcrum genitoris Cambii Zambiccarii. Cum Laurentio Valla simultates habuit graves, ex virulentissimâ ipsius Vallæ dicacitate, quâ literatorum omnium odium sibi conciliavit, teste Paulo Jovio *in elogiis*: qui ait, aculeatis scriptiunculis sese mutuo confixisse: sed utrinsq; monumenta periere. Perperam Coronellus *in Biblioth. tom.* 3. *pag.* 1318. Antonii amicum enunciavit Vallam: inimicum potius scribere oportebat: typographo forsan error ascribendus; addit enim satyras ad invicem utrumq; scripsisse injuriis refertissimas.

ANTONIUS BONONIA nobilis Panormitanus, Utriusq; Juris Doctor, vir oppidò doctissimus, magnæq; auctoritatis. Ob egregiam, ac omnigenam eruditionem, doctrinamq; dignitates nonnullas promeruit, & obtinuit. Hinc SS. Inquisitionis Siciliæ primarius fuit Consultor, Prætorii Panormitani Judex, Magnæ Regiæ Curiæ sexies etiam Judex: per totam Siciliam Generalis Vicarius delectus 27. Decembris 1577. Regius Consiliarius, ac tandem Regii Patrimonii à Rationibus *Magister*. His aliisq; in muneribus intemeratum justitiæ cultum, ac eximiam coluit integritatem; adeout maxima Moderatorum Siciliæ æstimatione sit prosequutus, qui magni ponderis negotia ipsi prudenter remiserunt. Obiit Panormi 6. Martii 1633. & in Ecclesia Domus Professorum Soc. Jesu sepultus est, scriptâ eadem Societate suorum bonorum hærede. De eo vide Bernardinum Bononium *in sua Familia pag.* 49. Franciscum Strada *in quietationib. pag.* 13. & Philad. Magnòs *in Theatr. Geneolog. par.* 1. *pag.* 145. Edidit

Allegationes in causa Carcerum Felicis Urbis Panormi pro D. Antonia de Bononia contra Andream de Salazar. Panormi apud Jo: Antonium de Franciscis 1607. in fol.

Allegationes Bernardi Rivalora Genuensis in causa Angeli Mariæ Rivalora consanguinei. in fol. sine anni, & typographi nomine. Allegationes istas à nostro Antonio elaboratas, studio etiam, & operâ Friderici, & Io: Francisci Auriæ Iurisconsultorum Panormitanorum, ex sincera Vincentii Auriæ relatione, accepi.

Sententiam de Ecclesiasticorum Immunitate in vino vectigali. Panormi apud Andream Colicchiam 1664. in fol. opus posthumum. Italicè scripsit

Discorso attorno la divisione del Regno di Sicilia. m. s. in fol. vidi apud Auriam supra laudatum: hujus aliqua adducit fragmenta Frãciscus Strada *in Gloriis Aquilæ Triumphantis pag.* 226. 228. 229. 232. & 368.

Ex testamento evulgandos reliquit hos etiam libros, nempè

De Tractis. de Immunitate.

ANTONIUS CASALETTUS Panormitanus Soc. Iesu, natus anno 1632. non modo Jurisprudentiæ operam dedit: ac Doctoris Lauream accepit; verùm etiam ætate adhuc florente egregias ingenii dotes politioribus literis admovit. In Reaccensorum Academia Panormitana ascriptus ob eximia monumenta versu, prosâque venustissimè scripta, non modicas promeruit laudes. Inde Sæculo vale dicto, anno 1655. Societatis Institutum amplexus est invitis parentibus, qui Antonium à proposito dimovere tentarunt. In gravioribus disciplinis ingenii felicitatem detexit: sacris verò concionibus dicatus inter præstantiores divini verbi præcones fuit merito adnumeratus. Eloquentiâ, & eruditione conspicuus in præcipuis Siciliæ Civitatibus magnâ omnium ordinum frequentiâ, cum laude, plausuq; non vulgari, susceptum munus exercuit. Panormi intra novennium ter quadragesimale curriculum absolvit, bis in Domo Professorum Societatis, semel in Ecclesia Cathedrali, majori semper cum laude, novisq; encomiis auditus. Eo verò tempore, quo habuit conciones in prædicto Principe Templo anno 1674. Reaccensi Academici ipsius eloquentiam, elegantissimis Musarum vocibus exornare curarunt, edito libello Venetiis, cui titulus: *Poesie de Sig. Accademici Riaccesi di Palermo in lode del M. R. P. Antonio Casaletti Palermitano della Compagnia di Giesù per lo suo famosissimo corso Quaresimale fatto nella Chiesa Metropolitana della medesima Città nell' an.* 1674. Omnibus gratissimus vixit, præsertim D. Io: Roano Archiepiscopo Montisregalis, qui ipsius industriæ, Diœcesis universæ absolutam temporalium administrationem commisit: sed raro exemplo hanc constanter detrectavit curam: ipseq: Præsul Antonii virtutem demiratus est. Etsi in pertractãdis Instituti negotiis sedulus, annuos Societatis redditus auxerit, attamẽ præstantiori studio, spiritualibus bonis se ipsum locupletare curavit: hinc piè decessit Panormi 26. Augusti 1683. relicto apud suos virtutum exemplo. Antonium laudat Io: Bap. de Iudice *in poes. par.* 1. *pag.* 94. & 404. Edidit italicè suppresso nomine

Le Pompe Trionfali celebrate in Palermo à 13. 14. *e* 15. *di Luglio del corrente anno* 1661. *per l'Annuale memoria dell'Invẽtione del sacro Corpo di S. Rosalia V. Palerm.* Panormi apud Petrum Insula 1661. in 4.

Panegirici Sacri. Ibid. apud Dominicũ de Anselmo 1689. in 12. opus posthumum. Reliquit etiam *Quaresimale.* m. s.

ANTONIUS CASSARINUS Netinus orator eximius, eâ floruit nominis famâ, ac doctrinâ, ut oratoria præcepta in nonnullis civitatibus magnâ celebritate docuerit. Panormi triennium, publico urbis stipendio cohonestatus, adolescentes instituit. Inde ad majora intentus Constantinopolim profectus est, ubi ad supremum oratoriæ facultatis culmen ascendit, græcisque literis instructissimus claruit. Cùm ea in urbe decennio moram protraxisset, singularem sibi gloriam comparavit, & doctissimorum laudem, qui magno tũc numero in Italia, & Græcia florebant, non modo coæquavit, verùm etiam, & excelluit. Ea in urbe quinquenniò Rhetoricam græcè, latinèque docuit, magnâ auditorum frequentiâ, maximoque civium, & Imperatoris plausu. In Italiam regressus oratoria præcepta Papiæ, Mediolani, & tandem Genuæ publicè docuit, ac permultos insigniter instruxit. At cùm Genuæ anno 1444.

1544. magna in populo exorta esset seditio, & occurrentes per urbem turbæ insano furore omnia miscerent; nonnulli ad diripiendam Antonii substantiam, domus ejusdem fores perfringere tentarent, Antonius timore concussus, dum vitæ discrimen effugere nititur, vitam amisit, nam ad proximiorem domum per fenestram transire pertentans, lachrymabili lapsu ad terram concidit, ac statim decessit. Laudes accepit à Thoma Fazello *dec.1. de reb. Sicul. lib. 4. cap. 2. pag.* 109. Leandro Alberto *in Insul. pag.* 56. Christophoro Scanello *in Chron. Siciliæ,* Antonio Panormita *in epist. l.3. p.* 62. *&* 63. (hi tres Antonium Gasparinum vocant) Ab. Pirro *not. Eccl. Syracus. pag.* 226. Vincentio Littara *de reb. Netinis pag.* 118. Petro Angelo Spera *de Nobil. profess. Grammaticæ lib.*4. *p.* 253. & Josepho Perdicaro *in Vitis Sanct. Sicul. p.*300. Scripsit.

Epistolarum libros quatuor.

Orationes duas, quarum unà habuit ad Philippum Mariam, alteram ad Genuensem Senatum.

Platonis libros de Republica latinitate donavit, quos Alphonso Siciliæ Regi dicavit: pluraque alia Platonis, & Plutarchi latina fecit, teste Fazello, & Spera citatis.

ANTONIUS CASTRONOVUS Drepanitanus Ordinis S. Augustini Sacræ Theologiæ Magister, vir in Philosophicis, Theologicis, ac Mathematicis disciplinis doctissimus: ideoque à literarum præstantia magnam promeruit æstimationem. Munere Vicarii Generalis Ordinis sui fuit cohonestatus,& Sanctiss.Inquisitionis in Sicilia censorem egit. Dum ad sublimiora properabat, ætate adhuc florente, è vita miserabili casu sublatus est: dum enim Panormi in ædibus Inquisitionis apud Castrum ad Mare esset, ex inopinato eventu,tormentaria pulvis ejusdem Castri accensa, ingentem peperit ruinam, nosterque Antonius unà cum aliis ab ædificiorum lapsu oppressus interiit. Memoranda hæc ruina contigit 19. Augusti 1593. ex Iosepho Bonfilio *hist. Sicil. par.*2. *lib.* 10. *pag.* 665. Vincentio Auria *in histor. Chron. Proreg. Siciliæ pag.* 67. ubi ex Typographi incuriâ legitur 29. Augusti, aliique: non autem an. 1595. ut habet Pirrus *not. Eccles. Mazar. pag.* 547. qui emeritis laudibus Antonium extollit: ut etiam Leonardus Orlandinus *in descript. Drepani pag.* 50. *& in disc. Siciliæ pag.* 80. Vincentius Nobilis *in Thesa. abscondito pro Deipara Drepan. cap.* 23. *pag.*785. Edidit librum

Adversus antiqua Schismata. Romę 1582.

Regnum Christi, sive de Ecclesia Romana, libros octo.

ANTONIUS CELESTRIS nobilis Panormitanus Tertii Ord. S. Francisci, natus 13. Octobris 1649. eadem die 13. Octobris 1664. Religionis institutum amplexus est. Graviores disciplinas magnâ cum animi contentione didicit, nempè Philosophiam Messanæ, Theologiam Patavii,& Romæ,in iisque doctrinâ instructissimus, Romæ in celeberrima Sapientiæ Academia Philosophiæ, ac Theologiæ laureâ insignitus est; & Sacræ Theologiæ Magister renuntiatus. Inde acceptas facultates aliis docendo tradidit summâ cum ingenii laude. Bis Romæ Philosophiæ curriculum perfecit in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulâ: triennio studiorum, ut vocant, Regens, Theologiam in eodem Collegio,ut etiam Mediolani docuit: & ingenii præstantiam, doctrinamque egregiè patefecit. Inter doctissimos Academiæ candidatos in Cœnobio Sanctor. Cosmæ, & Damiani fuit Romę ascriptus. In Cœnobiis,quibus præfuit publicas Theologiæ moralis Academias excitavit. Eloquentiâ, & eruditione praeclarus apud præcipuas Italiæ, & Siciliæ Ciuitates in cinerali iejunio conciones habuit cum populorum frequentiâ, & plausu: præsertim Panormi, Catanæ, Mediolani, Bononiæ, Romæ, & alibi. Ad nonnullos honores literarum suffragio ascendere meruit; nam primò Provincialis titulo fuit insignitus Provinciæ Patrimonii S. Petri: inde semel, & iterum Siculam Provinciam rexit: bis etiam totius Ordinis Procurator Generalis. In his verò obitis muneribus singularem prudentiam, & Regularis Observantiæ zelum mirificè detexit: & tum Romæ, tum alibi magnam sui opinionem, ac venerationem excitavit. Nonnullis Ordinis Cœnobis Prioris munere præfuit; eaque egregiis operibus illustravit: præsertim Panormi Ecclesiam, & Valetudinarium S. Nicolai. Apud D. Ferdinandum de Bazan Archiepiscopum Panormitanum Examinator, & librorum Censor claruit: sicut & apud D. Hasdrubalem de Thermis Episcopum Syracusanum. Dum Cœnobium Sanctiss. Annuntiatæ Zisæ moderabatur, decessit Panormi 19. Martii 1706. magno suorum, literatorum, ac Dynastarum dolore, à quibus insigni æstimatione prosequebatur. Edidit

Christianam Catholicam Religionem contra Gentiles, Hebreos, & Sectarios viginti tribus Propositionibus demonstratam, quas in Comitiis Generalibus disputandas proposuit P. Antonius Celestris &c. Romæ typis Tizzoni 1683. in 12. Has Propositiones Romæ per quindecim dies publicè propugnavit.

Tabulam Conciliorum Generalium, quæ huc usque extant ad studiosorum sacræ eruditionis commodum, & memoriæ facilitatem: Romæ typis Angeli Barnabò 1684. in fol. & in folio expanso. Hanc Pat. Bonaventura S. Elia Panormitanus ejusdem Ordinis,auctam recusit Romæ apud eumdem 1700. in duas divisam tabulas.

Scripsit etiam alia breviter edenda, nempè

Sensum Germanum omnium Propositionum à Summis Pontificibus damnatarum.

Compendium alphabeticum operum Pat. Francisci Bordoni.

Italicè

Parafrasi allegorica al Breviario Romano.

L'Officio della settimana Santa commentato, in lingua Italiana.

ANTONIUS CINGALIUS ex oppido Galati, Poeta egregius: multa Etrusco, & Latio carmine magna cum laude cecinit. Claruit Panormi propè annum 1590. ab Antonio Venetiano *in epigramm. pag.*28. laudatur, ut etiam à Philippo Paruta in *elogiis Poet. Sicul. suo tempore defunctorum,*

m. ss. apud me, ex quo deducimus ante Parutam obiisse, nempè ante annum 1629. hic enim in ejus obitum cecinit. Typis tradidit

Epithalamium in nuptias Ill. & Excell. D. Francisci Moncatæ Paternionis Principis, & Ill. & Excel. D. Mariæ Aragoniæ Montisalti Ducis. Panormi apud Franc. Carraram 1584. in 4.

De Morte Christi libros duos. Ibid. apud Jo: Ant. de Franciscis 1588. in 4.

Panormi lachrymas in obitum Francisci Valguarnerii viri illustris Voderani Baronis, & Panormitanæ Urbis Prætoris optimi. Ibidem apud eumdem 1590. in 4. Italicè verò

Argomenti, e Allegorie al Ratto *di Proserpina, di Claudiano tradotto da Gio: Domenico Bevilacqua.* Ibidem apud Joan: Franciscum Carraram 1586. in 4.

ANTONIUS CORDICI Erycinus patritiâ familiâ ortus anno 1586. Neapoli graviores disciplinas accepit: Panormi verò ingenium insigniter expolivit: & in omnibus penè Siciliæ Academiis fuit ascriptus. Summo fuit prosequutus honore ob disciplinas, quibus instructissimus claruit. Vitam Philosopho dignam sibi traducere placuit, studijs toto pectore solùm addictus, cæterisque penitus neglectis. Eâ animi contentione lucubrationibus suis operam dabat, ut sæpius ni matris imperium urgeret ad vires igne, ciboque reficiendas, inediâ, ac frigore consumptus periisset. Linguas calluit multas: Musas cum laude coluit: in Erycina Difficilium Academia Principem egit: antiquitatis monumenta sedulus perscrutavit. Hinc non exiguas facultates hæreditario jure ab ingenuis parentibus acceptas, in librorum emptione, in antiquis numismatibus, & monumentis colligendis, etiam à longinquis regionibus, non sine maximo sumptu transmissis, profudit: quibus & in pauperes liberalitatem addidit. Ideoque ægestatis angustias expertus, à supremis Tribunalium Ministris aliquando nonnullis in patria muneribus levamen accepit. Tandem octogenarius decessit in Erycis urbe 4. Martij 1666. scripto hærede suorum numismatum, & antiquitatum Cœnobio Minorum Cōventualium S. Francisci, in cujus Ecclesia sepulturæ traditus fuit. At crassioris judicii Patres illum antiquitatis thesaurum parvipendentes, vili pretio, juxta metalli pondus, extraxere: & Melitæ ad Magnum Hierosolymitarum Magistrum pervenit, ut ex literis Viti Carvini Erycis Archipresbyteri mihi datis accepi. De eo Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 569. Vincentius Auria *in hist. Cephaludii cap.* 4. *pag.* 27. Philip. Cagliola *in manifest. Prov. Siciliæ Ord. Minor. Convent. explor.* 3. *manifest.* 5. *pag.* 136. Vitus Carvinus *de orig. antiquit. & statu Eccles. Erycis cap.* 1. *p.* 4. Scripsit italicè

Historia della Città d'Erice, o vero Monte di San Giuliano. m.s. in fol. anthographum servabat Antonius Palma ex Pirro, & Auria, nunc verò Albertus Palma ejus filius, apud quem legi. Aliud ejusdem Auctoris exemplum extat apud D. Antoninum Moranam Erycinum. Idem Carvinus loc. cit. scripsisse ait opus

De Ecclesia Erycina, quod m.s. servatur in Archivio ejusdem Ecclesiæ. Scripsit etiam ex ejusdem Carvini epistolis, Italicè

Rime. L'Instituta Civile tradotta in versi Toscani Due Tragedie sacre. Quattro Comedie in prosa. Innumera tandem m. ss. de rebus Siculis reliquit.

ANTONIUS CORSETTUS Netinus celeberrimus Juris utriusque Doctor, vir acutissimi ingenii, ob juris Pontificii, ac civilis doctrinæ peritiam, meritò excellentissimi Doctoris nomen in Italia, immò & in universa Europa est adeptus. Neti, ubi natus patre Michaele Corsetto, florente adhuc ætate, animarum curam habuit. Inde Abbas Commendatarius S. Mariæ de Arcu in eadem civitate fuit, ac Regis Ferdinandi Cappellanus. Pontificiis juribus mirum in modum addictus, sub celeberrimi Andreæ Barbatii disciplina (ut ipse ait *in epist. nuncup. singularium*, quæ Andreæ dicavit) ita profecit, ut doctrinâ instructissimus evaserit. Patavinæ Ecclesiæ Canonicus renunciatus, ea in urbe jura Pontificia explanavit, & primæ notæ viros in sui admirationem traduxit: ibiq; æmulatorem habuit Antonium Franciscum de Doctoribus Jurisconsultum egregium, ut innuit Panciroľus *de claris legum Interpretib. lib.* 3. *cap.* 52. *pag.* 479. ideoque magnam nominis gloriam assequutus, Romæ Cameræ Apostolicæ Auditor constitutus est, ex Pirro *not. Eccl. Melit. pag.* 602. At Joan. Bapt. Catalmajus *in syntaxi Sacræ Rotæ Auditorum pag.* 31. ait: Sacræ Rotæ Auditorem fuisse Antonium Corsettum Hispanum Sivilum, non Antonium Corsettum Netinum Siculum: hinc Typographum erroris arguit, qui ibidem *pag.* 18. pro *Sivilus* edidit *Siculus.* Sed pace tanti viri, Corsettum Siculum Auditorem fuisse ex eodem Catalmajo patet: dum enim *pag.* 18. ait: Antonium Corsettum Hispanum obiisse Mense Augusti an. 1503. ex Rota, hoc de nostro Antonio intelligendum, qui eo mense, & anno decessit, ut infra scribam. A Rege Ferdinando, datis literis Granatæ 26. Julii 4. Ind. 1501. Melitæ Episcopus designatus, ab Alexandro VI. inauguratus est. Huic Pontifici gratissimus fuit, ac ejusdem intimus familiaris, & aulicus: ideoque anno 1503. 18. Augusti Romæ Pontifice veneno peréppto, Antonius qui apud ipsum morabatur, eadem venefica potione sublatus est, dixi 18. Augusti, non mense Septembri, ut habet Pirrus loc. cit. nam eo die obiit Pontifex, ex Panvino, Ciacconio, aliisque Pontificiæ Historię scriptoribus. Eximiis laudibus Antonium extollunt Mattheus Silgius *de trib. Peregrin. c.* 46. *pag.* 170. Lucius Marineus *epist. lib.* 5. Vincentius Littara *de reb. Netinis pag.* 141. Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 226. & *not. Eccl. Melit. pag.* 602. Franciscus Strata *quiet. pag.* 17. Philippus Paruta *in orat. de laudibus Octavii Corsetti*, Marcus Mantua *epit. Viror. Illustr. nu.* 46. *pag.* 28. Maurolycus *in mari Oceano pag.* 351. Jac. Philip. Tomasinus *de Gymnas. Patavino lib.* 2. *cap.* 4. & 6. *pag.* 241. & 245. Joan. Fracisc. Abela *in Melita illustr. lib.* 3. *not.* 1. *pag.* 319. Quæ scripsit hæc sunt.

De Juramento, & ejus Privilegiis. Extat inter Tra-

Tractatus Universi Juris tom. 4. Venetiis 1584. in fol.

De Trebellianica. Ibid. tom. 8. par. 1. Venetiis 1584. in fol. & in Volumine inscripto. Selecti Tractatus Juris varii de successione tam à testato, quam ab intestato. Venetiis apud hæredes Melchioris Sessæ 1570. in fol. *à pag.* 456. Et in volumine inscripto. Selecti Tractatus de successione. Venetiis 1570. in fol. ex Fontana in *Biblioth. Legali pag.*253.

De Potestate, & excellentia Regia. in ejusdem Tractatibus universi Juris to. 16. Lugduni 1549. & Venetiis 1584. in fol.

De Bravio. Ibid. tom. 12. Venetiis 1584. in fol.

De Privilegio Pacis. Ibid. & cum Commentariis Conradi Schleissii Stettini 1634. in 4. ex Fontana cit. *par.* 1. *pag.* 253. *& par.* 2. *p.* 256.

Fallentiæ Regulę spoliatus ante omnia restituendi. In iisdem Tractatib. tom. 13. par. 2. Venetiis 1584. in fol. & in Volumine *Regulæ Juris tam civilis, quam criminalis à diversis conscriptæ.* Venetiis apud Hieronymum Scotū 1571. in f. *à p.*470.

De Authoritate Glossæ. Ibid. tom. 18. Venetiis 1584. in fol.

De Verbis Geminatis. Ibid.

De Minimis. Ibid.

Singularia. Patavii 1490. Lugduni apud Joannem de Jonvelle 1517. in 4. & in volumine primo, cui titulus, *Singularia omnium Doctorum tunc temporis existentia.* Lugduni 1560. in fol. & ibidem 1570. in fol. His Joannes Bap. Castillioneus Genuensis, & Gabriel Sarayna Veronensis apostillas addidere. De his verò Mantua cit. ait: *Singularia adeò pulchra, & utilia, ut nihil pulchrius, nihil utilius possit à studiosis desiderari.*

Consilia. Lugduni 1560. in fol. ex Fontana cit. *p.*253.

Responsa. Ibid. 1560. in fol. ex Bibliotheca Classica *p.*680. & Bibl. Exotica *p.*472.

Repetitio in Rubr. de Jure jurando. Inter Repetentes in Jure Canonico tom. 4. ex Fontana cit. *p.*253.

Repetitio in cap. Grandi de supplend. negligen. Prælat. Ibid. tom. 5. ex Fontana cit.

Consilia pro tuitione Sacri Montis Pietatis. ex Mantua cit.

Tractatus de Triginta quæstionibus in laudem Religionis Jesuatorum, ex Maurolyco *in mari Oceano pag.* 351. & Paulo Morigia *in hist. orig. omnium Relig. cap.*38. *pag.* 239.

Index locupletissimus in Abbatis Panormitani Commentaria, editus cum ijsdem Commentariis pluries. v. Nicolaus Tudischus.

Regulæ Juris. In volumine inscripto: *Dominici Atonis, Tiraquelli, Corsetti &c. Regulæ Juris collectæ, & duobus Tomis compræhensæ.* Francofurti 1586. in fol. ex Fontana cit. *p.*51. *&* 253. at hæ eædem ac Fallentię supranotatę.

Decisiones Sacræ Rotæ Romanæ: in corpore ejusdem Rotæ Decisionum, ex Fontana cit. *pag.*253.

ANTONIUS COTRONA Syracusanus Sacerdos Sacræ Theologiæ Doctor: natus 14. Septembris 1638. aliquando in Societate Jesu vixit, in qua absoluto scientiarum curriculo, concionatoris munus suscepit, & non sine laude, ac fructu in cinerali jejunio auditus Panormi, Drepani, Syracusis, Marsalæ, & Sicli. Inde egressus, eadem eloquentiæ laude, conciones habuit Motycæ, Syracusis, Calathajeroni, ac in aliis Siciliæ Civitatibus. Ad animarum emolumentum sacris missionibus, vel etiam supra Pontificias triremes adhæsit. Ob doctrinam, aliasq: eximias viri dotes nonnullis honoribus fuit cohonestatus: tribus enim Seminariis præfuit Rector, ut etiam Lucarino Collegio apud Trebiam Umbriæ urbem; in Ecclesia Collegiata S. Mariæ Consolationis Siclis Decanus: tandem Romæ Collegiatæ Ecclesiæ Sanctorū Celsi, & Juliani Archipresbyter. Nō modò eloquentiam, sacrasque literas, verùm etiam Musas insigniter coluit, quibus apud literatos ęstimationem promeruit. Nunc Romæ vivit. Typis tradidit

Conceptus prædicabiles in sacrum librum Geneseos. Romæ apud Vannacium 1691. in 8. Italicè verò

La Cecilia Tragedia sacra. Romæ apud Jacobum Dragondelli 1657. in 8.

Vita di S. Fantino Confessore Cavaliere Siracusano. Messanæ apud Paulum Bonacota 1662. in 16.

La sacra Lettera scritta à Messinesi, opera Tragica. Cosentiæ apud Jo: Bap. Rubrum 1671. in 12. & alibi.

La conquista del Mindanao. Opera Tragica. Romæ apud Jacobum Dragondellum 1674. in 12.

Devotioni da farsi alla Santiss. Trinità disposte in forma di Triduo. Ibid. apud eumdem 1675. in 16.

Vita de' fortissimi Martiri Giuliano, Celso, e Compagni. Ibid. apud Antonium Herculem 1697. in 12.

Il Cristo Giudice opera Tragica tradotta dal latino del P. Stefano Tuccio da Monforte. Ibid. apud eumdem 1699. in 12. Prælo paravit hæc alia, nempè

Conceptus Prædicabiles in Sacrum Psalmorum librum. in fol.

De Delectatione Morosa Tractatum. Italicè

Il Principe.

Il Cavalier Cristiano Politico, e Morale.

Il Mauritio, Opera Tragica.

L' Arianna Siracusana, drama per musica.

L' Eleonora, drama per musica.

Il S. Francesco Saverio,) *Tragedie.*
La S. Lucia,)

Vite de' Santi Pittori, Architetti, e Scultori.

Scelta di Compositioni Liriche, Dramatiche, & Eroiche. harum magna pars musicis modulis ipsemet expressit; aliaq; Comica, ac Tragica scripsit.

ANTONIUS COTONIUS Nicosiensis Tertii Ordinis S. Francisci Theologus celeberrimus, natus an. 1613. Ordinis institutum amplexus est an. 1628. In studiorum palestra præstantissimus, ingenii acumen detexit: exacto namque graviorum scientiarum curriculo, & Sacræ Theologiæ Magister, & Doctor proclamatus, adhuc Clericus Philosophiam, ac Theologiam docuit Romæ in Cœnobio SS. Cosmæ, & Damiani. Hujusce viri sapientiam demirati sunt docti in Patavina

Academia, ubi Methaphysicæ publicus Professor, hanc facultatem per annos 18. Summa cum laude explanavit. Illud doctrinæ suæ decus non prætereã, quòd Sor. Mariã Veronicam Maleguzzi è Regio Lepido monialẽ Salesianã ita gravioribus disciplinis erudivit, ut ea in Urbe, & in aula publici palatii an. 1664. eodem Cotonio Præceptore assistente, non modo Philosophiæ, ac Theologiæ theses juxta subtilissimi Scoti mentem, verùm etiam Astronomię, Arithmeticæ, Grammaticę, & Rhetoricæ conclusiones strenuè propugnaverit, non sine sapientum admiratione, & plausu, ut ait Ioannes Franchinus *in Bibliosophia de scrip. Minor. Convent. pag.* 608. Egregię doctrinæ suæ pręstantiã veluti in illustriori scientiarum theatro Romæ mirum in modum effulsit: ibique inter pręstantiores Theologos semper ascriptus, eximiam S. R. E. Cardinalium, Summorum Pontificum, ac Doctissimorum æstimationem promeruit. Academię à Christina Suecorum Regina excitatæ inter eruditissimos nomen dedit. Ab Innocentio XI. Pont. Max. ad discutiendas Lavoniæ propositiones inter pręcipuos Theologię candidatos censor electus est. Caroli Rossetti Cardinalis Consultor: nonnullorum Cardinalium à confessionibus fuit: & pręcipuè Sfortię Pallavicino gratissimus, cui amicitiæ vinculis adstrictus vixit. Purpureo galero exornandum putabant omnes: & profectò accepisset, nisi ut alienę voluntati se accommodaret, nimiùm suas propugnasset opiniones, quibus Põtificis mẽtem à se alienavit. Romę in Cœnobio S. Pauli ad Arenulã Siculorum Collegiũ Ordinis sui excitavit. Procuratoris Generalis, ac Regentis, ut ajunt, Generalis perpetui munere functus est. Doctrinę, honoribusque virtutum addidit ornamenta; singularem enim humilitatem, ferventissimum divinę glorię zelum excoluit: animi tranquilitatem semper admirabiliter servavit; adeout numquam adversa commovisse inclyti viri mentem videretur. Mores, ac totius vitæ momenta ad religiosissimę vitę regulam sanctè direxit. Tandem piè decessit Romę 14. *Maii* 1682. & ad viri memoriã servandã, ipsius effigies ęri graphicè sculpata est Romę, hac adiecta inscriptione.

Reverendissimus P. Mag. Antonius Cotonius natione Siculus Patria Nicosiensis, Tertii Ord. S. Francisci Exprocurator, & Regens Generalis perpetuus; Patavii per 18. *annos olim publicus Methaphysicus. Junior Dianæ summam, & celebrium controversiarum libros ingeniosè edidit. Innumera deinde scripta, inter quæ mirabilem Pansophiæ structuram, novam methodum piè philosophandi exponentem reliquit, ubi profunditas, acumen, claritas, ad miraculum usq; coalescunt. Singulari humilitate, ac ferventissimo divini honoris zelo præ aliis virtutibus præditus. Tam invictâ animi moderatione, ut nullis unquam rerum adversarum procellis potuerit convelli. Morum, ac vitæ exactissimę religiositatis vivens, moriensque omnibus sui Ordinis præluxit exemplo. Ad laborum denique suorum amplam mercedem percipiendam, ut piè credimus, quievit die* 14. *Maii, Anno Domini* 1682. *ætatis suæ* 69.

Antonium laudant Franc. Bordonus *in Chron. Tertii Ord. S. Franc. cap.* 38. *pag.* 549. Io: Petrus Crescentius *in Præsidio Romano lib.* 3. *pag.* 97. Franc. Risicatus *de statu Hominum in Repub. to.* 1. *cap.* 6. *pag.* 68. Lucas Vuadignus *in Script. Minor. pag.* 44. Card. Sforzia Pallavicinus *in epistolis pag.* 178. 179. & 225. Franc. Marchesius *in Sacerdote in Villa cap.* 1. *subsect.* 3. *n.* 35. *p.* 29. Franc. Fulvius Frugone *in lib. Cane di Diogene latr.* 5. *rac.* 10. *pag.* 525. Io: Caramuel *Theolog. Fundamen. fun.* 5. Io: Maria *in Annal. Tertii Ord. S. Franc. par.* 3, *pag.* 622. Edidit, dum 23. ageret annum,

Summam Dianæ, in qua R. P. D. Antonini Dianę Panormitani Cl. Reg. coram S. D. N. Urbano VIII. Episcoporum Examinatoris, & S. Officii Regni Siciliæ Consultoris opera omnia sex partibus comprehensa, Diana ipso committente, & approbante, in unicum volumen arctantur, alphabetico simul, & doctrinali ordine digestum, & bipartitum. Lugduni sumpt. Hęredum Gabrielis Boissat, & Laurentii Anisson 1644. in 4. Venetiis apud Iunctas 1646. in 4. & addita *septima parte* Lugduni sump. Hęredum Petri Prost. Philippi Borde, & Laurentii Arnaud 1646. in 4. & Romę typis Ludovici Grignani 1646. in 4. Eo plausu viri docti excepere opus, ut vix fluxerat bienniũ, cùm pluries recusum prodierit Romæ, Venetiis, Lugduni, & alibi: & quòd præstantius inter Hispanos, qui haud faciliter exterorum opera recudere curant: ideoq; evulgatũ est Matriti typis Didaci Diaz de la Carrera 1649. in fol. Prodiit verò semper sub anagrammatico nomine Ausonii Noctinoct, & quadragenarium numerum editiones excedunt, quas hìc recensere supervacaneum. Dum autem summæ septem partium, aliarum partium additionem, à Diana successivè editarum, maximo labore parabat, alii editionem pręvenere, at ita infeliciter, ut non modò mendosa addidere compendia, verùm etiam, quę Cotonius in lucem emiserat devenustarunt. Ideoque noster Antonius repudiatâ summâ Dianę edidit

Controversiarum celebrium ad statum & mores christianæ Reipublicæ pertinentium libros decem. Venetiis apud Tomasinum, & Herz 1661. in fol. Scripsit etiam

Summæ Dianæ Summarium cum Septima, & Octava parte. Ibid. apud Mattheum Lenium 1648. in 24. sub eodem Ausonii Noctinot nomine. Ex latina in Italicam linguam vertit, *Theoremata Moralia de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento* P. *Benedicti Fidelis*, & hoc titulo edidit suppresso nomine

Speculazioni morali del SS. Sacram. dell'Eucharistia. Venetiis apud Iacobum Sarzinam 1640. in 4. Edidisse etiam ajunt, *librum ad dialogi formam concinnatum pro Hispanis Regibus, contra Regum Galliæ rationes super Comitatu Burgundiæ*, quem non vidi. Scripsit tandem

Pansophiæ Institutiones, opus pluribus voluminibus comprehensum, quòd servatur Romę m.s. apud suos, cum aliis ejusdem lucubrationibus. In eo autem

autem novâ, piâ, & admirabili methodo, Christianè philosophatur, ac de omnibus scientiis agit.

ANTONIUS CRISPUS Drepanitanus Sacerdos, natus 11. Junii 1600. Patre Joanne Crispo Medico celebri, ab infantia literis admotus, non modò in humaniorum literarum, verùm etiam & graviorum facultatum Philosophiæ, Theologiæ, ac Medicinæ studiis ingenii sublimitatem detexit. Medicinæ laureâ insignitus, ea in arte ita profecit, ut Medicus numeris omnibus absolutus evaserit. Hinc doctrinâ, ac saluberrimis experimentis in ęgrotorum beneficium adhibitis, nomen sibi celebre comparavit; ac venerationem ne dum in Sicilia, verùm etiam extra Regni limites obtinuit. Ad ipsum tanquam ad oraculum in difficillimis morborum langoribus cōfugere consuevere Principes Viri, Dynastæ, Præsules. Apud Rodericum Mendoza Infantadi Ducem Siciliæ Proregem magnâ valuit opinione; Drepanum n. appulsus Antonio corporis sui sanitatem commendavit. Franciscus Fernandez de la Cueva Dux Albuquerque, Siciliç etiam Moderator, ad vitæ suæ tuitionem, curatorem doctissimum expertus est Panormi, ubi accersitum Antonium voluit, ut prōptam sui opem haberet. Frequentes etiam literæ à longiquo ad ipsum datæ tum à Præsulibus, tum à primariæ nobilitatis viris, ut salubres ipsius consultationes obtinerent, nominis sui celebritatem, & egregię doctrinę pręstantiam testantur. Maritali vinculo primùm ligatus, inde uxoris morte solutus, clericalem militiam amplexus est; ac Sacerdotio insignitus, egregiarum virtutum edidit argumenta. Senio confectus, rejectâ omni seculi, ac medicinæ curâ, eximio animi ardore totus in pietatis officiis fuit; ideoque annum agens 88. piissimè decessit Drepani 30. Novembris 1688. & in Ecclesia S. Annę Fratrum Strictioris observantię S. Francisci sepultus est. Funebri oratione, & emeritis laudibus Antonium exornavit Franciscus Valcassar, quam Drepani edidit anno 1689. Ipsum etiam laudat Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito de Virgine Drepanit. cap. 23. pag. 782. & cap. 18. pag. 619.* Edidit

In acutæ Febris historiam Commentarium. Panormi apud Dominicum de Anselmo 1661. in 4.

In Letargum febri supervenientem acutæ Commentarios duos; nec non in Icteritiam ante Septimum Commentarium, in quibus nonnullam etiam quæ ad febris malignæ, & pestilentis dignotionem, & curationem faciunt enucleantur. Ibid. typis Petri Insula 1668. in 4.

Hipponemata duo, inquibus de Parotide laboriosis in febribus superveniente, juxta Hippocratis historias in Epid. agitur: & simul nonnulla controvertuntur, & declarantur; nec non quid à Medicis praxim exercentibus in ejus eruptione sit agendum exponitur. Ibid. apud eumdem 1679. in 4.

De Sputo Sanguinis à Corporis partibus infirmis provenientis cum tussi & sine vomitu consultationem. Nec non & in epistolas medicinales dilucidationes, in quibus agitur de neglecta venæ sectione in febribus, vel omissa. Drepani apud Iosephum Barberam 1682. in 4.

Medicinalem Epistolam ad Grandonium Seminara Medicinæ, Philosophiæ, & Chirurgiæ Doctorem, in qua respondetur, & simul exponitur ratio curandi febres putridas per venæ sectionem, & purgationem per alvum. Panormi apud Josephū la Barbera 1682. in 4. cùm autem Antonius Ruasi Crispi Nepos, & Discipulus Philosophiæ, & Medicinę Doctor: *epistolium interrogativum in medicinam epistolam*, Drepani apud Josephum la Barbera 1682. in 4. in lucem emisisset; scripsit Antonius

In Medicinalem epistolam dilucidationes: & simul interrogationibus respondetur per epistolium factis à Phil. ac Med. Doctore Nepote Antonio Ruasi. Drepani apud Josephum la Barbera 1682. in 4.

De SS. Cosmæ, & Damiani Thermalibus Aquis librum in sex divisum sectiones, in quibus earum non solùm, sed etiam nonnullarum aliarum aquarum vires, & facultates exponuntur, & rectus administrationis usus indicatur: cui sunt aggregatæ de iisdē aquis à doct. Joanne Crispo Philosophiæ, & Medicinæ Authoris Genitore compositiones. Drepani apud eumdem 1684. in 4.

Hæc etiam m. ss. reliquit opera,

Theoricam, & Practicam Medicinæ.

De Febribus.

De Crisibus.

De fluxibus.

De Variolis, & Morbillis.

De Aere terræ Paceca.

Observationes, & Consultationes medicæ.

Appendicem ad librum de Aquis Thermalibus.

Miscellaneam medicam.

Disputationes limologicas pro sanitate Patriæ: idest de Peste.

ANTONIUS LO DUCA Cephaleditanus Sacerdos literarum, & sanctimoniæ famâ clarissimus. Natus 15. Iunii an. 1491. perfectioris vitæ studia sequutus, statim ad virtutum fastigia properare visus. Ea præsertim quæ majorem Dei gloriam spectare cognoscebat, promovere curavit. Liberalitate in pauperes fuit insignis. Anno 1516. Panormi inventa celeberrima Sanctor. Septem Angelorum Icone, ac Hectoris Pignatelli Siciliæ Proregis operâ, erga SS. Angelos excitato civium obsequio, noster Antonius ab eodem Prorege, eorumdem Ecclesię Rector eligitur. Hinc mirabiliter in SS. Angelos Antonii studium efferbuit, eorumque cultum nimio labore amplificare contendit. Horum etiam causa an. 1530. Romam trajecit, ubi de nostra SS. Angelorum inventione Card. Antonium de Monte certiorem fecit, cui Iconis exemplum tradidit: hujus intuitu eo devotionis sensu incensus est Cardinalis, ut Antonio significaverit, gratissimum sibi fore, ut propriam Angelorū Missam concinnaret: quòd ultrò fecit Antonius; & exinde in Sanctor. Angelorum cultum fuit approbata; ac celebrata. Sed defuncto Cardinale magis, magisque erga Sanctos Angelos Antonii pectus flagravit. Cùm verò sæpius à Bartholomęo Salutio, inde Episcopo Montisregalis urgeretur, ut egregium aliquod opus ad co-

eorumdem honorem aggrederetur; etsi ad illud ferventissimè extimulatus, attamen virium imbecillitatem humillimè fatebatur. At prophetico afflatus spiritu, Romę magnificentissimum Templum in Sanctor. Angelorum obsequium sacrandum prędixit; quòd etiam per visum ipsi Antonio Deus patefecit. Pluries ut Diocletiani Thermæ in Sanctor. Angelorum cultum transirent frustra tentavit sub Paulo III. at tandem à Iulio III. ann. 1550. obtinuit. Hinc Pontificis jussu Thermę prędictę ad Deiparę, & Angelorum cultum dicatę sunt ab Episcopo Sebasteno 15. Augusti ingenti cum Antonii exultatione: sed Dæmonum invidiâ eò devenit sacrilegorum procacitas, ut tribus excursis mensibus altaria evertere, Sacerdotes eiicere haud dubitaverint, non sine divini Numinis ultione. Tepescere aliquantùm cœpit Antonii spes, iterũq; supernis illustrationibus animi vires instauravit sub Pio IV. Pont. Max. qui accersito Antonio statim ac Divinam voluntatem ab ejus ore percepit, piissimum ipsius negotium fovit, & Antonii patrocinium suscepit. Hinc celeberrimo Michaeli Angelo Bonarotę pręcepit, ut earumdem Thermarum partem ad Ecclesię formam redigeret; ipseque Pontifex 5. Augusti 1561. in ipso operis exordio primum lapidem jecit, ut habent Ciacconius *in Vitis Pontif. tom.3.pag.*871. & Bonannus *in numism. Pontif. tom.* 1. *pag.* 284. omnibus verò ex voto absolutis, B. Marię Virgini, Sanctisque Angelis sacratam voluit: Cardinalis titulo insignivit, indulgentiarum thesauro ditavit; & proximiorem locum Certosę Patribus tradidit: quibus omnibus operam suam maximè contulit S. Carolus Borromęus, ut habet Petrus Giussanus *in ejus Vita lib.* 1. *cap.* 8. *pag.*21. Tandem Antonius tot exantlatis laboribus, cùm optatis supremam manum impositam vidisset, gaudio exultans, sanctitatis, & virtutum gloriâ præclarus; obiit Romæ 30. Octobris 1564. anno ætatis suæ 73. & in eodem Templo sepelitur, ubi hæc legitur Inscriptio.

Antonii de Duca Siculi Presbyteri Cephaludensis, qui has Diocletiani Thermas ante annos ferè XXL. Virginis Angelorum, ut extat, Templum fore divinitus prævidit, hic ossa quiescunt. Vixit an. LXXIII. menses IV. dies XV. obiit XXX. Octob. M.D.LXIIII. Jacobus de Duca Pronepos ex testamẽto hæres posuit.

De Antonio plura Oct. Caetanus *to.*2. *Sanctor. Siculorum pag.*268. *& seq. & in animad. pag.* 101. Ab. Pirrus *not.Eccl. Cephal. pag.* 476. Vinc. Auria *in hist. Cephal. cap.*9. *pag.* 69. Cornelius à Lapide *in Apocal. cap.* 1. *vers.* 4. *p.* 18. Stephanus Menochius *in lib. Trattenimenti Eruditi par.* 3. *cent.* 6. *cap.*20. Antonius Belinghem *in Kalend. Virginis* 5. *Augusti pag.* 424. Octavius Pancirolus *in Thesauris absconditis Romæ pag.* 307. Onuphrius Panvinus *de septem Urbis Ecclesiis*, Blasius Viegas *in Apocalypsim cap.* 12. *com.* 1. *sect.*17. *pag.* 508. Franciscus Carrera *in Panth. Siculo pag.* 265. Petrus Martyr Felinus *in admirandis Romæ pag.* 192. Antonius Spinellus *de Festis, & Templis Deiparæ pag.*690. Andreas Victorellus *de mysteriis Angelor. cap.* 21. Pompeius Ugonius *in histor. Stationum stat.* 25. *pag.* 200. aliique multi. Edidit

Septem Principum Angelorum orationes cum Missa, & eorum antiquis Imaginibus. 1543. in 4. sine loco, & Typographi nomine: Venetiis, & Romæ 1555. ex Cornelio à Lapide, Neapoli ad instantiam Mariani Fiamengo 1604. in 8. addita est in libro Revelatio de Thermis Diocletiani.

Vitam Antonii de Noto, ad Antonium de Monte Episcopũ Portuensem S.R.E. Cardinalem. Extat apud Oct. Caetanum *in Vitis Sanctor. Siculorũ t.*2. *p.*278.

ANTONIUS LO FASO Caccabensis Sacerdos, vir sanctimoniâ, ac doctrinâ æquè præclarus. Natus an. 1509. parentibus Jaconia, & Perna lo Faso, humaniores literas Caccabi, Philosophicas, ac Theologicas disciplinas à Hieronymo Baldovino Panormi accepit, in quibus doctissimus fuit. An. 1534. Sacerdotio insignitus patriam repetens, divino afflatus spiritu, extra urbem propè Monasterium Monialium S. Mariæ de Mensa (nunc est Carmelitarum Cœnobium) secessit, ut in rerum cœlestium contemplatione solitariã vitam ageret. At Panormitanus Archiepiscopus, cui à vitæ integritate gratissimus fuit, illarum Monialium regimen ipsi demandavit. Interea ad Siciliam moderandam Ferdinandus Gonzaga Molfettæ Princeps Prorex electus, septem secum transtulit filios, nempè Cæsarẽ, qui Annam Sancti Caroli Borromæi Sororem, uxorem duxit, Franciscum inde S.R.E. Cardinalẽ, Andreã S. Jacobi Equitẽ, Vincentiũ Equitẽ Hierosolymitanũ, Barlettæ Priorẽ, & inde S.R.E. Cardinalẽ; Herculẽ, Octavium, & Hippolytã, quæ Fabritio Columnæ nupsit. Cùm autem ipsis Moderatorem, ac magistrum virtutibus clarum perquireret, Petro Tagliavia, & Aragonia Panormitano Archiepiscopo curam remisit, ut quem dignum cognosceret, eligere statuisset: ipse verò nostrum Antoniũ deligere curavit, quem anno 1545. Panormitanę Ecclesiæ Canonicatu exornavit. Inde an. 1546. ejusdem Proregis operâ Abbas S. Anastasiæ in Cephaludensi Diœcesi à Carolo V. enunciatus est. At Ferdinandus ad Mediolani gubernium evectus eodem munere secum voluit Antonium. Roma verò pertransiens, ingenii excellentiam patefecit, ubi coram Paulo III. Pont. Max. in publica concertatione disputavit summâ cum ipsius Pontificis laude, & æstimatione. Sed in Belgium progresso Ferdinando Gonzaga, Antonius ad Patriam regressus est, & ab Archiepiscopo laudato Judex Delegatus in Panormitana Diœcesi fuit constitutus: ipse verò ad animi tranquillitatem anhelans, veniam obtinuit, ut Caccabum secederet, ibique toto pectore virtutum omnium studia amplexus est. Omnium frequentiam fugere, jejuniis, ciliciis, humicubationibus corpus domare solemne habuit. Sæpe cibum, quem ejus Nepotes sibi offerebant, pauperibus irrogabat. Virginalis puritatis, ac conscientiæ candorem intemeratum servavit: ac erga Christi Domini cruciatus miro animi sensu æstuavit. B. Ioannis Licii Caccabensis Ordinis Prędicatorum canonizationem promovere studuit. Hinc an. 1557. facultatem

tem à Paulo IV. accepit, ut ejusdem vitæ, ac miraculorum processus ritè colligeret, quos morte præventus Romam transmittere haud potuit: & in Cœnobio Sancti Dominici Castriveterani nunc servantur. Indicto Tridentino Concilio à Pio IV. Pont. Max. & Apostolicæ Sedis Legato electo inter alios Hercule Gonzaga S. R. E. Cardinale, mem orati Ferdinandi fratre, ab ipso, & à S. Carolo Borromæo, honorificentissimis datis literis, Antonius accersitus est, ut Concilio interesset: de Antonii enim virtute, ac doctrina egregiam conceperant opinionem. At ipse ætate gravatus excusationem remisit; Gonzagæ familiæ Dynastæ, aliique primæ notę Proceres studuere ne Antonii virtutes sine præmio delitescerent: hinc an. 1561. Episcopales infulas Cephaledii, & Mazarę ipsi obtulere, hac libertate, ut quam vellet eligeret; & ann. 1564. Agrigentinę Ecclesię sedem Antonio exhibuere: at ipse humillimè omnem Episcopalis oneris dignitatem constanti pectore subirę renuit, licèt amicorum suasionibus nimiùm urgeretur. Apud Deum obsecrationibus instabat, ne in lectulo, nec febri correptum se mori permitteret; ne morbi vi, & amicorum importunitate à rerum cœlestium contēplatione divelleretur. Tandem inclyti viri preces suscepit Deus; quadam enim die, absoluto sacro, insueto frigoris horrore se aggressum sensit, quo imminentem mortis horam intellexit, ac pedetentim deficientibus viribus, eodem die placidissimè decessit Caccabi 28. Octobris 1572. ætat. 63. Ad viri cadaver undique populi confluxere; ac funebri pompâ ad majorem Ecclesiam translatum, ut omnium votis fieret satis, triduum insepultum reliquere, ac tandem juxta majus sacellum sepulturę traditum. Sed cum an. 1626. Ecclesiam reficerent, à corruptione immune fuit invētum, ac flexibile. Denique 25. Martii 1651. ad novum Sanctiss. Eucharistię sacellum translatum, iterum incorruptum, confluentes cives demirati sunt: ibique hęc legitur inscriptio.

Hic jacet D. Antonius Faso Abbas S. Anastasiæ, obiit die 28. Octobris anno Dom. 1572.

Ejus vitam scripsit breviter Augustinus Inveges, *in hist. Caccabi lib.* 3. cujus authographum m. s. servat P. Ioannes Maria Amatus Soc. Iesu: breviter typis tradendum, ac aliam etiam vitam m. s. habui incerti auctoris, ex monumentis Pauli Muxia Canonici Panormitani. Edidit

Periherminias Antonii Fasii Siculi Caccabensis, cum omnibus scriptis sui præceptoris Hieronymi Balduini suo tempore summi logici, & Philosophi Hydruntini. Mediolani 1549. in fol.

Commentariorum de Bello Germanico, quod gessit Carolus V. Maximus Imperator libros duos. Ibidem 1552. in fol. Italicè verò

Modo di Confessarsi.

Reliquit m. ss.

Commentaria in Danielem, & Apocalypsim: & Processum B. Ioannis Licii, quæ ratione spolii in Civitatem Castriveterani translata ad Carolum de Aragonia Terrænovæ Ducem, qui tunc Siciliā moderabatur, hic in Cœnobio Sancti Dominici ejusdem urbis, custodienda reposuit.

ANTONIUS DE FEDERICIS Mazarensis Jurisconsultus, legali doctrinæ, quâ claruit, amœniora studia sociavit. Obiit anno 1585. laudatur ab Ab. Pirro *not. Eccles. Mazar. pag.* 543. Reliquit apud hæredes m. ss.

Commentaria super Ritum M. R. C.

Epigrammata.

ANTONIUS FERMO ex oppido Gypsi Diœcesis Messanensis, natus 14. Februarii 1574. ab ineunte ætate futuræ sanctimoniæ edidit argumenta; à teneris enim annis sæveriores pœnitentiæ leges professus est: silentii, ac solitudinis studiosus. Sacerdotali dignitate initiatus virtutes coluit egregias: puritate præsertim, vigilantiâ, ac miro animi fervore claruit. Hinc cœlestium gaudiorum affluentiâ perfusus, cùm sæculi illecebras declinare exoptasset, Capucinorum Ordinem amplexus, vitam austeritate admirabilem aggressus est. Sed fractis viribus tum ob vitæ sæveritatem, tum etiam ob morborum vim, ad sæculum regredi coactus est. At tepescere haud visus Antonii fervor, nec jejunia; frequentes verberationes, & in se ipsum sæviriam aliquantulum tempera, it. Ultra quinas diei horas, ac majoris noctis partem orationi concedebat. In animarum salute procuranda æstubat: sodalitium Jesus, & Marię nomine inscriptum Messanę fundavit ann. 1599. in quo ferventissimi spiritus ardore sodalium corda ad cœlestia adipiscenda bona mirabiliter incendebat; piissimis verò pietatis officiis innumeros ad meliorem frugem traduxit: ad vitia eliminanda, & Christianę perfectionis studia amplectenda excitavit. Hinc nonnulli supremo lumine perfusi mundi oblectamenta fugientes, strictioris Instituti Ordines sunt amplexi. Adaucto sodalium numero, ut omnium beneficio consuleret, alia novem per urbem excitavit sodalitia, quę ab aliis, in Antonii schola edoctis, moderabantur. In his autem adhuc nostri Antonii nomen veneratur, ac ferventissima ejusdem spiritus documenta insigniter vigent. Maximâ etiam populorum utilitate, ad horum exemplum, haud absimilia tum in Sicilia, tum in Calabria excitata efflorent. Horum operum fructu exarsit Dæmonum invidia: hinc ex concepta indignatione, flagellis sępius Antonium vexare consuevere; & aliquandò propè mortuum reliquerunt. Aliquando perditos homines, populares, puerosque excitarunt, qui verberibus, & contumeliis ipsum affecere. Sed in omnibus inconcussa ejus patientia triumphavit; nam se ipsum contemnere assuetus, aliorum injurias parvifecit, immò non semel studiosè perquisivit. Voluntariam coluit paupertatem: at charitas in pauperes liberalissimum efformavit; in ipsos enim copiosè eleemosynas erogabat, quas eo animo colligebat; his integras etiam alebat familias; puellas matrimonio collocabat. Tandem numeris omnibus absolutus, apoplesię ictu confossus est; & membrorum, ac linguę usu orbatus, per sex menses invictę patientiæ edidit exempla, ac 7. Septembris an. 1636. Messanę decessit.

cessit. Ad inclyti viri cadaver ingens effluxit concursus; ac populi multitudo discissis undique vestibus, veluti inæstimabiles sancti viri reliquias asservare curavit. Funeri verò solemni pompâ celebrando, convenere Senatus Messanensis, ac Cathedralis Ecclesiæ Capitulum: funebri oratione Soc. Jesu, Sacerdos Antonium laudavit: & in memorata, Jesu, Mariæque Ecclesia sepulturæ traditus est: ac tanti viri sanctimoniam nonnullis miraculis firmavit Deus. Ejus vitam scriptis mandarunt Placidus Samperius *in Iconologia M. V. lib. 4. cap. 16. pag. 543. & seq. & cap. 29. pag. 503.* Antonius Mirellus, & Mora, qui Messanæ edidit an. 1655. & Benedictus Salvagus etiam ibidem. De eo plura leges apud Stephanum Maurum *in sua Messana cap. 21. pag. 206.* Placidum Reinam *in not. hist. Messanæ par. 2. pag. 505.* Agathinum Lupum, sive Paulum Iuntam *in vita P. Placidi Junta cap. 6. pag. 47.* P. Domin. Arganantium *in Pompis festivis p. 121.* & Iosephum Ambrosium *in solemnit. epist. Marianæ pag. 506.* Edidit italicè

Esercitii, e Regole della devotione di Giesù, e Maria. Messanæ apud Petrum Bream 1623. in 8.

ANTONIUS FERNANDEZ de GUEVARA, & ADORNO. In libro cui titulus: *Innocentia Vindicata, Pars Prima Theologica. Auctore Emin. Cœlestino Sfondrato S. R. E. Cardinale §. 1. n. 4. pag. 4.* Literæ quædam extant cujusdam Ferdinãdi Guevara, & Adorno Siculi, quâ incorruptum D. Thomæ Aquinatis librum in epistolas D. Pauli, se vidisse testatur, ubi clarissimam pro Deiparæ Immaculata Conceptione sententiam edidit. In ea vocatur Ferdinandus Guevara, & Adorno, natione Siculus, ex fidelissima Civitate Cæsaraugustana, jam, ut ipse ait, incorporatus, & naturalizatus, & Privilegiorum omnium in Regno Castellæ capax effectus: eo quod in dicto Castellæ Regno Regis Capellanus fuerit per annos 23. Regii Castellæ Senatus, Canonicus, & dignitas Ecclesiæ Asturicensis, & S. Jacobi de Penalva Abbas: additq; Romæ etiam vixisse an. 1625. Cardinalis de Trexo Theologus, & Confessarius. Ex his patet Siculum fuisse. Eumdem verò esse suspicor, cujus meminit Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispana tom. 1. pag. 92.* ab ipso vocatus Antonius Fernandez de Guevara, & Adorno: & edidisse testatur

Dominicæ Passionis octo supra quadraginta homilias. Matriti 1636. in 4. & Venetiis apud Christophorum Thomasium 1637. in 4. In laudato fidei suæ testimonio, *pro explicatione Pyramidis Romæ sitæ in platea S. Mariæ de Populo laborasse*, ait: sed aliquid edidisse ea de re non liquet.

ANTONIUS aliis ANTONINUS FERRARA Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, in Messanensi Medicorum Collegio Decanus; pluries etiam Messanæ Archiatri gradum obtinuit: à doctrina, ingenio, pietate, & eruditione laudatus claruit. Amœniores etiam literas coluit, ac poesi ingenii præstantiam detexit in Messanensi Academia Officinæ. Vivebat anno 1674. de eo Placidus Reina *in not. Eccl. Messan. par. 2. pag. 504.* Edidit

Sylvam encomiorum, quibus Sacræ Literæ, Sãctique Patres, aliique Ecclesiastici Doctores B. Virginem Mariam laudibus extulerunt. Messanæ ex typographia Ill. Senatus per Matthæum la Rocca 1674.

Brevem, & Pium dialogismum erutum ex quingentis nonaginta septem clementis Epistolam B. Virginis ad Urbem Messanæ componentibus. Ex Rei ... cit. Italicè

Poesie. In libris *delle Poesie volgari degli Accademici della Fucina, Parte Prima.* Messanæ apud hæredes Petri Brea 1656. in 12. & *Parte Terza* Neapoli apud Ægidium Longum 1659. in 12. & in libro: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina Parte Prima.* Bononiæ apud Io: Bapt. Ferronum 1642. in 4.

ANTONIUS FERRARI Politiensis Ord. S. Mariæ de Monte Carmelo, ex Petro Carrera *vol. 2. memoriar. Catanæ pag. 368.* edidit italicè

Ghirlandá di Sacri Fiori. Panormi 1623.

ANTONIUS FERRUS Drepanitanus Jurisconsultus, doctrinâ, & integritate præclarus. Obiit anno 1633. ex Pirro *not. Eccl. Mazar. pag. 555.* qui reliquisse testatur m. ss.

De Feudis. De Theatro Judiciario. De Modo procedendi in causis.

ANTONIUS FERRUS alter Drepanitanus Soc. Jesu, natus 29. Aprilis 1630. ad Societatem accessit 18. Novembris 1644. & quatuor emisit vota 15. Augusti 1664. Eloquentiâ, & eruditione inclaruit, & cum suorum æstimatione Drepani decessit 20. Julij 1704. Sub prælo reliquit opus italicè inscriptum

La Satira Santificata ad uso de' Pergami, discorsi. Panormi apud Hæredes Gramignani 1704. in 4. Scripsit etiam italicè has lucubrationes in lucem emittendas, nempè

Della Satira Santificata, Parte Seconda, e Terza.

Iddio al pazzo sindicato or degl' Ignoranti, or degli Empj, opera divisa in due parti.

La piggiore fortuna l' hà Dio nel Mondo.

La verità nel Mondo alla Catena, e a tutto il peggio del Mondo.

Le Finezze di Dio verso dell' Huomo.

Gli Spaventi formidabili da fare ammattire i più Saggi, e insanire tutti i Matti.

ANTONIUS FILOTEUS DE HOMODEIS Siculus incertæ patriæ, Juris utriusque Doctor in Pontificiis præsertim juribus instructissimus, doctrinâ claruit. Ad examinandam Ætnæi ignis naturam, montem prodigiis gravem, ter usque ad verticem ascendit, oculisque lustravit, nempè an. 1533. 1540. & 1545. Vivebat an. 1566. Hujusque meminit Petrus Vinc. Marzilla *in præf. ad lib. Decretorum Concil. Trid.* & Antonius Passevinus *in appar. sacro tom. 1. pag. 111.* Edidit.

Ætnæ Topographiam, Incendiorumque Ætneorum historiam. Venetiis Muschius excudebat 1591. in 4. & in Italia Illustrata Francofurti 1600. in fol. italicè translatam edidit Leonardus Orlandinus, Panormi apud Jo: Antonium de Franciscis 1611. in 4.

Compilationem Decretorum, & Canonum Sacrosanti œcumenici, & Generalis Tridentini Concilii. Venetiis apud candentis Salamandræ signis 1566. in ... & ibid.

8. ibid. 1569. & 1573. apud Dominicum Zenarum in 8. Italicè

Vita della B. Chiara da Montefaleo. 1556. ex Baptista Piergilio in vita ejusdem, edita Panormi 1644. in syllabo auctorum. Scripserat etiam

Siciliam restauratam, & illustratam, ut indicat in opusculo de Ætna. huius operis m. s. librum octavum citat Franc. Baronius *de maest. Panor. lib.* 3. *in famil. Valguarnera* §. 10. & 13. In italicam vertit linguam.

Historiam Siciliæ Hugonis Falcandi, quā m. s. in 4. servat Panormi Vincētius Perinus, ibiq; nōnulla extant carmina italicè scripta ab eodē Antonio.

ANTONIUS FLAMINIUS Menensis ex Lucio Marineo *in epistolis lib.* 12. ubi Antonio scribens ait: *In Sicilia Bizinus mihi patria est, quæ à Minoo tuo felicissimo natali solo distat ferè passuum millia decem.* Menæ autem ferè decem millia passuum à Bizino distare indubium est. At rectius dixisset Marineus à Menis, vel à Mineo; alia est enim Urbs, quam dicimus *Mineo*, latinè Menæ, alia est Minoa, à Menis dissita 80. propè millia passuum. Consule Cluverium *Sic. antiq. lib.* 1. *cap.* 17. *p.* 216. & *lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 339. Hunc Antonium Flaminium, eumdem ac Lucium Flaminium putat Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispan. to.* 2. *pag.* 357. ubi ait: *Antonius (aliàs Lucius ascriptitio, juxta ævi morem, prænomine) Flaminius.* Sed omnino diversos dicendum, etsi eodem claruerint tempore, & uterque Siculus, & Marineo gratissimus. Antonius etenim Flaminius Marineo æqualem, immò seniorem fuisse suspicor; nam Antonius consiliis suis Marineum extimulavit, ut ex epistola Marinei *lib.* 12. ad ipsum Antonium ait. *olim me ad virtutem, ad literarum studia fidelissimis, atq; amantissimis consiliis accendebas.* Romæ Antonius vixit literis, & sanctimoniā clarus, ibique obiit, ut infra. Lucius verò Marineo ætate minor; anno enim 1503. Lucium Salmaticenses adolescentem dicebant, ut ait ipsemet Lucius in epistola sua apud Marineum *lib.* 6. Marineus verò an. 1509. annum tetigerat 65. ex *epist.* 1. *lib.* 2. ad Alphonsum Ferdinandi Regis filium, & paterno veluti amore prosequabatur Lucium, ut *lib.* 6. *epist.* ad ipsum ait: *pro mea in te benevolentia, quæ tanta est, quanta vix esse posset in filium, te rogo, moneoque.* Lucius in Hispanis vixit, ac Salamanticæ decessit, ut loco suo referam. Ad utrosque distinctis nominibus scribit Marineus: Lucio *lib.* 6. cui sex dedit epistolas: Antonio *lib.* 12. unam. Uterque verò diversus à M. Antonio Flaminio Imolensi, de quo præclara scripsit Hieroymus Ghilinus *in Theatro Viror. liter. par.* 2. *p.* 192. Antonius itaq: Panormi literis expolitus, ibidem longā consuetudine familiarem, ac contubernalem habuit Marineum, dum hic græcas literas à Jacobo Mirabello accipiebat. Magno fuit præditus ingenio, & rerum omnium capax. Græcis, latinisque literis, omnium scientiarum generibus, eruditione, ac poesi instructissimus claruit: quibus egregiarum virtutum ornamēta addidit. Romā profectus ibidem adolescentes diu politioribus literis erudivit, ibique Sapientiæ, ac Sanctimoniæ splendoribus effulsit: ideoque ab omnibus veneratus; tum in Sicilia, tum in Italia, ac Hispania, celebris vixit, ex Marineo *epist. lib.* 12. in epistola ad ipsum Antonium: qui & *lib.* 5. *in epist. ad Cataldum Parisium*, ait: *sed quis mihi fidem habebit si dixero, Antonium Flaminium Siculum, qui Romæ nunc est, cunctos mortales, qui sunt hodie, & qui fuerunt unquam, omni genere doctrinæ superare? Quem quidem ego propter ejus vitæ honestatem, & sanctissimos mores inter Sanctos sine dubio spero reponendum.* & *lib.* 3. *epist. ad Joannem Thomium Zaccum*, Antonium Biaxandrum Flaminium vocat: *Antonius Biaxander, qui nunc, ut mihi dicitur Flamminius cognominatur*; ibique ipsius ingenium mirabile, vitæ integritatem, consuetudinem jucundissimam, ac studia mirum in modum laudat. & *lib.* 6. *epist. ad Alphonsum Seguritanum*, omnium tunc florentium longè doctissimum, sapientissimumque judicavit: ejusque ingenium non humanum, sed divinum potius fuisse sibi persuasit; aliaq; laudibus refertissima exhibet. Clericalem habitum accepisse puto, ne me mea fallit conjectura: in epistola n. sua ad Antonium Catonem inter epistolas Marinei *lib.* 3. innuit, quòd mater ejus Sacerdotio insignitum nullo pacto voluisset. Hic ille Antonius Flaminius est, de quo Io: Pierius Valerianus *de literatorum infelicitate, lib.* 1. *pag.* 23. ait: *Antonius Flaminius natione Siculus, cujus prælectionibus Roma longâ annorum serie nihil habuit eruditius, vitam in primis eo infelicitatis genere perduxit, quod nullius unquam neq; docti, neque indocti hominis familiaritate, commerciove delectatus est; non famulum, non servum habuit, neminem unquam ad cœnam adhibuit, neque aliorum ipse mensas affectavit, quod faustum aliquis dicat nisi solitudine ipsâ, & molestum & periculosum esset. Is autem inopinatâ prævētus morte à caupone viciniæ, qui quotidiana edulia homini venditabat, cuntationem admirante, quòd jam triduum non apparuisset, & per hortuli fenestrellam quamdam ingresso, inter libros, quos humi stratos, stratus & ipse lectitare consćierat, sempiterno oppressus somno repertus est.* Hæc ille. In hoc uno autem quòd solitariam vitam nimiùm affectasset, quamvis ipsum reprehendissent nonnulli; alii verò vehementer commendarunt virum egregium, teste Petro Angelo Spera *de nobilitate professorum Grammaticæ lib.* 4. *pag.* 466. Annus quo Romæ obiierit latet: hoc tantummodo pro certo habeo, Romæ, vixisse an. 1489. & 1502. ex epist. ipsius Antonii ad Antonium Catonem citatam, & ex epist. Marinei ad eumdem Flaminium *lib.* 12. *epist.* Sub nomine Antonii Biaxandri, inter Marinei epistolas editas Vallisoleti per Arnaldum Guilelmum Brocarium 1514. in fol. extant libro tertio:

Epistolæ duo nostri Antonii Flaminii, quarum una ad Antonium Catonem, altera ad Antonium Muratorium. Scripsit etiam

De Accentricis, Epycidis, & obsidibus volumina duo. Ex epistola sua memorata ad Antonium Catonem.

ANTONIUS FORTIS Calatahieronensis Societ.

ciet. Jesu, natus 8. Iunii 1651. Religionem ingressus est 2. Octobris 1665. ac votorum quatuor professionem emisit 15. Augusti 1684. Præter humaniores literas, Rhetoricam publicè biennio, & eamdem Societatis juniores etiam docuit. Non sine emeritâ laude Philosophiam septennio Messanæ, & Panormi; Scholasticam Theologiam Calathajeroni, Catanę, Messanæ, & Panormi per annos 14. tradidit. In his sæverioribus disciplinis, sicut & in amœnioribus ingenii felicitatem, quâ excellet, egregiè patefecit. Doctrinâ, & eruditione præclarus nunc in Panormitano Collegio divinarum literarum oracula expendit. Typis dedit

Epigrammata. Messanæ ex typographia Vincentii de Amico apud Matthæum la Rocca 1682. in 8. eorumdem selecta prodiere Neapoli apud Franciscum de Bonis in 16.

Militem Rhetoricum, & Poeticum, seu Artis Rhetoricæ, & Poeticæ compendium. Messanæ apud Vincentium de Amico 1685. in 4. Monachii, & Genuę typis Georgii Franchelli 1695. in 12. Sub prælo habet

Philosophiæ Negativæ Tomos III. in 4. Deinum in publicam lucem emittet

Theologiæ Tomos VIII.

ANTONIUS GANGUTIA Siculus incertæ patrię, Sacræ Theologiæ Doctor, magnâ doctrinæ opinione vixit Romæ, ibique in publica Academia Theologiam docuit. Superstes florebat an. 1560. Edidit librum, cui titulus.

Liber Scintillarum opus Ven. Bedæ Presbyteri Doctoris, Theologicique celeberrimi; nuper inventum, & à Rev. Antonio Gangutia Siculo, S. Theologiam in almæ Vrbis gymnasio publicè profitente, castigatum, instauratum, & auctum, ac ab infinitis penè errorum monstris enixissimo labore vindicatum, cum annotationibus, seu brevibus quibusdam declarationibus in titulorum intelligentiam: nec non attestationibus locorum in capitulis citatorum, & multis aliis, quæ in ipso exemplari deerant, ab eodem Antonio ad legentium utilitatem editis, atque adiectis. Romæ apud Antonium Baldum 1560. in 4.

ANTONIUS la GRECA Panormitanus, agnomine dictus Fardiola, utpotè Philippi Fardiolæ Panormitanæ Ecclesiæ Beneficiati discipulus, natus an. 1631. musices scientissimus fuit, quâ amplissimam sibi nomen comparavit. Obiit Panormi 8. Maii 1661. & in Ecclesia S. Augustini sepultus est. Edidit italicè

Armonia sacra di varii Mottetti à 2. 3. 4. e 5. voci. Libro primo. Opera prima. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1657. in 4.

ANTONIUS IANNAPOLIS Soc. Iesu in lucem editus an. 1587. ad Societatem accessit 4. Octobris 1605. ac quatuòr votorum professionem emisit 8. Septembris 1625. Ingenio, doctrinâ, & virtute eminuit. Philosophiam docuit in Messanensi Collegio magna cum audientium utilitate, ac laude. In Architecturæ regulis instructissimus, si quid in Sicilia sua tempestate aliquod extruere quisquis cogitabat, ipsius consilium, ac directionem exoptabat. In aliis etiam scientiis absolutissimus claruit: de Messanensi domo benemeritus, eidem Campanariam addidit Turrim. Obiit Messanæ circa annum 1640. Edidit italicè

Relatione delle feste celebrate in Messina per la Canonizatione di S. Francesco Saverio. Messanæ apud Petrum Bream 1619. in 4.

Trionfi sacri de' Santi Ignatio Loiola, e Francesco Saverio. Ibid. apud Franciscum Biancum 1622. in 8.

Extat in Bibliotheca Domus Professorum Soc. Iesu Messanæ opus m. s. prælo dignum

De Cambiis.

ANTONIUS IGNATIUS MANCUSUS Panormitanus Societatis Iesu, patre Iacobo Medicinæ Doctore, in lucem editus est 16. Augusti anno 1677. ejusque nativitatem, ac nomen prædixerat Fr. Bernardinus Sambucensis Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, cujus vitæ gesta, miraque patrata edidit Panormi an. 1688. P. Archangelus l'Adragna. Literarum studiis animum adjecit, & absoluto cum ingenii laude mitiorum literarum, & Philosophiæ curriculo, Societatis Institutum amplexus est 20. Novembris 1693. In eo humaniores literas docuit, & Theologicæ scientiæ insigniter excultus, sacris missionibus incubuit. Nunc in oppido Mazareni haud impiger Operarius vivit: & eruditione, doctrinâ, ac ingenio clarus, spem excipiendi eloquentiam suam, quam è suggestu breviter personabit, nimiùm excitat. Divæ Rosaliæ cultui impensè addictus, ejus honorem, gloriamque calamo, & linguâ promovere studuit: ideoque edidit italicè

Istoria dell'ammirabile Vita di S. Rosalia Vergine Palermitana compendiosamente descritta. Panormi apud Dominicum Cortesium 1704. in 8.

Plura alia scripsit vir sanè eruditus, plurimaque alia, vitâ superstite, in lucem emittet.

ANTONIUS INVEGES Saccensis Philosophię, & Medicinę Doctor, eâ excelluit doctrinâ, ut in Hispanias digressus, Philippi II. Catholici Regis fuerit Medicus. Floruit circa annum 1590. De eo Ab. Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 339. Scripsit eo teste, multa

De rebus Medicis, m. ss. magnæ ęstimationis.

ANTONIUS LANCEA nobilis Catanẽsis Blasci frater, celeberrimus Iurisconsultus. Summâ doctrinæ opinione vixit, ac Regii Consiliarii titulo cohonestatus, floruit propè annum 1530. Laudatur à Io: Bap. de Grossis *in decacor. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 146. Francisco Milanensi *decis.* 1. *lib.* 2. *n.* 55. Pirro *not. Eccl. Catan. pag.* 94. & Mario Cutello *de donationib. tr.* 1. *disc.* 2. *par.* 11. *n.* 80. Hujusce extant

Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ, in Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano, Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Apostolicam, & Regiam Pragmaticam Alphonsi Regis de Censibus Annotationes. Apud Petrum de Gregorio de Censibus. Ibidem apud Ioan. Antonium de Franciscis 1609. in 4. & typis Francisci Ciotti 1622. in fol. Scripsit etiam

Repe-

Repetitiones Feudales. Fides sit Francisco Milanensi *lib.* 1. *decis.* 15. *nu.* 71. quas non dum editas scimus.

Apostillas ad Catanæ Statuta. ex Grosso cit. quæ m.ss. circumferuntur.

ANTONIUS LOMBARDUS Marsalensis Iuris utriusque Doctor, ob Ecclesiasticas dignitates satis illustris: primùm etenim à sacris Hieronymi Termini Episcopi Mazarensis fuit, à quo Mazarensis Ecclesię Canonicus, & Marsalę Archipresbyter electus est. Ad gravissima pertractanda negotia in Hispaniam missus, ibi Regii Capellani honore insignitus claruit. Acceptâ Agrigentini Archidiaconi dignitate in Siciliam regressus est. At deficientibus dignitatis suę proventibus, iterum ad Regiam aulam rediit, & Abbatiâ Sancti Gregorii de Gipso propè Messanam auctus fuit. Iacobi Lomellini Episcopi Mazarensis Vicarias gessit curas: ann. 1570. S. Andreę Platię Prior, & an. 1572. Abbas S. Marię Lucis Catanę electus est. Translato Lomellino prędicto ad Panormitanam Ecclesiam, noster Antonius Mazarensis Episcopus enunciatus, ex pręsentatione Philippi II. Catholici Regis, à Gregorio XIII. an. 1573. eligitur. Pastorali vigilantiâ creditam sibi Ecclesiam rexit, in animarum enim salute, in tuendis Ecclesię bonis, & in monialium disciplina instauranda totus fuit. Cathedralem Ecclesiam exornavit; Montem Pietatis, assignato annuo censu ex mensa Episcopali restituit. Cùm laudabiliter hanc gubernasset Ecclesiam an. 1578. ad Agrigentinam translatus est: & ann. 1584. ad Archiepiscopalem Messanensem Sedem. In his regendis toto pectore animarum commodi curavit: & an. 1588. inventis Messanę Sanctor. Placidi, & Sociorum reliquiis, Romam se transtulit, & ex facultate Sixti V. (Sanctorum nominibus in Romano Martyrologio relatis) de iisdem Sanctis festum celebrari posse obtinuit. Messanensis Seminarii fundationem an. 1590. promovit; ac tandem honoribus plenus obiit Messanę 13. Septembris 1597. cadaver verò Marsalam translatum, ibi in Ecclesia majori jacet, hoc adjecto Epitaphio.

D. O. M.

D. Antonius Lombardus Marsaliæ Civis, & Archipresbyter: Philippo II. Hisp. Regi à Sacris, S. Andreæ, Novæq; Lucis Abbas, mox Mazariæ, & Agrigenti Episcopus, inde Messanæ Archiep. ut in Patriæ gremio requiesceret, hoc D. ejusdem Genitrici Mariæ sacellum dote, sibique tumulum DD. Vixit ann. ætatis 71. Rexit Ecclesiam Mazar. ann. VI. Agrigent. VI. Messan. XI.

De eo vide Ab. Pirrum *not. Eccl. Messan. p.* 377. & 387. *Agrigent. pag.* 313. & 324. *Mazar. pag.* 523. & 562. & *de Abbatis pag.* 130. Bonfilium *hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *p.* 33. & Carolum de Grassis *de effectib. Clericatus in prælud iis n.* 318. *p.* 37. Edidit

Constitutiones, & Decreta condita in plena Synodo Diœcesana sub Illustriss. & Reverendiss. Domino D. Antonio Lombardo Episcopo Mazarensi. Panormi apud Io: Anton. Maydam 1575. in 8.

Synodum Messanensem, ex Pirro cit.

ANTONIUS MALFI Saccensis Ordinis Observantium S. Francisci, Historicus eruditus. Obiit an. 1613. ut habet Ab. Pirrus *not. Eccl. Agrigen. pag.* 337. qui ibi, & *pag.* 339. scripsisse ait

Historiam Siculam.

ANTONIUS MANRIQUES. v. Ferdinandus Bazan.

ANTONIUS DE MARIA Panormitanus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius, Panormi non sine laude medicinam fecit, ibique decessit 10. Octobris 1672. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus est. Hujus extat

Epistola eruditissima de rebus Botanicis ad Angelum Mariam Bonfantem, in libro, cui titulus: *Bizzarrie Botaniche di alcuni semplicisti di Sicilia, publicate, e dichiarate da Nicolò Gervasi*. Neapoli apud Novellum de Bonis 1673. in 4.

ANTONIUS MAZZARENSIS Musices peritissimus, cujus meminit Ab. Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 543. qui ait Hierosolymis se transtulisse, ibique vitam Philosophorum more egisse. Scripsit

Cytharam septem cordarum.

ANTONIUS MESSINA Siculus, ex indice Poetarum Siculorum, quem Ioannes Vigintimillius in libro *Poet. Sicul.* præfixit, ex quo an. 1663. jam mortuum patet. Messanensem fuisse mihi renunciarunt nonnulli. Vir fuit amœnioribus literis, ac poesi excultus, & Messanensis Officinæ Academicus. Sub Accensi nomine laudatur à Fulgentio Arminio in *Prosis Officinæ lib.* 1. *pag.* 72. Edidit italicè

La Bontà Priggioniera discorso Accademico fatto in giorno di Giovedì Santo, &

L'estinto Signore discorso Accademico fatto in giorno di Venerdì Santo. Extant in libro: *Prose degli Accademici della Fucina. Libro primo*. Monteleoni apud Dominicum Ant. Ferrum 1667. in 4.

Poesie in libris: *Stravaganze Liriche degli Accademici della Fucina Parte prima*. Bononiæ apud Io: Bapt. Ferronum 1642. in 4. & *Parte Terza*. Neapli apud Sebastianum de Alecce 1661. in 12.

ANTONIVS MONTALTVS Siculus incertæ patriæ, at forsan Syracusanus, Juris utriusque Doctor celebris, qui ann. 1525. præfuit Magnæ Regiæ Curiæ Iudex, an. 1530. Thesaurarii Siciliæ vices gessit, ann. 1538. ejusdem Regni Vicarius Generalis, ac diu, nempè ab ann. 1520. usque ad 1537. Magnæ Regiæ Curiæ Fisci Patronus, doctrinâ inclaruit. De eo Philadelphus Magnòs *tom.* 2. *Theatr. Geneolog. pag.* 184. & m. s. apud me. Hujus tantùm vidi

Consilium apud Io: Franciscum del Castillo *in decisionib. lib.* 1. *decis.* 51. *pag.* 285. Panormi apud Angelum Orlandum 1626. in fol.

Allegationes in causa Roccellæ, citantur à Mario Muta *in Cap. Regni Sicil. to.* 2. *cap.* 28. *n.* 77.

ANTONIUS NATALIS Panormitanus Soc. Iesu vir doctrinâ ac pietate conspicuus. Natus 3. Aprilis 1648. in Societatem ascriptus est 17. Iunii 1663. in qua quatuor votorum professionem emisit 2. Februarii 1682. A' pueritia sanctè educatus, modestiâ, ac vitæ innocentiâ claruit.

So-

Societatem amplexus ab ipso tyrocinio sanctioris vitæ viam sollicitus arripuit. Emensis studiorum spatiis, humaniores literas publicè, Rhetoricā Societatis juniores docuit. Messanensem Probationis domum Rectoris munere gubernavit magno cum sodalium fructu: at humilitate impellente, eo se onere abdicavit. Virtutum studium exactissimè coluit: ideoque votum edidit, ut omnem honorem utcumq; tenuem declinaret. Consilio valuit, prudentiā apprimè instructus claruit,, quam vitæ probitas, ac erga proximos præsertim charitas auxit. Hinc Calatanixectæ Magistratus, nobiles, ac ciues omnes nil eo incōsulto aggrediebantur. Siculis Missionibus diu præfuit, quas animi fervore, zeloque fovit, ac annuis centum aureis donavit: animarum enim salute mirum in modum æstuavit, & fractā licèt valetudine, promovere curavit. Sodalitiū Deiparæ Virginis à Fervore Panormi rexit: eâque diligentiā, ut sodales omnes ad virtutes mirificè accenderit. Inerat egregio viro propè cœlestis rerum divinarum eloquentia. Intra domesticos parietes spiritualium rerum Præfectus constitutus, consilio, & exemplo Societatis juniores exstimulavit; privatisque colloquiis animos cœlesti inflammavit igne. A' confessionibus D. Ferdinandi Bazan Archiepiscopi Panormitaui electo, ipsius permagnam æstimationem expertus est; ac omnium venerationem ob virtutum splendorem Panormi promeruit. Virginis obsequio addictissimus vixit, cujus amore flagravit. Defunctorum animas juvare studuit, quibus omnia sua opera in eorum suffragium renunciavit. Nonnullos etiam Sanctos miro quodam cultu venerabatur; præcipuè verò D. Rosaliam, ac S. Josephum Sanctiss. Virginis sponsum. Demum domesticæ adhortationis onere ex obedientia suscepto, ob ipsius laborem gravem contraxit morbum, & per novem ferè menses ægritudinis ærumnis vexatus, egregia patientiæ exempla reliquit: acerbissimis enim affectus doloribus, animi, ac vultus tranquillitatem servavit admirabilem: psalmisque decantatis insigni alacritate, quibus Deiparæ spiritum commendabat, eā, quā vixit opinione, sanctè decessit in Panormitano Collegio 17. Octobris 1701. Ad viri cadaver confluxere certatim cives, qui & vestes devotionis causa discerpsere. Luculentum ipsius elogium habes in ejus opere posthumo *de Cœlesti conversatione.* Ipsum laudat P. Antonius Ignatius Mancusus *in Vita S. Rosaliæ pag.* 46. Ad pietatem excitandam edidit italicè

Glorie del Sacerdotio rivelate à S. Brigida insieme co'suoi oblighi, e pregiuditii. Panormi apud Coppolam 1693. & 1696. in 24. & cum addictionibus Ibidem apud Michaelem Cōstantium 1701. in 24.

Il Giglio fra le spine, custodito nel vago Giardino de'sacri Monasteri, e cultivato dallo sposo celeste, che si pasce trà Gigli. Ibidem apud Barberam 1693. in 24.

Origine della devotione della Madonna del Cuore venerata dal Glor. Patriarca S. Ignatio Loiola Fondatore della Compagnia di Giesù. Ibid. apud Adamum 1692. in 24.

Regole prattiche per le Congregationi secrete di S. Maria del Cuore erette da' Padri Missionarii della Cōpagnia di Giesù. Ibid. apud Anglesem, & Leonem 1694. in 12.

Scelta di varii fiori spirituali, o vero diario delle attioni del Cristiano, che desidera salvarsi. Ibid. apud eumdem in 24. sine anno.

L'Amante di Giesù in Croce, o vero prattica d'un servo di Dio unito in amore à Cristo Crocifisso, che serve di guida à chi desidera unirsi à Nostro Signore in Croce, cavata dalla guida delle principali attioni Cristiane del P. Gio: Battista Sangiurè della Compagnia di Giesù. Ibid. apud Barberam 1693. in 24.

Le Celesti Miniere delle Indulgenze concedute da Sommi Pontefici alla Compagnia di Giesù. Se ne cavano à luce i tesori, e se n'espone insieme il grand'utile. Ibidem apud Anglesem, & Leonem 1697. in 12.

Il Purgatorio inondato dal sangue del Divino Agnello per le copiose Indulgenze degli Ordini Regolari, e per altre industrie giovevoli all'Anime de'Fedeli defonti. Ibid. apud Joannem Adamum 1697. in 12.

Le sette Fonti del Salvatore spalancate all' universale pietà de'Fedeli per rinfresco dell'Anime del Purgatorio. Ibid. apud eumdem 1697. in 12.

La Spada del dolore della Regina de'Martiri, & il Balsamo dell' Amore applicato al cuore ferito della medesima, cioè la pietosa divotione alli sette principali dolori di N. S. con altre tante contemplationi per li giorni della settimana. Ibid. apud Gramignanum 1699. in 12. & apud Felicem Marinum 1701. in 12. cum addictione.

Il Paradiso in Terra spalancato à chi vuole, & è libero à scegliere il più sicuro stato di vita. Ibid. apud Anglese, & Leone 1699. in 24.

Allegatione Theologica in difesa dell' Anime del Purgatorio per la donatione universale, che suol farsi alle medesime di tutto il frutto delle nostre buone opere: e in pruova del grande emolumento, che perciò a noi s'accresce nel merito in terra, e nella Gloria in Cielo. Ibid. apud Honuphrium Anglese 1701. in 12. Post mortem prodiere etiam hæc alia, latinè

De Cœlesti Conversatione in terris à Religioso viro instituenda, seu piarum operationum praxis quotidiana in diarii œconomiā ritè disposita. Pars Prima, Secunda & Tertia. Ibid. typis Jo: Bap. Aiccardi 1703. in 8.

Atrium domus æternitatis, sive praxis præparationis ad mortem sanctè obeundam in Societate Jesu. Ibid. apud eumdem 1703. in 8. & 12.

Amores Eucharistici, sive de Christo Jesu in Sacramentalibus deliciis Animarum suavissimo Salamone Cantica Divini Amoris. Ibid. apud eumdem 1703. in 12.

Edenda reliquit m. s. hæc alia nempè. *Adhortationes domesticas, Poemata, & Satyras aliquot.*

ANTONIVS OLIVERIVS Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor insignis: ob doctrinæ præstantiam primùm in Messanensi Academia Chirurgiam, & Medicinam, inde Botanicæ facultatem publicè docuit: tandem in eodem Lyceo primam Philosophiæ cathedram obtinuit: & Archiatri munere Messanæ fuit etiam cohonestatus

stratus. Claruit an. 1640. quo opusculum edidit inscriptum

Apologetica Mempsis. Venetiis apud Marcum Cinammum 1640. in 4.

ANTONIVS PACTENSIS in oppido Piraini ex familia Natoli natus an. 1539. à diuturno Pactarum domicilio Antonius Pactensis dictus, Ordinis Strictioris Observantiæ S.Francisci. Ab incunabilis pietate excultus, mox literis apprimè instructus, annum agens 29. Observantium S. Francisci Ordinem amplexus est an. 1568. frustra obnitente patre, ut ab incœpto instituto Antonium divelleret. Absoluto studiorum curriculo, ac doctrinâ insigniter cumulatus, magnâ cum ingenii laude scholasticam, & moralem Theologiam sodales suos docuit. Inde ut sæveriorem institutum profiteretur, ad Strictioris Observantię Ordinem transiit, ubi in regulari perfectione mirabiliter profecit, adeo ut virtutum exemplar sese aliis exhibuerit. Vt aliis prodesset bis Siculæ Provinciæ Custos electus. Apostolicus Visitator à Clemente VIII. Pont.Max.destinatus est cum aliis; ut lapsam repararet disciplinam, cùm ipsi Sicilia, Calabria, ac Basilicata contingisset, has Provincias ad perfectam vitæ regulam verbo, & exemplo direxit, & vetustiorem observantiæ fervorem instaurare curavit. Neapoli Regii Monasterii S. Claræ fuit Custos, & SS. Inquisitionis Siculæ Consultor. Dum autem Definitoris munere in Sicilia fungeretur, à Fratribus suis regularem perfectionem, ejusque zelum abhorrentibus ad Generalem Ordinis Ministrum, objectis falsè criminibus, accusatur: hinc à strictiori observantia expulsus, cum Romam concessisset, & animi constantiâ, vitæque innocentiâ virtutes detexisset egregias, iterum admissus est: ejusque persecutores multimodè vindicem Dei iram sunt experti. Romæ tandem in Cœnobio S. Francisci Transtyberim, numeris omnibus absolutus, ad Cœlum evolavit, relictâ sanctitatis opinione 8. Januarii 1618. In funere à cócurrentibus populis ejus vestes direptæ: & ejus animam cœlesti gloria exornatam perspectam dicunt, sequentibusq; signis sanctimoniam comprobatam. Antonii vitam leges apud Petrum Tognolettum *in Paradiso Seraphico par. 2. lib. 6. cap. 36. p. 88. & seq.* vide etiam *par. 1. lib. 5. cap. 1. p.* 566.582.591. 593. & 594. Wadignum *de scrip. Minor. p. 36.* & Ab. Rocchum Pirrum *not. Eccl. Pact. p.* 421. Edidit.

Viridarium Concionum, idest sermones de Purgatorio, Inferno, & Hierusalem triumphante. Venetiis 1617. in 4.

Ingressum facilem & securum ad Paradisum. Lugduni 1644. in 12. Italicè

Considerationi, & espositioni sopra tutti i precetti della Regola di S. Francesco raccolti dalla dottrina de' Som. Pontefici, e gravi Dottori Venetiis apud Ioannem Guerilium 1615. in 4.

ANTONIVS PANORMITA v. Antonius Bononia.

ANTONIVS PIRRVS Platiensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, eâ excelluit doctrinâ, ut ad Archiatri dignitatem Siciliæ fuerit evectus anno 1520. Apud Carolum V. Imp. magnâ valuit opinione. Panormi decessit anno 1532. Laudatur à Roccho Pirro *not. Eccl. Catan.p.* 105. Francisco Nigro *in epistolis*, & Io: Paulo Chiarandano *in hist. Platiæ lib. 3. cap. 3. pag. 154. & lib. 4. cap. 3. pag.* 261. Edidit

Protomedicales Constitutiones.

Addit Chiarandanus cit. multa scripsisse, & inter ea

Historiam Platiæ, ex qua multa protulit fragmenta: & *lib. 3. cap. 3. pag.* 154. ejus *epistolam ad Hectorem Pignatellum Siciliæ Proregem* exscribit; *de origine Imaginis Deiparæ à D. Luca depictæ, quæ Platię magna veneratione servatur.*

ANTONIVS POLITIVS Calatahieronensis privilegio Panormitanus, Philosophiæ, Medicinæ, & Iurisprudentiæ Doctor præstantissimus. Inter primarios medicinæ peritos Panormi claruit, ibique SS. Inquisitionis Siciliæ fuit Medicus. Panormi, ubi decessit, vivebat an. 1625. De eo Petrus Paulus Morretta *de Calatahierono cap.* 12. *pag.* 53. Typis tradidit

De Quinta essentia solutiva, atq; brevi epilogo componendorum medicamentorum, cum aliquibus Philosophiæ, & medicinæ problematibus. Panormi apud Jo: Baptistam Maringum 1613. in 4.

De Febribus Pestilentialibus, Pestis à me nominatis, cum bubonibus, carbunculis, & aliis pravis syntomatibus grassantibus per Fel. Vrbem Panormi die 16. Iunii 7. ind. 1624. Consultationem. Jbid. apud Angelum Orlandum 1625. in 4.

Apologiam de Aneurysmate prætenso pro Ill. & Exc. Marchione de Yeraci, ac Principe Castriboni. Ibid. typis Gaspari Cyrilli 1620. in 4. Hanc eādem pato, quam Antonius Antonid. Vanderlinden *de Scriptis Medicis p.* 80. *Apologiam de Gangrana* vocat. Ex eodem etiam edidit opus

De utero gerentibus.

ANTONIVS PORTVS Drepanitanus, Eques Ordinis SS. Mauritii, & Lazari, Juris utriusque Doctor, vir politioribus literis instructus. Claruit anno 1640. Edidit italicè ex Vincentio Nobile *in Thesauro Abscondito pro Deipara Drepanitan. cap.23.p.* 788. & ex literis mihi datis à Josepho Barlotta Oratorii Drepanitani Sacerdote

La Genelogia del Re Cattolico. Neapoli

L' Ajo del Prencipe. Taurini, & Venetiis.

Poesie.

Relatione dell' Imagine di Nostra Signora di Trapani. ex Nobile cit. *pag.* 109.

Le Glorie della Religione de SS. Mauritio, e Lazaro. m. s.

Le Famiglie antiche della Città di Trapani. m. s.

Elogii d' alcuni Prencipi de' suoi tempi. m. s.

ANTONIUS PRINZIVALLIS Marsalensis Tertii Ordinis S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister. Romæ graviores disciplinas cum ingenii laude accepit: mox Regentis munere Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam ibidem in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulā docuit, ubi nunc Petri Octoboni S. R. E. Cardinalis Theologus, ingenio, ac doctrinâ refulget. Edidit italicè

Vita

Vita de' Santi Sposi, e Vergini Elzeario, e Delfina Conti d'Ariano del Terzo Ordine di S. Francesco. Panormi apud Dominicũ Cortesium 1702. in 4.

ANTONIVS A S. ROCCHO Panormitanus ex Ordine Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, in Sæculo Rocchus de Silvestro. Natus an. 1624. Ordinis habitum accepit 2. Februarii 1640. Studiis addictus præcipuâ animi contentione mathematicas disciplinas excoluit, præsertim Geometriam, ac Aritmeticam. Obiit Panormi 15. Augusti 1674. Edidit italicè

Dell' Aritmetica la numerica Scala. Libro Primo. Messanæ apud Jacobum Matthæi 1650. in 4.

Dell' Aritmetica la Scala numerale. Parte Seconda. Ibidem apud eumdem 1653. in 4.

ANTONIVS ROMANVS & COLVMNA nobilis Alcamẽsis, Sacerdos literis instructissimus, Iurisprudentiæ laureâ insignitus, & politioribus etiam literis ornatus, inter præcipuos literarum candidatos Panormi clarissimus vixit. In pangendis carminibus Siculâ, & Etruscâ linguâ elegantissimum patefecit ingenium: & haud exiguas promeruit laudes apud Reaccensos Academicos, quibus fuit ascriptus. Doctrinæ morum integritatem sociavit usque ad supremam vitæ lineam. Obiit Panormi senectutem ingressus 27. Julii 1692. Eximiis cumulatur laudibus à Iosepho Galeano in Musis Siculis *tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 93. à Balthassere Pisano *in Armoniis Ferialibus pag.* 95. & 318. & Io: Bap. de Iudice *in poes. par.* 1. *pag.* 299. & 432. Vernaculâ linguâ edidit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis parte 2. *to.* 1. Panormi apud Ioseph Bisagni 1662. in 12. Prælo paraverat

L' Hore dell' ozio, Rime divise in Amori, Lodi, Lagrime, Capricci, Moralità, e Devozioni.

Trattato della vera Nobiltà, diviso in discorsi.

Raggionamenti sopra l' Arte Retorica, e particolarmente sopra l'Eloquenza Italiana.

At hæc à morborum frequentiâ vexatus, in lucem edere neglexit.

ANTONIUS SAPIOLUS Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, inter Clitiç Messanensis Academicos ascriptus floret. Typis tradidit

Constantiam sacræ Literæ à Sanctiss. Virgine Messanensibus scriptæ. Messanæ ex typographia D. Antonini Maffei 1699. Italicè

Trionfo, e Cavalcata fatta nella Nobilissima Città di Messina l'anno 1701. dal primo di Marzo insino all'otto del medesimo mese per l'Acclamatione del Cattolico Monarca Filippo Quinto, che Dio guardi. Ibid. apud Acciardum, & Arenam 1701. in 4.

ANTONIVS SARZANA Corleonensis, Ordin. S. Benedicti Congregationis Casinensis, Monasterii S. Martini juxta Panormum monachus, vir doctrinâ, & virtutum splendore præclarus: in memorato Cœnobio, ut etiam Catanensi, & Monteregalensi, Priorem egit. Vt Deo totus viveret, ab omnibus curis solutus, Siciliam reliquit: at perpensis tanti viri virtutibus, Abbas S. Mariæ Camporæ electus est, ibique magnâ sanctitatis opinione decessit. Claruit an. 1560. De eo Ab. Pirrus *de Abbatiis pag.* 199. Scripsit

Arborem creationis Mundi usque ad Carolum V. Imp. de Viris illustribus, ac histori a illius ævi. m. s. servantur in Cœnobio S. Martini.

ANTONIUS SCILLANUS Siculus incertæ patriæ vixit an. 1638. quo edidit italicè

Sampogna Scillana Pastorale. Panormi apud Decium Cyrillum 1638. in 12.

ANTONIUS SEROVIRA Alicatensis Ordin. Minorum Conventualium S. Francisci doctrinâ, & eloquentiâ clarus. In lucem editus 8. Aprilis 1644. Ordinis habitum suscepit ann. 1662. & solemnia emisit vota 23. Aprilis 1663. Gravioribus disciplinis insigniter excultus, Philosophiam, & Scholasticam Theologiam Magister, & studiorum Moderator docuit, non sine ingenii laude Panormi, & Drepani. A' disputationibus clarus, præsertim in Generalibus Ordinis Comitiis, summo cum plausu doctrinæ splendores patefecit. In præcipuis Siciliæ Civitatibus, & alibi conciones habuit laudibus exceptas. Bis Panormi tum in Ecclesia S. Francisci, tum in principe Templo magnâ cõfluentium frequentiâ, & plausu auditus in quadragesimali curriculo. Bis etiam Neapoli in Ecclesia S. Laurentii, totidem Catanæ, semel Senis cinerales habuit conciones, & eximii oratoris nomen sibi comparavit. Romæ in Ordinis Comitiis (in quibus Custodum Custos, ut vocant, Siculæ Provinciæ interfuit) eximiâ effulsit eloquentiâ: hinc meritò Siculæ Provinciæ perpetuus Definitor enunciatus est. Musis gratissimus ad animi oblectamentum plura cecinit, quæ elegãtissimi ingenii sui dotes satis testãtur. In patrium Cœnobium secedens, & omnibus curis solutus, toto pectore ad virtutes adipiscendas incubuit: & regularis observantiæ tenacissimus in divinarum rerum contemplatione æstuavit. At dum virtutũ studia curabat, anno 1703. invitus Siciliæ Provincialis electus est, eamque Provinciam prudentiâ, Ecclesiasticæ disciplinæ zelo, & exemplo moderatus est. Laudatur à Balthassare Pisano *in Armoniis ferialibus pag.* 88. & Ioanne Franchino *in Bibliosophia nu.* 47. *pag.* 77. Edidit italicè

La Santità di Rosalia più ammirabile nelle Corti, che ne' Deserti, Oratione Panegirica. Panormi apud Petrum Insulam 1677. in 4. Prælo paravit

Poesie.

L'Inganno schernito in Susanna. Tragicomedia.

ANTONIUS SICULUS Ordinis S. Augustini, Poeta insignis, qui floruit circa annum 1570. Edidit ut testatur Joseph Pamphilius *in Chronich. Ord. S. Augustini pag.* 132. & Thomas Gratianus *in Anastas. Augustin. pag.* 136. & 137.

Poemata egregia, quibus exornavit Donati Marræ Augustiniani Enarrationes in Hymnos, qui cantantur in Ecclesiam, secundum morem S. R. E. in Religiosorum Ordinum Sanctor. Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, & Carmelitarum. Neapoli apud Horatium Salvianum 1578. in 4.

ANTONIVS TOSCANVS Erycinus Ord. S. Augustini Sacræ Theologiæ Magister, sacrarum literarum explanator doctissimus, & Concionator eloquentiâ præclarus. Siculam Provinciam rexit an. 1553. De eo Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 547. Ex Antonio Cordici *in hist. m. s. Erycis lib.* 3. *cap.* 32. Edidit Ora-

Orationem luculentissimâ, æquè & eloquentissimam.

ANTONIUS VENETIANUS Monteregaliensis Poeta celeberrimus, & Siciliæ ornamentum, jure optimo Poesis Siculæ Magister, & Princeps proclamatus. Patritio genere 7. Januarii ann. 1543. ortus est, In ejus vita m.s. quam ab V.J.D.D. Vincentio Auria accepi, & ut videtur, ab auctore Synchrono, & Antonii familiare scripta, legi, Antonium in lucem editum parentibus Antonello, & Elisabeth Vallonę: at quia pater Venetus, passim Antonellum Venetum appellabant: hinc nostro etiam Antonio Venetiani cognomen accessit. Panormi ab ineunte ætate literis admotus, egregias ingenii dotes in humanioribus studiis mirabiliter patefecit, ut etiam in sæverioribus Philosophiæ, & Theologiæ inter Societatis Jesu Patres, cujus aliquando fuit alumnus. Amœniores etiam facultates peramavit ardenter, adeo ut Orator fuerit egregius, Poeta singularis, antiquitatum, numismatum, historiarum studiosus, & eruditione undique refertissimus inclaruerit. Gręcis literis apprimè instructus sub Francisci Toledi, inde S.R.E. Cardinalis disciplina, dum Romæ humaniores doceret literas, in iis omnium admiratione profecit. A' poetica facultate summam nomini gloriam comparavit: quamvis enim multa Etruscis, Latinis, Hispanisq; numeris cum laude cecinisset, ad Siculas attamen camenas exornandas, novisque luminibus illustrandas veluti à natura excultus, Siculæ poesi incumbere toto pectore visus est: & quamvis Antonio pauci præivere Siculi Poetæ, qui vernaculâ linguâ Siculas cantiones scripserint; attamen ita hoc poematis genus studio, ingenioque elimauit, ut ejus industriâ Siculæ Musæ suprema Parnassi culmina conscendisse viderentur: ita enim hanc Spartam ornavit, ita Siculas cantilenas ad summam pangendi formam redegit; salibus undique conspersit, & argutiarum floribus exornavit, ut non modò omnium calculo fuerit in hoc poetico genere facilè Princeps, verùm etiam ipsum superandi spem posteris penitus amputasse putetur. In ejus etenim cantionibus colligata demirantur styli maestas, conceptuum acumen, dictionis suavitas. Animi affectus ita ad vivum expressit, ut ad miraculum canere videatur: Græco Pindaro, Latino Horatio, Etrusco Petrarchæ nec per unguem latum inferior. Hinc & in Sicilia, & in Italia plausibus, acclamationibusque ejus cantiones exceptæ, quas magnâ perquirebant aviditate: & ex celebrioribus Poetæ nonnulli, qui Antonii amicitiam coluerunt, ex ipsius spoliis ditati, non vulgarem sibi gloriam cōpararūt. De his Carolus Basilotta Nicosiensis S. Andreæ Baro, eruditione præclarus, integrū scripserat librum, quo omnia quæ Etrusci Poetæ à Venetiani carminibus furto substulerant, perspicuè indicabat: at opus morte pręventus ineditum reliquit. De Jo: Baptista Marino Siculorum Poetarum, & præsertim Antonii Venetiani, argutiis ditato, non obscurè innuit Scipio Henricus *in Bellis Parnassi lib.* 2. *pag.* 135. Ob immortalem poeticę glorię lauream, literatorum, ac Magnatum in se studium concitavit, omnesque Antonium vel agnoscere, vel familiariter cum eo tractare exoptabant: inter quos non ultimus recensendus Marcus Antonius Columna Siciliæ Prorex Venetiani studiosissimus, qui ipsius colloquia in deliciis habuit. Haud impari æstimatione apud Comitem Albedelistam etiam Proregem, omnesque Siciliæ Proceres valuit: doctrina etenim excultissimus, in publicis, privatisque colloquiis salibus, ac facetiis semper conspertis, audientium animos mirificè demulcebat. Quamvis autem acutus, lepidusque, attamen erumpente ingenii libidine, ob aculeatos libellos pluries carceri mancipatus, tormentisque tortus, parum abfuit, quin publicè pœnas lueret, ut patet ex Antonio Ballo *Tract. Varior. lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 2. Panormitani Senatus aliquando fuit à secretis, ejusdemque benevolentiam expertus est, prǽsertim anno 1578. cum enim duobus triremibus unà cum Carolo Aragonia Terrenovę Duce velificaret, ut Romam peteret, juxtà Insulam Caprariā à Turcharū piratis captus, mox apud Algerium servitutis jugo fuit addictus: quod ubi Senatui innotuit, illicò soluto pretio, Antonium redemit; ejusq; regressus Panormi plausibus fuit exceptus. Hinc resumptâ Citharâ ad pristinos cantus rediit, ac innumera ejus carmina omnimodâ venustate conspersâ, nominis sui famam, longè, latèque propagarunt: adeout plerique patriis laribus relictis in Siciliam convolaverint, ut Antonium agnoscerent; inter quos connumerandus esset ille Etruscorum Vatum Princeps Torquatus Tassus, qui amicitię vinculis Antonio astrictus, ex ejus fama exstimulatus, ut ipsum videret discessit, & profectò Panormum appulisset, ni de Antonii morte in itinere nuncium accepisset. Tandem dum Panormi apud Castrum ad mare in carcere detrusus detineretur, ex quodam libello in Proregem scripto, quem suspiciones nonnullę ipsum edidisse indicabant; succenso ex inopinato casu tormentario pulvere illibi asservato, statim ingens exorta ruina multos oppressit: inter hos Antonius noster dum unà cum Barone Sinagrę, & Petro Afflicto comedebat, saxorum prolapsu obrutus, extrema clausit 19. Augusti 1593. ut ipsemet, (quod ducta per manus fama enarrat) antea prędixerat. Dum cadaver ab ipsis dirutarum ędium ruderibus effoderetur, adfuit Comes Albedelista Prorex, qui cùm denatum Antonium perspexisset in lachrymas abiit; ac dixisse scribunt: Siciliam Venetiani jacturâ suum amisisse ornamentum. Funus ingenti lachrymarum vi celebratum; cadaver verò in Montis regalis Urbem translatum, in Ecclesia S. Viti fuit conditum in sacello Sanctiss. Virginis de Rosario, ubi diu in ejus cranio publicè exposito legebatur: *Hoc est Caput bonæ memoriæ Antonii Venetiani de civitate Montis-Regalis.* Pro ejus sepulchro hoc sibi ediderat epitaphium, ex Baronio *in Vita*, quod & apud Leonardum Orlandinum *lib.* 1. *Imag. pag.* 35. legitur.

Exanimem tumulo sculptum, qui cernis Olorem,
Hanc tumbam Vates Vinitianus habet.
At cum Vate jacet bona Musa, & docta Minerva;

Tres vixere simul, tres tegit urna simul.
Obiit longiori ævo non indignus XIX. Augusti
Anno ab Orbe repar. M. D. XCIII.

Innumeri scriptores Antonium laudant, inter quos Franciscus Baronius *de Maest. Panorm. lib. 3. cap. 3. pag.* 114. *in Siculæ Nobilit. Amphiteatro pa.* 71. & in Vita, quam editis operibus præfixit, Joseph Galeanus *in Musis Siculis par.* 1. *pag.* 1. *& par.* 4. *pag.* 1. Petrus Carrera *in epigram. lib.* 3. *pag.* 141. Scipio Henricus *in Bellis Parnassi lib.* 2. *pag.* 135. *& lib.* 3. *p.* 228. Leonardus Orlandinus *in discurs. Siciliæ pag.* 80. Honorius Domin. Caramella *in Museo pag.* 29. Michael Foscarenus *in notis*, Matthæus Donia *in Ecloga inscripta Melicus*, Vincentius de Joanne *in Panorm. Triumph. lib.* 12. *pag.* 123. Vincentius Auria *in Chron. Proregum Siciliæ pag.* 67. ubi, ex Typographi incuria obiisse legitur 29. Augusti, *& pag.* 227. & ut alios omittam, præclarissimus Joannes Marius Crescimbene *in eruditiss. histor. Poesis Vulgaris lib.* 1. *pag.* 82. *& lib.* 4. *pag.* 257. Duplicem vidi Antonii Imaginem ære sculptam, ac duplici exornatam inscriptione. Harum una hanc habet ex Franc. Baronio.

Haud potius mellita suos fert Hybla liquores,
Quam tu dulce tuo è gutture carmen Olor.
Hæc tibi sydereis Cæli vox insita ab astris,
Quæ dant astra parem sunt habitura modum.

Altera verò ex Hieronymo Basilicò Messanense.

Qui Mincii ripas, & stagna sonantia olores,
Et qui Strymonias voce beatis aquas:
Cedite Trinacriæ, & Regalis gloria Montis.
Dulcius en vestro carmine cantat Olor.

Vterque Poeta ad Vatis præstantiam, & stemma gentilitium Antonii, quod Olor fuit, alludere videtur. Multa scripsit Antonius; quæ verò extant, hæc sunt.

Antonii Vinitiani Siculi Poetæ celeberrimi Epigrammata quasi omnia, Inscriptiones, Fontiumq; descriptiones. Panormi apud Alphonsum de Isola 1646. in 4. Ex his nonnulla sunt recusa in selectis Epigrammatibus editis Panormi apud heredes Jacobi Maringo 1656. in 12.

Celia. Panormi apud Alphōsum de Isola 1637. in 16. & iterum apud eumdem 1645. in 8. complectitur Siculas cantiones, quas latinis carminibus donavit Franciscus Baronius: quod antea fecerat Philippus Paruta: hujus authographum m. s. vidi in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Jesu; & nonnullæ extant apud me m. ss.

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis par. 1. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & apud Josephū Bisagnum 1662. in 12. Harum aliquæ editæ etiam sunt in libro: *Raccolta di Canzoni Siciliane di diversi buoni Autori scelta per Paolo Cesarea.* Messanæ apud hæredes Petri Brea 1638. in 12. ubi & aliquas etiam invenies, quæ in supradictis Musis non extant.

Canzoni Siciliane Sacre. In Musis Siculis par. 4. Panormi apud Joseph Bisagni 1653. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis prædictis par. 3. Ibid. apud eumdem 1651. in 12.

Raccolta di Proverbii Siciliani in ottava rima. Ibidem apud Joan. Bapt. Maringum 1628. in 8. & Petrum Coppola 1680. in 8. Extat etiam Intermedium pro comico opere Antonii Uio di Mare edito Panormi 1573.

Discorsi sopra le Statue della Fontana della felicissima Città di Palermo, detta del Pretore. m. s. in 4. plurimorum manibus teritur. Hac de re etiam Epistolam scripsit, quam habes apud Baronium *de Maest. Panorm. lib.* 3. *pag.* 126. & in libro Epigrammatum Venetiani.

Alia partim seria, partim ludicra Siculis carminibus expressa vagantur m. s. & inter alia

La Cornaria. Il Puttanismo. La significatione de' Colori in terza rima.

Baronius in Vita multa scripsisse testatur, inter quæ Poemata duo

De Christi Domini morte, &

De Cardinalibus, ab Eminentiss. Cosmo de Torres S. R. E. Cardinali, cùm esset ephebus in Monteregalensi gymnasio recitatum. Scripsit etiam

Descriptiones plurium Arcuum triumphalium, Epigrammata multa, aliaque, quibus titulum prænxerat: *Fontalla*; sed vel invidiæ, vel temporis injuria delitescunt; vel cum ipso Antonio periere.

ANTONIUS LO VERSO Platiensis Musices peritissimus, Petri Vinci discipulus, & in patriis historiis versatus. Claruit circa annum 1595. De eo Pirrus *not. Eccl. Catan. p.* 105. Jo: Paulus Chiarandanus *in hist. Platiæ lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 262. & Sebastianus Bagolinus *in epigramm.* 101. *&* 151. sed advertendum puto in historia citata Chiarandani *lib.* 3. *cap.* 13. *pa.* 221. mendum forsan irrepsisse: ex eo enim anno 1620. superstitem fuisse colligitur: at Bagolinus qui anno 1604. decessit, *pag.* 101. Elegiam in Antonii mortem edidit. Scripsit multa de rebus musicis pluries recusa; at solùm vidi Italicè

Il Primo libro de' Madrigali a 5. voci. Panormi 1590. in 4.

Settimo libro de' Madrigali à 5. voci, intitolato i soavissimi ardori. Venetiis apud Ricciardum Amedinum 1603. in 4.

Nono libro de' Madrigali à 5. voci Ibid. apud eūdem 1605. in 4.

Vndecimo libro de' Madrigali á 5. voci con alcuni Romanzi alla Spagnola. Panormi apud Maringum 1608. in 4.

Decimoterzo libro de' Madrigali à 5. voci. Ibidem apud eumdem 1612. in 4.

Decimoquarto libro de' Madrigali à 5. voci. Ibidem apud eumdem 1612. in 4.

Il Primo libro de' Madrigali à 6. voci Venetiis 1695. in 4. *ex Biblioth. Exotica p.* 207.

Secondo libro di Mottetti di Pietro Vinci con alcuni Ricercati di Antonio il Verso suo discepolo. Venetiis apud hæredes Hieronymi Scotto 1591. in 4.

Terzo libro di Mottetti à 5. e 6. voci di Pietro Vinci con alcuni altri di Antonio il Verso. Panormi apud Io: Ant. de Franciscis 1588. in 4.

In libro inscripto: *Infidi lumi. Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi apud Ioan. Bap. Maringum 1603. in 4. aliqua extant nostri Antonii. Addit Chiarandanus cit. quod Italicè scripsit

Gi-

Historia della Città di Piazza, quam sæpius citat D. de Chiarandanus, & nonnulla protulit ejusdem operis fragmenta.

ANTONIUS VINUTUS Netinus vir eruditus præsertim in rerum naturalium scientia. Claruit prope annum 1516. Ipsius meminere Vinc. Littara *de reb. Netinis pag.* 150. & Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 227. Edidit

De Agricultura Opusculum. Neapoli per Sigismundum Mayr 1516. in 4. & Venetiis apud Melchiorem Sessam 1536. in 12.

Vitam D. Conradi ex Pirro cit. & Oct. Caetano *in animad. ad tom. 2. Sanctor. Siculor. pag.* 85. ubi ex Typographi errore Antonius Venetus vocatur.

ANTONIUS DE VIRGILIO Saccensis Jurisconsultus doctrinâ instructissimus, inter primarios causarum forensium Patronos effulsit. Sanctiss. Inquisitionis fuit Consultor, & Fisci Patronus. Panormi decessit 18. Novembris 1643. & in Ecclesia S. Nicolai Bononiorum sepultus est. Ipsius cum laude meminit Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. p.* 339. Edidit

De legitimatione personæ contrahentis, & in judicio comparentis. Panormi apud Alphonsum Ilolam 1640. in fol.

ANTONIUS VISALLI Messanensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, nec dum vitæ integritate, quàm doctrinâ præclarus. Martirii desiderio æstuans, bis ad barbaras regiones iter direxit: sed obsistente Domini voluntate, vel ægritudinum molestiis, vel tempestatum vi retentus, regredi coactus est. Cum simplicitatis candore doctrinæ præstantiam composuit, namque Sacræ Theologiæ laureâ insignitus, ingenii sublimitate excelluit. Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 179. anno 1421. Siculæ Provinciæ præfuisse affirmat: at Philippus Cagliola *explor.* 3. *Prov. Siciliæ Minor. Conv. pag.* 58. ubi de eo scribit, *& pag.* 39. ubi Catalagum Siculorum Provincialium retulit, de hac Antonii dignitate altum silentium; eoq; anno Ioannem Piscem Catanensem Provinciam Siculam rexisse ait. Scripsit

Super Sententias.

ANTONIUS URA Mylensis Sacræ Theologiæ professor, Poeta Latinus, & Italus. Hujus habes

Dissertationes Epistolares ad Amicum directas, quibus stemma, & Patria D. Francisci Alesii de Paula vindicatur, à D. Antonio de Amico nobili Mylensi, D. Antonii Vra S. T. Professoris elucubratione ad continuum stylum redactas. Messanæ ex typographia Vincentii de Amico 1693. in 12.

ANTONIVS VSO DI MARE Panormitanus, ex Leone Allatio *in Drammaturgia ind.* 8. *p.* 580. ubi de operibus ineditis, Italicè scripsisse testatur

Il Pazzo assennato Comedia recitata in Palermo per comandamento del Senato l'anno 1584. *in prosa.*

Ex relatione vero Vincentii de Auria edidit anno 1573. Comœdiam hanc, coram M. Antonio Columna Prorege peractam, additis intermediis Philippi Parutæ, Hieronymi Branci, & Antonii Venetiani.

APOLLODORVS Poeta Comicus ex Gela Siciliæ urbe, nunc eversa. Duos Apollodori nomine Poetas secernunt Athenæus, & Pollux, Carystium unum, alterum Geloum. De Geloo Athenæus *lib.* 3. *cap.* 35. *p.* 125. & Julius Pollux *onomast. lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 172. & alibi. De Carystio autem Athenæus *lib.* 6. *cap.* 10. *pag.* 243. *lib.* 7. *cap.* 6. *pag.* 280. & alibi: utriusque meminit Pollux *lib.* 10. *cap.* 31. *pag.* 489. Hinc licet Vossius *de Poetis Græcis cap.* 8. *pag.* 59. innuat, quod aliquibus idem videri potest; fabulam enim inscriptam Grammatodipnon Pollux Geloo, Athenæus Carystio concedit; at unus ab alio est diversus: unde concludit Vossius: *idem videri possit Carystius, & Gelous. Sed Pollux eos apertè distinguit.* Vterque ab Apollodoro Comico Atheniense diversus, qui fabulas 47. scripsit, de quo Suidas *tom.* 1. *pag.* 375. & Vossius *loc. cit.* Fuit noster Apollodorus Gelous Poeta Comicus, & ex Suida *loc. cit.* & Gyraldo *de Poetis hist. dial.* 7. *cap.* 292. vixit temporibus Menandri Poetæ, qui teste Laurentio Crasso *in hist. Poet. Græcor. pag.* 339. natus olymp. 109. obiit olymp. 121. Eodem Menandri tempore vixisse tradunt Vossius cit. Lud. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 293. & Gesnerus *Biblioth. pag.* 70. olymp. 114. Fuit autẽ teste Gyraldo, & Gesnero inter primos, ac præcipuos novæ Comœdiæ Poetas. Comœdias verò his prænotatas titulis scripsit, nempè

Apocarteron, seu *Philadelphi* ex Suida. *Philadelphi*, seu *Tinctores* ex Gyraldo. Inedia sibi mortem consciscens, quæ & dicebatur Philadelphi ex Vossio cit. & Athenæo *l.* 11. *c.* 6. *p.* 472. aliisque.

Deusopæi ex Suida: sive *Tinctores* ex Vossio, & Gesnero cit.

Hiera, hoc est Sacra, ex Suida, Gyraldo, Vossio, & Gesnero.

Grammatidopæus, hoc est, *Litium Procurator* ex eisdem, & Jul. Polluce *lib.* 7. *cap.* 33. *pag.* 371. Casaubonus perpendit *in consid. ad Athenæum lib.* 7. *cap.* 6. *pag.* 501. quòd vel à vero deflectit Pollux *lib.* 10. *cap.* 23. *pag.* 479. vel Athenæus *lib.* 7. *cap.* 6. *pag.* 280. ille enim hoc opus Apollodoro Geloo tribuit, hic verò Caristio: nisi antiquorum Criticorum fuerit error circa hujus Comœdiæ auctorẽ. Sed nostro Geloo etiam Suidas concedit. Addit & Casaubonus, Suidam memorasse hanc Comœdiam inscriptam Aristodipnon, sed eadem esse ac Grammatidopæum putat. Ex citatis Suida, Gyraldo, Vossio, & Gesnero nostri Apollodori sunt etiam

Pseudeas.

Sisyphus.

Eschion.

Animo defecta, ex Athenæo *lib.* 3. *cap.* 35. *pag.* 125. & Vossio.

Pseudajax, sive *Falsus Ajax*, cujus meminit Pollux *l.* 10. *c.* 31. *p.* 489.

De Templo Poesis Polluci memorata *lib.* 10. *cap.* 51. *pag.* 503. ubi dubitat an Apollodoro, an Philoni potius ascribeda. Ambigit verò Vossius sitne Geloi, an Atheniensis Apollodori. Addit Gesnerus *in Bibliotheca pag.* 70. hanc etiam fabulam ex Athenæo scripsisse, cujus nomen

Apoleipusa: ex aliis verò has Apollodoro ascribuntur: *Antevergetes*, *Æneas*, *Amphiaratus*, *Diaballon*, *vel Calumniator*, *Prockizomene*, *Himatipolis*, *Phanostrate*, *Sphatomene*, *Tauropola*; sed ex his, quasdam Apollodoro Carystio tribui affirmat. Idem de Carystio scribens has exhibet inscriptas: *Grammatiopæus*; *Hereja*, *Prockizomene*, *Himatipolis*, *Sphatomene*: at addit, à quibusdam Geloo ascribi. Ex Apollodori nostri operibus aliqua supersunt fragmenta, sive sententiæ in libro cui titulus: *Sententiæ insignes Græcorum Quinquaginta Comicorum, quorum opera integra non extant, latino idiomate collectæ, Ignatii Albani opera denuo in lucem editæ*. Brixiæ apud Bartholomæum Fontanam 1612. in 12. & in libro: *Excerpta ex Tragœdiis, & Comœdiis Græcis, tum quæ extant, tum quæ perierunt emendata & latinis versibus reddita, Auctore Hugone Grotio*. Parisiis 1626. *Apollodori Geloi Gnomæ Græcè*, prodiere an. 1569. in 16. ex indice Bibliothecæ Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 58. Tandem Gyraldus, Gesnerus, & Vossius cit. ex auctoritate Donati tradunt, Terentium Comœdias inscriptas, Phormion, & Hecyra è Comœdiis Apollodori exscripsisse. De Apollodoro vide etiã Fazellum *dec.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 123. Hunbertum Goltzium *in hist. post. Sicil. pag.* 89. Scipionem Tettum *in commen. de Apollodoris*, & Laurentium Crassum *in hist. Poet. Græc. pag.* 51.

APOLLONIUS A SS. TRINITATE Cammaratensis Ord. Excalceatorum S. Augustini, natus 20. Decembris 1619. ex familia Tuccitto, Ordinis habitum accepit 27. Augusti 1634. & solemnia emisit vota Panormi 21. Decembris 1635. Absoluto studiorum curriculo, triennio Philosophiam, novennio Scholasticam Theologiam Sodales suos docuit. Ordinis sui juniores instruxit: Prioris munere Drepanitanum, Panormitanum S. Gregorii, & Cammaratense Cœnobium rexit. Panormitanæ Provinciæ præfuit; ac tandem ad supremam Ordinis dignitatem evectus est, Generalis Romæ electus. Joannis Lozani Archiep. Panormitani fuit à consiliis, & confessionibus: ac demum Panormi decessit 9. Octobris 1685. Ad aliorum preces scripsit, & edidit italicè

Esaminatorio, ò modo di confessione per farsi con puntualità, e speditamente. Post alias editiones prodiit Panormi apud Gramignanum 1701. in 12. Opus reliquit m. s.

De Rhetoricæ præceptis.

APULEJUS CELSUS CENTURIPINUS (Centuripæ Urbs Siciliæ, nunc vulgò *Centorbi*) Medicus præstantissimus. De eo Scribonius Largus *lib. de compon. medicamen. cap.* 171. Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 10. *cap.* 2. *pag.* 216. & Goltzius *hist. post. Sicil. pag.* 92. qui affirmant, quòd cùm in ejus patria canes sæpius rabie aggressi lætales morsus non modicâ jacturâ in cives infligerent, ipse patriæ amore exstimulatus singulis annis salutare pharmacum contra canum rabiem excogitabat, civibusq; suis transmittebat. Valẽtis, & Scribonii citati celebrium Medicorum præceptor fuit, teste eodem Scribonio *loc. cit. cap.* 69. & 171. Claruit Augusti Imp. tempore ex Octavio Caetano *in animad. ad tom.* 2. *SS. Siculor. pag.* 106. Ex Morerio *in dict. tom.* 1. *pag.* 300. quem sequitur Coronelli *Biblioth. tom.* 4. *n.* 823. *p.* 171. sub Tiberio circa an. 30. & 35. humanæ salutis. Marcellus Empiricus, qui sub Theodosio, & Gratiano vixit Apulejum inter eos recenset, qui de medicina melius scripsere, ut ait Morerius citatus. Scripsit librum

De Herbis; quem inconsultò nonnulli Apulejo Madaurensi Philosopho Platonico ascripsere. Prodiit cum ejusdem operibus Lugduni apud Viduã Antonii de Harsy ad insigne scuti Coloniensis 1614. in 8. Quòd autem opus hoc ibi editũ, & inscriptũ *de Medicaminibus herbarum*, nõ sit Apulei Madaurensis habetur ex Joanne Pirro *in observat.* ad ipsum, ibidem editis *pag.* 104. ubi ait: *in libello etiam de virtutibus Herbarum, quem, ego vervex sim, si unquam adscribo Apulejo*. Cælius Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 20. *cap.* 19. scribit: *propterea herbam sceleratam dixit Apulejus, si ejus tamen est de Plantis commentarium*. Ex his deducimus dubitasse doctos, essetne hoc opus Apulei Madaurensis. Jo: Mollerus *de Scriptoribus Homonymis cap.* 4. *n.* 4. *pag.* 354. ex homonymiæ vitio, Madaurensi ascriptum putat. Jo: Albertus Fabricius *in Biblioth. latina pag.* 139. inter Apulei Madaurensis opera dubia, vel supposita, hoc opus de herbis collocat, aitque nunquam opus hoc editum inter Apulei opera, sed sub Apulei Platonici nomine, cum Antonii Musæ libello de Betonica, Basileæ 1528. in fol. ad calcem Plinii Valeriani, & an. 1537. in 4. Tiguri cum commentario Gabr. Hummelbergii. Addit Fabricius *pag.* 140. quòd malint quidam Apulejo Celso medico adscribere, qui Augusti ævo floruit: sed junioris Scriptoris fuisse putat, qui Dioscoridem, Pliniumque præ manibus habuit: ambigit tamen quòd fortè ex Apulei Platonici medicinæ libris, aliisque auctoribus collectus, contractusque sit liber: sed Hummelbergius ab Apulejo ipso ita scriptũ fuisse nõ dubitat; ac fatetur codices maximè depravatos, & mutilos ad nos pervenisse. Fabricius tandem ad aliud opus suum inscriptum Centuria Plagiariorum n. 58. lectorem remittit, in quo teste Jo: Mollero cit. Veterum de illo loca exhibet, sed Madaurensi, vindicare videtur. Thomas Reinesius *ep.* 30. *ad Hofmannum pag.* 146. dubitanter ait. *Fuit Apulejus Celsus, Centuripinus Siculus, Vettii Valentis, & Scribonii Largi, qui fuere sub Claudio, Præceptor; hujus sunt, quæ circumferuntur, Botanica; vel hic est, in quem referuntur: hoc enim fidentius adsererem, non illud*. Morerius, cum Coronello etiam cit. Apulei Celsi opus hoc putant, additque Morerius libri hujus stylus ex Augusti, & Tiberii temporibus haud videtur, at ex alia parte parum conformis stylo Platonici Philosophi apparet. At nostro Apulejo Celso sine hæsitatione accesent Andreas Tiraquellus *de nobilit. cap.* 31. *pag.* 259. & Octavius Caetanus cit. In vita Apulei Madaurensis ex recensione Bonaventuræ Vulcanii edita Lut. Parisiorum 1601. forsan ab eodem Vulcanio scriptã, legitur, quòd opus de herbis etsi in editione Basiliensi Madaurensi ascribitur, potius

Apulejo

Apulejo Celso tribuendum, quamvis Augusti, Tiberiique ætatem non sapiat ex elegantiæ Romanæ defectu. In vita etiam ejusdem cum ipsius operibus editis ad usum Delphini à Juliano Florido, Parisiis 1688. de hoc libro habetur: *falsò huic Platonico Madaurensi assignatus: sed eruditi erroneum scriptum Apulejo Celso medico vindicant.* Prodiit opus de Herbis ex Ant. Antonid. Vanderlinden *de scriptis medicis pag.* 758. *&* 1077. Basileæ apud And. Cratandrum 1528. in fol. cum aliis de re medica libris, & apud Joannem Oporinum 1549. in fol. Parisiis ap. Christ. Wechelum 1528. in fol. cum Galeni libro de Plenitudine, Venetiis apud Aldum 1547. in fol.

De Re Rustica, fragmenta aliquot. Extant in libro: *De Re Rustica, Selectorum* lib. XX. Græcè, Joannis Alex. Braxicaui opera in lucem editi. Basileæ apud Rob. Winter 1539. in 8. latinè Jano Cornario interprete. Ibid. apud Frobenium 1540. in 8. ex Vanderlind. *de script. medic. pag.* 85. Operis hujus autorem nostrum Apulejum putat Vulcanius *in vita Apulei Madaurensis*, & Morerius *in dict. cit.* Librum hunc citat Palladius *lib. de re rustica.* Constantinus, vel ut alii volunt, Cassianus Bassus in lib. incripto *Geoponicon*, qui Constantini Imp. nomine editus est, ex eo multa mutuatus est, eodem Vulcanio teste, Tiraquello cit. & Simlero *epist. Biblioth. Gesner. pag.* 16. His adderem

Libellum de Betonica. Hunc ut observat Simlerus *in epit. Bibl. Gesn. pag.* 121. & Vandelinden *cit. pag.* 1077. quidam Antonio Musæ, nonnulli L. Apulejo ascribūt: at nostri Apulei fœtū suspicor. Ipsum recognovit, emendavit, & commentariolo illustratū edidit Tiguri Gabriel Hummelbergius, ex Simlero cit. *pag.* 14. 56. *&* 121. prodiit etiā in volumine *de re medica.* Basileæ apud And. Cratandrum 1528. in fol. & apud Jo: Oporinum 1549. in fol. Tandem addam quòd Servius *in Virgil. Georg. lib.* 2. in eo: *media fert tristes succos*, Apulei librum *de arboribus* citat: at eumdem ac librum de Herbis puto, quem Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 20. *c.* 19. de Plantis vocat.

ARCANGELUS ADRAGNA Panormitanus Ord. Strictioris Observantiæ S. Francisci, S. Theologiæ Lector, Concionator, Provinciæ Panormitanæ Definitor, & Cœnobii Panormitani S. Mariæ de Jesu Custos, doctrinâ, & morum integritate ornatus. Obiit Panormi anno 1688. Edidit italicè

Vita, e Virtù del Ven. Servo di Dio F. Bernardino della Sambuca Laico de' Minori Osservanti Reformati della Provincia del Val di Mazara. Panormi apud Thomam Romolum 1688. in 4.

ARCHANGELVS CAPRONA Panormitanus Ordinis Capuccinorum nobili genere ortus, mundi blandimenta, divitias, honoresque declinavit, & in ipso ætatis flore Capuccinorum Ordinem amplexus est, anno ætatis suæ 18. mox inconcussâ animi constantiâ omnes patris conatus elusit, qui summo studio filium, quem unicè diligebat, ad sæculum revocare conabatur. Eâ animi contentione piissimam vitæ rationem aggressus est, ut breviter virtutibus omnibus, & absolutissimâ perfectione animum cumulaverit. Apostolico Spiritu concionatoris munus suscepit, ac tanto animarum zelo, ut cùm è sugestu declamantem audivisses, ignita jacula, vel fulmina ejus verba dixisses: ideoq; audientium corda transverberabat, mirum in modum infammabat, ac divino terrore concutiebat. Hinc ad meliorem frugem innumeros revocando, ingentia animarum lucra assequutus est. Nonnulli ad vocis suę clamorem excitati mundi illecebras animadvertentes, ad Regulares Ordines, mulieres multæ ad monialium gynæcea cōvolarunt. Drepani Vrbs præsertim admirabilem prædicationis suæ vim experta est: ad Archangeli enim conciones haud civitatis, sed Cœnobii speciem, disciplinâ regulari instructissimi, aliquandiu servavit. Ibi tria erexit sodalitia, quorum unum eorum erat, qui animam agentibus in Noscomio adessent, ut salutaribus monitis, ad mortem sanctè obeundam juvarent. Aliud Montis Pietatis, quòd pauperum ægestati consuleret. Tertium verò, quod in pauperibus carceri mancipatis totum esset. Mulieres etiam exstimulavit, ut domum pro pauperibus convalescentibus fundarent. Pia hæc omnia solidissimis munivit statutis, Ardentissimo erga Deum, ac proximos æstuavit amore, prę sertim pauperes, quos mirificè juxta vires, levare curavit. Humilitatis suæ exēplum illud edidit præ aliis egregium, quòd etsi Custodem ageret, attamen singulis hebdomadæ sabbathis, manticâ humeris appensâ, panem ostiatim, & eleemosynas emendicabat, ac sarcinâ gravatus ad Cœnobium regrediebatur. Tandem non fuit virtutis genus, quo non esset persanctè cumulatus: ideòque meritorum coronâ redimitus ad Cœlum transiit, magnâ relictâ sanctitatis opinione. Obiit anno 1577. Vide Zaccariam Boverium *annal. Capucc. to.* 1. *an.* 1577. *n.* 20. Dionysium Genuensem *in Biblioth. Capucc. pag.* 39. & Fortunatum Huberum *in menolog. Ord. S. Franc.* 21. *Febr. pag.* 582. Edidit ex Dionysio citato

Statuta, & documenta pro Confraternitatibus domus Hospitalis, Montis Pietatis, & Misericordiæ erectis in Civitate Drepanensi. Panormi 1573.

ARCHANGELVS GARINVS Assorēsis Tertii Ord. S. Francisci, natus an. 1654. Religionem ingressus est an. 1671. Gravioribus disciplinis abbundè instructus, Magistri, ac Sacræ Theologiæ lauream obtinuit Romæ in Sapientiæ Academia. Philosophiam docuit Romæ in Collegio S. Pauli ad Arenulam: ut etiam Regentis munere Scolasticam Theologiam in Cœnobio Romano SS. Cosmæ, & Damiani: ubi novam Conciliorum Academiā excitavit, quæ exinde in Collegium de propaganda Fide translata est. Provincialis titulo Provinciæ Patrimonii S. Petri fuit insignitus, & Generalem examinatorē egit. Anno æt. 37. Assori obiit 10. Septembris 1690. Edidit

Cōcilia Apostolorum. Romę ex typographia Paumonetę 1690. in fol in expanso. Edenda reliquit

Philosophiam. Tom. 5. m. s. in fol.

Theologiam Scholasticam in via Scoti Tom. II. m. s.

m. s. in fol. servantur in patrio Cœnobio.

ARCHANGELUS MESSANA Netinus Ord. Observantium S. Francisci virtute, & doctrinâ conspicuus, claruit propè annum 1560. de quo Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 220. quem sequitur Wadingus *de scrip. Minor. pag.* 39. scripsisse testatur: *libros obscuris characteribus exaratos.*

ARCHANGELUS A S. NYMPHA Panormitanus Ord. Excalceatorum S. Mariæ de Mercede, ex familia Baronio natus 17. Septembris 1664. Religionis habitum suscepit anno 1679. Emensis studiorum spatiis doctrinam acceptam aliis explanavit, & Sacram Theologiam docuit. Concionatorem etiam cum laude egit: & Motycensi Cœnobio præfuit. Vivit, ac edidit italicè

L'Oracolo della Santità Palermitana eretto sopra Monti. Oratione sacra in lode di S. Rosalia Vergine, e Protettrice di Palermo. Panormi apud August. Epiram 1696. in 4.

ARCHANGELUS SCANDURA Acensis Ordinis Capuccinorum, Concionator illustris, tyronum instructor, & pluries Messanensis Provinciæ Definitor. Fuit in sacrarum literarum studiis versatus; ac obiit in patria 27. Maii 1679. Ipsum laudat Dionysius Genuensis *in Bibl. Capuccinorum p.* 39. Edidit italicè

Albero della Vita discorso Panegirico in lode della Glor. V. e M. S. Venera. Messanæ apud Iacob. Matthæi 1656. in 4.

ARCHANGELVS TROPEA Acensis Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci Provinciæ suæ in Sicilia Definitor, & Custos. In quadragesimali curriculo conciones habuit Panormi in principe Templo, & alibi. Adhuc superstes apud suos vivit. Edidit italicè

Il Gran Segno Apocalistico del Cielo Palermitano. Oratione Panegirica, de D. Rosalia. Panormi apud Jo: Adamum 1695. in 4

ARCHESTRATVS celeberrimus Poeta Siculus, Syracusanus, vel Gelous, Athenæus enim *lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 4. Syracusanum, vel Geloum dicit, & *lib.* 4. *cap.* 17. *pag.* 162. Geloum voluit: hinc Vossius *de Poetis Græcis pag.* 85. & Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 316. Syracusanum, vel Geloum enunciant Archestratum. Litterarum studiis addictus sub Terpsionis disciplina, ex Athenæo *l.* 8. *cap.* 3. *pag.* 337. Vossio, cit. & Gyraldo *de Poet. hist. dial.* 3. *pag.* 109. oratoriâ, & poeticâ facultate claruit, & omnigenâ eruditione fuit illustris. Eodem Athenæo teste *lib.* 7. *cap.* 20. *pag.* 288. Philosophus fuit Pythagoricus; doctrinam verò voluptatibus, gulæ vitiis, ac insatiabili voracitate deturpavit: ciborum etenim deliciis plurimùm indulsit. Vt commodiùs ventris studio vacaret, terrarum orbem perlustravit, & quæ ad gulam oblectandam expedirent, & ubi præclariora ciborum genera nascerentur, diligentius perquireret, ex Athenæo *lib.* 3. *cap.* 31. *pag.* 116. *lib.* 7. *cap.* 22. *pa.* 326. *& cap.* 18. *pag.* 314. Ab eodem Athenæo *lib.* 7. *cap.* 5. *pag.* 278. *Opsodædalus* vocatur; nempè ut Delacampius exponit *in annot. ad Athen. pa.* 747. *Variorum Opsoniorum Magister*: additq; Athenæus *loc. cit.* Chrysippum Philosophū dixisse, quòd Archestratus Epicuri, eorumque discipulorum fuit dux, & magister; quod & repetit *lib.* 3. *cap.* 25. *pag.* 101. eodem Opsodædali nomine pluries Archestrati meminit Athenæus, nempè *lib.* 3. *c.* 25. *pag.* 110. *lib.* 7. *cap.* 8. *pag.* 285. *cap.* 22. *pag.* 326. Seu *lib.* 7. *cap.* 12. *pag.* 294. Sardanapali vitam egisse ait: eodem libro *cap.* 14. *pag.* 301. Cœnarum ducem, & præfectum nominat, & *cap.* 20. *p.* 320. Opsartytem, idest ex Delacampio *in annot. pag.* 752. cibi condiendi peritus doctor. *lib.* 3. *cap.* 21. *pag.* 101. vocatur; parandi variis modis obsonia peritus: *cap.* 24. *ejusdem libri pag.* 105. parandi obsonii ingeniosus artifex: *cap.* 26. *pag.* 112. Helluo, catilloque: *cap.* 31. *pag.* 117. *&* *lib.* 8. *cap.* 6. *pag.* 342. Helluo: *lib.* 3. *cap.* 33. *pag.* 119. Festivus: *lib.* 4. *cap.* 17. *pag.* 163. ex sententia Timonis, vorax appellatur: *lib.* 7. *cap.* 17. *pag.* 310. Helluonum Hesiodus: *lib.* 9. *cap.* 14. *pag.* 399. Ingeniosus variorum obsoniorum enarrator: & tandem *lib.* 7. *cap.* 18. *pag.* 312. Voluptatius Philosophus. At ipsius laudes non præterit Athenæus multis in locis: *lib.* 7. *cap.* 17. *pag.* 310. *&* 311. *& cap.* 24. *p.* 328. *cap.* 20. *pag.* 321. Virum sapientem vocat: *cap.* 21. *ejusdem lib. pag.* 325. multiplici rerū historiā celebrē appellat: *l.* 8. *c.* 3. *p.* 335. Famosū: & *lib.* 7. *cap.* 16. *pag.* 307. Elegantem. Etsi cibis mirum in modum se ingurgitabat, attamen nimiùm macer fuit, teste Æliano *var. hist. lib.* 10. *cap.* 6. Athenæo *lib.* 12. *cap.* 13. *pag.* 552. & Morerio *dict. tom.* 1. *pag.* 316. adeout cùm in hostium manus incidisset (à Ptolomæo captum ait Tobias Magirus) ad lancem appensus, vix oboli pondus æquaverit: hinc Tobia Magiro *in Eponymologio critico pa.* 23. fuit dictus *umbris tennjor.* Inopiæ angustiis vexatus vixit: ideoq; cùm nescio quis, Archestrati ægestatem, ac carminum suorum præstantiam perpendisset, ita dixisse ait Plutarchus *de fortitudine Alexandri*, & Gyraldus *de Poet. hist. dial.* 3. *p.* 109. Archestrate si cum Alexandro fuisses, tui cujusq; carminis præmium Cyprum, aut Phœnicem tulisses: ex quo facilè deducitur Archestratum egregium, sed inopem fuisse Poetam. Vossius cit. inter incertæ patriæ Poetas collocat Archestratum: sed ex his à Plutarcho relatis colligimus post Alexandri Magni ævum floruisse; ut rectè observat Laurentius Crassus *de Poet. Græc. pag.* 58. Hinc Franc. Patritii lapsum videmus; qui *Poet. dec. hist. lib.* 1. *p.* 93. ait, temporibus Alexandri, & paulo post Chrysippum Stoicū vixisse. Profectò post Alexandrum claruit, sed ante Chrysippum; Athenæus enim *lib.* 6. *cap.* 5. *p.* 278. ait; quod Chrysippus dixit, Archestratum Epicuri, & discipulorum ejus Magistrum, & ducem fuisse: & *lib.* 3. *cap.* 24. *p.* 104. affirmat, quod cùm Chrysippus Archestrati Gastronomiam legisset, Metropolim Philosophiæ Epicureæ vocavit: ideoque ante, non post Chrysippum statuendus Archestratus. Bonannus *Syracus. illustr. lib.* 2. *p.* 274. cùm Patritii sententiam rejecisset, multò ante Alexandri tempore vixisse putat, circa olymp. 84. sed non multū ab Alexādri tēpore remotū puto. Scripsit Archestratus poeticum opus de Cibis, hoc titulo prænotatū.

Gastronomia, seu Hedypathia, ab aliis dicta *Dipnolo-*

nologia, *Obsopæja*, *& Gastrologia*, ut ex Athenæo habemus, *lib.*1. *cap.*4. *p.*4. & *lib.*3. *cap.*24. *p.*104. quæ nomina in eamdem collimant, nempè ut explicat Delecampius *in annot.p.*705. Ventris leges, de Voluptate, Carnarum enarratio, obsoniorum apparatus. Athenæus cit. opus hoc, scribit, ab Epicureis propriam Theogoniam vocatum: ibique Atheneus, sicut & *lib.*9. *cap.*8. *p.*384. Poema vocat famosum. Multa hujus poematis carmina passim leges apud Atheneum, & apud alios, quę ut observat Gyraldus *loc. cit.* si ex Gręcis collecta commentariis, & pręsertim ab Atheneo in unum conferrent, in justum volumen, ne dum poema coalescerent. Operis hujus principium emendatum protulit Casaubonus *in Athen. lib.*7. *cap.*5. *p.*498. Scripsit etiam ex indice Athenei, & Crasso cit.

Sententias. Athen. *lib.*7. *cap.* 9. *p.*286.

De Tibicinibus libros duos. Athen. *lib.* 14. *cap.*8. *pag.*634.

Hedypathiam Voluptariam, &

Opsologiam. Athen. *lib.*7. *cap.*16. *p.* 306.

Sed Hadypathia, & Opsologia, eadem sunt opera, ac Gastronomia. Quòd Hadypathia eadem sit ex eo deducimus, quod cùm Athenæus ipsam hoc nomine citet; Delacampius *in annot. p.* 750. explicat: *de voluptate, lautitiis, cupediis*, a Idique, *sic interdum suam Grastologiam is vocavit*. Opsologiam autem Grastonomiam esse, id affirmat Vossius cit. Legem quamdam Archestrati de conviviis referunt Gyraldus cit. & Cælius Rhodig. *lib.* 28. *lect. ant. cap.* 8. Ennium in Phageticis Archestratum imitasse ait Gesnerus *in Biblioth. pag.* 74. Etsi Bonannus cit. Archestrati vitia fateatur, attamen ejus laudes à literarum studiis celebrat. Plutarchus *in Vita Alcibiadis*, Archestratum citat. De eo vide etiam Vinc. Coronelli *in Bibliot. to.*4. *p.*370.

ARCHETYMUS SYRACUSANUS Philosophus, & Historicus eximius, claruit ex Bonanno *Syracus. illustr. lib.*2.*p.*291. circa olymp.70. nempè an. 496. ante Christum natum: sed ex Vossio *de hist.Græc. lib.*4. *cap.* 1. *p.*432. olymp. 47. idest ante humanæ salutis annum 588. Iidem auctores cum Laertio *in Vita Thaletis*, Fazello *de reb. Sicul. dec.*1. *lib.*4. *cap.*1. *p.* 103. Goltzio *hist. post. Sicil. p.*91. Coronelli *in Biblioth. tom.*4. *p.*370. & 398. aliisque scripsisse referunt

Septem Sapiētum cum Cypselo Corinthiorum Tyrāno congressum, in quo ipse Archetymus interfuit. Addit Ioannes Iacobus Hofmannus *lex, tom.*1. *pag.* 165. primum fuisse historiæ philosophicæ scriptorem, ut innui *in addict. ad Siciliam Inventricem Vinc. Aureæ c.*22. *p.*241.

ARCHIMEDES celeberrimus Syracusanus nedum patriæ, verùm etiam supremum Siciliæ ornamentum, Mathematicorum facilè Princeps, in lucem editus est an. 2. olymp. 122. ante Christi Domini adventum an. 289. ex Davide Rivalto in ejus Vita, cum ipsius Archimedis libris edita. Iulius Firmicus, cùm ejus genituram inspexisset, ex astrorum aspectu, in rebus Mechanicis ingenii sui excellentiam deduxit. Nobilissimo ortum genere scribunt, ac ex Hieronis Syracusarū Regis sanguine, ex citato Rivalto, Fazello *dec.* 1. *lib.* 4. *cap.*1. *p.*103. Vincentio Mirabella *in Syrac. antiq. p.* 56. & 106. aliisque. At quamvis Bonannus *Syrac. illustr. lib.*2. *p.*325. hanc Archimedis nobilitatem in dubium revocet Ciceroni innixus, qui *Tusc. quæst, l.* 5. humilem homuncium Archimedem appellat, è pulvere, & radio excitatum; & Silio Italico *lib.*14. qui eumdem *nudum opum*, vocat; attamen ex his haud satis liquet vulgari sanguine ortum; ita forsan loquuti, ut Philosophum, ob scientiarum studium, divitiarum contemptorem, describerent. Plutarchus sanè *in Marcello* Archimedem Hieronis cognatum, & amicum enunciat. Dubitat verò Bonannus an Hieronis cognatum dixerit ex ipsius Hieronis matre, obscuri generis ancilla; sed hoc divinare est. Ex Rivalto cit. Io: Bap. Ricciolo *in Chron. Mathemat. par.* 2. *ante Almagestum p.* 30. & Mariano Perello *in Vita S. Luciæ p.* 3. ex ejusdem Archimedis stirpe orta est D. Lucia V. & M. Syracusana, nobilitate clara, sanctimoniâ longè clarior. Canonem Samium Mathematicum egregium audivit ex Proclo, aliisque, at præceptorem insigniter excelluit. Eximiū fuisse Philosophum, nemo est, qui neget. Marcus Maer *in explicat. numismatum Parutæ p.* 73. à Platone Philosophiam accepisse ait, cùm is Syracusas plaries petiit: at penitus falsum; annorum etenim ratio non consonat. Archimedem enim cùm Plato Siciliam vidit, non dum natum scimus. Mathematicis disciplinis miram in modum adhæsit, eâ que animi contentione, ut ubicumque pergeret figuras, lineasque describeret: & ut tradit Plutarcnus *in Marcello*, sæpè cibi sumendi, curandique corporis penitus oblitum vixisse: ac sæpè invitus ad balnea tractus, geometricas figuras in corpore uncto, digito deducebat: eâ enim disciplinarum suavitate mens superfusa afficiebatur, ut omnia oblivione deleret: quod etiam scribit Max. Tyrius *serm.* 78. In multas orbis regiones profectus est, præsertim ubi literarum studia efflorebant, vel ut disceret, vel ut doctrinam suam patefaceret. Multa subtiliter adinvenit. Pappus *lib.*8. apud Iosephum Blancanū *in Chronol. Mathemat. p.* 47. ait, mechanicas res ab Archimede inventas quadraginta fuisse: quarum aliquæ scriptorum oscitanciâ periere: aliæ ab eodem Blancano, aliisque recensitæ, hic breviter adnotabo. Inter præcipuas fuit Sphæræ artificium, in quo Solis, Lunæ, aliarumque Stellarum motus mirâ conversione, & dissimili motu sua sponte euntium & redeuntium observabatur. Sphæram hanc Lactantius Firm. *lib.*2. *cap.* 5. *divin. instit.* describit; ut etiam Claudian. *in epigram.* M. T. Cicero *lib.* 1. *Tuscul. & de nat. deor. lib.* 2. Sextus Empiricus *lib.* 8. *contra mathem.* Ovidius *lib.* 6. *fastor.* Iulius Firmicus *astronom.* qui divinam vocat inventionem, aliique: an verò ærea, an vitrea, vide *observationes meas ad Siciliam Inventricem Vincentii Aureæ cap.*7.§.2.*p.*120. ubi interiorem æream, vitream exteriorem ipsius partem statui. Vincentius Coronelli *in Biblioth. tom.*4. *p.*386. Fazellum in omnibus Archimedis sequutus, duas admittit

sphæ-

sphæras Archimedis, in harum una Solis, Lunæ, ac quinque planetarum motus spectabantur: in alia vitrea contrarii circulorū motus. Archimedis inventum fuere intervacua corporum Cœlestium ex Macrobio *in som. Scipionis lib. 2. cap. 3.* Vt Ægiptii terram commodè rigarent, & Nili aquas in altum efferrent, Cocleam adinvenit, teste Diodoro Siculo *lib. 1. nu. 34. & lib. 5. num. 37.* De ea etiam Vitruvius *lib. 10. cap. 11.* Gaspar Schotus *in mechan. Hydraul. Pneumat. par. 2. class. 2. mach. 1. p. 338.* Salmasius *ad Solin. p. 589.* hanc ex Blancano cit. Ioseph Cedrenus ævo suo instauravit: & ad ipsius æmulationem, Archimedeam Cocleam extruxit Ath. Kircherius, quam in suo Musæo Romæ spectatur, ut ait Georg. de Sepibus *in Musæo Kircher. p. 4.* & Hofmannus *in suppl. lex. tom. 1. p. 152.* Ægyptias etiam terras, villasq; ageribus cinxit, pontium fundamenta posuit, quibus à pago in pagum transitur in Nili alluvione, teste Gregorio Abul-Pharai *in hist. compend. Dynastiar.* apud Thomam Pope-Blount *in censur. celebr. auctor. pag. 44.* Hieronis jussu cùm aurea corona condita fuisset, & artificis fraus argentum in illam admisisset, modum excogitavit, quo fraudem depræhenderet, eumque describunt Vitruvius *lib. 9. cap. 3.* Proclus *lib. 2. cap. 3.* Priscianus sive Remus Faunius, vel Q. Rhemnius Fannius Polæmon *de ponderibus, & mensuris*, aliique. Hydraulicum organum etiam adinvenit admirandum, quod Tertullianus *de anima cap. 5.* aliique descripsere. Machinam etiam extruxit, cui nomen Divulsile, ex Galeno *in Hippocr. lib. 4.* apud Bonannum cit. *p. 325.* eamque esse puto ac instrumentum ab Oribasio *cap. 6. de machin.* & Ioannes Gorreo *definit. medicin. v. Polypaston p. 384.* Polypaston vocatum, undique incisum; eumque ad medicinę usum accommodatum, Vitem sive Trypaston appellant, quo membra dissoluta consolidant, ex Oribasio cit. *cap. 26.* vide etiam Rivaltum *in Vita*. Specula Parabolica, quibus hostium naves igne concepto, concremavit, ut infra: etsi aliqui minus sapientes, quia ad hanc inventionem pertingere non potuere, negare audeant. Omnium primus adinvenit proportionem cylindri ad sphæram, teste Claudio Francisco Milliet *in cursu mathem. tom. 1. tract. proem. de illustr. Math. p. 9.* Occultam notam, quam Scitalam nonnulli vocant excogitavit, cujus meminere Tritemius *in Polygraphia p. 17.* Gasp. Schotus *in schola Steganographica clas. 8. cap. 1. §. 2. pag. 283. & Magia Cryptographica syntagm. 1. §. 1.* aliique. Instrumentum, quo quodcumque pondus è loco suo dimovere posset invenit: hinc jactabundus dicebat Mundi machinam è loco suo divulsurus, si extra mundum locus esset, ubi instrumenta sua niti possent: ideoque ipsius dictum memoratur,

Dic ubi consistam, & Cœlum, terramq; movebo. Consule Plutarchum *in Marcello*, Athenęum lib. 5. cap. 7. Sinesius *de insomniis*, & Blancanum *in Chroteol. Math. pag. 47.* Ut hanc ingenii sui vim ostenderet, à Hierone rogatus, onerariam navem emit ingentem, magnoq; pondere gravatam voluit: & quam vix innumeri viribus simul collatis in mare deducere potuere, Archimedes parvo adhibito instrumento, licèt longè distaret, statim ad se attraxit, tanquam per mare decurrentem. Navem etiam admirandam, immò verius parvam confecit Urbem Hiero, tum ex magnitudine, tum ex rerum artificio, tum denique ex omnibus officinis singularē. Ipsam exactè descriptam habemus ab Athenæo *lib. 5. cap. 9.* Fazello *de reb. Sicul. dec. 1. lib. 4. cap. 1. pag. 97.* Fabio Vigile apud Maurolycum *hist. Sicil. lib. 1. pag. 23.* Constructionis moderator præfuit Archimedes: lignorum strues tanta fuit adhibita, quanta ad sexaginta galeas extruendas satis esset, 300. homines ligna composuere, 500. ad alia peragenda insudarunt: qui omnes, vix sex elapsis mensibus, ad medietatem perduxere. Ut ad umbilicum perducerent, cùm in mare petrahere tentassent, nulla fabrorum vis, nec Archiæ Corinthii ingenium, opus ingentissimum dimovere valuit. At Archimedes Helice adjuvento (quem organum tractorium vocat Vitruvius *lib. 10. cap. 4.* Arganum Delacampius *in annot. ad Athen. pag. 738.* & Bonannus *Syrac. Ill. lib. 2. pag. 326.*) Statim cum omnium admiratione ad mare solus traxit. Tunc Hiero in stuporem raptus exclamavit: de quavis re Archimedi loquenti imposterum credendum est, ut ait Proclus *in Euclidem lib. 2. cap. 3.* Per alios sex menses numeris omnibus absoluta est navis, in qua ædes multę, viridaria, deambulatoria, Templum, Bibliotheca, Balnea, Cisterna, Piscina, Stabulum; molendina, turres, & propugnacula demirabantur. In medio machina assurgebat, quę ingenia saxa tres centum librarū pondere, hastasq; duodecim cubitorum ultra stadium emittebat. Cocleam construxit, ut solus homo navis sentinam purgare posset: aliisque machinis abundè instruxit. Navis hæc veluti artis mechanicę miraculum, & ingenii Archimedei prodigium Hieron ad Ptolomæum Ægypti Regem misit: eamque celebrarunt Moschion, & Archimeleus Atheniensis, quorum laudes habes apud Athenæum *lib. 5. cap. 11. pag. 206. & 209.* Tractoriam machinam construxit, quâ immensæ molis lapides jaculabatur: in eaque omnes geometricas facultates conjunxit, ex Suida, & Manutio *in adagiis pag. 1806.* Primus artium mechanicarum auctor, & inventor à Constantino Lascare vocatur apud Maurolycum *hist. Sicil. lib. 1. pag. 19.* Primus magna cum Reipublicæ utilitate Geometriam ad Mechanicum usum adjunxit, ut air Goltzius *hist. post. Sicil. pag. 85.* quòd suasionibus Hieronis fecit, teste Plutarcho *in Marcello*: eoque instante bellica instrumenta tum ad propugnandas Urbes, tum ad Hostium perniciem mirabili celeritate, & artificio perfecit: at usui non adhibita, nisi quando Syracusę à Romanis M. Marcello Duce oppugnatæ, & durâ obsidione perstrictæ sunt. Et profectò appugnantium numero, ac vi statim Urbs defecisset, ni Archimedes bellicis inventis, inimicorum apparatum illusisset; Archimedis enim ingenium, ut ait Florus *lib. 1. Syracusas defendit*, Consule Plutarchum *in Marcello*, Livium *lib. 24.* Athenęum *lib. 14.*

14. *cap.* 8. *pag.* 634. Silium Ital. *lib.* 14. aliosq; historicos, & divinum Archimedis ingenium obstupefactus demiraberis: hic enim omnia Romanorum machinamenta, magno tempore, ac sumptu confecta, brevi tractu faciliter dissipabat, adhibitis quasi per jocum, quæ primum ad manus veniebant instrumenta, jam antea parata. In hostes admirandi ponderis saxa, aliaque missilia arma emittebat magno cum ipsorum metu. Ferrea brachia in naves demittebat, quibus in altum levatas, magno cum terrore in mare immergendas proiiciebat, vel ad scopulos, aut muros illisas quassabat. Contra easdem ustorium adhibuit speculum, quod solis radiis oppositum, ignem in naves excitabat, ac conflagrabat, ex Zonora to. 2. Apuleo *Apolog.* Blancano *Chron. Mat. pag.* 47. Vossio cit. *cap.* 16. §. 2. *pag.* 56. Galeno *lib.* 3. *de temperamentis c.* 2. Vitruvio *lib.* 8. *cap.* 7. Vrbis murum frequentibus scissuris aperuit, ut cives securi sagittas in hostes emitterent ex Silio *lib.* 14. & Livio cit. Ab Eustachio apud Tob. Magirum *in Epominol. pag.* 23. & Cæl. Rhodigino *lib.* 24. *cap.* 14. Centimanus vocatus, quòd uno machinæ balistariæ tortu, multa simul jacula in hostes dirigeret, Marcellus etiam ex Plutarcho Briareum vocabat, & Centimanum. Romani verò Archimedis opera & machinarum varietate, ac multitudine undiq; lacessiti, non contra homines, sed in Deos pugnare credebant: eumque terrorem in eorum animos ingessere Archimedis machinç, *ut si funiculum modò, aut lignum supra murum conspexissent, tormentum aliquod ab Archimede proferri clamantes, fugerent.* Ideoque Marcellus sępius clamans, haud posse cum Archimedis ingenio pugnare, tandem decrevit obsidione Vrbem perstringere, & fame expugnare; ac triennio obsidionem protraxisse scribunt. Demum occasionem capiendi Vrbem accepit Marcellus à Dianæ festo, quod triduo Syracusani celebrabant magnâ omnium lætitiâ: dum enim cives à somno, vinoque oppressos animadvertit, Vrbem noctu aggressus superavit. At dum Vrbem ingrediebatur Archimedis necem interdixit, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 37. etsi, quod summopere exoptavit, non obtinuit; in Vrbis enim direptione periit. Mortis genus variè narrant, cum Plutarcho *in Marcello*, Cicerone *de finibus, & in Verrem* 6. Valerio Max. *lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 7. & Silio: alii enim scribunt, quòd urbis vastationem, ac miltes undiq; omnia miscentes non animadvertit, geometricis operibus profundè intentus: & cùm Romanus miles supervenisset, & ut ipsum sequeretur Marcello sistendus jussisset, ire noluit, ni prius inceptum opus demôstratione absolvisset: hinc ira accensus miles statim Archimedem vita privavit. Alii tradidere quòd cùm miles stricto ense in ipsum irruisset ad necem, militem exoravit enixè, ut aliquantulû se sisteret, ne formas in terra descriptas deturparet, & rem non dum absolutam dissolveret; qui rogationibus spretis, statim confodit. Alii scripsere, quòd dum ad Marcellum angulos, sphæras, & mathematica instrumenta deferebat, percupidos milites offēdisse ajunt, qui auro plena ea instrumēta rati, occiderunt. Alii quòd oculis in terra defixis, ubi mathematicas expresserat lineas, militi interroganti quisnam esset, ob profundam perscrutandi cupiditatem, nomen haud dixisse: sed protacto manibus pulvere, noli, dixit, obsecro circulum istum dissolvere: miles verò imperium neglexisse arbitratus, interfecit. Tandē alii volunt, quòd dum diametros suos in pulvere obsignabat à prætereunte milite incognitus occisus est. Illud verò certissimum, Archimedis necem Marcellum summo dolore affecisse, qui non minorē gloriam à servato Archimede, quàm ex capta urbe se assequuturum sperabat, ex Val. Maximo, ideoque inter ovantes militum obstrepentium vociterationes, lugubri mœrore perfusus, Archimedem deflevit, teste Iul. Firmico *math. lib.* 6. *cap.* 3. & Sil. Italico *lib.* 14. Addit Firmicus, quòd dum Romæ triumphum ageret, Archimedem deplorabat: interfectorem verò, ac si sacrilegas manus in aliquem Numinum intulisset, execravit, teste Livio cit. & Archimedem, quem vivum honoribus insignire haud potuit, mortuum veneratus est: ejusque sepulchrum excitandum curavit, ac perquisitis ipsius propinquis, honoribus cumulavit. Sepulchro Sphæram, & Cylindrum, ut suis præceperat imposuit, cui quæstionem inscriptam addidit: ex continenti firmamento ad contentum quænam esset excessus proportio. Cicero in Sicilia Quæstor hoc sepulchrum ex oblivione ab hominum memoria deletum inter vepres se invenisse gloriatur, *Tuscul. quæst. lib.* 5. Obiit ex Tzetze *hist.* 35. *chil.* 3. annos natus 75. Ex Rivalto nonagenarius, ante Christum natum 214. ex Vossio cit. *cap.* 16. §. 2. *p.* 56. *& cap.* 33. §. 2. *p.* 158. & Pope-Blount *in censur. p.* 44. an. 1. olymp. 142. ex Brietio *annal. tom.* 3. an. 4. olymp. 141. ex Eusebio *in Chr.* an. 3. olymp. 141, eo enim anno Syracusarum excidium statuit: ante Christi Domini adventum an. 214. ex Maurolyco *hist. Sicil. lib.* 1. *p.* 28. ex Morerio *dict. tom.* 1. *p.* 316. an. 1. olymp. 143. Archimedis vitam scripsit Heraclides, quæ periit, ut testatur Eutocius *comm. in Archimedem*, eamdem scripsit Proclus Lycius, & Rivaltus. Archimedis fama orbem implevit, quam ab ingegenio, editisque operibus clarissima, nunquam senescet. Vt Archimedis excellentiam, & æstimationem testarentur antiqui, duo edidere numismata Archimedis effigie insignita, quorum uni Lunam, Stellasque addidere: alio Cylindrum, & Sphæram. Consule Philippum Parutam *in suis Siculis numism. p.* 102. eaque exposuit Bonannus cit. *p.* 331. & Marcus Maer *p.* 73. Ad demonstrandam ipsius doctrinæ præstantiam plura exhibent ex Archimede adagia. Vnum ex Cicerone *orat. pro A. Cluentio. Non Archimedes melius potuit describere.* Aliud: *Archimedeum Problema*, ex Cicer. *lib.* 13. *epist. ad Attic.* quod intelligendum de obscura quæstione solutu difficili: De eo Manutius *in adag. p.* 1806. qui aliud exhibet *p.* 1805. nempè multis brachiis æqualis, de eo qui ingenii vi plus potest, quàm plurium simul opus. Petrus Ramus

lib. 1. *proem. mathem.* illud exhibet: *Arithmetica Archimedis.* Si hìc auctorum laudes exscriberē, instituti mei limites excederē. Aliquas tantū recensere satis erit. A Livio *lib.*24. Vnicus Cœli, syderumque spectator, vocatur. Tullius *lib.*1. *Tusc.* Deū terrenum, & divino ingenio instructum appellat. *lib.* 5. acutissimum vocat. Plutarchus *in Marcello* divino præditum ingenio prædicat. Ex Apulejo *apol.*1. vir fuit in omni Geometria multum ante alios admirabili subtilitate. Ex Cassiodoro *lib.*7. *var.* subtilissimus rerum indagator. Lucianus *in dial. Mercurii*: doctum, & virtutum amicum vocat, & ut ejus doctrinam testaretur, in Elysiis campis collocat. Cardanus *de subtilit. lib.*16. appellat: Mathematicum non tam primum, quàm inimitabilem: quòd ab editis in Syracusana obsidione probat. A Ioanne Zonora *lib.*3. celeberrimus artifex vocatur. Cælius Rhodiginus *l.*2.*c.*7. *lect. ant.* post alias laudes ingenio divino præditum vocat: à Vossio etiam cit. *cap.* 16. §. 2. *p.*56. vocatur: Divini vir ingenii, qui priorum omnium luminibus obstruxit. Ex Lascari apud Maurolycū *lib.* 1. *hist. Sicil. p.* 19. Philosophus, & Geometra acutissimus, artisq; mechanicæ auctor. Iosepho Blancano cit. *p.* 47. fuit, *Ingeniorum Phœnix*. Ab Andrea Tacquet *hist. narr. de ortu*, & *progressu math.* vocatur: Apex humanæ subtilitatis, totius mathematicæ disciplinæ absolutio. Ex Goltzio *hist. post. Sicil. p.* 85. fuit Philosophus & Geometra omnium sæculorū nobilissimus. Bern. Varan. *lib. Geogr. gener. cap.*3. apud Pope-Blount. cit. divinissimum vocat, qui nec decepit, nec deceptus unquam fuit. A Claudio Francisco Milliel cit. *p.* 9. enunciatur: Mathematicorum facilè Princeps, qui vias ivit mirabiles; magnoq: homine dignas. Mitto alios sexcētum; quos videre poteris, prætertim Virgilii explanatores in illud *Eclog.* 3.

... *Canon, & quis fuit alter?*
Descripsit radio totum, qui gentibus orbem.

vbi de Archimede intellexisse nonnulli volunt. Multa doricâ linguâ scripsit: horum nonnulla primùm, Constantinopoli capta, in Italiam asportata; à Ioanne Regiomontano in Germaniam deducta, & latinè facta, curâ Thomæ Venatorii, ab Hervagio edita sunt ann. 1544. ex Vossio cit. *cap.*16. §.2. *pag.*56. & Pope-Blount cit. Quæ primum prodiere, sunt:

*De Sphæra, & Cylindro lib.*2. *Circuli dimensio l.*1. *Planorum æquiponderantium inventa, vel centra gravitatis Planorum lib.*2. *de Conoidibus, & Sphæroidibus lib.*1. *de Lineis spiralibus lib.*1. *de Arenæ numero lib.*1. *Quadratura Paraboles lib.*1. *à Jacobo Cremonense in latinum conversa, Græc-lat.* Basileæ apud Ioannem Oporinum 1544. in fol. cum Commentariis Græcis Eutocii Ascalonitæ in tria prima opera. Horum nonnulla à Friderico Commandino Urbinate latinitate donata, & Commentariis illustrata. Venetiis typis Pauli Manutii 1558. in fol. Græcè & latinè, cum demonstrationibus, & Commentariis Davidis Rivaltii à Flaurantia. Parisiis apud Claudium Morellum 1604. & 1615. in fol. Prodiere etiam latinè Monumenta omnia ex traditione Francisci Maurolyci. Panormi apud D. Cellenium Hesperium 1685. in fol. Isaac Barorr. Londini 1670. in 4. ejusdem Apollonii Pergei, & Theodosii opera nova methodo demonstrata Londini 1668. in 4. ex Bibiloth. Slusii *pag.* 388. & 389.

Assumptorum libri duo ex Codicibus Arabicis mss. Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ ab Abrahamo Ecchellensi Maronita, & Joanne Alphonso Borrello linguâ latinâ, & cum notis. Florentiæ typis Iosephi Cochini 1661. in fol.

Multa etiam scripsit, quæ temporis injuriâ periere. Blancanus cit. has ipsius lucubrationes nominat

De libra.
Viaticum de Sphæræ constructione.
De tresdecim solidis à se inventis.
Lemmata.
De sectione circuli.
De speculis comburentibus.

Theodosius Tripolita scripsit opus *in Viaticum Archimedis*, ex Gesnero *in Biblioth. p.*778. Suida citato, & Blancano cit. *p.*49. Opus *de Speculis comburentibus* memoratur etiam à Gesnero cit. *p.*75. Goltzio *hist. post. Sicil. p.*85. qui extare putant: sed ex Vossio *de math. cap.*26. §.2. *p.*108. non est editum. Rivaltus etiam non extare censet, nisi sit illud à Gogava emissum, paululum illustratum. Maurolycus *in proem. ad Archimed. opera* ait, opus: *de Speculis comburentibus, aliqui Archimedi, alii veriùs Ptolomeo adscribunt.* Sed de his scripsisse, ante alios testātur Vossius *de sciētiis mathem. c.*26.*p.*108. & Pappus *prop.*10. *l.*8. De Speculis ingēti volumine tractasse ait Apulejus *Apolog.* 1. & Cæl. Rhodiginus *lect. ant. lib.* 15. *cap.*13. Scripsit etiam

Ochumena, nempè *res à curribus tracta*, ex Gesnero cit. *pag.* 75. librum de rebus quæ trahuntur scripsisse testatur Strabo *lib.* 1. *Geogr.* quem an idem sit ac Ochumena, dubitat Bonannus *cit. pag.* 331.

De Nave Hieronis. ex Gyraldo *de navigiis cap.* 7. *pag.* 580. & *Poet. hist. dial.* 10. *pag.* 365.

De Numeris ad Zeusippum. hujus meminit idem Archimedes in lib. de numero arenæ: non extat ex Rivalto.

Organica teste Rivalto cit. ex Vitruvio *lib.* 1. *arch. cap.* 1. qui ait: *Archimedes, & Scopinas ab Syracusis, qui multas organicas, & gnomicas numero, naturalibusque rationibus inventas, atque explicatas posteris relinquerunt.*

De Architectura scripsisse ait Vitruvius *cap.* 1. at dubitat Bonannus cit. an intelligēdum de aliquo ex supradictis operibus.

De Septangulo in circulo, ex Abul-Pharai cit. opus forsan aliquod ex supra relatis, qui addit *Romanos è libris Archimedis quindecim gestamina combussisse.*

Spiritalia, & ea quæ clepsydris docent horas metiri. Ex Joanne Tzetze chil. 3. hist. 35. quòd affirmare non audet Vossius cit. *cap.* 48. §. 5. *pag.* 288. propter futilem hujusce scriptoris fidem.

De figuris æqualis ambitus. quod opus ex Maurolyco *in proem. Archimed.* ab aliquibus Archimedi

medi

medi, ab aliis verò, & verius, Theoni Alexandrino adscribitur.

Elementa Conica, quæ alii Apollonio Pergeo, alii Archimedi attribuunt, ex Vossio cit. *addict. pag.* 434. Archimedeum opus putavit Eutocius *in vita Archimed.* apud eumdem Vossium, dicens: Archimedem omnium primum consignasse elementa conica: Apollonium verò cùm ea non dū edita esse sciret, ab auctore involasse, & tamquam sua, Plagiarii more, edidisse. Id comprobari posse ait Vossius, ex ipso Archimede, qui in libris suis, operis sui de conicis elementis meminit: at dubitat, quòd fortasse Archimedis cartas nactus, Apollonius, eas perfecit.

Commētaria in Homerum, & Mechanica. Hæc opera Archimedi Grammatico Trallia no attribuit Suidas *to.* 1. *pag.* 452. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 75. & Vossius cit. *pag.* 290. At Lascaris apud Maurolycum *hist. Sic. lib.* 1. *pag.* 19. nostrum Archimedem ea scripsisse putat. Petrus Angelus Spera *de nobil. Profess. Grammat. lib.* 4. *pag.* 318. Commentarium in Homerum, & Mechanica Archimedi Tralliano ascribit: at *lib.* 5. *pag.* 528. Commētarium prædictum nostro Archimedi accēset. Sanè Bartius *in præf. ad Boetium de consol. Philosoph.* ait, quod Boetius transtulit Archimedem Mechanicum: Cassiodorus verò ep. 1. Theodorici nomine Boetio scripta, ait: *Mechanicum etiam Archimedem latialem Siculis reddidisti.* Quod etiam affirmat Iul. Martianus Rota *in vita Boetii*, Rivaltus in vita Archimedis. Hinc mechanica scripsisse liquet. Plutarchus *in Marcello* de mechanicis scripsisse negat. Carpus verò Antiochensis apud Pappum *proœm. in* 8. *Collectaneorum Mathemat.* de Mechanicis nihil scriptis consignasse ait, nisi Sphairopojan, quæ deperiit: sed ad utrumque respondet Vossius cit. *cap.* 48. §. 5. *pag.* 188. presertim ex eodem Archimede, qui mechanica scripsisse fatetur.

Observationum Cælestium Archimedis meminit Ptolomeus *in Almagesto lib.* 3. *cap.* 2.

Multi in Achimedis opera scripsere, nam præter supra allatos Guidus Ubaldus Montis Marchio librum inscriptum edidit: *In Archimedis æquiponderantium libris paraphasis scholiis illustrata.* Pisauri apud Hier. Concordium 1588. in fol.

Adrianus Romanus scripsit: *Expositionem in Archimedis circuli dimensionem, & Analysis Apologiæ pro Archimede.* Vvirceb. 1597. in fol. in ea Archimedem defendit contra Josephum Scaligerum, qui Archimedem reprehenderat, quia in dimēsione circuli numeris esset usus, ut observant Milliet cit. & Vossius *pag.* 57. qui & alios Archimedem defendisse ait.

Alexander Andersonius edidit: *Vindicias Archimedis* 1605. ex Milliet *cit. pag.* 19.

David Sanclarus scripsit: *pro Archimede contra Anonymum, qui quamdam quadraturam circuli promulgavit* 1622. ex Milliet cit. *pag.* 20.

Lucas Gvaricus Neapolitanus scripsit: *Circuli Quadraturam per Campanum Archimedem, & Boetium* 1523. ex Milliet *cap. pag.* 13.

Fridericus Comandinus Vrbinas vertit opus *de Conoidibus, & Sphæroidibus Archimedis è græco in latinum commentariis illustratum.* Idē in pristinum nitorem, & commentariis explanavit libros: *De his, quæ vehuntur in aqua.* Bononiæ 1565. in 4. nonnulla etiam opera, nempè: *Circuli dimensionem, de lineis spiralibus, de quadratura parabolæ, de Conoidibus, & Sphæroidibus in latinum convertit, & commentariis illustravit.* Venetiis 1558. in fol.

Nicolaus Tartaglia edidit Italicè. *Raggionamenti sopra Archimede.* Venetiis 1606. in 4.

Joannes Bardius *in Archimedem de iis quæ vehuntur in aquis*, Romæ 1614. in 4. ex Bibl. Slusii *pag.* 389.

Marius Ghethaldus Ragusinus edidit: *Archimedem Promotum, seu de variis corporum generibus, gravitate, & Magnitudine comparatis.* Romæ 1603. in 4. ex Judice Bibli. Barberinæ *p.* 468.

Paschasius Hamelius protulit. *Commentum in Archimedis librum de numero Arenæ.* Lutet. 1557. in 8. ex eodem indice *p.* 519.

Andreas Tacquet Belga Soc. Jesu scripsit. *Elementa Geometriç planæ, ac solidæ, quibus accedunt selecta ex Archimede Theoremata* Antuerpiæ typis Iacobi Meursii 1654. in 8.

P. Marsennius Ord. Minor. teste Milliet cit. *pag.* 23. edidit ann. 1644. *Vniversæ Geometriæ mixtæque Matheseos Synopsin*, in qua inter alia exhibuit libros Archimedis de Sphæra, & Cylindro, de conoidibus & Spheroidibus, de quadratura parabolæ, de spiralibus, æquiponderatibus, & natantibus in humido, Arenarios, & Propositiones supplementi Archimedis à Suellio editos.

Gulielmus Oubhtredus ex eodem Milliet *pag.* 36. in clavi mathematica an. 1667. edidit: *Theorematum Archimedis de Sphæra, & Cylindro declarationem.*

Petrus Forcardel librum Archimedis *de ponderibus, seu de aqua immersis gallicum fecit*, ex Milliet *cit. pag.* 39.

Petrus Antonius Cataldus: Defensionem Archimedis paraverat ex Vossio *cap.* 57. §. 6. *pag.* 340. & Blancano *pag.* 63.

Claudius Ricardus Commentarium reliquit in Archimedis opera, ex Vossio cit. *cap:* 16. *n.* 35. p. 71.

Joannes Wallis notas in arenarium gr. lat. edidit Oxon. 1676. in 8. ex Bibl. Card. Slusii *pag.* 388.

ARCHINUS sive ARCHIVVS Agrigentinus Poeta Tragicus ex Fazello de reb. *Sicul. dec.* 1 *lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 136. *Christ. Scobar. in antiq. Agrig. cap.* 14. *pag.* 16. Humberto Goltzio *Sic. hist. post. pag.* 89. Roccho Pirro not. Eccl. Agrig. *pag.* 332. Laurentio Crasso in hist. poet. Grēc. *pag.* 61. & Coronelli *in Biblioth. to.* 4. *pag.* 391. & 421. Haud exiguam nominis famā sibi comparavit scribens *Tragœdias Sexaginta.*

Acrinum mendosè vocat Joseph Perdicarus *in Vitis SS. Siculor. pag.* 152. quem sequitur Vinc. Coronelli *in Biblioth. tom.* 1. *n.* 6199. Hi verò antiquorum Romanorum ævo floruisse scribunt.

ARGISTRUS JUFFREDUS Nobilis Panormitanus vir amænioribus literis abundè instructus, Poeta non vulgaris, in Panormitana Academia Accensorum recensitus effulsit. Academicus etiam fuit Academiæ Panormitanæ, quam vulgò *degl' Inrisoluti* dicebant, cui præfuit Princeps, ut legere est in epist: nuncup. carminum, quæ nonnulli Panormitani edidere in obitu D. Laureæ Serra Argistro dicata;& in discursu Hier. Opizingha pro Poemate SS. Rosarii Jo: Antonii Blandi, p. 502. Fuit à Secretis Senatus Panormitani, & Etrusco, & Hispano idiomate multa ornatè scripsit. Dum inimicorum causa in carcerem detrusus retineretur apud Castrum ad mare Panormi, accenso tormentario pulvere ibi ad bellicam rem asservato, in ingenti patrata ruina, ab eversis lapidibus obrutus, fato cessit 19. Augusti 1593. Ipsum laudant Joseph Galeanus in Musis Siculis *par.* 1. *pag.* 163. in elogio Josephi Juffredi filii, Antonius Alfanus, Jo: Bap. Macarellus, Leonardus Orlandinus, & Hieronymus la Rape *in Carmin. Accensorum lib.* 1. *p.* 24. 39. 49. 50. 41. Mugnòs *in Theatr. Geneolog. p.* 1. *pag.* 397. Edidit italicè

Rime in libro *Rime degli Accademici degl' Accesi di Palermo*: Panormi apud Matthæum Maidam 1571. in 8.

Oratione delle Attioni di Marc' Antonio Colonna. Romæ 1586.

Trattato della Gloria humana. Romæ 1588.

Il Primo de' Dialoghi del licentiato Pietro di Luscian da Siviglia, nel quale tratta di molte cose appartinenti allo stato matrimoniale, tradotto dal Castigliano in Toscano. Panormi apud Io: Ant. Maidam 1575. in 12. In eo aliquot dialogos Antonii Torchemada italica lingua à se datos promittebat.

Compendio del Sig. Massimo Trojano tratto dalle Osservationi della lingua Castigliana del Sig. Gio: Miranda, nel quale in dialogo si raggiona della differenza, e convenienza dell' Affabeto Spagnolo, e Italiano, col quale si può imparare a leggere, intendere, parlare, e proferire la detta lingua Castigliana, con le Annotationi del Sig. Argistro Giuffredi utilissime non solo per sapere la lingua Spagnola, ma per sapere molte cose della Toscana. Florentiæ apud Bartholomeum Sermaxtelli 1601. in 4. Prælo paraverat

Trattato per insegnare à gli Spagnoli la Pronuntia Toscana.

Censura alla Gerusalemme di Torquato Tasso. hæc m.s. asservabat Ioseph Galeanus.

Rime varie in lingua Spagnola.

ARISTOCLES Messanensis Philosophus Peripateticus, ab operibus scriptis celebris. Quo floruerit ævo incertum, Placidus Reina *par.* 1. *hist. Messan. pag.* 204. ex quo fuit Peripateticæ sectæ alumnus, ann. 319. antè Christum natum statuit. circa olymp. 115. De Aristocle scripsere Suidas *tom.* 1. *p.* 429. Fazellus *dec.* 1. *de reb. Sicul. lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 49. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *p.* 18. Gerardus Ioannes Vossius *de hist. Græc. lib.* 3. *p.* 333. qui inter historicos incertæ patriæ collocat, Goltzius *hist. post. Sicil. p.* 85. Leonardus Cozzandus *de magist. antiquor. lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 161. Petrus Angelus Spera *de nobil. profess. Grammatic. lib.* 5. *pag.* 528. aliique. Arezius *de situ Sicil. pag.* 37. & Placidus Samperi *in Iconol. M. V. lib.* 1. *p.* 32. Aristotelem vocant. Scripsit.

De Philosophia libros X. ex Suida, Fazello, Vossio, Goltzio, Lascari cit. Morerio *in dict. tom.* 1. *p.* 331. Gesnero *id Biblioth. pag.* 77. Coronelli *in Biblioth. tom.* 4. *pag.* 735. *n.* 2655. Hinc à vero deflectunt Volaterranus *anthropol. lib.* 13. & Carolus Stephanus *in dict. pag.* 321. qui unum tantum librum de Philosophia scripsisse testantur.

Utrum Homerus præstantior, an Plato? In his omnes Philosopho., eorumque opiniones retulit. ex auctoribus citatis.

Præcepta Rhetorica. ex Suida, Goltzio, Lascari, Volaterrano, Samperio, & Gesnero cit.

De Serapide. ex Suida, Samperio, & Gesnero.

De moribus, sive de morali Philosophia libros IX. ex Suida, Gesnero, & Samperio: sed *libros X.* ex Fazello, Goltzio, & Lascari. An nostri Aristoclis, an alterius sint hæc alia, se nescire fatetur Vossius, nempè

De Paradoxis. ex his aliqua exhibet Stobeus *serm. de vituperatione Veneris.* Alia Aristotelis citat Athenæus, quæ an nostro ascribenda non liquet: ea sunt,

De Republica Lacedemoniorum. Athen. *lib.* 4. *ca.* 8. *p.* 140.

De Choris. lib. 4. *cap.* 23. *p.* 174.

Theodoretus Therapeu *serm.* 8. aliqua ex Aristocle adducit, alia etiam Ælianus *lib.* 11. *de animal. cap.* 4.

ARISTOLOCUS Siculus incertæ patriæ, Poeta Tragicus: temporibus Phalaradis Agrigentini Tyranni, & Stesichori Poetæ vixit: illius, tyrannidis odio, insectator, hujus in poeticis studiis æmulator fuit. At poetica Stesichori monumenta coæquare minimè potuit. Scripsit

Tragœdias quasdam contra Phalaridem. Hinc tyrannus epistolam Aristoloco misit, in qua minacibus verbis Aristoloci arrogantiam exprobavit, dum Stesichoro se æquiparare audebat. Phalaridis epistolam, inter cœteras ejusdem leges. De Aristoloco etiam Laurentius Crassus *in hist. Poet. Græc. p.* 70. & Coronelli *tom.* 4. *n.* 2697. *p.* 745.

ARISTOTELES Siculus Orator, cujus meminit Laertius *lib.* 5. in Aristotelis Stagiritæ Vita: ibi enim dum viros illustres Aristotelis nomine insignitus recenset, quarto loco nostrum Aristotelem collocat. De eo etiam Volaterranus *anthropol. lib.* 13. Lascaris apud Maurolycum *histor. Sicil. lib.* 1. *p.* 21. & alii. Hanc Aristotelem Adria *in topographia Mazariæ*, ex Selinunte Siciliæ Urbe, nunc diruta fuisse ait. Scripsit

Orationem adversus Panegyricum Isocratis, ex Laertio, Adria, Lascari, & Stephano. Ex hac oratione, quo claruerit ævo colligere licet, nempè temporibus Isocratis, qui natus olymp. 86. decessit olymp. 111. teste Photio *in Biblio. cod.* 260. *p.* 1254. Addit Lascari, quòd præter orationem prædictam: *plura composuit.*

De alio ARISTOTELE Panormitano Oratore, ac Phi-

Philosopho egit Philadelphus Mugnòs *in suo Laertio p.* 81. multaque narrat, quę amplectitur Hieronymus Ragusa *in elogiis Siculis p.* 53. *& in Sicilia vet. Biblioth. pag.* 44. At Mugnòs quę literis mandavit ex auctoritate cujusdam Theophili in sua Sicilia, & Gulielmi Duranti in compendio Virorum illustrium apocripha, & tanquam somnia putant eruditi; cùm horum auctorum libri non extent: immò ex his, quę hunc Panormitanum Aristotelem scripsisse refert, clarè patet, cum Aristocle Messanensi, & Aristotele Selinuntino confundisse: ideoque, quę Mugnòs de hoc Aristotele scripsit reiicio: nec deinceps alia, quę de viris illustribus Siculis, eo in opere retulit aspiciam: cùm ejusdem furfuris esse puto. Consule opusculum eruditum oculatissimi viri D. Vincentii Auria inscriptum. *la Verità historica svelata, overo Avvertimenti, e Correttioni al nuovo Laertio di D. Filadelfo Mugnòs.* editum Panormi an. 1702.

ARISTOXENUS Selinuntinus antiquus Poeta, qui ex Ephestione omnium primus anapestico metro usus est, ut ait Gyraldus *de Poet. hist. dial.* 9. *p.*323. additque Epicharmo antiquiorem fuisse, & ex Censorino tum peritiâ, tum eloquentiâ modulati protinus canti claruisse. Floruit ann. 2. olymp. 29. teste Vossio *de Poet. Græc. cap.* 3. *pa.* 14. *&* 15. & Eusebio *in Chron.* De eo etiam idem Vossius *de hist. Latin. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 43. *&* 44. Morerius *de scrip. homonymis cap.* 3. *num.* 13. *pag.* 290. Ionsius apud ipsum, & Morerius *dict. tom.* 1. *pag.* 334. qui advertunt S. Cyrillum *lib.* 1. contra Iulianum hunc Aristoxenum, cum Aristoxeno Philosopho, & musico confundisse, qui olymp. 80. vixit. Vide etiam Scaligerum *poet. lib.* 1. *cap.* 36. *p.*196. & Laur. Crassum *in hist. Poet. Græc. p.* 72. à Coronelli sequutum *in Biblioth. tom.* 4. *p.* 752. *nu.* 2734. qui ait, eodem anapestico versu à se invento multa scripsisse.

ARSENIUS Siculus, Monachus Ordinis S. Basilii in Cœnobio S. Philippi Fragalatis. Claruit antequam Saraceni Siciliam occuparent, nempè annum 827. Carmina græcè panxit. Ipsius extat

In nobilissimũ Christi Martyrem Vitũ carmen, quod latinitate donatũ ab Augustino Florito Soc. Iesu, protulit Octavius Caetanus *tom.* 1. *Sanctor. Siculorum p.*95. de quo etiam idem Caetanus ibidem *in animad. p.*71. *& in animad. ad tom.* 2. *p.*106.

ATHANASIUS BASCO Panormitanus Ordinis Prædicatorum: ante Religionis ingressum politioribus literis operam dedit, in Panormitana Reaccensorum Academia ascriptus. Philosophiam Lectoris munere docuit, & Panormi ætate adhuc florente obiit 9. Augusti 1702. Edidit italicè

La Felicità immortalata in Castelbuono. Panegirico sacro per le Glorie dell' Augustissima Capo di S. Anna. Panormi apud Iosephum Barberam 1691. in 4.

ATHANES, vel ATHANAS Syracusanus historicus, ex Iacobi Bonanni conjecturis *Syracus. illustr. lib.* 2. *p.*304. claruit non longè à Timoleontis, Dionis, & Dionysii secundi temporibus nempè circa olymp. 110. ante Christum natum anno 336. etsi Vossius *de hist. Græcis lib.* 3. *p.*336. inter historicos incertæ ætatis collocet. Scripsit

Historiam Dionis, ejusque res gestas lib. XXXIII. compræhensam ab olymp. 104. *& unico libro historiam septem annorum complexus est, quam Philistus intactam reliquit*, ut scribit Diodorus Siculus *lib.* 15. *n.* 94. Mendosè Bonannus cit. libros XXIII. scripsisse ait: Hojus verò *in hist. an. Mundi* 3589. libros XXVII. Ejus librum primum *de rebus Siculis* citat Athenæus *lib.* 3. *cap.* 20. *pag.* 98. ipsum etiam citat Plutarchus *in Vita Timoleontis.* Octavius Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *Sanctor. Sicul. p.*43 antiquis illustrioribus Siculis accenset. De eo etiam Coronelli *in Biblioth. tom.* 4. *num.* 5376. *p.*1336.

ATTALUS Siculus, ex Columella *de re rustica lib.* 1. *cap.* 1. Scripsit

De re Rustica: ait enim: *Siculi quoque non mediocri cura negotium istud prosecuti sunt. Hieron, & Epicharmus discipulus, Philometor, & Attalus.* Hujus etiam meminit Varro *de re rust. lib.* 1. *cap.* 1. & Coronelli *in Biblioth. tom.* 4. *nu.* 5742. *p.* 1417.

ATTILIUS OPIZINGA nobilis Panormitanus, Musas amavit, quibus Martis studia sociavit: ideoque sæpè in hastiludiis Panormi habitis magna cum pompa, bellicam fortitudinem, infractâ quadam animi constantiâ, usque ad senectutem laudabiliter patefecit. Hinc senex, & ægrotus his in certaminibus aderat semper, & sui laudem apud omnes excitabat, ex Vincentio de Joanne *in Panormo restaurata m. s. lib.* 2. Claruit an. 1584. quo edidit italicè

Della Vita di S. Giosafat convertito da S. Barlaam Eremita, canti cinque, con alcune rime spirituali nel fine. Panormi apud Ioannem Anton. Carraram 1584. in 8.

AVGVSTINUS ARATA Panormitanus, origine Genuensis ex Michaele Iustiniano *de script. Liguris p.* 7. non patria Genuensis ut habet Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico p.* 60. nec Genuensis, & ex diuturna habitatione Panormitanus, ut scripsit Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par.* 4. *p.*17. Natus Panormi ex Jo: Augustino Arata Genuense, Ioannettini Doria S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Panormitani familiare, & Virginia Segni Panormitana, Clericorum Regularium Ordinem ingressus est Panormi, ubi solemnia emisit vota 16. Ianuarii 1628. Gravioribus studiis ingenium addixit, ac Philosophiæ, & Theologiæ tum Scholasticæ, tum Moralis disciplinâ fuit instructus. Ecclesiastes etiam inter eloquentiores eruditione præclarus effulsit. A teneris adhuc annis Musas coluit, quas licèt exindè pretermiserit, ut sæverioribus studiis concederet, attamen ætate maturus iterum Latinis, Etruscis, Siculisque carminibus, vel ad excitandam aliorum pietatem, vel ad exornanda aliorum promerita indulsit. Ad secreta sodalitia regenda sæpius adhibitus, in his singularem prudentiam, morum comitatem, ac religiosarum virtutum splendorem patefecit. Tandem dum Neapoli contagiosa lues grassabatur, ibi fato cessit anno

1656.

1656. Hujusce laudes vide apud citatos auctores. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane sacre. In Musis Siculis par. 4. Panormi apud Joseph Bisagnium 1653. in 12. Scripsit etiam

*Carmina in laudem Vrbani VIII. P.M.*quæ m. ss. asservantur Romę in Bibl.Barberina,ex Iustin.cit.

Carmina alia m. ss. apud Ioannem Vincentium Aratam fratrem Clementis IX. Pont. M. honorarium Cubicularium, & Canonicum Basilicę Vaticanæ ,ex Oldoino cit.

AUGUSTINUS BALDUS Panormitanus cum generis claritate politiora literarum studia copulavit. Musas tum Etruscas, tum Siculas vel ab ipsa infantia familiares habuit. Panormitanæ Reaccensorum Academiæ fuit ascriptus. Obiit Panormi circa annum 1668. Eumdem laudat Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par.2. t. 1. p.1.* ubi editas habes maternâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

AUGUSTINUS BRUNUS Saccensis Ordinis Observantium S. Francisci vir doctrinâ, & morum integritate illustris: virtutibus haud exiguis egregiè excultus claruit. Hierosolymitanam peregrinationem aggressus, ibi Cœnobii sui Custodem egit, Panormum regressus, sanctitatis famâ clarus, ibidem ætate confectus obiit in Cœnobio S. Mariæ Angelorum an. 1623. teste Pirro *not. Eccl. Agrigen. p.337*. De eo etiam Wadignus *in scrip. Minor. p.43*. Edidit italicè

Peregrinaggio di Terra Santa. Panormi apud Io: Bap. Maringum 1622. in 8.

AUGUSTINUS DENTICE Thermitanus Sacerdos, ætate adhuc florente medicæ facultati operam dedit, cujus lauream obtinuit Messanæ. Inde amœnioribus literis ingenium expolivit, cujus aciem solutâ oratione, ac poeticis numeris patefecit: sæpè è suggestu cum laude auditus. Vivit Panormi. In lucem Italicè emisit

Oratione Panegirica per le Glorie di S.Gio.Battista. Messanæ apud Vincentium Amicum 1691. in 4. inde in sequenti volumine recusa.

Parafrasi alle Invettive Evangeliche delle Ferie penitenti, illustrate con encomiastiche dicerie di più Heroi di santità, & alcune ponderationi problematiche del Verbo Incarnato nel doloroso conflitto della sua Passione, acerbamente schernito da' Carnefici, e nelle sacre menze sotto gli Azzimi Eucharistici imbandito per i Fedeli. Venetiis sumptibus Antonii Tivanni 1698. in 4.

Il Sole dall' Orto sino all' Occaso, cioè dalli primi palpiti della Sapienza Incarnata nella rupe di Betlemme sino alle orme estreme, che stampò nel corso di settanta Gradi sù le vette dell' Olieto. Tomo I. e II. Panormi typis Felicis Marini 1704. in 4.

Plura meditatur vir ingenio, eloquentiâ & eruditione eximius.

AUGUSTINVS DONATVS Messanensis Ord. Clericorum Regularium Minorum, vir non minus sanguinis nobilitate, quam doctrinâ, virtutibusque præclarus. Natus an. 1605. magnâ cum laude amœniores literas coluit. In Messanensi Officinæ Academia ascriptus, in ea ingenii præstantiam Etruscâ Poesi patefecit. Religionis domos Panormitanam semel, bis Messanensem,bis etiam & Catanensem Præpositi munere rexit, ac Siculam Provinciam gubernavit. Per annos quatuordecim Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam Messanæ, & Neapoli docuit. A doctrinæ splendore veneratus, Messanensium Præsulum æstimationem promeruit. Obiit tandem Catanæ an. 1659. Hujus meminere Placidus Reina *histor. Messan. p. 2. p.499.* & Stephanus Maurus *in sua Messan. cap.21. p. 203.* Ipsius prodiere Italicè

Poesie. In libro:*stravaganze liriche degli Accademici della Fucina parte terza.* Neapoli apud Sebastianum Alecci 1662.in 12. Scripsit hæc alia,quæ m. ss. asservantur Messanæ in Bibliotheca Clericorum Regularium, nempè

Historias antiquas Vrbis Messanæ,& de Epistola B. Marię Virginis ad Messanenses. ex Reina cit.

Annales Siciliæ, & Messanæ. ex Mauro cit.

Historiam Gallorum Bartholomęi Neocastri, & Nicolai Specialis, multorum Scriptorum testimoniis illustratam.

Monumenta aliqua Clericorum Regularium.

AUGUSTINUS FLORITUS Mazarensis Philosophiæ, & Medicinę Doctor celebris: magnâ doctrinæ, & nominis famâ diu Philosophiam, ac medicinam docuit Mazarię, ubi decessit anno 1590. ex Ab. Roccho Pirro *not. Eccl. Mazar. pag.* 544. qui reliquisse testatur: *m. ss. magnæ autoritatis.* At Octavius Caetanus *in animad. ad tom. 1. SS. Siculor. pag.* 68. Scripsisse ait

Topographiam Mazariæ.

AUGUSTINVS FLORITVS Mazariensis alter à superiore, Soc. Jesu, natus an.1580. ad Societatem accessit an. 1600.Philosophus, ac Theologus fuit doctissimus; gręcisque literis, quas Panormi etiam juniores Societatis docuit, abundè instructus. Obiit in Panormitano Collegio 27. Junii 1613. Hujus meminit Pirrus cit. qui scripsisse testatur

Plures libros Tragœdiarum Græcè, & latinè.

Octavius Caetanus ut multa Sanctorum Siculorum monumenta è græco in latinum verteret curavit, quorum aliqua in suis SS. Siculorum Vitis Panormi editis apud Cyrillos 1657. in fol. extant. In Tomo primo habentur

Antiquæ odes fragmentum ex græco versum in S. Marcianum Episc. Syracusanum S. Josephi Hymnographi. pag. 7. & ex pag. 3.

In S. Pontificem Pancratium Hymnus ex Græcorum menæis à S. Josepho Hymnographo compositus. pag. 15. & ex pag. 9.

Ex homilia sapientissimi, & eloquentissimi Theophanis Ceramei Archiepiscopi Tauromenitani dicta in festo S. Pancratii Fragmentum. pag. 10. ut ex animad. pag 16.

Gregorii humilis Monachi Bizantini ex Monasterio Paguriensi encomium in D. Pancratium. pag. 11. ex animad. pag. 17.

In S.Niconem Martyrem Hymnus S.Josephi Hymnographi. pag. 45. ex animad. pag. 35.

Mar-

Martyrium Sanctæ, magnæque Christi Martyris Agathæ ex m. s. Vaticano græco versum. pag. 47. ex animad. p. 37.

In Virginem & Martirem Aggrippinam Hymnus. pag. 85. ex animad. pag. 64.

Martyrium SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ ex m. s. græco cod. Monasterii S. Salvatoris. p. 91. ex animad. pag. 67.

In Nobilissimum Christi Martyrem Vitum Carmen Arsenii. pag. 95. ex animad. pag. 71.

S. *Luciæ Virginis Martyrium ex m. s. græco codice.* pag 114. & animad. pag. 87.

Depositio corporum SS. MM. Pappiani, & Luciani ex Grecorum Menæis p. 148. ex animad. p. 134.

Hymnus in S. Fantinum ex m. s. græco codice Monasterii S. Philippi Fragalatis. p. 161. ex animad. pag. 139.

Memoria SS. Calogeri, Gregorii, & Demetrii in Cronio Siciliæ, Carmen Sergii. pag. 128. &

De S. Calogero Carmen Sergii Chronistæ pag. 131. ex anima l. pag. 105.

In secundo Tomo extant

Vita S. Leonis Catanensis Episcopi versibus expressa ex m. s. codice Monasterii S. Salvatoris. pag. 22. ex animad. p. 11.

Commemoratio Inventionis SS. Nicandri, Gregorii, Petri, Demetrii, & Helisabet ex m. s. codice Monasterii S. Salvatoris pag. 37. ex animad. pag. 15.

Vita S. Philareti Monachi, & Martyris ex m. s. codice Monasterii S. Bartholomæi de Virgine in Calabria. pag. 42. & animad, pag. 16.

Vita S. Josephi Hymnographi ex m. s. græco codice Monasterii S. Salvatoris. pag. 43. ex animad. pag. 17.

Petri Humillimi Argivorum Episcopi Epitaphium in B. Athanasium Methones Episcopum ex m. s. codice Monasterii S. Salvatoris. p. 52. & animad. p. 19.

Vita S. Eliæ Junionis scriptore Anonymo Monacho ferè Synchrono, ex m. s. codice græco Monasterii S. Salvatoris pag. 63. ex animad. pag. 23.

Vita S. P. N. Joannis cognomento Theristæ. pag. 107. ex animad. pag. 38.

De S. Philareto Iuniore Nili Monachi sermo. pag. 112. ex animad. pag. 41.

Vita S. Bartholomæi Fundatoris magni monasterii S. Salvatoris à Daniele monacho scripta, & ex græcis codicibus translata. pæg. 136. ex animad. pag. 49.

Vita S. Virginis Marinæ ex m. s. codice Monasterii S. Salvatoris pag. 109. quam transtulisse P. Floritum, ait Hieronymus Ragusa *in elogiis Siculor. p.* 28. *& in Sicil. Bibl. veteri pag.* 26. citans animadversiones Caetani, sed ex iisdem animadversionibus haud patet P. Floritum hanc vitam latinitate donasse.

AUGUSTINUS GERVASIUS Panormitanus Nicolai Gervasii, de quo suo loco, filius, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius. Doctrinâ excultus Panormi vivit. Antidotarium Panormitanum Nicolai Patris recognitum, ac locupletatum, recudere curavit, hoc adiecto titulo.

Gervasius Redivivus, seu Nicolai Gervasii Antidotarium Panormitanum Galeno Chimicum omnium medicaminum, quæ Panormi parantur venalia, selectiorumque arcanorum, ex quibuscumque Pharmacologis, chimiatris, & clarissimis inter recentiores practicis depromptorum accessione locupletatum, nec non pluris notis illustratum ab Augustino Gervasio &c. Panormi apud Michaelē Constantium 1700. in 4.

AUGUSTINUS Inveges Saccensis Sacerdos, natus an 1595. à pueritia magna cum ingenii laude humanioribus literis operam dedit, & ineunte ætate gravioribus disciplinis fuit insigniter instructus. Philosophiam, ac Theologiam, non sine plausu docuit in Societate Iesu, in qua aliquando vixit. At ex ea egressus, in Sanctorum Patrum, & historicorum lectione totus fuit. Hinc eruditissimâ supellectili mentem locupletavit; his enim studiis reliquum vitæ cursum indefesso labore devovit in refertissima D. Francisci Sclafani Panormitani Sacerdotis Bibliotheca, è qua innumera monumenta ad Siculam historiam latè extruendam, aliaque sacræ, profanæq. historiæ volumina concinnanda, sedulâ curâ delegit. Eâ animi contentione omnium librorum angulos pervoluit, ut meritò à multis librorum helluo voracissimus appellaretur. Doctrinæ morum integritatem addidit; adeo ut non minus eruditione, quàm virtute clarus à doctis viris magnâ fuerit æstimatione prosequutus. Panormi ubi diu vixit, obiit octogenarius mense Aprilis 1677. & in Ecclesia S. Ignatii Congregationis Oratorii sepultus est. Hujus cum laude meminere Philippus Labbè *in Biblioth. Nummaria pag.* 1. & Joannes Fiore *in epist. ad lectorem Calabriæ Illustr.* §. 4. *& lib.* 4. *cap.* 3. §. 6. *pag.* 370. Edidit.

Historiam Sacram Paradisi Terestris, & SS. Innocentiæ statu. Panormi ex typographia Petri de Isola 1651. in 4. Italicè

Palermo Antico Parte Prima degli Annali della felice Città di Palermo Prima Sedia, Corona del Re, e Capo del Regno di Sicilia. Ibid. apud eumdem 1649. in fol.

Palermo Sacro. Parte Seconda degli Annali della felice Città di Palermo. Ibid. apud eumdem 1650. in fol.

Palermo Nobile. Parte Terza degli Annali della felice Città di Palermo. Ibid. apud eumdem 1651. in fol.

La Cartagine Siciliana. Historia della Città di Caccamo. Ibid. apud Josephum Bisagni 1651. in 4. Hujusce historiæ librum tertium m. s. diu servavit P. Joannes Maria Amatus Panormitanus Soc. Jesu, nunc verò dum hæc excuduntur, est sub prælo Panormi. Scripsit, etiam

Annales Regni Siciliæ Tomo IV. in fol. quos in historia Panormitana pluries citat.

Ideam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. hanc citat *tom.* 2. *annal. Panorm. pag.* 512.

Ideam Regularis Ecclesiæ. ibid. *pag.* 481.

Ideam Clericalis Ecclesiæ. ex eodem *tomo pag.* 600. & 563. 542.

Idea monialis Ecclesię. Ibid. *p.* 543.

Chronologia Pontificia. Ibid. pag. 299.

Chronologia Regia post Christum. Ibid. *pag.* 617. Italicè verò

Paler-

Palermo Austriaco parte quarta degl'Annali di Palermo. in fol.

Sicilia Titolata, & armata di Cavalieri. *ex tom. 3. annal. Panor. pag.* 164.

Dichiaratione delle Medaglie di Sicilia di Filippo Paruta. ex Carthagine Sicul. pag. 37.

Dichiaratione Historica de' quattro passii, che si cátano nella Settimana Santa. ex tom. 1. Annal. Panor. pag. 409.

AVGVSTINVS LAVAGGI Mazarensis Iuris utriusque Doctor celebris, inter primæ notæ causarum Patronos commendatus claruit. Ejus doctrina promeriti honores probavere, fuit etenim Curiæ Montisregalis, & Prætorii Panormitani Iudex. Ter etiam Iudicem in Magnæ Regiæ Curiæ subselliis egit, ejusdem Tribunalis Fisci Patronum, Regiumque Consiliarium. Magnâ æstimatione veneratus, vivere desiit Panormi 2. Septembris 1620. & in Ecclesia Collegii Soc. Iesu sepulturæ traditus est. Ejus laudes habes apud Pirrum *not. Eccl. Mazar. p.* 544. & Jo. Antonius de Castillo *decis. lib.* 1. *decis.* 72. *pag.* 409. Edidit

Allegationes pro D. Francisco Caffari contra Magnificum Procuratorem Regii Fisci. Panormi 1610. in fol.

Responsum pro Dominis hæredibus D. Francisci Lucchini contra insignem Civitatem Messanæ in fol. sine anno, & loco.

Consilium. In selectis consiliis à Petro Luna editis. Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol. Reliquit etiam *Allegationum quamplurima volumina*.

AUGUSTINUS LEONDELICATUS Saccensis Ordinis Observantium S. Francisci, vir eruditione, & doctrinâ clarus, Sacræ Theologiæ lector, ut dicunt, Jubilatus, ac Mazarensis Provinciæ Definitor. Obiit Panormi 6. Maii 1660. Edidit italicè

La Pazzia delli Savii, e la Saviezza de' Pazzi del Mondo, discorsi. Panormi apud Petrum de Isola 1660. in 4.

AUGUSTINUS DE LAVRENTIO Panormitanus Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor. Ab adolescentia egregias ingenii dotes detexit literis addictus. Philosophiam à Josepho Requesenio Panormitano Soc. Iesu accepit, medicam verò facultatem à Iosepho Petronillo celebri medico, ac earumdem obtinuit lauream Messanæ. A doctrina meritò commendatus, quam in Panormitana Medicorum Academia pluries patefecit, nõnullis exhibitis medicinæ lucubrationibus omnium approbatione, ac plausu exceptis. Hinc à præstantioribus primæ notæ viris summoperè veneratus inclaruit: ideoque sæpè Marcus Antonius Alaimus medicus insignis laborum suorum adjutorem voluit, & Petronillus laudatus Panormi in Regia Arce, cui præerat Archiater, vices suas demandavit. Amœniores etiam coluit literas, & in Reaccensorum Academia Panormitana Latiis, & Etruscis numeris cum laude cecinit. In ipso ætatis flore obiit Panormi 14. Septembris 1661, & in Ecclesia S. Nicolai Tertii Ordin. S. Francisci sepelitur. Quæ edidit sunt.

Disceptationum Medicarum Decas prima, quas huc usque in nova, nobili, & salutari Panormitana Academia habuit Augustinus de Laurentio &c. Panormi apud Cyrillos 1652. in 4.

Panormus deliciarum Hortus à Medicina tamquam à pervigili Dracone custoditur. Oratio in anniversaria novæ, nobilis, & salutaris Academiæ Panormitanæ solemnitate sub Senatus Illustrissimi auspiciis habita Kal. Augusti 1650. Ibid. apud eosdem 1652. in 4.

AVGVSTINVS MARTIVS Mazarensis Iurisconsultus doctrinæ excellentiâ clarissimus, celebris causarum Patronus. An. 1567. Syndacum Messanæ egit, & ann. 1569. Siciliæ Prothonotarium. In Magnæ Regię Curiæ, & Tribunalis Concistorii foro pluries præfuit Iudex. Fuit etiã Regii Patrimonii à Rationibus Magister, Regiusque Consiliarius. Obiit Panormi primo Octobris 1574. In Ecclesia S. Mariæ Angelorum Ordinis Observantium S. Francisci jacet, ubi in sacello S. Antonii Patavini, marmoreum ejus sepulchrum videbatur, quod ut elegantiori formâ exornaretur, exinde fuit amotum: in eoq: legebatur hoc epitaphium.

Augustino Martio, & Hieronymo ejus filio Jurisperitiâ, omnique virtute viris eximiis, quorum alter summis honoribus in fori judiciis præfunctus, libens è vita discedere; Alter jam amplissimos juvenis admodùm consequutus, memorabili Pontis ruina hominum expectationi violenter visus est eripi; uterque verò sui desiderium bonis omnibus reliquit maximum. Portia Belguardo Jaucasci, & Celidonia Marino, Zaffuti Dominæ Sorores Patri, & Fratri benemerentibus mæstissimæ posuerunt.

Obiit Augustinus Kal. Octob. An. sal. M.D.LXXIV. ætatis suæ XLIX. Hieronymus IIXX. Kal. Januarii M. D. XC. annum agens undetrigesimum.

Tanti viri cum laude meminere Rocchus Gãbacurta *in Foro Christiano p.* 118. & 350. & Pirrus *not. Eccl. Mazar. p.* 544. Hujus extat

Consilium. in selectis Consiliis à Petro Luna collectis, & editis Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol.

Reliquit etiam ex Pirro *plurima volumina Allegationum, & Consiliorum*; inter alia memorantur

Allegationes pro Domina Catharina Cardona contra Ducem Bisbonæ, ex Mario Muta tom. 1. Capit. Regni Sicil. in proem. nu. 23. & tom. 2. cap. 116. n. 9. & to. 3 cap. 7. n. 103.

Allegationes pro N. Gigliazzo contra N. Marciano. ex eodem to. 4. cap. 101. n. 71.

Allegationes pro Aloysio Risaliti contra Joannem Vincentium, & Antonium de Marchesio. Idem *in Consuet. Panorm. cap. 4. p.* 65.

Allegationes pro D. Jacobo de Balsamo contra Magnificum Procuratorem Regii Fisci. Idem ibid. *cap.* 9. *num.* 17. *pag.* 95. ubi egregium Doctorem vocat.

B. AVGVSTINVS NOVELLVS Panormitanus ex nobilissima Familia de Thermes (quæ antiquis temporibus Panormi effloruit) ortus; generis claritatem sanctimoniæ lumine splendidiorem reddidit. Pro hujusce patria contendunt nonnulli. Alii

Alii ex Therano dixerunt, inter quos omnium primus B. Jordanus de Saxonia *in lib. de Vitis Fratrum lib.2. c.4.5.7.& 13.* Hieronymus Romanus *in Chron. Ord. S. Augustini cent. 9. an.*1288. *p.* 55.*& alibi*; Thomas Herrera *in Alphabeto August. pag. 6.* qui addit Senensem etiam dictum: Cæsar Eugenius *in Neapoli sacra p.* 383. Alii ex Iterano, ut Henricus Gran *in magno speculo exemplor. ann.* 1480.*p.* 484. *exempl. 67.* Matthæus Raderus *in Virid. Sanctor. p.* 531. qui sequuti sunt Philippum Bergomensem *in supplem. Chron. an.*1303. Ex Turano putavit Ambrosius Coriolanus *in Chron.* Alii Interannensem voluere ex Marco Guazzo *in Chron. p.*254. Dominico Barrile *in supplemen. Chron. lib.* 13. *pag.* 288. Ex Jerano scribunt Abr. Bzovius *an. to.* 14. *an.* 1308. *p.* 118. Alii ex Interamna Vmbriæ urbe, quam opinionem repellit Angelus Rocca *in Chronist. Sacrarii Apostol. pag.* 128. *& in paralip.* eos reiicit, qui de Theramo Vmbrię urbe dixerunt. Alii Senensem opinantur: hi sunt Marcus Antonius Vianius, & Paulus Voisius *in August. Theatr.* qui minùs rectè, ut advertit Caetanus *in animad. ad tom. 2. Sanctor. Siculor. p.*80. Vincentius Auria *in Annot. ad Vitam B. August. Novelli p.* 42, & Vincentius Solito *in histor. Therm. tom. 2. par. 4. cap.5. p.* 43. duos Augustinos Novellos admittunt, unum Siculum, Senensem alterum: unus enim fuit Augustinus Novellus, idemque Siculus, qui Senis obiit ann. 1310. ubi quiescit. Nicolaus Toppius *in Biblioth. Neapol. p.* 5. Sphalmatibus suis aliorum errores corrigere putans, ut more suo, exteros ad se nolentes attraheret, ex Theramo Samnii urbe putat. Allati auctores ignorantes familiæ cognomen de Thermes, vocabuli similitudine decepti, ex Therano, Iterano, Ierano, Turano, Interamna, sive Iteramna, Vmbriæ urbe dixere, ut cum Auria cit. *p.* 40. puto: quòd haud obscurè deducitur ex Sancto Martino *in histor. S. August.* gallicè scripta, *p.*367. qui *de Therano Siculum* vocat. Phil. Bergomensis cit. *de Iteranno Siculum*, Laurentius Epolus *in Bullar. Ord. S. August. p.*395. *de Theramo Siculum*. Quòd Iteramnæ non fuerit ortus, liquet ex Ludovico Iacobello, qui ut observat Auria cit. *p.*42. in suis de Sanctis, & Beatis Vmbriæ libris, Augustinum prætermisit: nec in Bibliotheca Vmbriæ ipsius Iacobelli ego inveni. At Siculum fuisse præter auctores supra allatos affirmant Volaterranus *anthropol. lib.* 21. Cherub. Gerarduccius *in hist. Bononiæ lib.*13, *p.* 445. Nonnulli Siculum in Civitate Thermarum ortum putant, ita Angelus Rocca *in Chronist. cit. pag.* 56. 60. *&* 127. Ambros. Landucci *in sylva Ilicetana p.* 89. qui ex aliorum sententia Panormitanum fuisse retulit, & Caetanus *in animad. ad to. 2. Sanctor. Sicul. p.*79. Iacobus lo Cascio *in Vita*, & Vincentius Solitus *in hist. Therm. to. 2. par.* 5. ideoque Thermitani ex hac opinione excitati, inter suos relatum Augustinum ab anno circiter 1610. præcipuo honore recolunt. Alii cum Augustinum de Therma, vel de Thermes dixissent, ex familia de Thermes intellexisse puto. Henricus Spondanus *ann. tom.* 1. *an.*1306. *p.* 358. *de Therma* dixit: Philippus Bergomensis *in supplemen. cit.* ut à nonnullis citatur *de Therma* scripsit: at ego in latina editione ann. 1492. Venetiis *pag.* 206. *de Iterâno* lego: Rocchus Pirrus *in ind. tom. 2. Sicil. sacræ v. Siculi Generales*, B. Augustinum Novellum *de Thermes* vocavit: Andreas Gelsomini *in Thesaur. Cœlesti p.*243. ait: *Matthæo da Termene*: Raymundus Capisucchius *in Vita B. Ioannis Chigii*, scripsit: *Augustinus de Thermis*: hi enim Thermitanum rectius dixissent, si ea in urbe natum credidissent B. Augustinum, non de Thermes. At Panormi ortum ex familia de Thermes multi testantur, nempè Bernardus Riera Drepanitanus, qui claruit circa annum 1560. in vita edita Panormi 1664. è Codice m. s. Bibliothecæ Collegii Panormitani Soc. Iesu extracta, & à Vincentio Auria annotationibus illustrata, qui eamdem opinionem tuetur *in Chronolog. Proregum Sicil. p.*295. Petrus Cannizzarius *in m.s. de Relig. Panormi p.*772. Franciscus Carrera *in Panth. Siculo p.* 127. Victorius Constans *in libro Cigno moribundo p.*141. Hilarion Perdicarus *in epist. ad lectorem Vitæ S. Joannis de Deo.* Aloysius Torellus *in secul. August. tom.*5. *pag.* 311. Ioseph Castelluccius *in diar. Panorm. p.* 63. Petrus Antonius Tornamira *in Prosap. D. Rosaliæ disc.* 2. *cap.*10. *p.*212. & Vincentius Coronelli *in Bibliot. tom.*2. *n.*1613. *pag.*292. Nec nova hæc opinio ab anno 1664. ut suspicatur aliquis; Ambrosius enim Landuccius in Sylva cit. edita Senis anno 1653. *p.*89. ait; *aliqui volunt Augustinum habuisse Civitatem Panormi patriam ex gente Terminorum asserentes ibidem extare palatium ejusdem familiæ.* Iacobus lo Cascio Thermitanus *in epist. nuncup. Vitæ B. Augustini*, innuit nonnullos ex familia de Thermes putasse. Quotquot verò vel effloruere hujusce familiæ Proceres, ac extant, constanter ex proavorum traditione tenuere, Augustinum Familiæ de Thermes sanguine progenitum. Non me latet Fràcisců Alibrandum ementito nomine Bernardlui Asfalci, in libro *Termine rimessa in stato*, pro Thermitanis pugnasse: at operis hujus judicium habes apud Ioann. Pettum Iacobum Villanum, sive Angelicum Aprosium Vigintimillium in libro *Visiera alzata nu.* 38. *pag.* 51. & severiorem censuram in eumdem edidere Siculæ Inquisitionis Indices, qui publico edicto dato Panormi 24. Augusti 1665. prohibuere. Vincentius Solitus etiam inani rationum apparatu, hanc Thermitarum opinionem defendere conatur, sed contra utrosque auctores apologeticum opusculum scripsit Auria supralaudatus numeris omnibus absolutum, quo Panormitanorum causam propugnat. Ideoque optimo jure Panormus suum Civem Augustinum agnoscit, & inter urbis Patronos relatum veneratur. Natus ideoque Panormi, & Matthæus de Thermes vocatus, in ipso ætatis flore Bononiæ Jurisprudentiæ operam dedit, & ob ingenii prestantiam celeberrimus Doctor evasit: ibique aliquandiu jura Civilia, ac Pontificia magnâ doctrinæ laude, famâque docuit. Sacrâ etiam Theologiæ scientiâ instructissimus claruit. Inde in aula Manfredi Siciliæ Regis à Consiliis, & secretis fuit, ac amplissimis honoribus, & præmii

miis cumulatus, magnâ valuit auctoritate, omnibusq; gratissimus floruit. Inter aulæ vitia singularem morum candorem, modestiam, & virginalem pudicitiam servavit. Magnæ Regiæ Curiæ Iudex electus, ac Magistri Iustitiarii munere insignitus, integerrimæ justitiæ jura custodivit. Ipsius ædes fuere Panormi, ubi hodie Monasterium monialium S. Claræ assurgit, ut ex vetusta inscriptione in ipsa Ecclesiæ fronte patet, in qua inter alia legitur

Hic quondam damnare reos Thermita Matthæus Asper erat; servabat enim pia jura Magistri Justitiæ.

Sed temporis vicibus immutatis, cùm apud Beneventum Carolus Andegavensis Manfredo Regi unà cum vita, Siculi Regni Coronam eripuisset: noster Matthæus eo in conflictu gravi affectus vulnere, fugâ vitæ consuluit. Panormi verò dum latebat in læthalem morbum delapsus, sæculi ludibria sanctè perpendit, & ut soli Deo viveret Religionem vovit, si convalere contingeret. Sanitati restitutus, statim Ordinis S. Augustini habitum divinitus suscepit, & Matthęi nomen in Augustinum commutavit. Religionis institutum aggressus in virtutibus adipiscendis totus fuit, præsertim humilitatis studiosissimus. Generis splendorem, ac doctrinam occultare proposuit, Laici statum professus, ad viliora Cœnobii sese dimisit, ut illiteratum, vilemque homuncium crederent. Lachrymas frequentabat, flagellis, ciliciisque corpus domabat, aliisque virtutibus animam exornabat, & oratione divini amoris incendia fovebat. Artioris, & solitariæ vitæ studio incensus, ad Senensem Ordinis sui asceterium D. Barbaræ dicatum, se transtulit; ibique fratribus penitus ignotus, cœlestem duxit vitam, vilioribus ministeriis addictus. Inde ad Rosiæ Cœnobium translatus, Augustini promerita hac oblata occasione Dominus patefecit; cùm enim adversus Cœnobium litem intentasset Iacobus Pagliaresius, qui insimul cum B. Augustino Bononiæ jura civilia didicerat,&Cœnobio magni prædii amissionem immineret; Augustinus cùm Fratrum jura notabiliter læsa animadvertisset, clam domus œconomum adiit, petiitque ut sibi scribendi copiam daret. Petitionem cum risu excepit œconomus, ratus Augustinum legendi, scribendique inscium: sed dedit tandem. Hinc Beatus vir Fratrum rationes breviter, ac doctissimè exaravit, ac Iacobo legendas misit. Cùm autem Augustini cartulam percurrisset Iacobus, doctrinam demiratus, exclamavit: diabolus, vel Angelus, vel dominus Matthæus de Thermes, cum quo Bononiæ studui, hanc condidit scripturam. Cùm autem licèt vili indutum habitu vidisset, ac cognovisset, omnibus ejus doctrinæ, ac nobilitatis splendorem aperuit, ac ultrò litem Cœnobio adjudicavit. Hinc cognitâ tanti viri præstantiâ Clemens de Auximo Ordinis Generalis in sociũ sibi delegit,& licèt invitum, ordinibus initiatum, Romam secum deduxit. Ibi Constitutionum Ordinis reformationem ipsi demandavit, quibus multa addidit utilia, superflua detraxit. Romæ à confessionibus Nicolai IV. Cœlestini V. & Bonifacii VIII. Sacrarii Apostolici Præfectus primus ex suo ordine assumptus est, quod munus è nostri Augustini tempore apud Ordinis S. Augustini Fratres constanter perseveravit. Inter honorum culmina virtutes coluit egregias: & cùm in omnium oculis prælucerct, omnium venerationem promeruit, Hinc à vitæ sanctimonia, & doctrina celebratum, cum magno Ecclesiæ Doctore Augustino conferebant, & Augustinum Novellum prædicabant. An. 1298. in totius Ordinis comitiis Mediolani coactis, licèt absens, & invitus, ejusdem Ordinis Generalis electus est, quem charitate, zelo, ac prudentiâ laudabiliter rexit. Exacto biennio cùm ardentiùs ad solitudinem anhelaret Neapoli comitia convocavit; ibique muneris onus spontè deposuit, frustra obsistentibus fratribus, ac Carolo Neapolis Rege. At licèt Bonifacius VIII. ad Romanam aulam Augustinum revocare tentaret, attamen ad oratorium S. Leonardi juxta Senas statim convolavit, ut solitariæ vitæ instituta resumeret: ibique cœlestem produxit vitam. Ad ægrotorum, ac Peregrinorum levamen novum Clericorum Ordinem Senis instituit, quem S. Mariæ de Scala vocant, & Bonifacii prædicti confirmationem obtinuit. Tandem propinquam mortem sibi ab Angelo prænunciatam, Fratribus patefaciens, meritis, ac miraculis clarus in Domino sanctè obdormivit 19. Maii an. 1310. aliis 1309. Cadaver ad Cœnobium S. Augustini in urbe Senarum translatum, ibi marmoreo clausum sepulchro veneratur, in quo legitur. *Hic jacet Corpus B. Augustini Novelli Ordinis Eremitarum.* Ejus festum ibidem solemni celebratur pompâ die secunda Pentecostes, & alibi. Hujus vitæ gesta apud relatos auctores, & apud Philippum Elssium *in Encomiast. August. p.* 94. *&* 100. Ambrosium Coram *in Catalog. Beator. Ord. S. August.* & alios, præsertim Augustini Ordinis Scriptores. Edidit B. Augustinus

Constitutiones Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. Romæ 1581. in 4. & alibi pluries. Has insimul cum Clemente Auximo castigasse, & illis multa addidisse nostrum Augustinum narrant B. Iordanus de Saxonia *in Vitis Fratrum l.* 2. *c.* 14. S. Antoninus *in Chron. par.* 3. *tit.* 24. Landuccius cit. aliique. At Hieronymus Seripandus S.R.E. Cardinalis *in Chron. Ord. S. August. nu.* 13. de B. Augustino ait: *Hic bonas, & utiles Constitutiones edidit.*

AVGVSTINVS PAPASIDERA Panormitanus Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis, natus an. 1616. emenso studiorum curriculo, Congregationẽ amplexus est 4. Novẽbris 1638. In ea non sine doctrinæ laude Philosophiam, ac Theologiam docuit. Anno 1656. Decani titulo insignitus est, & pluries Priorem egit. Nonagenarius morum integritate clarus vivit Panormi. Laudatur à Io: Evangelista à Panormo *in Anagramm. p.* 110. Edidit italicè Vitam D. Faræ, ita inscriptam.

S. Fara di Borgogna, o vero Burgundofora Vergine Taumaturga Abbadessa dell' Ordine del gran Padre San

Sto Benedetto. Panormi apud Petrum de Isola 1662. in 8. In compendium redegit Petrus Fortis, ediditque apud eumdem 1663. in 16.

L' Amorosa corrispondenza tra Christo Sacramentato, ed il gran Patriarca S. Benedetto, e suoi figli, questi segnalandosi nella riverenza, e quello nella beneficēza. Ibidem apud Felicem Marinū 1699. in 8. Prælo paratas habet *Conciones varias*.

AVGVSTINVS RVBEVS Panormitanus Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, in omnibus ferè scientiis eruditus, præsertim Philosophiâ, ac Theologiâ scientissimus. Ne dum in Sicilia, verùm etiam in Italia, doctrinâ claruit; in publicis disputationibus admirabilis. Obiit Panormi in Cœnobio S. Citæ 20. Januarii 1647. Reliquit opus subtilitate insigni refertum, præloque dignum

De Prædestinatione, aliasque Theologicas lucubrationes. m. ss.

AVGVSTINVS SCILLA Messanensis Philosophus Doctus, Poeta, & Pictor egregius. Fuit ipsi ingenium singulare, quod studio, ac eruditione elegantiorem reddidit. Doctrinâ excultus Literatis gratissimus floruit, qui ejus ædes frequentare consuevere. Penicilli sui labores per Italiam, & alibi non sine desiderio à viris Principibus sunt expetiti. In numismatum, aliarumque antiquitatum studiis versatissimus, Dynastarum, Præsulum, & eruditorum amicitiam sibi comparavit. In Messanensi Officinæ Academia adscriptus inclaruit; & Romæ, ubi vitæ prostremum traduxit, in Pictorum Lyceo exceptus, illius Academiæ Princeps fuit. Senectute demum confectus, obiit Romæ 31. Maii 1700. ut ex relatione humanissimi, ac eruditissimi viri Nicolai Antonii Sclavi Messanensis Protopapæ accepi. Ipsum laudat Philippus Bonannus *in nemismat. Pontificum* & Sylvius Bocconus *in Museo Plantar. dec.* 12. *pag.* 159. *& in Musæo Physic. pag.* 180. *&* 213. Edidit italicè

La vana speculazione disingannata dal senso: Lettera risponsiva circa i corpi marini, che petrificati si ritrovano in varii luoghi terrestri. Neapoli apud Andream Colicchia 1670. in 4. Prælo parabat opus eruditum, *de numismatibus, & antiquitatibus*, quod senectute gravatus, haud absolvere potuit.

AVGVSTINVS SPINOVS Alcamensis Societatis Iesu, natus 17. Aprilis 1621. Societatem amplexus est an. 1641. in qua quatuor votorum professionem edidit. Non sine ingenii laude, & egregio morum candore humanas literas, & Rhetoricam quinquennio docuit. Dum autem multa de se promittebat, vivere desiit Panormi 4. Octobris 1662. Hujus meminit Biblioth. *Script. Soc. Iesu pag.* 97. Edidit

Quæstiones Philosophicas ad logicam spectantes. Panormi apud Stephanum Bisagnū 1661. in fol.

AVGVSTINVS TORANVS Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis natus an. 1613. Florente adhuc ætate Deo se dicavit 5. Octobris 1629. In gravioribus disciplinis Philosophiæ, & Theologiæ adipiscendis summam ingenii aciem patefecit, Amœniores literas enixè dilexit, in primis Musarum studia; hinc multa Latine, Italicè, ac Siculâ linguâ cecinit magna cum laude: ideoque ejus imaginem ære insculptam edidere nonnulli, dum annum 24. ageret. Plura ab egregio viro expectabantur, quæ mors acerba dissolvit. Obiit in Cœnobio Gangis an. 1638. Ipsum laudat Ioseph Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 31. Vernaculâ linguâ scripsit.

Canzoni Siciliane. Extant in Musis Siculis *tom.* 1. *par.* 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnum 1662. in 12. Italicè verò

Poesie, quę justo volumine digestæ servabantur à P. D. Mauro Marchesio Panormitano Cassinense, qui edere easdem meditabat: sed Venetiis morti proximus Honorio Dominico Caramella etiam Panormitano tradidit, ut typis daret: at ob Honorii mortem ineditæ periere. In Bibliotheca Monasterii S. Martini de Scalis juxta Panormum, aliqua ejus poetica monumenta m. ss. servantur.

AVRELIVS BOTTICELLA Panormitanus, ex Accensorum Academia, vir politioribus literis, precipuè poesi ornatus. Vixit propè annum 1571. Ejus meminere Vincentius de Joanne *in Panormo Triumph. lib.* 12. *pag.* 125. Hujus extant italicè

Rime. in libro: *Rime dell' Accademia degli Accesi di Palermo*. Panormi apud Matthæum Maidam 1571. in 8.

AVRELIVS PVRPVRA Panormitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Oliveto, vir ingenio, & eloquentiâ conspicuus. In præcipuis Italiæ civitatibus conciones habuit, nempè Florentiæ, Senis, Lucæ, Taranti, Lyciæ, Volaterræ, Aretii, & alibi, semper cum animarum fructu, & plausu auditus. Politioribus literis abundè instructus excelluit, & in amæniorum literarum Academiis ascriptus, ex ingenii monumentis versu, prosâque concinnatis, ac singulari eruditione, magnam sibi laudem comparavit. In gravioribus Philosophiæ, & Theologiæ studiis, ac in mathematicis, & precipuè astronomicis disciplinis egregias ingenii dotes detexit. In Sacræ Scripturæ Literis versatissimus claruit, quas sodalibus suis doctissimè explanavit. Scientiis, ac morum comitate insignis; Dynastis Præsulibus, ac Siciliæ Moderatoribus fuit gratissimus. Bernardi Inghirami Episcopi Volaterranensis à consiliis fuit electus. Apud Joannetinum Doriam S. R. E. Cardinalem, & Archiepiscopum Panormitanum prudentiâ, & consilio valuit. Cùm præesset Abbatis dignitate Monasterio S. Spiritus Panormi, ibidem decessit propè annum 1645. Celebrant tantum virum Franciscus Baronius *in Panorm. Gloriosa lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 50. *& in Epist.* nuncupatoria libri inscripti. *Historico Acveduto*, ipsi dicato, & Antoninus Tantillus *in Eremita Oretea*. Edidit italicè

Orazione delle lodi di S. Rosalia Vergine Palermitana detta in Lucca. Aggiuntovi due Hinni Sacri, che contengono l' Inventione, ed il Trionfo della Santa

miis cumulatus, magnâ valuit auctoritate, omnibusq; gratissimus floruit. Inter aulæ vitia singularem morum candorem, modestiam, & virginalem pudicitiam servavit. Magnæ Regiæ Curiæ Iudex electus, ac Magistri Iustitiarii munere insignitus, integerrimæ justitiæ jura custodivit. Ipsius ædes fuere Panormi, ubi hodie Monasterium monialium S. Claræ assurgit, ut ex vetusta inscriptione in ipsa Ecclesiæ fronte patet, in qua inter alia legitur

Hic quondam damnare reos Thermita Matthæus Asper erat; servabat enim pia jura Magistri Justitiæ.

Sed temporis vicibus immutatis, cùm apud Beneventum Carolus Andegavensis Manfredo Regi unà cum vita, Siculi Regni Coronam eripuisset: noster Matthæus eo in conflictu gravi affectus vulnere, fugâ vitæ consuluit. Panormi verò dum latebat in læthalem morbum delapsus, sæculi ludibria sanctè perpendit, & ut soli Deo viveret Religionem vovit, si convalere contingeret. Sanitati restitutus, statim Ordinis S. Augustini habitum divinitus suscepit, & Matthęi nomen in Augustinum commutavit. Religionis institutum aggressus in virtutibus adipiscendis totus fuit, præsertim humilitatis studiosissimus. Generis splendorem, ac doctrinam occultare proposuit, Laici statum professus, ad viliora Cœnobii sese dimisit, ut illiteratum, vilemque homuncium crederent. Lachrymas frequentabat, flagellis, ciliciisque corpus domabat, aliisque virtutibus animam exornabat, & oratione divini amoris incendia fovebat. Artioris, & solitariæ vitæ studio incensus, ad Senensem Ordinis sui asceterium D. Barbaræ dicatum, se transtulit; ibique fratribus penitus ignotus, cœlestem duxit vitam, vilioribus ministeriis addictus. Inde ad Rosiæ Cœnobium translatus, Augustini promerita hac oblata occasione Dominus patefecit; cùm enim adversus Cœnobium litem intentasset Iacobus Pagliaresius, qui insimul cum B. Augustino Bononiæ jura civilia didicerat, & Cœnobio magni prædii amissionem imminerent; Augustinus cùm Fratrum jura notabiliter læsa animadvertisset, clam domus œconomum adiit, petiitque ut sibi scribendi copiam daret. Petitionem cum risu excepit œconomus, ratus Augustinum legendi, scribendique inscium: sed dedit tandem. Hinc Beatus vir Fratrum rationes breviter, ac doctissimè exaravit, ac Iacobo legendas misit. Cùm autem Augustini cartulam percurrisset Iacobus, doctrinam demiratus, exclamavit: diabolus, vel Angelus, vel dominus Matthæus de Thermes, cum quo Bononiæ studui, hanc condidit scripturam. Cùm autem licèt vili indutum habitu vidisset, ac cognovisset, omnibus ejus doctrinæ, ac nobilitatis splendorem aperuit, ac ultrò litem Cœnobio adjudicavit. Hinc cognitâ tanti viri præstantiâ Clemens de Auximo Ordinis Generalis in sociū sibi delegit, & licèt invitum, ordinibus initiatum, Romam secum deduxit. Ibi Constitutionum Ordinis reformationem ipsi demandavit, quibus multa addidit utilia, superflua detraxit. Romæ à confessionibus Nicolai IV. Cœlestini V. & Bonifacii VIII. Sacrarii Apostolici Præfectus primus ex suo ordine assumptus est, quod munus è nostri Augustini tempore apud Ordinis S. Augustini Fratres constanter perseveravit. Inter honorum culmina virtutes coluit egregias: & cùm in omnium oculis præluceret, omnium venerationem promeruit, Hinc à vitæ sanctimonia, & doctrina celebratum, cum magno Ecclesiæ Doctore Augustino conferebant, & Augustinum Novellum prædicabant. An. 1298. in totius Ordinis comitiis Mediolani coactis, licèt absens, & invitus, ejusdem Ordinis Generalis electus est, quem charitate, zelo, ac prudentiâ laudabiliter rexit. Exacto biennio cùm ardentiùs ad solitudinem anhelaret Neapoli comitia convocavit; ibique muneris onus spontè deposuit, frustra obsistentibus fratribus, ac Carolo Neapolis Rege. At licèt Bonifacius VIII. ad Romanam aulam Augustinum revocare tentaret, attamen ad oratorium S. Leonardi juxta Senas statim convolavit, ut solitariæ vitæ instituta resumeret: ibique cœlestem produxit vitam. Ad ægrotorum, ac Peregrinorum levamen novum Clericorum Ordinem Senis instituit, quem S. Mariæ de Scala vocant, & Bonifacii prædicti confirmationem obtinuit. Tandem propinquam mortem sibi ab Angelo prænunciatam, Fratribus patefaciens, meritis, ac miraculis clarus in Domino sanctè obdormivit 19. Maii an. 1310. aliis 1309. Cadaver ad Cœnobium S. Augustini in urbe Senarum translatum, ibi marmoreo clausum sepulchro veneratur, in quo legitur. *Hic jacet Corpus B. Augustini Novelli Ordinis Eremitarum.* Ejus festum ibidem solemni celebratur pompâ die secunda Pentecostes, & alibi. Hujus vitæ gesta apud relatos auctores, & apud Philippum Elssium *in Encomiast. August. p.* 94. *&* 100. Ambrosium Coram *in Catalog. Beator. Ord. S. August.* & alios, præsertim Augustini Ordinis Scriptores. Edidit B. Augustinus

Constitutiones Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. Romæ 1581. in 4. & alibi pluries. Has insimul cum Clemente Auximo castigasse, & illis multa addidisse nostrum Augustinum narrant B. Iordanus de Saxonia *in Vitis Fratrum l.* 2. *c.* 14. S. Antoninus *in Chron. par.* 3. *tit.* 24. Landuccius cit. aliique. At Hieronymus Seripandus S.R.E. Cardinalis *in Chron. Ord. S. August. nu.* 13. de B. Augustino ait: *Hic bonas, & utiles Constitutiones edidit.*

AVGVSTINVS PAPASIDERA Panormitanus Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis, natus an. 1616. emenso studiorum curriculo, Congregationē amplexus est 4. Novēbris 1638. In ea non sine doctrinæ laude Philosophiam, ac Theologiam docuit. Anno 1656. Decani titulo insignitus est, & pluries Priorem egit. Nonagenarius morum integritate clarus vivit Panormi. Laudatur à Io: Evangelista à Panormo *in Anagramm. p.* 110. Edidit italicè Vitam D. Faræ, ita inscriptam.

S. Fara di Borgogna, o vero Burgundofora Vergine Taumaturga Abbadessa dell' Ordine del gran Padre San

San Benedetto. Panormi apud Petrum de Isola 1662. in 8. In compendium redegit Petrus Fortis, ediditque apud eumdem 1663. in 16.

L' Amorosa corrispondenza tra Christo Sacramentato, ed il gran Patriarca S. Benedetto, e suoi figli, questi segnalandosi nella riverenza, e quello nella beneficēza. Ibidem apud Felicem Marinū 1699. in 8. Prælo paratas habet *Conciones varias.*

AVGVSTINVS RVBEVS Panormitanus Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, in omnibus ferè scientiis eruditus, præsertim Philosophiâ, ac Theologiâ scientissimus. Ne dum in Sicilia, verùm etiam in Italia, doctrinâ claruit; in publicis disputationibus admirabilis. Obiit Panormi in Cœnobio S. Citæ 20. Januarii 1647. Reliquit opus subtilitate insigni refertum, præloque dignum

De Prædestinatione, aliasque Theologicas lucubrationes. m. ss.

AVGVSTINVS SCILLA Messanensis Philosophus Doctus, Poeta, & Pictor egregius. Fuit ipsi ingenium singulare, quod studio, ac eruditione elegantiorem reddidit. Doctrinâ excultus Literatis gratissimus floruit, qui ejus ædes frequentare consuevere. Penicilli sui labores per Italiam, & alibi non sine desiderio à viris Principibus sunt expetiti. In numismatum, aliarumque antiquitatum studiis versatissimus, Dynastarum, Præsulum, & eruditorum amicitiam sibi comparavit. In Messanensi Officinæ Academia adscriptus inclaruit; & Romæ, ubi vitæ postremum traduxit, in Pictorum Lyceo exceptus, illius Academiæ Princeps fuit. Senectute demum confectus, obiit Romæ 31. Maii 1700. ut ex relatione humanissimi, ac eruditissimi viri Nicolai Antonii Sclavi Messanensis Protopapæ accepi. Ipsum laudat Philippus Bonannus *in memismat. Pontificum* & Sylvius Bocconus *in Museo Plantar. dec.* 12. *pag.* 159. *& in Musæo Physic. pag.* 180. *&* 213. Edidit italicè

La vana speculazione disingannata dal senso: Lettera risponsiva circa i corpi marini, che petrificati si ritrovano in varii luoghi terrestri. Neapoli apud Andream Colicchia 1670. in 4. Prælo parabat opus eruditum, *de numismatibus, & antiquitatibus*; quod senectute gravatus, haud absolvere potuit.

AVGVSTINVS SPINOVS Alcamensis Societatis Iesu, natus 17. Aprilis 1621. Societatem amplexus est an. 1641. in qua quatuor votorum professionem edidit. Non sine ingenii laude, & egregio morum candore humanas literas, & Rhetoricam quinquennio docuit. Dum autem multa de se promittebat, vivere desiit Panormi 4. Octobris 1662. Hujus meminit Biblioth. *Script. Soc. Jesu pag.* 97. Edidit

Quæstiones Philosophicas ad logicam spectantes. Panormi apud Stephanum Bisagnū 1661. in fol.

AVGVSTINVS TORANVS Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis natus an. 1613. Florente adhuc ætate Deo se dicavit 5. Octobris 1629. In gravioribus disciplinis Philosophiæ, & Theologiæ adipiscendis summam ingenii aciem patefecit. Amœniores literas enixè dilexit, in primis Musarum studia: hinc multa Latinè, Italicè, ac Siculâ linguâ cecinit magna cum laude: ideoque ejus imaginem ære insculptam edidere nonnulli, dum annum 24. ageret. Plura ab egregio viro expectabantur, quæ mors acerba dissolvit. Obiit in Cœnobio Gangis an. 1638. Ipsum laudat Ioseph Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 31. Vernaculâ linguâ scripsit.

Canzoni Siciliane. Extant in Musis Siculis *tom.* 1. *par.* 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnum 1662. in 12. Italicè verò

Poesie, quæ justo volumine digestæ servabantur à P. D. Mauro Marchesio Panormitano Cassinense, qui edere easdem meditabat: sed Venetiis morti proximus Honorio Dominico Caramella etiam Panormitano tradidit, ut typis daret: at ob Honorii mortem ineditæ periere. In Bibliotheca Monasterii S. Martini de Scalis juxta Panormum, aliqua ejus poetica monumenta m. ss. servantur.

AVRELIVS BOTTICELLA Panormitanus, ex Accensorum Academia, vir politioribus literis, precipuè poesi ornatus. Vixit propè annum 1571. Ejus meminere Vincentius de Joanne *in Panormo Triumph. lib.* 12. *pag.* 125. Hujus extant italicè

Rime. in libro: *Rime dell' Accademia degli Accesi di Palermo.* Panormi apud Matthæum Maidam 1571. in 8.

AVRELIVS PVRPVRA Panormitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Oliveto, vir ingenio, & eloquentiâ conspicuus. In præcipuis Italiæ civitatibus conciones habuit, nempè Florentiæ, Senis, Lucæ, Taranti, Lyciæ, Volaterræ, Aretii, & alibi, semper cum animarum fructu, & plausu auditus. Politioribus literis abundè instructus excelluit, & in amæniorum literarum Academiis ascriptus, ex ingenii monumentis versu, prosâque concinnatis, ac singulari eruditione, magnam sibi laudem comparavit. In gravioribus Philosophiæ, & Theologiæ studiis, ac in mathematicis, & precipuè astronomicis disciplinis egregias ingenii dotes detexit. In Sacræ Scripturæ Literis versatissimus claruit, quas sodalibus suis doctissimè explanavit. Scientiis, ac morum comitate insignis; Dynastis Præsulibus, ac Siciliæ Moderatoribus fuit gratissimus. Bernardi Inghirami Episcopi Volaterranensis à consiliis fuit electus. Apud Joannetinum Doriam S. R. E. Cardinalem, & Archiepiscopum Panormitanum prudentiâ, & consilio valuit. Cùm præesset Abbatis dignitate Monasterio S. Spiritus Panormi, ibidem decessit propè annum 1645. Celebrant tantum virum Franciscus Baronius *in Panorm. Gloriosa lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 50. *& in Epist.* nuncupatoria libri inscripti. *Historico Acueduto*, ipsi dicato, & Antoninus Tantillus *in Eremita Oretea.* Edidit italicè

Orazione delle lodi di S. Rosalia Vergine Palermitana detta in Lucca. Aggiuntovi due Hinni Sacri, che contengono l' Inventione, ed il Trionfo della San-

ta stessa. Senis apud Emilium Bonettum 1629. in 4. in hujus calce extat etrusca carmina in D. Rosaliæ laudem. Scripserat etiam ex Baronio cit. *in histor. pag.* 5. volumen egregium, cui nomen

Opus Filomariæ.

AVRELIVS RISALITI Panormitanus Ordinis Prædicatorum, vir pietate, doctrinâ, & eloquẽtiâ conspicuus. Lectoris munere functus, ingenii præstantiam detexit. In declamationibus ad populum apostolico zelo æstuavit; & in promovenda SS. Rosarii devotione, ferventissimus fuit. Viro sanè egregio venerationem conciliarunt morum elegantia, ac virtutum documenta, quibus ornatus effulsit. Vivebat an. 1619. Ad pietatem fovendam edidit

Preces dicendas in universali, vel particulari supplicatione quadraginta horarum, in quatuor deprecationes distinctas pro statu spirituali, temporali, Animarum, & Beatorum. Panormi apud Io. Anton. de Franciscis 1615. in 4. Italicè verò


Horologio del Sepolcro di Christo, dove si contiene un divotissimo modo di visitare li Santi Sepolcri il Giovedì, e Venerdì Santo, e di fare le Quarant' hore. Ibidem apud Jo: Bapt. Maringum 1602. in 4. Neapoli apud Jo: Bap. Garganum 1609. in 12. & Panormi apud Joannem Rossellum 1638. in 8.

Hora contemplativa d'un' Anima, che fà un interno colloquio con il SS. Sacramento, mentre sta sopra l' Altare, ove si fanno le Quarant' hore. Panormi apud Io: Ant. de Franciscis 1619. in 12.

Regole del Terz'Ordine delle Sorelle di S. Domenico. Ibid. apud eumdem 1610. in 12.

AUSONIUS NOCTINOT. v. Antonius Cotonius.

B



BALTHASSAR ABRUZZUS in Oppido Castriboni natus 25. Februarii 1601. cùm magno animi ardore literarum studiis ingenium addixisset, Philosophiæ & Theologiæ lauream obtinuit. Mox Jurisprudentiæ operam dedit, & emeritam lauream adeptus, doctrinâ mirificè claruit. In Marchionis Hieracii oppidis, ejusque amplissima dictione Judicem egit. Postquam Cæsareo, Pontificioque juri per annos tresdecim adhæsisset; ecclesiasticam militiam amplexus est, & Sacerdotio insignitus Romam se contulit; ibique causarum patrocinium suscepit non sine doctrinæ laude; & in Pontificii juris Academia fuit adscriptus. Ob egregiam doctrinam Papiæ Vicarius Generalis electus, dignitatem renuit. Messanæ sub Archiepiscopi Blasii Proti regimine Curiæ Archiepiscopalis primùm Fisci Patronus, inde Assessor fuit. Ab Archiepiscopo Rhegino Gaspare Criales accersitus, ut Diœcesim suam Visitatoris munere lustraret, oneri, & honori spontè oblato nuncium remisit. Obiit tandem Castriboni 4. Aprilis 1665. & in Ecclesia S. Mariæ de Succursu sepelitur. Hujus meminit Vinc. Coronelli *in Biblioth. tom. 1. nu.* 2943. Quæ edidit sunt.

Interpretatio ad Pragmaticam unicam de modo procedendi summariè, & de plano, sola facti veritate inspecta. Panormi apud Alphonsum Isolam 1638. in 4.

Commentaria duo ad Cap. 62. Majestatis Ferdinandi Hispaniarum, & Siciliæ Cath. Regis. Opus diu, diligenterque elaboratum, octo supra ducentum servitii personalis privilegiis exornatum: in quo nonnulla Pontificia, & statuaria jura, maximè Caroli V. Cap. 85. miro modo enucleantur, & enodantur. Ibid. apud Decium Cyrillum 1647. in 4.

Lectura Practicabilis ad Titulum Institutionum; quibus alienare licet, vel non; & ad l. 1. ff. de offic. ejus cui mand. &c. Ibid. apud Alphonsum Isolam 1644. in fol.

Practicæ Juris Quæstiones. Opus bipartitum. Prima Pars de Alienationibus ad Titulum Institutionum, quibus alienare licet &c. Præcipuè de Dotibus, & Minorum obligationibus. Ibid. typis Petri Isola 1663. in fol.

Practicæ Juris Quæstiones. Pars Secunda, de Jurisdictione. Ibid. apud eumdem 1663. in fol.

De Sanctorum Angelorum custodia. Ibidem apud eumdem 1651. in 4.

Opusculum hoc in Sanct. Angelorum obsequium edidit, quorum amore flagravit. Apud hæredes m. ss. reliquit lucubrationes

De Monarchia Regni Siciliæ.

De Primatu Pontificis Romani, ejusque Sedis dignitate non transferenda.

BALTHASSAR BONONIA nobilis Panormitanus Bernardini filius, vir non minus generis splendore, quàm pietate clarus. Ab obitis in patria muneribus, ac literarum præstantia conspicuus; doctrinâ, eruditione, & poesi excelluit. Patriam pluries Senator rexit, nummulariam Tabulam, ac Montem Pietatis Gubernatoris munere rexit; aliisque muniis insignitus effulsit; præsertim à cæremoniis Senatus Panormitani electus. Anno 1602. Panormitanæ Urbis nomine ad Ducem Feriæ Siciliæ Proregem Panormum adventantem Orator missus, tum apud ipsum, tum apud alios Siciliæ Moderatores, à literis, morumque integritate laudatus, æstimationem promeruit. Pietatem in pauperes, ac Religiosos viros præsertim Clericos Regulares Infirmis Ministrantes coluit: his etenim, ut Panormi domum firma-

firmarent auxilio fuit. Orationem Quadraginta horarum Panormi ut institueretur, curavit, quæ adhuc magnâ populi frequentiâ, ac pompâ ibidem celebratur, & in alias Siciliæ, & Italiæ Urbes diffusa est. Hinc virtutum exemplo omnium amorem assequutus, obiit Panormi 19. Decembris 1625. & in Ecclesia S. Nymphæ Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, in sacello, quod à fundamentis excitaverat, sepelitur. Iisq; Patribus majorem supellectilis suæ partem, Bibliothecam, ac triginta millia aurea reliquit. De eo Dominicus Regi *in hist. eorumdem Clericorum Regularium lib.9. cap.4. p.235.* Edidit italicè

Descrittione della Casa, e Famiglia de' Bologni. Messanæ apud Petrum Bream 1605. in 4. & Panormi apud Ioan: Antonium de Franciscis 1606. in 4.

Conforto de' Giustiziandi à morte per quei trè di che stanno nella Cappella de' Bianchi. Panormi apud eumdem 1599. in 8. & iterum 1610. in 8.

Fiori, e Meditationi del Rosario di Maria Vergine da contemplarlo ogni Pater Nostro, & ogni Ave Maria, raccolti dalle scritture sacre, e formati in ottava rima. Ibid. apud eumdem 1617. in 8.

Ceremoniale dell' Illustriss. Senato di Palermo. m.s. in 4. servatur in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu, & apud Illustriss. Senatum Panormitanum.

Del Titolo di Barone, Conte, & altri Titoli della Sicilia. m. s. hoc opus citat August. Inveges *in Carthagine Sicula p.94. & 115.*

BALTHASSAR CULTRANA vel CVTRANA Politiensis Ordin. Minorum Conventualium S.Fräcisci, Theologus, ac Cöcionator egregius. Siculæ Provinciæ præfuisse an. 1570. scribit Pirrus *not. Eccl. Cephal. p.479.* quod negat Philippus Cagliola *in manif. Prov. Sicul. Minor. Conv. explor. 3. manif. 2. p.102.* Dum Catanæ in cinerali jejunio conciones habebat magnâ cum nominis gloriâ in principe Templo, decessit anno 1624. Edidit

Oratione funerale per la morte del Re Cattolico Filippo III. recitata nella Città di Polizzi à 12. di Luglio 1621. Panormi apud Ioann. Bapt. Maringum 1621. in 4.

Plura Theologica, & concionatoria scripsit, quæ apud suos m. ss. in patrio Cœnobio servantur.

BALTHASSAR FALSAPERLA Panormitanus, natus anno 1636. studiisque addictus, post humaniores literas, Philosophiam in Panormitano Soc. Iesu Collegio accepit: sed naturali propensione illectus, politiores literas, eruditiones, & in primis Latias, & Etruscas coluit Musas. In Reaccensorum Academiæ albo relatus à poeticis monumentis haud vulgares promeruit laudes. Diu ægritudinum molestiis affectus contabuit; & demum fracto ex lapsu crure, inter dolorum angustias Panormi mortalitatem exuit 18. Ianuarii 1704. Edidit italicè

La Francia oppressa. Panegirico per diverse vittorie havute da' Nostri contra Francesi, e l'Eroe d'Austria, Ode Pindarica. Panormi apud Petrum de Isola 1654. in 4. & apud Augustinum Bossium 1662. in 8.

Rime. Ibid. apud August. Bossium 1662. in 8.

La caduta d'Oronte, overo il Politico Ingannato da privato in Persia. Tragedia. Ibid. apud Felicem Marinum 1702. in 4.

BALTHASSAR MAZZARA Siclensis Societatis Iesu, Iosephi Mariæ Mazzara etiam Soc. Iesu frater, natus anno 1636. Societatis Institutum amplexus est 1651. in qua solemne quatuor votorum Sacramentum dixit 15. Augusti 1671. Ingenio, eruditione, & doctrinâ excelluit. Virtute etiam clarus, obiit in Collegio Siclensi 2. Ianuarii 1683. Ipsum laudat Hieronymus Ragusa *in Elog. Sicul. pag.91.* Edidit italicè suppresso nomine

I Grati Ossequii della Conca d'Oro à S. Rosalia Vergine Palermitana nel rinovare l'anno 1664. la festa del suo ritrovamento. Panormi apud Petrum de Isola 1664. in 4.

Multa enim scripsit politiori stylo, quæ m.ss. reliquit.

BALTHASSAR MESSANENSIS Ordinis Observantium S. Francisci, Lector Jubilatus. Gravioribus disciplinis abundè instructus, doctrinâ effulsit. Messanensem Provinciam rexit; meritisq; plenus obiit Messanæ circa annum 1695. In compendium redegit Martyrologium Franciscanum P. Arturi à Monasterio, & hoc titulo in lucem emisit,

Martyrologium Franciscanum, in quo Sancti, Beati, aliique servi Dei, Martyres, Pontifices, Confessores, ac Virgines, qui tum vitæ sanctitate, tum miraculorum gloriâ, in Vniverso Ordine S. P. Francisci toto Orbe terrarum, cunctis usque nunc sæculis claruere: necnon utriusque sexus tam sæcularium, quam Regularium Tertiariorum recensentur. Venetiis typis Iacobi Hertz 1668. in 4.

BALTHASSAR PAGLIA Calathajeronensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci; claro sanguine ortus 7. Maii 1662. à teneris adhuc annis eo animi ardore humanioribus literis animum addixit, & præsertim latinæ poesi, ut passim ab omnibus antonomasticè appellaretur: *il Poeta.* Ideoque in patria annum agens 13. post severiorem poeticæ facultatis examen, omnium Equitum, ac Religiosorum Ordinum confluentium plausu, apollineam coronam, presente Vrbis Senatu, honorificentissimè accepit anno 1675. cùm ea urbs universitatis privilegio frueretur. Absoluto Philosophiæ studio, anno ætatis suæ 15. Minorum Conventualium Ordinem amplexus est 13. Maii 1677. Cùm autem in ipso Religionis tyrocinio ad Philosophiam regrederetur (nam diversas à Scoti doctrina opiniones acceperat) interim condiscipulis, aliisque exteris seorsim Philosophiam explanabat. Adhuc decurrente probationis anno publicas Philosophiæ cöclusiones strenuè propugnavit coram Ordinis sui Generale. Mox ut studiorum curriculum absolveret Catanam missus; paulo post in Calathajeronensi Seminario, exinde in Messanensi Ordinis sui Lyceo Lectoris munere Philosophiam docuit. Anno 1685. Romam accersitus tum à Philosophicis, ac Theologicis scientiis, tùm à carmi-

nibus

ibus extemplò editis singularem promeruit laudem. Bononiæ publicè, & in ejusdem Urbis Seminario graviores docuit disciplinas: privatim etiam Philosophicis, ac Rhetoricis documentis juniores instruxit. Ibidem literatorum amorē sibi conciliavit, à quibus summo fuit honore prosequutus. Ea tempestate cùm Italiam ferè omnem unà cum Marchione Albergati peragrasset, nonnullis in Academiis plura ingenii monumenta exposuit, non sine summa literatorū laude; magnoq; honore Academici Cōcordes Ravennæ an. 1686. inter suorum cœtum excepere. Magistri laureâ Romæ insignitus 3. Maii 1688. inde scholasticam Theologiam Pistorii per anni curriculum; & in Collegio Neapolitano S. Laurentii per annos 13. dogmaticam Theologiam doctissimè docuit: quò in munere per triennium cōfirmatus à novo Ordinis Generali Vincentio Coronelli; mox instituta in eodem Cœnobio Historiæ Ecclesiasticæ Cathedra, ad ipsam Balthassar evectus est. Anno 1691. à Comite S. Stephani Francisco Benavides Neapolitano Prorege, Regioq; Collaterali Consilio publicus Philosophiæ Lector primarius in Regia Neapolis Academia electus, per plures annos philosophicas quæstiones explanavit. Anno 1695. Theologorum Collegio ejusdem lycei cum participatione, ut ajunt, aggregatur: & an. 1697. perpetuus Ordinis sui Definitor electus est. Ab anno ætatis suæ vigesimo secundo, usque ad annum 1702. conciones habuit Neapoli, & alibi in cinerali jejunio, & Adventu non sine laude, & fructu. Academiis nonnullis ascriptus magnâ æstimatione prosequutus est, nā inter Cōcordes Ravennæ, Furiosos Neapolis, Vnitos etiam Neapolis, quos mirificè fovit, ac promovit, Pellegrinos Romæ, Pigros Barii, Incuriosos Rosciani, & inter alios, recensitus effulsit: in his verò, quæ exposuit ingenii monumenta, semper doctiores viri plausibus excepere: floruit enim Neapoli & alibi apud literatos magnâ doctrinæ, & eruditionis opinione. N. Barbarigi S. R. E. Cardinalis Theologus electus, in Collegio Montisfisconis è suggestu conciones, è Cathedra lectiones habuit magnâ cum laude. Romam accersitus, ibi magna æstimatione veneratus inclaruit. At cùm calculi dolore nimiùm urgeretur, Florentiā petere deliberavit, ut ibi ab expertissimo medico incisionem pateretur, & calculo extracto, sanitati restitueretur. Priusquā ab Urbe discederet, ad Clementis XI. pedes provolutus, eidē Paraphrasim Epicham in Homilias Sanctiss. Dom. nitidissimè scriptam obtulit, & ab eo perbenignè exceptus, cū ipso diù familiariter egit; eique jussit, ut absoluta incisione, Romam repeteret, ut sui benevolentiam experiretur: omnium peccatorum indulgentiam ipsi petenti concessit: voluit ut nonnulli commendatitias ipsi literas suo nomine darent: ac paternum ipsius amorem expertus est. Florentiam tenuit primo Octob. 1705. ubi contra ipsius, aliorumque expectationem facta incisione, cum inflammationem supervenisset, post octiduum dolorum, Divinæ voluntati conformis, 4. Novemb. 1705. vitæ cursum consumavit Florentiæ, magno cum literatorum dolore. Egregium virum meritò extollunt Ioannes Franchini *in Bibliosophia Franc. nu.* 50. *p.* 79. Vincentius Coronelli *in arbore Relig. Seraphicæ.* Auctor diarii literatorum Parmæ editi an. 1687. *p.* 198. sed omninò videndus præclarissimus vir Hyacinthus Gimma *in Elogiis Academicis Incuriosorum par.* 2. *elog.* 48. *p.* 225. Quæ edidit hæc sunt.

Paraphrasis Epica in Psalmos, & Cantica, ad Laudes, Vesperas, & Completorium. Bononiæ typis hæredum de Sartis 1687. in 8. cui addictionem appoſuit sub titulo: Paraphrasis vindicata, & iterum prodiit Neapoli.

In XII. Suetonis Cæsares Epigrammata. Neapoli apud Antonium Gramignanum 1693. in 8. Hoc opus italicè expresserat Vitus Antonius Brocardus, quod morte præventus edere non potuit.

Triumphus Amoris in Divini Verbi Incarnatione. Ibid. apud Novellum de Bonis 1696. in 8. Italicum fecit Dominicus Andreas de Milo, & ibid. edidit eodem anno.

Arbor summolistica, quam D. Emmanueli Benavides discipulo, Comitis S. Stephani filio inscripsit, & laudes ex ipsa à Iosepho Saenz Aguirre S. R. E. Cardinale promeruit singulares.

Oratio in funere P. M. Bonaventuræ Durante Ord. Min. Neapoli apud de Bonis 1696. in 4.

Virtutis Regia, Oratio habita in Reg. S. Laurentii Ordinis Minor. Convent. delubro, coram Patres Theologos Almi Collegii Neap. Vniversitatis. Ibid. apud eumdem 1697. in 8.

Epigrammata aliquot in libro *Epigrammatum, aliarumque venustatum Miscellanea Academiæ Concordium Ravennæ.* Bononiæ typis hæredum Benati 1688. in 12.

Italicè verò

Relazione del Mongibello, in libro: *Lettere memorabili, Istoriche, Politiche, ed erudite, scritte, e raccolte da Antonio Bulifon. Raccolta seconda.* Neapoli apud eumdem Bulifon 1697. in 12.

Del Terremoto di Sicilia. In eisdem Epistolis par. 3.

Discorso sopra l'Aminta del Tasso. Ibidem.

Quæ verò in foliis expansis edidit si colligeres, in justum volumen coalescerent. Prælo paravit

Cursum Philosophiæ Naturalis.
Compendium Theologiæ dogmaticæ.
Opuscula Scholastica.
Icon Amoris.
Epigrammata.
Epistolarum librum.
In Homilias Sanctiss. Dom. Nostri Clementis XI. P. O. M. Paraphrasis Epicæ Partem Primam.

Italicè

Prediche.
Quaresimale.
Discorsi Accademici.
Panegirici.
Vita della B. Michelina.

BARNABAS DURANTE Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, morum integritate, doctrinâque Theologica, ac Canonica insignis. Claruit circa annum 1607. Edidit

De

De Præsentatione Curati unicam quæstionem. Panormi apud Erasmum Simeonem 1604. in 8.

Aphorismos scrupulorum. Ibid. apud Io: Bapt. Maringum 1607. in 12.

BAPTISTA BASILIS Panormitanus, vernaculâ linguâ scripsit

La Siringa Idillio. Panormi apud Angelum Orlandum 1613. in 12. Sub nomine Baptistę Basilis, & Jo: Bapt. Basilis nonnulli exinde ingenii monumenta poetica edidere, de quibus suis in locis.

BARBARINUS CONSTANTIVS Siculus musices peritus: in libro, cui titulus: *Infidi lumi Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani*. Panormi apud Jo: Baptistam Maringum 1603. in 4. extant aliqua nostri Barbarini.

BARTHOLOMÆUS ASMUNDUS nobilis Catanensis, siculo idiomate carmina cultissimè cõcinnavit, floruitque ante celeberrimum Antoniũ Venetianum magnâ cum laude. Hunc celebrant Joseph Galeanus *par.* 1. *Musarum Sicul. pag.* 110. & Jo: Bapt. de Grossis *in decacord. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 152. Extant nostri Bartholomæi vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 1. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & apud Josephum Bisagni 1662. in 12.

BARTHOLOMÆUS BONANNUS nobilis Panormitanus generis claritati amœniorum literarum ornamentum addidit. In Panormitana Accẽsorum Academia adscriptus, Musas mirificè coluit. Panormi decessit 8. Februarii 1582. & in Ecclesia S. Francisci Minor. Convent. sepultus est. Antonius Alfanus, Argistrus Ioffredus, Jo: Bap. Macarellus, & Lælius Centurio ipsum laudant in Carmin. Accensorum *lib.* 1. *pag.* 25. 51. 121. & 169. Edidit Italicè

Rime, Panormi apud Hæredes Maidæ, & Joannem Petrum Sartojam 1580. in 8.

Rime, in libro: *Rime dell' Accademia degli Accesi di Palermo*. Panormi apud Io: Matthæum Maidam 1571. in 8. & in libro secundo. Ibidem apud eumdem 1573. in 8.

BARTHOLOMÆUS CASTELLUS Messanensis Sacræ Theologię, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor: vir doctrinâ, & eruditione instructissimus, in Messanensi Academia publicus Medicinę Professor. Claruit anno 1600. Edidit

Brevem & dilucidam ad Logicam Aristotelis introductionem. Messanę ex typographia Petri Brea 1596. in 16.

Totius Artis Medicæ methodo divisiva Compendium, & Synopsis, in qua quidquid ab Hippocrate, Galeno, Avicenna, cæterisque summæ auctoritatis Doctoribus ad eamdem artem scriptum est, mira dexteritate, facilitate, & studio, acervatim contexitur. Ibid. apud eumdem 1597. in 4.

Miscellaneorum partem primam. Tractatus, qui in hac parte continentur, de prædestinatione. de Aeris temperie. de Cœlorum efficientia. de origine Mundi. de principio individuationis. Ibidem apud eumdem 1599. in 4.

Orationem ad Illustrif. Messanensem Senatum habitam Messanæ in nova erectione almi studii Messanensis. Ibidem apud eumdem 1596. in 4.

Lexicon Medicum Greco-latinum. Venetiis apud Nicolaum Polum 1607. in 8. ab Emmanuele Stupano auctum. Ibid. apud Jo: Bapt. Cestari 1626. in 8. Basileę typis Io: Iacobi Genathii 1628. in 8. & alibi. Iterum auctum tertia sui parte, & ab innumeris, quibus scatebat, mendis repurgatum opera Adriani Ravensteinii, ex Hippocratis, Galeni, Avicennæ, atque aliorum celebrium Medicorum monumentis. Roterodami apud Arnaldum Loers 1644. in 8. & ibid. apud eumdem 1651. 1657. 1665. & 1670. in 8. Lugduni 1667. in 8. Norimbergæ apud Danielem Tauberum 1682. in 4. postrema hæc editio ad vera novaque artis medicæ principia accommodata, à plurimis mendis, & vitiosis allegationibus correcta, & innumerabilium penè vocabulorum accessione amplificata est à Jacobo Pancatio Brunone: addita ejusdem Brunonis Mantissa Nomenclaturæ medicæ Hexaglottæ, vocabula latina ordine alphabetico, cum annexis Arabicis, Hæbreis, Græcis, Gallicis, & Italicis proponentis, ex Vandelinden *de scriptis medicis p.* 114. & Actis Eruditorum Lipsiæ an. 1682. *pag.* 401. Tandem vidimus collimatum, & auctum hoc titulo: *Amalthæum Castellanum Brunonianum, sive Lexicon Medicum primùm à Bartholomæo Castello Messinensi inchoatum, ab aliis etiam continuatum, tandem ad vera, novaque artis medicæ principia accommodatum &c. cura, & studio iterato Jacobi Pancratis Brunonis &c. accesserunt novæ editioni eruditissimi viri Joannis Rhodii in Castelli Lexicon perutiles addictiones*. Patavii sumptibus Jacobi Cadonivis 1699. in 4.

BARTHOLOMÆUS COMANDUS ex Civitate Castrinovi Ord. Min. Conventualium S. Francisci, Doctissimus Sacræ Theologiæ Magister. Philosophiam, ac Theologiam docuit summa cum ingenii laude: & ob egregiam doctrinã magnâ æstimatione Romæ prosequutus effulsit. Siculę Provinciæ fuit perpetuus Definitor: à Clemente X. Pont. Max. ad munus perpetui Parochi in Basilica Romana SS. duodecim Apostolorum promotus est: & in eadem Basilica publicus Sacrorum Canonum Lector, sui venerationem excitavit. Laurentii Brancati Laureæ S.R.E. Cardinalis familiarissimus, eique gratissimus fuit. Diem clausit extremum Romæ 3. Maii 1699. Edidit

Vitam F. Laurentii Brancati ex ordine Minorum Conventualium Tit. SS. Duodecim Apostolorũ S.R.E. Presbyteri Cardinalis Bibliothecarii de Laurea. Romę typis hæredum Corbelletti 1698. in 4.

BARTHOLOMÆVS COPPOLINO ex Vrbe Castriregalis, Sacerdos doctissimus, Sacræ Theologiæ Doctor, ac variæ eruditionis ornamento abbundè refertus. Cùm in Regis Catholici aulã se contulisset, perpensis viri egregii promeritis, an. 1602. Abbas S. Nicolai de Fico in Sicilia eligitur, cujus jura multoties strenuè propugnavit. Obiit Romæ 13. Aprilis 1612. De eo Abbas Pirrus *de Abbatiis pag.* 135. qui testatur Romę edidisse eruditissimum libellum, quem ego non vidi.

BARTHOLOMÆVS CORBERA nobilis Panormi-

normitanus è Catalunensium Procerum clarissimo genere originem traxit, patre Calcerano à Regiis Rationibus Magistro, Panormi Pretore, & anno 1448. Siciliæ Moderatore, unà cum Adamo Asmundo, Petro Speciale, & Joanne Abbatello (ex Vincentio Auria *in hist.Chronol. Proreg. Siciliæ pag.* 13. non an. 1450.& 1451. ut ait Phil. Mugnos *tom.* 1. *Theatri Geneolog. pag.* 304.) Panormi lucis usuram accepit: & patris vestigia sequutus, in rebus agendis eximiam sui dexteritatem laudabiliter patefecit. Hinc anno 1472. amplissimo Pretoris munere Panormum rexit, ut ex tabulis Senatus Panormitani, & Panormitanorum Prætorum Catalogo liquidò patet, apud Auriam cit. *pag.*259. non ab an.1470. ad annum 1473. ut habet Mugnòs *loc. cit.* Literis præclarè excultus Musas amavit, & tum italicâ, tum vernaculâ linguâ nonnulla protulit ingenii monumenta. At omnia temporis injuriâ periere: solummodo apud Marium Aretium *in observationibus linguæ Siculæ pag.* 9. extat quædam ejus *Cantiuncula*, cujus inventionem Petrus Bembus, vir à literarum gloria celeberrimus, in quadam alia non injucundè æmulatus est, quam *in Assolonum lib.*1. legimus, ut post Aretium observat Auria laudatus *in Sicilia Inventrice cap.*9. §.5. *p.*34.

BARTHOLOMÆUS CREMONA Mazarensis vir egregius, ob virtutum, & literarum promerita Canonicus Mazarensis Ecclesiæ, & Episcopi Mazarensis Vicarius Generalis. At contemptis honoribus, Ordinem S. Mariæ de Monte Carmelo amplexus est, in eoque ita doctrinâ profecit, ut doctissimus evaserit, & Sacræ Theologiæ lauream acceperit, Magistri titulo insignitus. Regulari obsevantiâ virtutum splendores assequutus, tamquam absolutissimæ perfectionis exemplar omnibus præfulsit. Relicto tandem sanctitatis odore ad Cœlum evolavit anno 1546. ætatis suæ an. 70. Ipsum laudant Abb.Pirrus *not.Eccl.Mazar. pag.* 538. & 543. Jo: Jacobus Adria *in topographia Mazar.* Joseph Maria Fornari *in anno memor. Carmel.t.*2.*p.*729.& Daniel à Virgine Maria *in specul. Car. melit. tom.* 2. *par.* 5. *lib.*4. *sect.*2. *n.* 3421. *pag.* 975. Scripsit

Compotum Ecclesiasticum. de Indictione. de Aureo Numero. de Litera Dominicali. de Anno bisestili. de Festis mobilibus. de inveniendo Paschate hinc ad mille annos.

BARTHOLOMÆUS CUCEJUS Messanensis Clericus Regularis, solemnia emisit vota 24. Augusti 1616. Pietatem impensè coluit: eruditione instructus, aliquando poetica amœnitate ingenii illustravit. Dum sodalitium Deiparæ Virginis Neapoli in Vico Æquensi moderabatur, hortationibus, ac calamo sodalium animos in Virginis obsequium mirum in modum inflammavit. Claruit an. 1648. De eo vide Josephum Silos *histor. Cler. Regul. par.*3. *lib.* 12. *p.* 547. Placidum Reinam *in not.hist.Messanæ par.*2.*p.* 507.& Hippolytum Maraccium *in Biblioth.Mariana par.*2.*p.*455. Edidit libellum

De institutione Servorum Deiparæ Virginis. Neapoli

BARTHOLOMÆUS MESSANENSIS Ord.Minimorum S. Francisci de Paula. In gravioribus disciplinis, presertim Mathematicis, ac Theologicis versatissimus, æstimationem non vulgarē sibi cōparavit. De eo honorificè Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *c.* 4.*p.* 154. & Franciscus Lanovius *in Chronic. Minimorum p.* 591. qui edidisse ait: *Varia de rebus mathematicis.*

BARTHOLOMÆUM DE MESSANA Siculum inveni apud Tiraquellum *de nobilitate cap.* 31. *p.* 263. in Catalogo Medicorum; alium certò à supra laudato: an verò aliquid ediderit, incertum.

BARTHOLOMÆUS DE NEOCASTRO Messanensis, Juris civilis professor: Messanæ Judex, ac Regni Siciliæ Fisci Patronus. Vir nedum Jurisprudentiâ, quàm poesi, ac historicâ laude clarus. A Jacobo Aragonensi Siciliæ Rege an.1286. Romam missus est, unà cum Giliberto Castelletio Equite Catalano, Orator ad Honorium IV. Pontif. Max. ut absolutionem à Censuris, quibus Sicilia subjecerat ob Gallorum cladem in Vespere Siculo patratam, obtineret; & obedientiam Pontificiæ Sedi juraret: attamen Bartholomæi preces surdis auribus excepit Pontifex, ut tradunt Surita *in indice rerum Aragon. lib.*2. *an.*1286. *pa.*192. & *in annal. Aragon. lib.*4. *cap.*81. *pag.*306. Pirrus *in Chronol. Regum p.*63. Maurolycus *hist. Sicil. lib.* 4. *p.*135. Bonfilius *hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 8. *p.* 292. Petrus Ansalonus *in sua familia p.* 331. & Auria *in hist. Chronol. Proreg. Sicil. p.*237. Bartholomæi meminit etiam Vossius *de hist. latin. par.* 2. *lib.* 3. *p.* 697. qui inter incertæ ætatis historicos collocat: at suspicatur temporibus Rudulphi Imper. vixisse circa annum 1277. sed vitam ultra annum 1286. protraxisse, ex dictis indubium est: immò usque ad annum 1294. vixisse ex historia ab ipso scripta liquidò patet. Scripsit librum cui titulus

Poeticum opus, sive Messana XV. libris Hexametris versibus compositum, de rebus gestis Siculorum post Gallorum cladem, quod edere cogitabat Hieronymus Surita, ut ipse ait in epistola nuncupatoria Historiæ Gaufridi Malaterra ad Antonium Augustinum. Id ipsum in votis habebat Antonius Amicus, ut legere est in indice operum, quæ in lucem emittere cogitabat, in calce dissertationis suæ *de Syracusanæ Ecclesiæ Archiepiscopatu pag.* 63. erutum ex m. s. Codice in membranis Augustini Morales Regni Aragonum Fisci Patroni. Aliquot operis hujus fragmenta extant Panormi in Bibliotheca D. Vincentii la Farina Marchionis Madoniæ. Ipsius meminit Carolus Dufresne *in indice Auctorum ad Glossarium mediæ, & infimæ latinitatis tom.*1. *p.*87. Opus hoc iterum soluta oratione composuit in commodum filii, cui titulum præfixit:

Historia sui temporis à morte Friderici II. Imper. & Siciliæ Regis ann. 1250. *usque ad annum* 1294. quam edere cupiebat idem Antonius Amicus *loc. cit.* ex Codice m. s. antiquo in charta bombycina, qui repertus fuit in arcula plumbea sub altari majori veteris Ecclesiæ S. Salvatoris Linguæ Phari propè Messanam. Extat nunc authographū

m. s.

m. s. apud præclarissimum virum Joannem Mariam Amatum Panormitanum Soc. Jesu, antiquis characteribus exaratum. Aliud exemplar hujusce historiæ vidi apud Antonium Marchesium Jurisconsultum Panormitanum. Alterius Codicis meminit Petrus Carrera *in mem. hist. Catanæ vol. 2. p.* 553. quod servabat Scipio Henricus Messanensis. Hanc vero historiam citant Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par. 2. p.* 115. Carolus Morabitus *in annal. Eccl. Messan. p.* 180. Placidus Samperius *in Iconol. M. V. p.* 51. 55. 319. 383. *&* 384. Vincentius Auria *in discur. de Pratore*, & *Senatu Panormitano, Chronologiæ Proreg. Sicil. subjuncto p.* 236. *&* 237. Franciscus Strata *in Glor. Aquilæ Triumph. p.* 560. *&* 561. Melchior Inchofer *de Epist. B. M. V. ad Messan. cap.* 54. *p.* 345. & alibi, Albertus Picciolus *in Philactirio*, P. Amatus supra laudatus *in not. ad orat. 1. nu.* 99. *p.* 104. P. Benedictus Chiarellus *in lib. Memorie Sacre di Messina pag.* 109. *&* 273. aliique.

BARTHOLOMÆUS PETRACCIUS Messanensis Soc. Jesu, natus ann. 1561. ad Societatem accessit anno 1577. Sacris, prophanisque literis instructissimus, concionatoris munere functus est: ab eloquentia, eruditione, & animarum zelo præclarus. In vitiis objurgandis apostolica prorsus libertate usus, concionibus suis uberem animarum lucrum Cœlo acquisivit. Moribus suavissimis, ac festiva libertate dotatus, innumeros dulciter ad Deum attraxit. Mos ipsi fuit, ut ubi cinerales haberet conciones, diebus Sabbathi (quibus à laboribus concionatores alii vacare solent) Urbis Patronum panegyrica oratione laudaret, ut populorū animos ad ejus venerationem accederet: quòd cùm Lupiis præstaret an. 1605. in D. Irenes honore, alta indignatione infremuit humani generis hostis, ac magnam excitavit tempestatem, quam in majorem Sanctæ Tutelaris gloriam redundavit. Virtutes coluit eximias; & virginalem puritatem illibatam servavit. Dum Neapoli in Siciliam remare disponebat, ibi ultimum clausit diem 22. Maii 1622. De eo *Bibliot. Soc. Iesu p.* 107. Placidus Samperius *in Iconol. M. V. lib. 2. p.* 224. Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par. 2. p.* 507. Ioannes Nadasi *in anno dier. memor. 22. Maii p.* 279. Phil. Labbè *in Pinachoteca script. Soc. Iesu p.* 342. & Melchior Incofer *de epist. B. M. V. ad Messanenses cap.* 48. *pag.* 298. *&* 299. Edidit

Carmen in D. Agatham V. & Mart. Messanæ ex offic. Petri Brea per Laurentium Vallam 1605. in 4. suppresso nomine.

Carmen in Sanctissimam D. Luciæ V. & M. Syracusanæ costulam. Ibid. apud eumdem 1605. in 4. Italicè

Vita del B. Francesco Xaverio raccolta da diversi autori. Messanæ apud Petrum Bream 1605. in 4. Extat *& Hymnus in B. Mariæ Virginis Epistolam ad Messanenses*, apud Alexandrum Calamatum in explicatione Hymnorum, & Reinam citat. *pag.* 508. *de Epistola Sacratissima Deiparæ manu ad Messanenses scripta concio habita in æde Cathedrali ipso die Epistolæ sacro* apud Incoferum cit. *p.* 300. *& seq.* sed latinitate donatum ab Incofero; Petraccius enim hanc concionem italicè habuit anno 1614. Reliquit italicè m. ss.

Vita di S. Ignatio Lojola spiegata in diversi sermoni.

BARTHOLOMÆUS PISA Messanensis Doctor Academicus Officinæ Messanensis, in amœnioribus Musarum, & eloquentiæ studiis versatus. Vivebat anno 1670. Edidit italicè

La Lettera provata, o sia ristretto degli Argomenti, che provano la B. Vergine vivendo fra mortali havere da Gerusalemme scritto la sacra Lettera. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1670. in 4.

Raggionamento fatto nell' Accademia della Fucina celebrandosi in essa la festa della sacra Lettera nell' anno 1669. in libro; *Prose degli Accademici della Fucina, libro secondo.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo.* Ibid. apud eumdem 1670. In 4.

BARTHOLOMÆUS RAGUSIUS Mazarensis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Siculæ Provinciæ decus, omnium scientiarum splendoribus, usque ad admirationem clarus, præsertim Sacræ Theologiæ Magister doctissimus. In concionando celebris, eruditione insignis, laborisq; patientissimus fuit. Nonnulla præclarè obita munera singularem ejus dexteritatem detexere; nam in Sicilia præfuit Provincialis an. 1573. Vicarias gessit partes Antonii Lombardi Episcopi Mazarensis; & Pii V. Pont. Max. jussu Visitatorem Generalem egit Agrigentinæ Diœcesis. Cùm autem Ioanni Baptistæ Rubeo Carmelitici Ordinis Generali egregias Bartholomæi dotes innotuissent, socium sibi delegit in perlustrandis Provinciis Hispaniarum, Lusitaniæ, & Galitiæ. Hieronymus item Tostatus celeberrimus Carmelita Hispanus, & variarum Provinciarum Visitator, Socium, & in laboribus comitem ipsum voluit. Exinde Visitatoris Generalis munere functus est in Provinciis Neapolis, Etruriæ, Lombardiæ, Venetianum, Romandiolæ, & Calabriæ. In Sicilia decennium Reformatoris, & Provincialis munus exercuit. Ob eximias virtutes, quibus præfulsit Philippo II. Catholico Regi gratissimus fuit: Demum Romam contendit, ut in totius Ordinis Comitiis adesset pro eligendo totius Religionis Moderatore, ad quem honoris gradum ipse, & memoratus Tostatus proprius accedere videbantur: at eodem ferè tēpore Tostatus Neapoli, noster verò Bartholomæus Romæ decessit anno 1581. ætatis 57. non sine veneni suspicione. In ejus laudem ornatissimum Epitaphium concinnavit M. Filocalus Faraldus Neapolitanus. De eo multa habent Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 538. Joseph M. Fornari *in anno memor. Carmelitar. tom. 2. pag.* 729. Daniel à Virgine Maria *in Speculo Carmel. tom. 2. par. 5. lib. 4. sert. 2. n.* 3421. *pag.* 975. & Petrus Lucius Belga *in Biblioth. Carmel. pag.* 16. *&* 17. qui tradit: *Plurima conscripsit pietatis, & eruditionis plena opuscula, quorum tamen titulos, & nomina percipere non potui.*

BARTHOLOMÆUS RUBEUS ex Oppido Piraini

raini Ordinis Observantium S. Francisci, Theologus, & Generalis Concionator: multa Ordinis Cœnobia rexit, doctrinâ, & regulari observantiâ insignis. Vixit circa annum 1628. Edidit italicè

Sacro Monte de' Contemplativi. Neapoli apud Laurentium Scoriginum 1629. in 4.

Orationi, divotioni, e preghiere, iscampo, e difesa delli tuoni, e saette, che sogliono cader dal Cielo nelle tempeste. Messanæ apud Petrum Bream 1620. in 8.

BARTHOLOMÆUS A S. FAUSTO ex familia Pirri, Platiensis, vir doctrinâ, & morum sanctimoniâ celebris, Monachus Congregationis Fuliensis, Ordinis Cisterciensis, in qua Neapoli fuit admissus. Magnâ animi contentione studia sequutus, Theologicâ doctrinâ, famâque innotuit. Honoribus nonnullis fuit meritò insignitus; nam Provinciam Romanam rexit: Visitatoris Generalis munere prefuit: Cœnobium Neapolitanū, & Perusinum gubernavit: & in tota Sabaudiæ regione Pœnitentiarium egit nō sine laude. Tandem cùm doctrinæ & virtutum splendoribus præfulsisset, insigni sanctimoniæ opinione obiit Neapoli anno 1636. ætatis suæ 65. Est hujusce scriptoris mētio apud Rocchum Pirrum *not. Eccl. Catan. pag.* 105. Joannem Paulum Chiarandanum *in hist. Platiæ lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 262. & Nicolaum Toppium *in Biblioth. Neapol. par.* 1. *pag.* 39. qui ob diuturnam habitationem Neapolitanis accenset. Edidit

Speculum Confessariorum, & Pœnitentium. Partem primam, & secundam. Lugduni apud Claudium Cayne 1621. in 4. Ibid. typis Antonii Pilahot. & Petri Rau. 1621. in 4. & Venetiis apud Antonium Majett. 1621. in 4.

De Pœnitentia Tractatum absolutissimum. Neapoli typis Io: Dominici Montanari, & Iacobi Gaffari 1634. in fol. editio secunda.

De Horis Canonicis tum privatim, tum publicè recitandis Tractatum amplissimum. Lugduni typis Claudii Cayne 1627 in 8.

De Sacris Indulgentiis. & Jubileis tum anni Sancti, tum aliis extraordinariis, Tractatum insignem. Neapoli ex typogr. Ægidii Longhi 1629. in 4.

Thesaurum Religiosorum, in quo de tribus votis solemnibus obedientię, castitatis, & paupertatis accuratissimè disputatur. Genuæ apud Jacobum Ster. 1623. in 4. & Lugduni sumptibus Claudii Landrii 1623. & 1624. in 4.

Hæc opera tribus tomis complexa recudere curavit, cum hoc titulo.

Theologiæ Moralis tomus primus, in quo habentur, *Thesaurus Religiosorum, & de sacris Indulgentiis, & Jubileis*. Neapoli excudebat Paulus Gaffarus 1633. in fol.

Tomus Secundus, in quo, *speculi confessariorum pars prima, & secunda*. Ibid. typis Io: Dominici Montanari, & Jacobi Gaffari 1634. in fol.

Tomus Tertius, complectens tractatus, *de Pœnitentia, & horis Canonicis*. Ibidem apud eosdem 1634. in fol.

BARTHOLOMÆUS SIRILLUS Panormitanus Sacerdos, Juris utriusque Doctor: ad literas ediscendas, à parentibus in Italiam missus, Petrū Angelum Bargæum, & Laurentium Gambaram celebres literarum professores audivit; sub quorum disciplina ita profecit, ut ne dum humanioribus literis, verùm etiam, & gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ facultatibus instructissimus in patriam sit regressus. Poesi Etruscâ, Latinâque ingenium excoluit, Orator fuit disertissimus, & omnigenæ eruditionis præstantiâ clarus: ideoque præcipuis ævi sui literatis accensitus. Panormi utriusque linguę pæcepta docuit: & Canonicatum Regiæ Capellę S. Petri in Panormitano Palatio auctus fuit. Senatus Panormitanus ipsum à secretis voluit: & magnam muneri contulit ęstimationem, & honorem: patriæque privilegia fortiter propuguavit. Ab Urbe Panormi in Hispaniam missus an. 1597. ut magni ponderis negotia in Regiam Aulam pertractaret, cùm omnia juxtà vota feliciter absolvisset, & reditum in patriam meditaretur, obiit Matriti circa annum 1598. Emeritis laudibus ornant Bartholomæum Hieronymus Branci *in disc. pro privilegiis Panorm. p.* 105. Franc. Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 3. *p.* 111. Vinc. de Joanne *Panorm. Triumph. lib.* 12. *p.* 124. *& in Panormo Restaurata m. s.* Octavius Potenzanus *in proem. de Sanctor. decem millia Mart. cap.* 5. *p.* 71. Petrus Carrera *in epigram. lib.* 3. *p.* 116. Paruta *in Triumpho D. Rosaliæ pag.* 66. Franc. Flaccomius *in sicelide sect.* 3. *p.* 38. demum Nicolaus de Oddis Patavinus in dialogo pro Camillo Pellegrino, Venetiis edito ann. 1587. Philippum Parutam, & Bartholomæum Sirillum, ut primæ notæ viros, doctrinâ præstantissimos colloquentes admisit. Edidit italicè

Oratione fatta per la Città di Palermo all' Illustr. & Eccell. Sign. Marc' Antonio Colonna Vicerè di Sicilia nel ritorno ch' ei fece da Messina l' anno 1581. Panormi apud Joannem Franciscum Carraram 1583. in 4.

Capitolo, in libro: *Scelta di poesie di diversi eccellenti Poeti*. Genuæ 1582. in 8.

Tragedia di S. Catarina in verso, quæ m.s. plurimorum manibus teritur, & Panormitani Senatus expensis magnificentissimè fuit recitata an. 1580. & 1619. Tragœdiam etiam S. Christinæ à Gaspare Licco Panormitano editam expolivit.

Orationę recitata in Palermo nel Teatro fatto all' angolo del Bastione di Vega in istrada Colonna il giorno dell' entrata solenne del Capo di S. Ninfa à 9. di Settembre 1593. m. s. hujus meminit Baronius cit. qui apud ipsum authographum servabat: ex ipso exemplar sibi transcripsit Vincentius Auria, quod servat m. s. in 4. cum aliquibus poeticis Bartholomæi monumentis.

Oratione funebre in morte di D. Fabritio Valguarnera Barone del Guderano m. s. ex epistola m. s. Philippi Paruta ad Sirillum 26. Februarii 1593. apud me.

Descrittione dell' Arco fatto in nome del Vassallaggio alla Marchesa di Geraci D. Dorotea Ventimiglia per la venuta nel suo stato. ex epistola cit.

Oratione nella liberatione di Palermo dalla Peste. m. s. ex epistola apud me m.s.

Del Titolo del Senato di Palermo. ex Branci cit. Pontem triumphalem à Panormitano Senatu excitatum

citatum

citatum in adventu Proregis Siciliæ Henrici Guzman Comitis Olivarensis adinvenit, inscriptionibus, aliisque exornavit, quem ex inde descripsit, ediditque Gaspar Arianus. Panormi apud Joannem Anton. de Franciscis 1592. in 4.
Scripsit etiam

Rime. La Capanna di Tirsi.

BARTHOLOMÆUS SPATAFORA Messanensis claro genere ortus, inter Nobiles Venetos recensitus excelluit. Literis amœnioribus ornatus, Poesi, eloquentiâ, eruditione sui æstimationem excitavit: & in Veneta Unitorum Academia cooptatus, inter ævi sui literatos, laudes egregias promeruit, & obtinuit non vulgares. Claruit anno 1554. Hujus meminit Iacobus Albericus *in Catalogo script. Venet. pag.* 15. plura ipsius dabit Clarifs. vir Apostolus Zenus *in Biblioth. Venetā*, quam Orbis literatus magno desiderio expectat. Hujus extant italicè

Oratione nell'esequie del Serenifs. Principe Marco Antonio Trivisano Doge di Venetia.

Oratione al Serenifs. Principe Francesco Veniero Doge di Venetia nella sua creatione.

Difesa nell' Accademia degli Uniti di Venetia à 10. di Settembre 1552.

Has edidit Franciscus Sansovinus in libro: *dell' Orationi volgarmente scritte da molti Huomini illustri de' nostri tempi. Parte seconda.* Venetiis ad signum Lunæ 1575. in 4. Albericus quatuor orationes edidisse testatur, at quartam non vidi.

BARTHOLOMÆUS TABERNA Paternensis Ordin. S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Monachus Monasterii Catanensis S. Nicolai de Arenis. Solemnia emisit vota 25. Decemb. 1541. à poesi, historica eruditione, ac sacrarum literarum cognitione laudatus. Obiit ann. 1593. ex Arnaldo Wion *in ligno Vitæ lib.* 2. *cap.* 63. *p.*405. at ex relatione D.Gregorii Alessii viri eximii datis mihi literis 6. Aprilis 1705. decessit Catanæ 1610. ætatis annorum circiter 85. De eo etiam Possevinus *in appar. sacr. tom.* 1. *pag.* 184. Edidit italicè

Vita di S. Agata V. e M. in verso Italiano. Venetiis apud Jo: Comenzini 1584. in 8.
Scripsit etiam

Commentaria in Apocalypsim.

Chronicon Monasterii S. Nicolai de Arenis. m.ss. in eodem Monasterio.

BASILIUS AMABILIS Messanensis Ord. Prædicatorum; studiis admotus, ob egregias ingenii dotes, exacto cum laude studiorum curriculo, Magistri Laureâ donatus est, & insigni doctrinâ cumulatus effloruit. Sacræ eloquentiæ studia complexus, inter præcipuos divini verbi præcones enituit: magnumque nomen disertissimis concionibus, eloquentiâ, zeloq; refertis, sibi comparavit. Messanæ bis quadragesimale curriculum in principe Templo magno cum plausu confecit: ut etiam Romæ, & in præcipuis Italiæ Civitatibus. In rebus agendis summâ prudentiâ, & dexteritate eminuit: hinc ab urbe Messanæ semel, & iterum ad Philippum IV. Catholicum Regem Orator missus ad pertractanda magni momenti negotia. At quæ in una ejus legatione pro patria gesserit, quæ verò ob invidiæ æstum pertulerit, Fernandus Pallavicinus in libro inscripto: *L'Ambasciatore Invidiato*, ementito nomine Alcini Lupa, eloquenter enarrat: in quo Basilii gesta, sub anagrammatico nomine Albisii, descripta invenies. Matriti ad Philippum Regem conciones habuit, & ejus laudem, ac munificentiam promeruit: ipsumque Regii concionatoris titulo cohonestavit, & annua pensione quingentorum aureorum donavit, ex Regio diplomate dato Matriti 9. Octobris 1648. Cœnobium Acis fundavit, & dum patrium S.Dominici, Prioris munere moderabatur, ibidem fato cessit anno 1650. Iusta funebria magna cum pompa, populique frequentia celebrata ob eximiam viri famam, virtutesque non vulgares. Præter Pallavicinum citatum, Basilium laudat Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *p.*508. & in libro sub Andreæ Pocili nomine edito, *de populari motu Panormi pag.* 2. & alibi sæpè. Edidit italicè

Orationi funerali composte, e recitate nella Chiesa di S. Domenico de' Padri Predicatori della Città di Messina. Messanæ apud Jacobum Matthæi 1645. in 4.

In eodem Cœnobio hæc alia servantur m. ss. numeris omnibus absoluta.

Tractatus super Evangelia totius anni. Tomus I. & II. in fol.

Italicè etiam

Annuale de' Santi Tomi II. in fol.

Quaresimale.

BASILIUS CAMPANELLA Panormitanus Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Lector; vixit anno 1617. Ex Hispano idiomate in Italicum vertit.

Trattato de' scrupoli, e de' suoi remedii composto dal M.R.P. F. Alfonso Cabrera. Panormi apud Io: Ant. de Franciscis 1610. in 12.

Aggiunte, e Additioni alla somma de' casi di conscienza sopra l' esplicatione della Bolla della S. Cruciata del R. P. F. Emmanuele Rodriques tradotto da lingua Castigliana in Italiana. Ibidem apud Franc. Ciotti, ex typographia Angeli Orlandi, & Decii Cyrilli 1617. in 4.

BASILIUS CAUARRETTA nobilis Drepanitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo Sacræ Theologiæ Magister doctissimus. Ob literarum, ac virtutum merita multis fuit muneribus insignitus: undecim enim annis Drepanitani Cœnobium Prioris munere rexit; ipsumque annuis redditibus, & ædificiis locupletavit. Pluries in Provincia Sicula S. Angeli Provincialem, & Vicarium egit: pluries in utriusque Provinciæ Siculæ S. Angeli, & S. Alberti comitiis præfuit, ut aiunt, Præsidentis munere: & non semel Commissarium, & Generalem Visitatorem sodales sui inspexere, ac venerati sunt. Inter Consultores, & Censores S. Inquisitionis Siciliæ adscriptus, doctrinæ splendoribus refulsit. Claruit anno 1660. Hujusce laudes lege apud Ab. Pirrum *not. Eccl. Mazar. p.*550. Eliam Lunam *in epist. nuncup. lib. de censuris in comuni*, Basilio dicati, Vincen-

tium Nobilem *in Thesauro abscondito cap. 23. pag. 781.* Mugnòs *Theatr. Geneal. par. 2. lib. 6. p. 269.* & Danielem à Virgine Maria *in specul. Carmelit. tom. 2. par. 5. lib. 5. num. 3729. pag.* 1071. Edidit italicè

Racconto delle Fattezze, ed Imagine della Gloriosissima Vergine Maria Madre di Dio N. S. e della maniera, che fù trasportata nel devoto Convento dell'Annunciata de' Padri Carmelitani fuori le mura dell' Invittissima Città di Trapani. Panormi apud Nicolaum Buam 1656. in 4.

BASILIUS DE LAURENTIO ex Oppido Medii Jussi, vulgò *Mezzojuso*, Diœcesis Panormitanæ, Ordinis S. Basilii, in sæculo Joseph Cozzo. Clericali habitu insignitus Sacræ Theologiæ lauream obtinuit Panormi: & Poeticâ, ac Oratoriâ facultate claruit. Inde D. Basilii Ordinem ingressus, Panormi Regularem habitum accepit à P. D. Petro Menniti totius Ordinis Generali, ac statim Philosophiæ lector constitutus est. Theologiam etiam docuit. Ingenio, ac religiosis moribus ornatus vivit Panormi. Hujus cum laude meminit Ab. Antoninus Magrì *in notitia novi Monasterii Panormitani S. Basilii pag.* 42. ubi nostri Basilii edidit carmen inscriptum

D. Basilii Magni Tesseræ, habitusque sub noctis specie pro Panormitani Cœnobii translatione eadem in Urbe anno Domini 1697. Religionisque stemmati alludentis elegiacus triumphus. Panormi apud Anglese, & Leone 1697. in 4.

La Galassia scolpita, Panegirico encomiastico per l'elettione di nuovo Abbate Generale di tutto l'Ordine di S. Basilio Magno meritevolmente sortita in persona del Rev. P. M. D. Pietro Menniti Abbate perpetuo di S. Nicandro. Ibidem apud eumdem 1696. in 4.

Orazione Encomiastica per la solenne translazione del Braccio Taumaturgo di S. Filareto il Confessore Palermitano dell'Ordine del Protopatriarca S. Basilio Magno. Ibidem apud Dominicum Cortesium 1703. in 4.

BENEDICTUS BARBAGALLO Acensis Juris utriusque Doctor, diu Panormi aliena negotia apud Siciliæ Tribunalia tractavit. Obiit Panormi octogenario major 13. Februarii 1699. Edidit

Fracticam novissimam, & Theoricam super Ritu Magnæ Regiæ Curiæ Regni Siciliæ. Panormi apud Petrum de Isola 1667. in fol,

BENEDICTUS CHARELLUS Messanensis Soc. Jesu, natus 10. Aprilis 1658. Religionis institutum amplexus est 21. Junii 1673. ac quatuor votis se astrinxit 15. Augusti 1691. Emensis de more Philosophiæ, ac Theologiæ spatiis, concionatoris munus suscepit, eloquentiâ, & eruditione clarus. In cinerali jejunio conciones habuit in pręcipuis Siciliæ civitatibus, nempè Panormi, Messanę, Syracusis, Drepani, Catanę, & alibi, semper cum laude, plausuque auditus. Vivit nunc Messanę, dum hęc scribimus an. 1706. Ipsum laudat Ignatius de Mazara *in poes.* 57. & 59. In lucem emisit italicè

Riflessi Morali sopra tragici avvenimenti distesi con retoriche dicerie. Messanæ ex typographia Dominici Costa per Basilium Lombardo 1688. in 12.

Chimica Filosofica, o vero Problemi naturali sciolti in uso morale. Ibid. apud Vincentiū de Amico 1696. in 4.

Libro secondo. Ibid. apud Antoninum Arenam 1701. in 4.

Libro Terzo. Ibid. apud Antoninum Masseum 1702. in 4.

Panegirici Sacri. Ibid. apud Vincentium Amicum 1701. in 4.

Memorie Sacre della Città di Messina, nelle quali si descrivono le Istorie de' Santi, Beati, Tutelari, e Patroni della medesima Città, con un' aggiunta d'alcune persone insigni in pietà, che sono fiorite circa l' età dell' Autore. Ibid. apud eumdem 1705. in 4. Prælo parat

Quaresimale.

Il Mondo Crocifisso, della Sacratissima Passione di N. S.

BENEDICTUS DINI nobilis Messanensis, cùm sęculi illecebras declinasset, clericali militię se addixit, câque morum sanctimonia vixit, ut charismatibus suis, donisque cœlestibus Deus abundè cumulaverit. Diu cum vitæ inculpatę exemplo, & animarum fructu sodalitium Mancipiorum S. Mariæ de Litera subtus Ecclesiam Cathedralem Messanę rexit, ac ferventissimo zelo incendit. Humanioribus literis excelluit: poesi, eloquentiâ, grecisque literis fuit apprimè excultus, quibus & Iurisprudentiæ doctrinam addidit. Inter Officinę Messanensis Academicos recensitus efflornit. A Messanensi Urbe pluries in magni momenti negotiis pertractandis adhibitus est, & ad Sicilię Proreges missus, eximiam detexit prudentiam. Prophetię dono claruit, quo multa prędixit, ut etiam mortis suæ diem. Decessit Messanę circa an. 1680. Ipsum laudat Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par. 2. pag.* 509. Edidit sub nomine Teophili Pii Sacerdotis Messanensis

Oratorium fidelis animæ ad excitandam devotionem, ex D. Augustino, B. Geltrude, B. Metilde, Blosio, & aliis constructum. Messanæ typis Pauli Bisagni 1670. in 8.

Fasciculum Myrræ piarum meditationum, ac precationum de Passione Domini Nostri Jesu Christi ex variis sanctiss. libris collectum. Ibid. apud eumdem 1671. in 8.

Sacellum Eucharisticum ad fovendam devotionem pro Sacerdotibus, & aliis ad sacram Communionem accedentibus. Ibid. apud eumdem 1671. in 8. Italicè

Sette Meditationi sopra il Pater Noster accommodate a i sette giorni della Settimana. Ibid. apud Paulum Bonacotam 1662. in 8.

Sermone nella Solennità della Sacra Lettera recitato sotto il Duomo. Ibid. apud Iacobum Matthæum 1660. in 4.

Lamento della B. Maria Madalena a piè della Croce nel Monte Calvario. extat in libro: *Prose degli Accademici della Fucina libro secōdo.* Neapoli apud Andream Colicchia 1669. in 4.

BENEDICTUS DINI, alius à prædicto, nobilis

lis etiam Messanensis, Sacerdotio, ac utriusque juris laureâ insignitus, Apostolicam Missionarii egit. Multa promeritorum jure obtinuit; nàm ad Canonicatum Ecclesiæ Messanensis fuit evectus, in qua nunc Iudex, & Examinator synodalis effulget. Bis eamdem Ecclesiam rexit Vicarius Generalis, à Capitulo Sede vacante evectus. Eloquentiâ, ac poesi clarus vivit inter Clitiæ Academicos recensitus. Edidit italicè

L' Esemplare della Fede Panegirico della sacra Lettera detto nel Duomo di Messina. Cosentiæ apud Ioannem Rossi 1671. in 4.

Poesie, in libro: *duello delle Muse degli Accademici della Fucina, Trattenimento Terzo, Quarto, e Quinto.* Neapoli apud Andream Colicchia 1670. & 1671. in 4.

BENEDICTVS EMMANVEL Marsalensis, generis nobilitatem literarum splendore illustravit. Iurisprudentiæ laureâ donatus, ita studio profecit, ut egregiam doctrinam, & eruditionem assequutus, inter doctissimos, ac primarios causarum Patronos fuerit adnumeratus. Hinc meritò honorificentissimis muneribus fuit insignitus; nam an. 1636. in Panormitano Prætorio sedit Iudex, Anno 1638. & 1645. armorum Dux in Valle Netina, & an. 1641. in toto Siciliæ Regno constitutus est. An. 1638. bonorum à SS. Inquisitione confiscatorum perpetuus Iudex electus: Bis etiam Consistorii Sacrę Regiæ Conscientiæ, semel Magnæ Regiæ Curiæ Iudex enituit. An. 1647. Panormi Iurisconsultorum omnium ducem egit, & sequenti anno Regij Patrimonii Fisci Patronus enunciatus est, & inter Regios Consiliarios recensitus. His in muneribus egregiæ prudentię dotes, doctrinęque vires detexit; ideoque non immeritò Philippus IV. Catholicus Rex, ex privilegio dato Matriti 17. Novembris 1655. titulo Marchionis Villę albę ipsum cohonestavit. Demum honoribus plenus, Panormi decessit 29. Iulii 1671. & in Ecclesia S. Nicolai Bononiorum sepelitur. Laudibus exornatur ab Aug. Inveges *in appar. Panorm. nobil. pag.* 69. Francisco Strada *in quietationib. pag.* 18. & Mugnòs *in Theatr. Geneol. par.* 1. *p.* 337. Edidit

Consultationem Apologeticam in causa Gisiræ, seu Bruculæ pro D. Catarina Gantes, & S. Martino, contra D. Didacum Rojas Castellanum Turris Bruculæ. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1632. in fol.

Patrocinium pro Senatu Panormitano contra Fisci Patronum Archiepiscopi, Oratoribus D. Benedicto Emmanuele, & D. Antonino Amato. Panormi 1646. in fol.

Allegationes in jure, & in facto pro Eminentiss. & Reverendiss. Cardinali ab Auria Archiepiscopo Panormitano, contra Canonicos, & Comendatos Regiæ Capellæ S. Petri Regii Palatii Regni Siciliæ, & consortes. Matriti in fol.

Allegationes in causa possessorii summ triissimi Principatus, & status Campifranci pro D. Stephano Riggio, & Campo. Panormi typis Nicolai Bua 1653. in fol.

Allegationes. apud Paulum Franc. Perramutum *in conflictu Jurecons. par.*3. *tom.*2. *à p.*297.

Addit Strada *loc. cit.* quod plurima scripsit *Allegationum, & Decisionum Tribunalium Volumina,* quæ typis non fuerunt tradita; & in privatis Doctorum Bibliotheeis vagantur, multâq; æstimatione servantur.

BENEDICTVS FERNANDEZ Panormitanus Jurisconsultus. Claruit ann. 1650. unà cum Blasio Draco, & Francisco Miroldo. Scripsit

Allegationes, quas edidit Paulus Franc. Perramutus *in conflictu Jurecons. par.*3. *tom.* 1. *à p.*392.

BENEDICTVS FIDELIS Argyrensis Tertii Ordini S. Francisci, Fortunati Fidelis, de quo suo loco, filius, Antequam sæculo vale dixisset, Philosophiæ, ac Medicinæ sedulò operam dedit. Mox Religionem ingressus, ac solemnibus editis votis an. 1588. fervido animi ardore Theologiæ studiis se addixit, & in celeberrima Sapientiæ Academia emeritâ Doctoris lauream accepit, Sacræ Theologiæ Magister enunciatus. Inculpatam vitam, & religiosis, sanctisque virtutibus perbellè ornatam: ac prophetiæ insignitum putant. In studiis assiduus, in sacrarum literarum, Sanctorumque Patrum lectione frequentissimus, in concionibus ad populum præclarus fuit. Multa promeritus, patrium Cœnobium rexit, & instauravit. Totius Ordinis à secretis enituit; Siculam Provinciam gubernavit: & in eadem Provincia præfuit Commissarius Generalis. Tandem virtutibus, meritisque cumulatus, & morborum vi longè lacessitus, in Argyrensi Cœnobio piissimè decessit 3. Septembris 1648. Funebris pompa Cives omnes traxit, & decantatâ solemniter Missâ à Civitatis Vicario, funebri oratione viri eximii virtutes celebravit S. T. D. Joseph la Dessa. Hujus laudes recensent Ab. Pirrus *not. Eccl. Catan. p.*109. Bordonus *in Chron. Tertii Ord. cap.* 13. *p.*317. *cap.* 25. *p.*457. *& cap.* 38. *p.* 551. Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 211. & Wadignus *in script. Minor. p.*53. & 111. qui à vero deflectit, dum Fortunatum Fidelem Benedicti patrem, etiam Franciscanum putat; & utroque Theoremata infra notata ascribit; nam Tertii Ordinis solummodò fuit Benedictus noster; Fortunatus verò nonnulla de re medica edidit, ut suo loco. Ipsius etiam meminit Ioannes Maria *in annal. Tertii Ord. par.*3. *pag.*622. *&* 623. sub nomine Benedicti, & Fortunati. In lucem emisit Italicè

Speculationi morali sopra il Santiss. Sacramento dell'Eucaristia. Venetiis apud Iacobum Sarzina 1640. in 4. & alibi aliis annis. Hoc opus latinitate donavit P. Antonius Cotonius ejusdem Ordinis præfixo titulo *Theoremata moralia decerpta ex Psalmo XXII. de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.* Panormi apud Hieronymum Rossellis 1638. in 4. 1644. & 1646. ex Wadigno cit.

Sacri Panegirici de' Santi, de' quali S. Chiesa con solennità maggiore celebra per tutto l'anno la festa. Parte prima, e seconda. Venetiis apud Juntas 1640. in 4.

Quaresimale, o vero considerationi sopra i Vangeli della Quaresima. Parte prima. Panormi apud Deciũ Cyrillum 1633. in 4. & Venetiis apud Jacobum Sarzi-

Sarzinam 1641. in 4.

Quaresimale Parte Seconda. Panormi apud Hieronymum Rosselium 1635. in 4. & Venetiis apud Sarzinam 1637. & 1641. in 4.

Prediche sopra gli Evangelii dell' Avvento, delle Feste di N. S. e delle Domeniche, che si leggono fino alla Quaresima. Venetiis apud Juntas, & Babam 1646. in 4.

Nostri Benedicti conciones prodiere latinè, in sex tomos distributæ, Coloniæ 1682. in 4. ex Bibliographia Anissoniana *pag.* 58.

BENEDICTUS FRANCOFONTENSIS ex familia Gaeta Ord. Strictioris Observantię S. Francisci: antequam ad Religionem accederet clericali militiæ nomen dedit, & cùm altissimæ præfectionis desiderio æstuaret, in Eremum Rossomanni secessit, ubi decenniam vitam asperitatum omnium refertam traduxit. Anno verò 1589. Ordinis prædicti institutum amplexus, omnibus exēplo fuit. Hinc per annos 38. tyronum Magister, curæ suæ demandatos zelo, ac eximiâ charitate, ad sanctimoniam adipiscendam instruxit. Morali Theologiâ claruit: sed in primis virtutum splendores in ipso mirabiliter elucebant. Humilitatem impensè coluit: divinarum rerum contemplationi addictus, sæpè à sensibus avocatus, extaticis fruebatur deliciis. Cœlesti, ac prophetico lumine illustratus multa prædixit: mira etiam multa supra naturæ vires patravit: & Cœnobia nonnulla rexit. Tandem magnâ sanctitatis opinione obiit Panormi 15. Martii 1630. anno ætatis 70. Vide ejus laudes apud Roc. Pirrum *not. Eccl. Syrac. pag.* 251. & Petrum Tognolettum *in Paradiso Seraphico par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 569. *& par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *pag.* 257. Edidit italicè sub cujusdam Sacerdotis nomine

Dodeci Punti di Humiltà.

Reliquit etiam m. ss.

Epistolam exulis Hominis ad Christum Regem, & Responsionem Jesu Christi, homini exulanti. m. s. Italicè

Trattato della Perfettione Christiana. m. s. in 4.

Le Tre Vie Purgativa, Illuminativa, e Unitiva par. 1. *e* 2. *m. s. in* 4.

BENEDICTUS MAJA Panormitanus vir literis omnibus instructissimus, Philosophus, Thelogus, Jurisconsultus, & Poeta insignis, qui majorem vitæ suæ cursum in evoluendis libris impendit, Politiores literas, Musasque coluit, ideoque Siculâ, Etruscâ, ac Latiâ linguâ semper cum laude cecinit. Otii osor acerrimus, cùm à studiis vacaret, penicillo, ac musicis modulis laudabiliter otii tœdia eludebat. Pietate; ac multiplici virtutum ornamento animum exornavit: & ob doctrinam, animi dotes, moresque suavissimos, omnium amorem promeruit. Summâ præsertim valuit æstimatione apud D. Petrum Giron Ossunę Ducem, Siciliç Proregem, Joannettinum ab Auria S. R. E. Cardinalem, Archiepiscopum Panormitanum, ac primę notę Siculos Dynastas. Totam propè Italiam peragratus, Literatorum benevolentiam sibi comparavit presertim equitis Io: Bap. Marini, cui amicitię vinculis fuit astrictus. Romę quandoque inhabitavit ubi in Humoristarum Academia recensitus, egregiam assequutus est laudem: & in celebri sapientię Lyceo utriusq; juris lauream an. 1622. accepit: ibique Vrbano VIII. ac S. R. E. Card. Mauritio Sabaudo in paucis carus effulsit. Genuam digressus ibi Męcenatem expertus est Tursis Ducem, in cujus ędes honorificè exceptus, torquem auream ab ipso, ac trescentum aureos dono accepit. Mediolani apud Ferię Ducem, illius Provincię Moderatorem, magnâ æstimatione claruit. Demum famâ conspicuus, Romę decessit anno 1627. De eo vide Josephum Galeanum *tom.* 1. *par.* 2. *Musarum Sicul. pag.* 104. Franc. Ambrosium Majam *in vindicatione S. Caterinæ Senensis cap.* 9. *pag.* 402. & Celsum Lesuarte *in epist. nuncup. Idilliadis ad Academicos Animosas Cremonæ.* Edidit italicè

Rime. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in 8.

La Mostra Generale, Idillio. Ibid. apud eosdem 1614. in 12.

Descritione della memoranda battaglia di sei galeoni d' Ossuna, con quarantasette Galere Turchesche in faccia della Turchia per tre giorni continui; con la vittoria d'haver bruggiata, e disfatta quasi tutta l' Armata Ottomana. Poema Eroico. Ibid. apud eosdem 1617. in 4.

Funerale dell' Altezza del Prencipe Filiberto di Savoja. Canzone. Romę 1624. in 4

I Quindeci Misterii del Rosario della B. Vergine. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in 12.

Panegirico in lode della Signora Adriana Basile. in libro cui titulus: *Il Teatro delle Glorie della Signora Adriana Basile, alla virtù di lei dalle cetre degli Anfioni di questo Secolo fabricato.* Venetiis, & Neapoli 1628. in 12.

Canzoni Siciliane. in Musis Siculis *par.* 2. *tom.* 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnum 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. in Musis Siculis par. 3. Ibid. apud Bisagnum 1651. in 12.

Alia multa prosâ, ac versu scripsit latina, & Etrusca, ut innuit Ambros. Maja citatus, quæ ad Io: Franciscum Mariam Materdonna pervenere, qui ejus morti interfuit.

BENEDICTVS MARIA CASTRONIVS Panormitanus Ordinis Prædicatorum, claro genere ortus, ingenio, & doctrinâ satis conspicuus. Ut genio obsequeretur Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque Mundi Provincias peragravit: inde ætate maturas Prædicatorum Ordinem ingressus est. Gravioribus disciplinis abundè cumulatus Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam in Panormitano Cœnobio S. Dominici docuit cum eximii ingenii laude. Mathematicis disciplinis insigniter excultus, easdem aliis etiam tradidit. Linguas Italicam, Latinam, Hispanam, Gallicam, Germanicam, aliasque ne dum loquitur, ac perfectè callat, verùm etiam alios docet. Regularis observantiæ tenacissimus, omnibus prælucet nunc Panormi, instituti sui exemplar egregium, annum agens circiter quadragesimum.

Edidit

Edidit

Episagogicon Geometricum, sive primitiva Mathesis initia: ubi definitiones, divisiones, postulata, & axiomata traduntur, quibus inscii primò imbui solent, ut paratiores ad Elementorum Euclidis libros habeantur. Venetiis typis Gonzatti 1705. in 4.

BENEDICTUS DE PASSAFLUMINE Cephaleditanus Ord. Observantium S. Francisci vir eruditione, ac doctrinâ clarus. Inter sodales suos Sacræ Theologiæ Lector, Concionator Generalis, pro SS. Inquisitione Siciliæ librorum censor. Patrium Cœnobium rexit, & Messanæ decessit anno 1646. cùm enim Messanensi Cœnobio præesset, & inter suos non appareret, tandem triduò conquisitus in Cœnobii sepultura strangulatus inventus est. De eo Wadingus *de script. minor. pag.* 53. Edidit

De Origine Ecclesiæ Cephaleditanæ, ejusque Vrbis, & Diœcesis Brevem Descriptionem. Venetiis apud Bertanos 1645. in 4.

Vitam Francisci Gonzaghe. Panormi 1636. in 4.

BENEDICTVS PORCARVS Messanensis Patritio, claroque genere ortus 23. Aprilis 1669. ingenii dotes Iurisprudentiæ devovit, Hinc emeritâ Doctoris laureâ insignitus, anno 1687. Panormum se transtulit, ubi causarum patrocinium suscepit: ut modò in supremis Siciliæ subselliis doctrinâ & eruditione clarus naviter agit. Anno 1690. Syndicator Drepanitanę divisionis electus: anno verò 1692. Generalis Visitatoris munere functus est ad examinandas Siciliç rationes, in publicis vectigalibus administrandis: (*Secretie* vocamus) & ad alia promovendum munia non obscurè viri promerita indicant, Quę edidit hæc sunt.

Oratio pro libertate Ancillæ Annæ Mariæ Bonanno, quatuor Supremorum Siciliæ Tribunalium sententiis definita. Panormi ex typographia Iosephi Gramignani 1702. in fol.

Discursus Juridicus pro libertate beneficii Prioratus S. Mariæ de Succursu extra mœnia Civitatis Nicosiæ, pro D. Francisco de Miranda, & Gyzarre Sanctiss. Inquisitionis Tribunalis S. Officii uni juniori, Regni Siciliæ Inquisitore, contra Rev. Sac. D. Joseph Salamone Regii Sacelli S. Petri de Palatio Canonicum. Ibid. typis Augustini Epiri 1704. in fol.

BENEDICTUS SALVAGUS nobilis Messanensis, Genua oriundus, Eques Hierosolymitanus oblatus. Literis eruditus Utriusque Juris laureâ donatus est. In patria causarum patrocinium egit, & in Romana Curia patriæ negotia diu procuravit sub Vrbano VIII. P. M. Anno 1666. Messanæ Judex sedit, & Straticoti vices tenuit. Amœniora coluit studia; & in Academiis Officinæ Messanensis, & Humoristarum Romę fuit adscriptus, In oratoriis, & poeticis monumentis ingenii dotes, eloquentiam, & eruditionem detexit. Morum comitate, modestiâ, & pietate præditum nonnulli scribunt. Vivebat Messanæ anno 1670. Hujusce laudes lege apud Marraccium *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 214. Ab. Michaelem Justinianum *de scrip. Ligur. pag.* 140. Leonem Allatium *in animad. ad antiq. Etrusc. num.* 54. *pag.* 116. Vincen. Ferrarottum *in Offic. Straticoti pag.* 139. Placidum Reinam *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pa.* 227. 456. & 509. Petrum Ansalonium *in sua familia pag.* 369. Scipionem Henricum, & Petrum Visitarchum *in poes. Offic. par.* 4. *pag.* 333. & 336. Melchiorem Incoferum *in epist. nuncup. lib. trium Magorum Evangelicorum*, Dominicum Argananrium *in pompis festivis pag.* 1. 10. & 144. August. Oldoinum *in Athenæo Ligust. p.* 107. & Josephum Ambrosium *in relat. solemnit. Epist. Marianæ pag.* 584. Edidit.

Apologiam pro pietate Messanensium ex traditione repromissæ protectionis in Epistola B. M. V. adversus D. Rocchum Pirrum. Messanæ typis Hæredum Petri Breæ 1634. *in* 4.

Italicè

Poesie in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina. Parte quarta.* Neapoli apud Sebastianum Alecci 1660. in 12.

Poesie per la Lettera di M. V. a' Messinesi. ex Reina cit.

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina, Trattenimento Terzo.* Neapoli typis Andreę Colicchia 1670. in 4,

La liberatione d' Arcadio, Poema. ex Stephano Mauro *in sua Messana pag.* 18. Incofer cit. & Argananrio cit. *p.* 147. & 148.

Oratione funerale nella morte d'Alberto Picciolo Messanę apud Petrum Bream 1632. in 4.

Vita d'Antonio Fermo. ex Reina cit. p. 505. & Mauro cit. p. 206.

Poema Francisci Bracciolini, *de Epistola B. M. V. ad Messanenses*, ob auctoris mortem informe relictum perfecit, ut testantur Oldoinus cit. & Marraccius cit. *par.* 1. *pag.* 405.

Pręlo parabat ex Incofero: *Annales Messanenses.*

BENEDICTUS VITALIS Panormitanus Philosophus, & Medicus præstantissimus: inter egregios Medicos, qui ævo suo floruere meritò adnumeratus. Amœnioribus etiam studiis ingenium admovit, in Panormitana Accensorum Academia recensitus. Claruit an. 1600. Hunc laudat Didacus del Mastro *in causa Medicor. poet. p.* 55. & Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *p.* 117. Edidit

Rime. in libro: *Rime dell'Accademia degli Accesi di Palermo.* Panormi typis Matthæi Maida 1571. in 8.

Discorsi della Filosofia diligentemente osservata dal R. P. M. Gio. Antonio Brandi Siciliano di Salemi nel suo libro del Rosario. Romæ apud Carolum Willietti 1601. in 16. cum eodem Rosario.

BERLINGHERIUS VIGINTIMILLIVS Panormitanus, Gasparis Vigintimilii ex Marchionibus Hieracis, & Lauræ Requesens filius. Generis splendori scientiarum lumina, & equestres addidit virtutes: à teneris enim annis literarũ studiis ita eximias ingenii vires addixit, ut nedum in humanioribus, verùm etiam in gravioribus disciplinis, & eruditionibus spectabilem omnibus sese præbuerit. Hinc ejus eloquentiam, & omnigenæ eruditionis ornamenta demirarunt omnes: adeout magna cum laude pluries ad Siciliæ Proreges Orator missus, ejus facundiæ præstantiâ

stantiâ mirum in modum enituerit, & clarissimi Oratoris æstimationem sit assequutus. Ingenii dotes in Reaccensorum Academia Panormitana sæpius detexit, in eaque ascriptus, Musas tum Etruscas, tum Latinas coluit. Anno 1601. Romæ unà cum præstantissimo viro Mariano Valguarnera apud Clementem VIII. P. M. ac S. R. E. Cardinales ad Breviarii correctionem constitutos, patriæ jura pro Diva Agatha V. & M. Panormi orta, egregiè propugnavit. Urbano VIII. P. M. gratissimus etiam fuit. Panormi masculam sui virtutem emeritis laudibus semper ornatam sensit: in publicis enim pompis, hastiludiis, tornamentis, in quibus tunc nobilis Panormitana juventus sese exercebat, primas semper obtinuit; & ob singularem animi fortitudinem, vestium pompam, & millena ingeniosa, vividaque adinventa, faustas omnium acclamationes in sui exaltationem audivit: adeout ne dum civiũ verùm etiam advenarum confluẽtium obtutus sibi attrahebat. Palladis ergo artibus Literatorum benevolentiam, Martis studiis Equitum amorem sibi conciliavit. Horum contemplatione Illustris titulum, (illis solùm in Sicilia alligatum, qui Titulorum gloriâ refulgent) ipsi concessum est à Francisco Fernandez de la Cueva Duce Alburquerque Siciliæ Prorege, dato diplomate Panormi 24. Ianuarii 1628. Nec tanto viro eximia pietas, aliæque virtutes defuere, quòd post ejus obitum Deus patefecit: expleto namque mortalitatis cursu Panormi 24. Novembris 1639. ejus animam post mensem integrum, jam purgatorio igne expiatã, ad Cœlestem gloriam evolasse visa est à Vincentio Agrigentino Ord. Strictioris Observantiæ S. Francisci sanctimoniâ præclaro. Celebrant hunc virum Franc. Baronius *in Siculæ nobilit. amphiteatr. p. 16.* Vinc. Auria *in Chronolog. Proreg. Sicil. p.* 85. Ioseph Galeanus *in poes.* 57. 59. *&* 60. Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par. 2. lib. 8. cap. 5. p.* 433. & August. Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 109. qui Berlingherium elapsi sæculi ornamentum, genere, rerum copiâ, scientiisq; facilè Principem vocat. Posthumum ejus opus in lucem prodiit hoc titulo.

Psalterium Davidis, Epistolæ D. Pauli tres ad Romanos, ad Corinthios, ad Timotheum, Cantica itidem quatuor paraphrasibus illustrata. Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanova 1643. in 4. Ante operis exordium duplex diploma Vrbani VIII. leges, quibus Berlingherii ingenium, doctrinam, ac generis præstantiam extollit. Horum unum vidi datum Romæ 5. Januarii 1630. exequutum Panormi 21. Febr. 1630. exscriptum in regesto literarum Sacr. Congr. in Archivio Curiæ Archiepiscopalis *pag.* 151. quo Vrbanus Dominicæ Crucis frustulum Berlingherio misit. Ipsorum aliqua verba hic exscribere non gravabor; in horum uno legitur, *Cupimus autem te in ista Insula illustrium ingeniorum fœcunda, cæteræ nobilitatis imitatione celebrari, qui eloquentiam præcipuum humanæ sapientiæ thesaurum, cælitibus dicas, silentiam salutis edoctus. Cæterum te genere clarum, nobilique jamdiù tum benevolentiâ, tum virtute commẽdatum decorare voluimus honorifico Apostolicarum literarum testimonio: porrò autem particulam S. Crucis ad vos mittimus, cupientes domi tuæ servari sacrum monumentum charitatis nostræ, & illustre solatium pietatis vestræ, tibique, ac Conjugi benedictionem Pontificiam impartimur.* In alio hæc habentur. *Poesim, quæ nonnullorum vitio ad effrænatam licentiam prolapsa erat, intra probitatis limites continere, ejusque argumentis decorem, ac laudem quærere à pietate Christiani Vatis proprium esse arbitramur. Quo nomine diligentiam tuam non parum commendavimus, ubi sacra Davidis monumenta elegantibus à te expressa carminibus, à dilecto filio nostro Francisco S. R. E. Cardinali, nostroque secundùm carnem nepote, non ita pridem accepimus: in iisque non tam ingenii ornamenta, quàm religionis studium luculenter agnovimus.* Apud Vincentium Auriam *oratio Academica* servatur m. s. quam in Reaccensorum Academia dixit, coram Philiberto à Sabaudia Siciliæ Prorege, in ipsius Academiæ exordio.

BERNARDINUS AFSCALCUS, v. Franciscus Alibrandus.

BERNARDINUS AGLIATA nobilis Panormitanus Jurisconsultus, doctrinâ, ingenio, & eruditione clarus. Causarum Patrocinium cum sui laude Panormi agit. Edidit

Allegationes in causa precedentiæ ad intellectum Constitutionis LXXXIV. Gregorii XIII. aliorumque Apostolicorum diplomatum, ac S. R. C. Decretorum super materia de qua agitur emanatorum pro RR. PP. S. Mariæ Angelorum, cæterisque Regularibus, contra Rev. Patres S. Zitæ. Panormi ex typographia Iacobi Epiro 1690. in fol.

BERNARDINUS DE BERNARDO Drapanitanus Sacerdos, poeta insignis, scripsit ex Vincentio Nobile *in Thesauro abscondito pro Deipara Drepanit. c.* 23. *p.* 784. & ex relatione Iosephi Barlottæ Drepanitani, Congregationis Oratorii Drepanitani Sacerdotis eximii, mihi trasmissa

Poema Heroicum de S. Margarita. latino etiam carmine

Dominicam Passionem à Sanctis Evangelistis scriptam.

Officium Defunctorum.

Ieremiæ lamentationes.

Vitam S. Alberti.

Septem Psalmos Pœnitentiales.

Cantica, Magnificat, & Benedictus.

Vitam S. Antonii Patavini.

Epigrammatum libros quinque.

Solem in Libra Poema de S. Thoma Aquinate.

De Imagine Sanctiss. Crucifixi Poema, ex mille carminibus concinnatum, quorum omnia capita à litera C. habent initium.

Satyrarum Tomum.

Italicè verò

Poesie volgari Tomi due.

Poesie Siciliane.

BERNARDINUS FASO Panormitanus Ord. Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Lector, in sacris scripturæ arcanis versatissimus. Scrupulorum angustiis laboravit, at morum candore enituit. Conciones habuit magno cum animarum fructu,

ſtu, Apoſtolico munitus ardore. Severioribus diſciplinis eruditionem, ac Muſarum ſtudia addidit. Obiit in Oppido Ciminnæ circa annum 1684. Edidit italicè

Le cinque Vergini Prudenti Palermitane, inſieme co i racconti delle loro ſacre Traslationi. Aggiunte in oltre al fine due altre narrationi latine della Vita, ed Inventione di S. Roſalia. Panormi apud Ioſephum Biſagnium 1661. in 8.

La Notte di Natale opera Paſtorale. Ibid. apud Io: Ant. Mandracchia 1663. in 8.

La Morte, e ſepoltura di S. Roſalia per l'Angelico miniſtero: opera drammatica. Ibid. apud Auguſtin. Boſſium 1664. in 8.

La Spoſa del Rè de' Regi Baſilla Auguſta Romana. Ibid. typis Petri Coppola 1675. in 8.

Prelo paraverat

Paradiſum Rythmicum.

Nomina encomiaſtica quibus Sancti Patres Auguſtiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentũ, Vivificam Crucem, & Spiritum Sanctum Paraclytum honore proſequuntur.

Martyrologium Dominicanum.

Clypeum Virginitatis.

Italicè

Rappreſentatione della Vita, e Morte di S. Gregorio Taumaturgo.

La Cena del Signore.

L'Oratione, e cattura dell'iſteſſo nell'Orto.

La depoſitione della Croce. Tragedie ſacre.

BERNARDINUS MASBEL Panormitanus, natus Panormi 25. Octobris 1618. literiſque inſigniter excultus, Utriuſque Iuris lauream obtinuit. Summa cum laude in ſupremis Siciliæ ſubſelliis cauſarum Patronum egit, & ob eximiam integritatem, ac doctrinam nonnullis honoribus inſignitus claruit; majora promeritus: anno etenim 1651. à Ioãne Auſtriaco Siciliæ Prorege Fiſci Patronus in Auditoris Generalis Gentis bellicæ foro electus eſt; eo in munere ultra quadraginta annos integerrimi viri partes explevit: & pluries Auditoris vices ſuſtinuit. Diù etiam fuit Catalunenſium Panormi degentium (è quibus nobilem ſuam originem traxerat) & Aragonenſium Iudex. Anno 1683. Appellationis, & 1684. Prætorii Panormitani etiam Iudex. His in muneribus integritatem, doctrinamque laudibus haud exiguis cumularunt omnes. Eruditione dives in hiſtoriis ſacris, prophaniſque, ac civili doctrina verſatiſſimus effulſit: & florente adhuc ætate Muſarum amicus. Antiquis moribus egregiè ornatus ſummâ veneratione à Doctoribus proſequutus eſt. Tandem curis omnibus ſolutus, dum ſibi tantùm vivebat, anno ætatis ſuæ 79. Panormi deceſſit 27. Octobris 1697. Hujus cum laude meminere Petrus Ant. Tornamira *in Progenie D. Roſal. diſc. 3. cap. 4. pag.* 306. Io: Bapt. Vallegius *in Lelvagio p.* 55. & Franc. Strada *p.* 370. & 440. Edidit italicè

Diſcorſo intorno ad alcune parole d'una inſcrittione in un fonte di Palermo. Panormi apud Ioſephum Biſagnum 1651. in 4.

Deſcrittione, ò Relatione del Governo di Stato, e Guerra del Regno di Sicilia. Ibidem apud Petrum Coppolam 1694. in fol. Scripſit ex Strada cit.

Diſinganno Veridico. ac etiam

Diſputationem pro Vrbe Panormi, adverſus M. Antonium Seſtini.

Caſus varios militares, in quibus agitur de cauſis Militum in jure civili, & in criminalibus delictis.

BERNARDINUS Panormitanus Ord. Obſervantium S. Franciſci. Claruit anno 1600. Edidit

Arborem Beatorum Siciliæ, à nonnullis citatam.

BERNARDINVS ROCCHVS Bidinenſis Ord. Minorum Cõventualium S. Franciſci Sacræ Theologiæ Magiſter. Vivebat an. 1654. ejuſque meminit Philippus Cagliola *in manif. Prov. Siciliæ min. Conv. explor.* 3. *manif.* 4. *pag.* 129. & Ioannes Franchini *in Bibliosophia pag.* 108. Edidit Italicè

Vita, e Miracoli del Glorioſo S. Antonio di Padova. Aggiuntovi il Viaggio, che il detto Glorioſo Santo fece in Sicilia. Panormi apud Petrum de Iſola 1654. in 12.

Meditationi. ex Auctoribus citatis,

Arte per eſſer divoto della Paſſione di Chriſto, e della Vergine. m. s. extat in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Ieſu.

BERNARDINVS Siculus Poeta claruit an. 1494. Ex Ferdinando Vghello *Italiæ ſacræ tom.* 6. *de Archiep. Neapolit. pag.* 224. Scripſit rudi carmine, ut ea ferebat ætas

Hiſtoriam Translationis Reliquiarum S. Iannarii è Monaſterio Montis Virginum.

BERNARDVS BVSCEMI, ex oppido Mazareni Ordinis Prædicatorum; concionator, ac Sacræ Theologiæ Lector ab ingenio, & morum integritate laudatus. In multis Siciliæ Civitatibus magno cum animarum fructu Sacratiſſimi Roſarii devotionẽ promovere ſtuduit. Obiit in patria 30. Ianuarii 1677. Ingenii ſui poſthumum opus, italicè exaratum prodiit, nempè

Orationi Sacre. Neapoli typis Andreæ Colicchia 1680. in 12.

BERNARDVS COLLE Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ, & Iuris utriuſq; Doctor, Concinator diſertiſſimus eruditione, & doctrinâ inſignis. Philoſophiam Panormi à P. Franciſco Bardi Soc. Ieſu, Theologiam Romæ à Ioanne de Lugo Soc. Ieſu, inde S. R. E. Cardinale, accepit: ibique an. 1644. non ſine plauſu Theologicas theſes publicè propugnavit: & ipſius Cardinalis benevolentiam, jam ad Cardinalis dignitatem promotus, expertus eſt. Aliquandiu in Congregatione Panormitana Oratorii vixit: Romæ verò ubi multos annos moram protraxit, ac Panormi æſtimationem haud exiguam promeruit, & ad nonnullos honorum gradus aſcendit: fuit etenim Siculæ Inquiſitionis Conſultor, Abbas S. Crucis Peruſiæ, ac tandem Parochus Eccleſiæ S. Crucis Panormi: ubi demum ingenio, doctrinâ, morumque integritate clarus obiit 3. Novembris 1666. Edidit

Orationem Paræneticam ad Catholicos Principes ad arma inter ſe deponendum, deſumptam ex libro (qui adhuc ſub prælo eſt) Theologicarum Quæſtionum de Bello Iuſto. Romæ ex typographia Ludovici Grignani 1646. in 4. an autem opus hoc de Bel-

de Bello Justo publicam aspexerit lucem incompertum mihi est.

Cœlestis Aquilæ viam, orationem de Ascensione Domini habitam in Sacello Pontificio coram SS.D.N. Innocentio X. Ibid. apud eumdem 1646. in 4. Italicè verò

Panegirico della Vita, e Morte di S. Rosalia V. Palermitana. Panormi apud Decium Cyrillum 1636. in 4.

Vita di Suor Elisabetta Maria della Passione nel secolo Marchesa della Gibillina, e poi monica del Terz'Ordine di S. Francesco nel Monasterio di S.Maria di Tutte le Gratie detto volgamente di S. Vito. Ibid. apud. Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1641. in 8.

Il Crisostomo, o vero Compendio dell' arte di predicare, formato per modo di Dialoghi, secondo i precetti degli Antichi Oratori, e Maestri del dire applicati alla prattica del Predicatore Evangelico. Romæ ex typograph. Hæredum Corbelletti 1644. in 16.

Oratione Funerale nella morte dell' Illustr.Monsig. D. Pietro Corsetto Vescovo di Cefalù. Ibid. apud Ludovicum Grignanum 1644. in 4.

Aliteo Christologo, cioè verace discorso christiano, nel quale si prova con evidenza, che la santità del Som. Pontefice Romano Vicario di Christo per esser Padre, e Pastore universale deve promovere l'interessi de' Cattolici Prencipi Austriaci. Panormi apud Nicolaum Buam 1650. in 4.

Compendio della Vita di San Casmiro: & Regole della Congregatione dell' Oratorio di S. Filippo Neri tradotte in lingua italiana, ex epist. nuncupatoria funebris orationis in laudem Petri Corsetti: at non vidi.

BERNARDVS COLNAGVS nobilis Catanensis Soc. Iesu, vir sanctimoniâ insignis, natus 15. Septembris 1545. à teneris adhuc annis futuræ, sanctitatis præclara edidit indicia. Eâ animi innocentia, ac virtute enituit, ut unâ omnium voce, Catanæ Angelus appellaretur. Humanioribus literis addictus nitidam ingenii indolem græcâ, latinâque poesi patefecit. Adolescens orationes multas, ac poemata nonnulla scripsit: & Virgilii Æneidem invertendo, omnem ad Christi Domini gesta exprimenda concinnavit. Philosophiæ studia decimoquarto ætatis anno absolvit: & librum, nescio quem, tunc edidisse scribunt. Nec literarum exercitia à virtutum studio alienum fecerunt Bernardi animum, tunc enim usq; ad septenas horas orationem protrahebat. Annum agens 15. divinitus vocatus, mundi blandimenta reiicere statuit; & licèt à proposito dimovere niterentur parentes, interposita etiam Joannis de Vega Siciliæ Proregis auctoritate; attamen omnium victor, ad Societatē accessit Messanæ anno 1562. In ea statim ad perfectionis fastigium se direxit; innocentiam enim in baptisme acceptam intemeratam, usque ad supremam vitæ lineam, servavit; & egregiis virtutum ornamentis præclariorem effecit. Theologiæ studiis addictus mirum in modum profecit: hinc singulari doctrinâ cumulatus Philosophiam Messanæ septennio, Scholasticam Theologiam Messanæ, & Neapoli octennio, ac moralem triennio summa cum laude docuit. Inde studiorum Præfectus constitutus, mox Romæ accersitus est, ut edendorum operum censorem ageret. Sed ad evangelici concionatoris munus vocatus, eximio animi ardore cōciones habuit in præcipuis Italiæ civitatibus. Ad ipsum audiendum eâ frequentiâ confluebant etiam à longinguo populi, ut sæpius in plateis, apertisque campis declamare cogeretur. Romæ Ludovico Massella fatiscenti, inopinatò subrogatus, eo dictionis fervore quadragesimale curriculum confecit in Lateranensi Basilica, ut non modò populum, verùm etiam, & S. R. E. Cardinales non paucos attraxerit. Insignem ejus prædicationem oratione, & pœnitentiis fervescentem, multis illustravit Dominus: nempè lachrymarum copiâ, ecstaticis deliciis, admirandis cantionibus, igneis coronis, splendoribusq; quibus auditorum animos mirum in modum excitabat. Hinc innumeros ad meliorem frugem revocavit. Singulares coluit virtutes apostolico viro dignas; nam divino æstuabat amore, quem fovebat luculentus orationis usus, superna dulcedine superfusus. Admiranda pietatis officia erga Dominicam passionem, & Deiparam fovit: ab hac verò multa obtinuit datis ad ipsam filiali affectu epistolis. Memorabile in D. Antonium Patavinum servavit obsequium, ejusque nomine innumera patravit miracula: nec dissimili ferebatur affectu erga S. Franciscum Paulanum, ac D. Agatham Vir. & Mart. à quibus multa accepit; ab his verò omnibus frequenti visitatione reficiebatur. Humilitate, patientiâ, regulari paupertate, obedientiâ, ac angelicâ puritate conspicuus fuit. Cœlestibus cumulatus donis, ac prophetico afflatus Spiritu multa prædixit. Innumera edidit miracula, duosque jam defunctos ad vitam revocavit. Hinc in sui admirationem nedum populos, verū n etiam & Magnates, & S. R. E. Cardinales concitavit. Cardinalis S. Georgii Clementis VIII. ex sorore nepos, Bernardo sacrificanti ministravit; ipseque Clemens Magistri, ac Sancti Patris nomine vocavit. Mortem ante decennium sibi prædixit; & dum in suggestu concionabatur, apoplexia correptus post sextum diem sanctè, ut vixerat obiit Catanæ 22. Aprilis 1611. ætatis suæ 66. Ad viri cadaver cujuslibet ordinis viri confluere visi; ideoque ut omnium devotioni fieret satis, triduo insepultum exhibuere. Funus publico nomine celebratum est, in quo adfuit ipsius Urbis Senatus, ac solemni ritu sacrum ab Ecclesiæ Collegiatæ Canonicis fuit celebratum. Innumera post mortem patrata miracula ipsius sanctimoniç opinionem firmarunt: ideoque de vitę gestis, ac miraculis editis à Catanensi Episcopo, aliisque Prçsulibus efformati processus: quem auctoritate Cardinalis Ioannettini ab Auria Archiepiscopi Panormitani Panormi congessere, in Archivio Archiepiscopali servatum, sigillisque obsignatum vidi. Bernardi Vitā edidit Panormi P. Laurentius Finichiarus an. 1653. quam in compendium redegit P. Marius Clemens Baratta, & suppresso nomine prodiit

diit

fuit Taurini 1663. in 12. Vide etiam Bibliothecam Soc. Iesu p. 120. Ioann. Nadasi *in anno dier. memor.* 22. *Aprilis pag.* 221. *& in pretiosis occupationibus morien.in Soc.c.*34.*p.* 274.Petrum Carrerã *in mem. hist. Catan. vol.*2. *lib.*1. *pag.* 111. August. Inveges *annal. Panor. tom.*2. *pag.*200. *& in appar. tom.* 3. *pag.* 63. Franciscum Mariam Maggium *in Soc. Jesu Mariana p.* 142. *&* 196. Joannem Baptistam de Groffis *in decacord. Catan. tom.* 1. *p.* 166. *& tom.*2. *p.*141. Ab. Pirrum *not. Eccl. Catan. pag.* 82. Ioan. Bapt. Bivium *in Elogiis*, Angelum Grillum *in epist. lib.* 4. *p.* 487. *&* 490. Octavium Sapientiam *in Theatro Thurcico p.* 1. Ioannem Rhò *in var. virt. historiis lib.*1. *cap.*1. *p.*19. *lib.*3. *cap.*5. *p.*322. *& lib.*7. *cap.*10. *p.* 846. Franciscum Priviteram *in annal. Catan. p.* 143. *&* 207. ubi ex typographi errore legitur Colnao, & Colano, Antonium Natalem *de cælest. convers. par.* 3. *cap.* 6. *p.*55. *num.*686. *& cap.* 13. *num.* 835. *pa.*136. Lyrçum *de imit. Christi patientis lib.*3. *cap.* 5. *pa.*139. *& lib.*4. *cap.*6. *p.*213. Isidorum Toscanum *in Vita S. Francisci Paulensis lib.*5. *cap.*20. *pag.* 757. *& seq.* Ioannem Bapt. Ricciolium *in Chronol.Reform. tom.*4. *ind.* 2. *pa.*206. aliosque. Bernardi hæc extant in memoriis historicis Catanæ tom.2. editis à Petro Carrera, nempè

Brevis expositio rationum, quibus ostenditur Beatam Agatham V. & M. & ortam, & passam Catanæ fuisse.

Responsio ad eos, qui B. Agatam Panormi esse contendunt.

Responsio Catanensium ad Testimonia allata ex Græcis scripturis.

Testimonia quibus utitur causa contraria.

Pro istorum opusculorum intelligentia, lege Augustinum Inveges *to.*2. *annal. Panor.* & Iosephum Bonamfidem in libro *Panormus patria D. Agathæ*, qui Colnagi rationibus satisfaciunt. Addit Alegambe *in Biblioth.Soc. Jesu*,quòd plura sunt, quorum alia tacito, alia expresso nomine Colnagi prodiere, ut est

Liber carminum in obitu Ducis Clivensis.

Reliquit tractatum recognitum, & approbatum

De visitanda Diœcesi.

Ex ipsius vita *lib.*1. *cap.*1. *pag.* 10. librum edidisse comperimus,dum Philosophiæ studiis operam dabat, & ex *lib.*1. *cap.* 12. *pag.* 131. scripsisse

Meditationes de Passione Domini.

Carmina de Christi Domini cruciatibus.

Ex *lib.*2. *cap.*1. *p.*156.

Anagrammatum centurias.

Elegias de Sanctiss. Eucharistiæ Sacramento.

De incendiis Ætnæ à sacro D. Agathæ Velo extinctis Poema.

In Cinthium Aldobrandinum S. R. *E. Cardinalem poema.*

In Principem Carolum Fridericum poema.

In Divum Antonium Patavinum, aliosque *Sanctos elegias.*

Extant in Vita ejusdem Colnagi edita à supramemorato Finichiaro, nonnulla *carmina*, *& epistolæ quamplures* nostri Bernardi. Tandem apud Vinc. Auriam servatur m. s. liber in 8. insciptus

Annotationes in secundum, & sextum Æneidis Virgilii libros, & opusculum de universo genere pecuniæ.

BERNARDVS GENTILIS Siculus, poeta insignis, ingenio, & doctrinâ clarus, vixit propè an. 1500. ac eximiis laudibus exornatur à Lucio Marineo *in epistolis lib.* 17. ibique heroico carmine scripsisse ait

De rebus gestis Consalvi Ferdinandi.

BERNARDUS GUTTADAURO ex Oppido Febariæ Ord.Strictioris Observantiæ S.Francisci: ob virtutum nitorem, magnam apud omnes venerationem sibi comparavit; in ipso namque effulsere pœnitentiæ sevitia, orandi frequentia estaticis deliciis cumulata, summa animi humilitas; & ut paucis omnia complectar, virtutum omnium ornamentum. Siculam Provinciam semel, & iterum rexit Custos, semel Provinciam Barensem. Provincias etiam Cusentiæ, Apuliæ, Neapolis, & Romæ Visitatoris munere perlustravit. In Sicilia cum eodem munere præfuit in Provinciis Reformatis Vallis Dæmonis, & Neti, & in Provincia Observantium Vallis Mazariæ. Fuit etiam, ut dicunt, Custos discretus,& Definitor. His in muneribus egregiæ prudentiæ, ac sanctimoniæ splendores semper emisit. Tandem annum agens 78. obiit Panormi 16. Iulii 1658. magna cum sanctitatis opinione. Funus populorum confluentium concursu celebratum fuit; ac defuncti virtutes funebri oratione exornavit P. Franciscus Pricipatus Panormitanus Societ. Iesu, quam edidit Messanæ ann. 1659. Ipsum laudant Ab. Pirrus *not. Eccl. Agrigen. p.* 359. Didacus ab Aquilis *in Hierarch. Francisc. p.*549. & Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par.* 1. *lib.* 5. *cap.*1. *pag.*569. *cap.*3. *pag.* 584. *& par.*2. *lib.* 6. *cap.* 59. *pag.* 139. & alibi sæpius, qui scripsisse testatur italicè

Vite d'alcuni Frati Reformati, che morirono con fama di santità m. s. in 4.

*Principio della Religione dell' Osservanza in Sicilia con la descrittione del Ven. Convento di S. Maria di Giesù di Palermo, e brievi compendii della Vita d'alcuni Beati dell'istessa Osservanza.*m.s. in 8.

Principio della Riforma di Sicilia con molti casi notabili m.s. in 8.

Hæc omnia servabantur m. ss. apud laudatum Tognolettum, qui in opere supra citato nonnulla exhibet eorumdem fragmenta.

BERNARDUS JUSTINJANUS nobilis Messanensis, Genuâ oriundus, parentibus Andræa Justiniano, Andreæ Justiniani Bassani Principis avo,& Lichinetta Justiniana,Vincentii Justiniani S.R.E. Cardinalis nepote, lucis usuram Messanæ accepit 21. Septembris 1573. A teneris adhuc annis amœniores literas coluit; inde gravioribus disciplinis, præsertim Theologiæ operam dedit, in eaque egregiè instructus, Doctoris laureâ donatus est. Absolutis studiorum spatiis, in rebus ecclesiasticis satis versatus, sacrisque initiatus ab Annibale Afflicto Rhegino Archiepiscopo,ad Canonicatum in Messanensi Ecclesia evectus est.Mox Benedicti Justiniani S.R.E. Cardinalis operâ,

anno 1609. 15. Martii à Paulo V. P. M. Anglonensis Ecclesiæ Episcopus enunciatus est. Ecclesiam sibi creditam laudabiliter rexit, ejusque jura imperterrito pectore propugnavit, & ad pristinum decorem restituit. Pueros vel ipsemet, vel per alios singulis Dominicis diebus in rebus Fidei erudiendos curavit. Erga Deiparam fervida fovit amoris officia: ideoque singulis Sabbathis ejusdem litanias solemniter decantari mandavit. Ad Sanctiss. Eucharistiæ cultum voluit, ut tertio cujuslibet anni mense venerabile Sacramentum in Cathedrali Ecclesia publicè exponeretur, ut populus pro expiandis peccatis, & pro Ecclesiæ necessitatibus preces effunderet. Episcopale Palatium apud Clarummontem penè dirutum instauravit. Synodalibus constitutionibus Ecclesiam munivit. Demum Claramonti denatus est anno 1616. 16. Novembris ex Michaele Justiniano *de scrip. Ligur. p.*144. at verius 25. Octobris ex epitaphio infrascripto:& in majori Ecclesia sepulturæ traditus est, ibique hæc legitur Inscriptio.

Bernardum Justinianum Episcopum Anglonensem D. Joseph de Salvo Archipresbyter Claramontis, & *Hercules Traffuritus Bononiensis, acceptorum beneficiorum memores, grato animo hic sic asservarunt an. Dom. M.DC.XVI. Die XXV. Octob.*

De hoc Præsule Ferdinandus Vghellus *in Italia sacra tom.7. p.*160. Michael Justinianus, cit. Morerius *in dict. tom.* 2. *pa.* 314. & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico p.*111. Scripsit

Tractatum super Decalogi præcepta, quem m. s. asservabat Andreas Justinianus Bassani Princeps.

Acta Synodi Anglonensis. m. s.

BERNARDUS MARIA DE JESU, ex Oppido Palazioli Diœcesis Syracusanæ, Ord. Carmelitarum Excalceatorum, in sæculo Carolus Bernal, natione Hispanus. Annum agens 18. Ordinis habitum accepit Panormi 23. Februarii 1642. ac sequenti anno 24. Februarii solemnia emisit vota. Studiis addictus, humanis sacras univit literas. In gravioribus disciplinis, & disputationibus usq; ad admirationem egregius enituit. Philosophiam, ac scholasticam Theologiam magna cum ingenii laude, ac doctrinæ profunditate Panormi, ac Messanæ docuit. In Mysticæ Theologiæ arcanis versatissimus fuit; ac animarum sedulus moderator, prudentiâ, ac consilio valuit. Hinc in difficillimis animarum angustiis ad ipsum magnâ frequentiâ innumeri cōfluebant, quibus omnibus, vel etiam animarum directoribus, salutaria ministrabat documenta, cœlesti doctrina perfusa. Ipse unà cum P. Eliseo à S. Agnete Carmelita excalceato doctrinâ, & virtutibus claro, falsitatem spiritus cujusdam mulierculæ detexit, quæ astu Dæmonis, insimulatis visionibus, ac miraculis, dolosâ sanctitatis famâ Siciliam, ac Italiam deceperat. A D. Francisco Alvarez Messanensi Archiepiscopo Messanam accersitus est, ut cujusdam monialis gesta, quæ extra consuetas spiritualis vitæ semitas incedebant, discuteret. In sacro Inquisitionis Tribunali Censoris, & Consultoris munere functus, ibidem ejus doctrina, & directio venerabatur. A Siciliæ, Neapolis, Romæ, & Melitæ Præsulibus, immò ab omnibus magnâ æstimatione fuit prosequutus. Siculam Provinciam Magister tyronum, Cœnobiorum Prior, Definitor, ac tandem Provincialis, prudentiâ, ac doctrinâ illustravit. Melitensi Cœnobio etiam præfuit. Romæ Collegium S. Pancratii de propaganda fide (in quo Religionis suæ sodales, ad missiones utiliter obeundas instruuntur) rexit: totius Ordinis Generalem Procuratorem egit: & ni invidiæ studia obstitissent, ad supremum Ordinis gradum ascendisset. Virtutes coluit egregias, quas orationis frequentiâ fovit. Tandem depositâ curâ Panormitani Cœnobii, paulo post apoplexiâ correptus, Panormi decessit 27. Februarii 1696. Hujus meminit Franciscus à Cruce *in quinque verbis D. Pauli verb.*5. *p.* 267. & *verb.* 3. *pag.* 216. & Blasius à Purificatione *in Vita Sororis Mariæ Magdalenæ à S. Augustino lib.* 3. *cap.*4. & 5. *pag.* 222. & *seq.* Edidit italicè

Vita della Serva di Dio Suor Giovanna Maria della Trinità, Monica Carmelitana Scalza nel Monastero delle Sante Anna, e Teresa della Felice Città di Palermo nel secolo D. Anna Maria Velasquez de Avila, e la Cerda Baronessa di Serravalle. Bononiæ apud Jacobum Montem 1684. in 4. Hujus vitæ compendium typis tradidit in libro de Fundatione, ac Translatione Monasterii Panormitani S. Theresiæ, italicè edito Venetiis apud Turrinum 1672. in 4.

BERNARDVS DE MEDICO Syracusanus Iuris utriusq; Doctor, quem ex miro ingenii acumine, vernaculo agnomine *Saccurasa* (latinè acus magna) dixere. Claruit circa annum 1520. & laudatur à Pirro *not. Eccl. Syracus. pag.* 213. Petro de Gregorio de feudis *par.* 2. *quæst.* 10. *n.* 43. aliisque, Edidit

Super Caput Volentes. Messanæ 1537. in fol. unà cum consiliis Gulielmi de Perno Syracusani.

Alius est Bernardus Medicus Poeta cujus extant carmina apud Leonem Allatium *in Poetis antiquis pag.* 85. fuit etenim ex Monte Alcino juxtà Senas, ac circa annum 1476. claruit, ex eruditiss. Io: Mario de Crescimbene *in hist. vulgaris Poes. lib.* 4. *p.* 259.

BERNARDVS MESSANENSIS Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis. Vivebat circa annum 1595. ex Arnaldo Wion *in ligno vitæ lib.* 2. *cap.* 62. *pag.* 408. & Passavino *in Appar. sacro tom.* 1. *pag.* 228. quorum testimonio scripsit

De Miraculis in Inventione S. *Placidi, & Sociorum factis.*

BERNARDVS MONSECATVS Paternensis Ordinis Prædicatorum, vir politioribus literis instructus. Obiit Catanæ an. 1695. Edidit

Orationem Panegyricam actam ad laudem fertilissimæ Civitatis Paternionis, cum origine ejusdem. Neapoli apud Matthæum Nucci 1648. in 4. Italicè

La Vita di S. *Catarina V. e M. opera recitabile.* Ibid. apud eumdem 1660. in 12.

BERNARDVS RAIA Messanensis Iuris utriusq. Doctor. Amœniores literas, Musasq; coluit, in Messa-

Messanensi Academia Officinæ adscriptus. Sub Academici Incogniti nomine laudatur à Carlo de Gregorio *lib.* 2. *prosar. Officinæ pag.* 191. Ex quo paulo ante annum 1669. demortuum cognoscimus. Hujus extant italicè

Poësie. in libro *Poesie Volgari degli Accademici della Fucina parte prima.* Messanæ apud Hæredes Petri Brea 1656. in 12. *& Parte Tertia.* Neapoli apud Ægidium Longum 1659. in 12. In libro etiam: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina parte prima.* Bononiæ apud Io: Bapt. Ferronum 1642. in 4. & *Parte Tertia.* Neapoli apud Sebastianum de Alecci 1661. in 12.

BERNARDVS DE REGIBVS Panormitanus Carmelita Excalceatus, in sæculo Benedictus de Lape, anno ætatis suæ 18. Religionis habitum accepit Panormi 4. Ianuarii 1633. & absoluto probationis anno, solemnia emisit vota 6. Ianuarii 1634. Regularem observantiam exactissimè coluit: adeo ut nec in minimis obedientiæ leges violaverit: quòd à tyrocinio, usque ad supremam vitæ lineam inviolabiliter observavit. Cellulæ suæ amantissimus in ea sacrorum librorum, Sanctorumq; Patrum studiis incubuit. Concionatoris munere functus, in præcipuis Siciliæ Civitatibus, ut etiam Astæ in Subalpinis, Tridenti, & in aliis Italiæ Vrbibus magno audientium concursu, ac fructu auditus est. Moralem Theologiã Sodales suos docuit, quos regularis disciplinæ zelo, ac charitate pluries Prioris munere gubernavit. Obiit tandem Panormi 7. Iulii 1690. Hujus cum laude meminit Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 59. & Daniel à Virgine Maria *in speculo Carmel. tom.* 2. *par.* 5. *lib.* 5. *n.* 3968. *pag.* 1133. Edidit italicè ex Reina

L' Ombre luminose in confermatione della Verità del Sacro Foglio predicato sotto il Duomo di Messina nel 1657.

Edenda reliquit hæc alia, numeris omnibus absoluta, nempè

Quaresimale.

Panegirici.

BERNARDVS RICIVS Messanensis, patritiã, ac nobili familiâ ortus, sub Constantini Lascari disciplina literis operam dedit, ac mirè profecit. Latinis, Græcisque literis instructus vixit propè annum 1526. De eo Franc. Jannellus *in epistola ad Joannem Philippum Rocchum* apud Placidum Reinam *par.* 2. *hist. Messanæ pag.* 48. Edidit

De Vrbis Messanæ pervetusta origine. Messanæ per Petruccium Spiram 1526. in 4. Ipsius extant etiã ex Ragusa *in Siciliæ Bibl. Vet. p.* 55.

Epigrammata quædam latina.

BERNARDVS RIERA Drepanitanus Jurisconsultus in antiquis monumentis, ac historiis versatissimus, claruit circa annum 1500. ut ex Aug. Inveges *par.* 3. *annal. Panormi pag.* 750. deducitur: at Vinc. Auria *in annot. ad vitam B. Augustini Novelli pag.* 52. anno 1564. vixisse putat, & rectè, id enim ex ejusdem operibus liquidò patet. Hujus mentio extat apud Pirrum *not. Eccl. Mazar. pag.* 556. Iosephum Spucces *in vita S. Olivæ pag.* 13. Vincentium Nobilem *in Thesaur. abscondito de Virginè Drepan. cap.* 23. *pag.* 783. Auriam cit. & Hier. Ragusa *in Siciliæ Biblioth. Vet. pag.* 52. Longè post ejus mortem Bernardi prodiit

Vita B. Augustini Novelli Nobilis Panormitani ex familia de Thermes Ordinis Eremitarum S. Augustini, cum annotationibus V. I. D. D. Vincentii Auria Siculi Panormitani. Panormi ex typog. Petri de Isola 1664. in 4.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu asservantur volumina duo m. ss. ex quorum secundo fuit vita prædicta extracta: horum tituli sunt

De origine Hæresum: in ipsorum secundo eruditè, ac luculenter agit, *de Regno Siciliæ, ejusque Religione.*

BERNARDVS SABIA Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci, de instituto suo benemerentissimus, Siculæ Provinciæ ornamentum; opere, & sermone potens. Pluries per longa annorum spatia fuit totius Ordinis sui Procurator Generalis, ac Siculę Provinciæ Commissarius. Nonnullis Cardinalibus gratus vixit. Triclinium Cœnobii Romani SS. Cosmæ, & Damiani piis fidelium eleemosynis à fundamentis excitavit. Cœnobia Alcami an. 1608. & Catanæ an. 1609. fundavit. Obiit Romæ. Hujus laudes invenies apud Franc. Bordonum *in Chron. Tertii Ord. S. Francisci cap.* 13. *num.* 52. *pag.* 317. *cap.* 25. *n.* 15. *pag.* 429. *n.* 16. *pag.* 430. *& n.* 84. *pag.* 458. Italicè edidit discursum, cui titulus

Della Logica diligentemente osservata dal R. P. M. Gio: Antonio Brandi Siciliano di Salemi nel suo libro del Rosario. Romæ typis Caroli Wllietti 1601. in 16. cum eodem Rosario.

BETARMEN (Betarnem nonnulli vocant) Siculus Medicus, ex Auctore tractatus *de medecinis expertis*, qui Galeno tribuitur, & ut observat Andreas Tiraquellus *de nobil. cap.* 31. *pag.* 264. Id ipsum habet Grossus *in decacord. Catan. tom.* 2. *p.* 151. qui inter Catanenses accenset. Scripsit: *De Medicina.* Quo vixerit tempore ignoratur.

BION Syracusanus Poeta Bucolicus, doricâ linguâ carmina modulatus, antiqua tempora illustravit. Nonnulli Smyrnęum Bionem fuisse tradunt, inter quos Suidas *tom.* 1. *pag.* 1302. & Stobeus *ser.* 185. *pag.* 624. attamen eruditissimus Joannes Vigintimillius *de Poetis Siculis Bucolicis cap.* 45. *pag.* 401. *& sequ.* multis ostendit Bionem hunc non Smyrnęum, sed Syracusanum fuisse: quod præsertim ex Moscho Syracusano *in Epitaphio Bionis* deducit. Inter Bucolicos Poetas post Theocritum, & Moschum, tertium concedunt locum, ex Suida loc. cit. & Gyraldo *de Poetar. hist. dial.* 3. *pag.* 111. Moschus citatus Bionis præstantiam extollit, cùm scribit

. . . *unà cum ipso,*
Et carmen interiit, periitq: Dorica Musa.

Et exinde

. . . . *periit doricus Orpheus.*

Hinc bucolicâ poesi claruisse, ac famâ celeberrimum fuisse patet. Bubulcus fuit, ut ex citato epitaphio colligitur: ubi etiam veneno sublatum indicatur, cujus mortem satis acerbam eo Epitaphio

taphio Moschus & ipse celeberrimus Bucolicus, & ipsius Discipulus illachrymatus est. Rectè Vigintimillius *cap.16. pag.131. & cap.45. pag.406. & seq.* Iacobi Bonanni sententiam reiicit, qui *in Syracus. illustr. lib. 2. p.286. & 288.* scripsit: Bionem hunc eamdem esse, ac Theocritum, à Moscho sub Bionis nomine deploratum; nam Sole clariùs demonstrat, Theocritum à Bione diversum. Hinc Bionis sepulchrum (non Theocriti, ut perperàm Bonannus cit. *p.* 135. ex eodem epitaphio colligit) Syracusis extitisse dicendum. Claruit Bion circa olymp. 156. ex Vigintimillio cit. *p.* 408. nempè ante Christi Dom. adventum annos 152. Bionis extant

Idyllia, siue potius Idylliorum fragmenta pluries edita, præsertim à Ioan. Crispino cum operibus Moschi Syracusani 1570. & cum Theocrito, Moscho, & aliis, additis notis ejusdem Crispini *1612.* in 16. Prodiere etiam cum Theocriti, Moschi, & Simmii carminibus, & græcis scholiis in Theocritum ex recensione Danielis Heinsii, & Iosephi Scaligeri, Isaachi Casauboni, & ejusdem Heinsii notis, & lectionibus ex typograph. Commelliana in 4. Habentur etiam inter poetas Græcos heroici carminis ab Henrico Stephano excusos 1566. in fol. & à Iacobo Lectio recognitos Genevæ 1606. in fol. Bonaventura Vulcanius latinè vertit Bionis Idyllia, quæ latinis carminibus reddidit, ac scholiis illustravit, ex Hieronymo Ghilino *in Theatr. Viror. Liter. par. 2. pag.* 48. & Crasso *de Poetis Græcis p.* 92. Fulvius Vrsinus Romanus collegit græca novem illustrium Fœminarum carmina, septem Lyricorum, Bucolica Bionis, & alia, quæ latino versu expressa à Laurentio Gambara prodiere Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1568. in 8. Nonnulla Bionis fragmenta leges apud Stobæum *serm.* 117. 124. 141. 159. 184. 185. 261. *& in sermonibus physicis* ejusdem. Horum Idylliorum magis integer est illud inscriptum *Epitaphium Adonis*, ab aliquibus Theocrito ascriptum, & inter Theocriti Idyllia ex editione Andreæ Divi vigesimotertio numero datū: attamen Ioachimus Camerarius, & Crispinus in notis, Bionis putant; ita & Franciscus Patritius *in poetica decad. histor. lib.* 1. *pag.* 120. Præter Idyllia Gulielmus Canterus *nov. lect. lib.*8. *cap.*3. & Gaspar Bartius *Adverf. lib.*7. *cap.* 21. *& l.* 21. *cap.* 14. scripsisse testantur

Epithalamium in nuptiis Achillis, & Deidamiæ. De Bionis Idylliis, & fragmentis, aliisque carminibus consule eruditissimum Ioannem Vigintimillium *in poetis Bucolicis cap.* 45. *&* 46. Crasso, *p.*89. & Gyraldo loc. cit.

BION alter à præcedente, ut puto, & ut voluit Gesnerus *in Biblioth. p.* 121. & Bonannus *cit. p.*288. Syracusanus ex Laertio *in Vita Bionis Boristenis*, & Lascari apud Maurolycū *histor. Sicil. l.*1. *pag.*19. De eo etiam Bonannus *loc. cit. & pa.*316. *&* 257. ubi Fazellum *deo.*1. *lib.*4. *cap.*1. *p.*101. & Thomam Porchaccum *in Insulis p.*40. refellit, qui Dionem pro Bione scripsere. Quo vixerit ævo incertum, Scripsit ex Laertio, & aliis

De arte Rhetorica.

Addit Lascaris: *plura composuit.*

BLÆSUS Poeta Comicus Siculus, sed incertæ patriæ. Cum magna sui opinione claruit in Sicilia, aut Magna Græcia, ac doricâ linguâ scripsit teste Isaacco Casaubono *in animad. ad Athenæum lib.*11. *cap.*12. *p.* 810. Inter Siculos poetas adnumeratur à Ioanne Vigintimillio in suo poetarum Siculorum Catalogo, & à Hier. Ragusa *in Elogiis Sicul. p.66. & in Sicil. Biblioth. Vet. p.56.* At Stephanus *de Vrbibus ver. Capriene* p.354. ex Insula Capraria propè Neapolim fuisse scribit; quem sequitur Thomas Pineda *in comment. Auctorum, quos ad testimonium vocat Stephanus p.*758. Patritius *in poet. deç. hist. lib.* 1. *p.* 140. Laur. Crassus *de poetis Græcis pag.* 91. & Vossius *de poetis Græcis pag.* 86. qui inter incertæ ætatis poetas collocat. Casaubonus cit. *lib.* 3. *cap.* 28. *pag.* 215. sub Romano imperio vixisse suspicatur, qui addit, quod Blæsū citat Hesychius. An ex aliis Siculum fuisse eruerit Vigintimillius, vel Casaubonus, qui in Sicilia floruisse ait, mihi incertum. Fuit Seriojocorum poeta ex Stephano, & Patritio. Blæsi has citat Comœdias Athenæus

Saturnum lib. 11. *cap.* 11. *p.*487.

*Mesotribam. lib.*3. *cap.* 27. *pag.* 111.

BLANDINUS Catanensis Monachus Ordinis S. Benedicti. Vivebat anno 1141. ut ex opusculo ab ipso scripto colligimus, ex quo etiā Latias Musas coluisse deducimus. Hunc poetam illum puto à Ioanne Vigintimillio in Catalogo Poetar. Siculorum relatum. Hujus extat opusculum carminibus exaratum

De Miraculis S. Agathæ V. & M. apud Petrum Carreram *Vol.* 2. *hist. Catanæ lib.* 1. *à pag.* 95. Octavium Caetanum *tom.* 1. *SS. Siculor. à pag.*60. & Bollandum *in Actis* SS. 5. *Febr. pag.* 643. de eo etiam Carrera *cit. l.* 3. *pag.* 488. & Caetanus *in animad. pag.* 49. *n.* 21.

BLASCUS JOPPOLUS Panormitanus, ut ex decisionibus Tribunalis Concistorii Garsiæ Mastrilli *lib.* 1. in fine, patet, Juris utriusq: Doctor Salmaticensis, generis nobilitatem doctrinâ illustravit. Causarum patrocinium magna cum laude egit in supremis Siciliæ subselliis: & ab obitis muneribus claruit: nam in Panormitano Prętorio, & Tribunalibus Concistorii semel, & Magnæ Regiæ Curiæ tertiùm Judex sedit. A doctrina celebris Panormi decessit 17. Novembris an.1628. & in Ecclesia S. Mariæ de Victoria Fratrum Minimorū, marmoreo sepulchro cōditus jacet, in quo hęc inscriptio, ejus imagini subjuncta, legitur.

D. Blasco Joppolo Jurisprudentiæ laude celeberrimo, in M. R. C. tertiùm, in S. R. C. T. semel Judicis prærogativa adepto, causarum Patrono ter egregio, cui dicenti Jus plausit, cessitque: dum hìc tandem, urgente fato, invita Republica conticescit, ut illum officiosa posteritas eloquatur, D. Thomas filius Magister Secretus Parenti Optimo pietatis monumentum posuit. Obiit XVII. Novembris MDC. XXVIII. anno ætatis suæ LVI.

Edidit

Allegationes pro spect. D. Aloysia Mastrilli Baronissa Terræ Turtureti contra Syndacum ejusdem Terræ,

Terra, & Regium Fiscum eum eo assistentem. in fol. sine anni, typographi, & loci nota. Habentur, & apud. Mastrillum *lib.* 1. *decisionum in fine*.

Justificationes in causa Camemi, citantur à Josepho Xibecca *in Allegat. in causa Buteræ pag.* 57. *&* 104.

Allegationes in causa Canicattì. ex eodem *pag.* 68. *&* 102.

BLASCUS LANCEA nobilis Catanensis Jurisconsultus celeberrimus, nobilissimæ familiæ suæ, doctrinâ, muneribus, ac bonis, splendorem addidit. Causarum Patronus fuit præclarissimus: in feudali præsertim doctrina singularis, quâ magnam nomini suo famam comparavit. Eloquentiâ claruit, & tum in Sicilia, tum extra Ferdinando Regi, ac Carolo V. Cęsari, multis obitis muneribus, nonnulla præstitit fidelitatis officia. Magnę Regiæ Curiæ fuit Judex, Siciliæ, ut ajunt, Deputatus an. 1508. & 1514. pluries in eodem Regno Vicarius Generalis, & ad Ferdinandum Regem Orator. Anno 1517. in Regis obsequium animi constantiam patefecit: exortis enim seditionibus sub regimine Hectoris Pignatelli Proregis, Blascus Regis studiosissimus multa perpessus est incommoda. Hinc Carolus Rex, exinde Imperator in ipsius promeritorum contemplatione eodem anno Regii Consiliarii munere insignivit, & ut in omnibus Regni Consiliis, ac Tribunalibus præesset, edito privilegio, concessit. Ipse omnium primus familiæ suæ, Trabiæ Baroniam acquisivit, quam nunc Principatus titulo ornatam possidet. A Ferdinando Rege obtinuit ut Trabiæ ager, ac feudum in Baroniam nobilem transiret, ibique oppidum, ac propugnacula extruere liceret, ut effecit. Ducta uxore Laurea Tornabene, Castaniæ Baroniam familiæ suæ revocavit. Tandem honorum plenus obiit Panormi 8. Octobris an. 1535. In Ecclesia S. Citæ Fratrum Prædicatorum sepultus jacet, ubi in ejus è marmore sepulchro, hęc legitur inscriptio.

D. O. M.

Quem solum terris habuit lex utraque Fulmen,
Conditur hoc Blascus Lancea sarcophago.
Vix. Ann. LXIX.
Obiit VIII. Octobris IX. Ind. M.D.XXXV.

Hujus meminere Fazellus *de rebus Siculis dec.* 2. *lib.* 10. *pag.* 603. Pirrus *in Chronolog. Regum p.* 47. *& not. Eccl. Catan. pag.* 94. Aug. Inveges *appar. to.* 3. *Annal Panor. pag.* 89. Jo: Bap. de Grossis *in decac. Catanensi to.* 2. *p.* 146. Mugnòs *in Theatro Geneolog. par.* 1. *pag.* 107. *& par.* 2. *in famil. lancea post pag.* 66. Lucius Marineus *in epistolis lib.* 5. *epis. ad Cataldum Parisium*, *& lib.* 17. *epist. ad ipsum Blascum*, Bonfilius *hist. Sicil. par.* 2. *lib.* 1. *pag.* 408. *&* 412. Andreas Marchesius *in lib. Parlamenti di Sicil. pag.* 378. Marius Cutelli *de donationib. tr.* 1. *disc.* 2. *partic.* 11. *n.* 80. *pag.* 354. Franciscus Milanensis *lib.* 2. *decis.* 1. *n.* 55. aliiq: Blasci hęc extant ingenii monumenta.

Consilium. in *Selectis Consiliis à Petro Luna collectis.* Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol. ubi de eo *cons.* 21. *n.* 19.

Consilium aliud. apud Jo: Franc. del Castillo *lib.* 1. *decisionum Concistorii S. R. C. decis.* 51. *pag.* 287. Panormi apud Angelū Orlandū 1626. in fol.

Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ. in *commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano.* Ibid. apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmaticam Alphonsi de Censibus Annotationes. Apud Petrum de Gregorio de censibus. Panormi apud Jo: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & typis Francisci Ciottæ 1622. in fol.

Commentaria ad cap. Volentes. ex Grosso cit. Franc. Milanensi *in decis. dec.* 1. *lib.* 1. *n.* 37. & alibi, & ex aliis.

Lectura in cap. si aliquem de successione Feudorum. ex Josepho Cumia *in epist. nuncup. suorum carminum, & in repet. ad cap. si aliquem in præludiis n.* 67. qui apud se asservatā m. s. testatur: citatur etiam à Milanense *dec.* 8. *lib.* 1. *n.* 223.

Responsa Feudalia, ex Grosso *cit.* ideoque cum aliis clarissimis in materia feudali Jurisperitis à Camerario Beneventano laudatur, in Responso ad Io: Antonium Cannetium in calcę operis Cannetii *de feudis p.* 369.

Consilia plura, non dum edita, ex Grosso. Milanensis citatus *lib.* 1. *decis.* 8. *n.* 129. citat Blascum Lanceam *in consilio Catanensi*: & *dec.* 1. *n.* 113. *& dec.* 8. *n.* 52. *&* 110. *in Allegationibus Feudi Casbæ.* Ioseph Xibecca *in allegat. Buteræ pag.* 62. citat Blascum *in causa delli Maccari, in causa Calatabellottæ, & in causa Linguægrossæ.*

Allegationes in causa Mazoli. citantur à Muta *in capit. Reg. to.* 2. *cap.* 28. *n.* 140. *&* 192.

BLASIUS BURGENSIS Capuccinus, Neapolitanæ Provinciæ Concionator, vir doctus, ac Poeta eruditione clarus, qui teste Dionysio Genuense *in Bibl. Capuccin. pag.* 47. Edidit suppresso nomine

Carmina plura heroica latina, & Epigrammata de Sanctis. Panormi 1648.

BLASIUS DRACO Panormitanus Iurisconsultus, natus anno 1621. inter causarum Patronos claruit cum laude, à doctrina, & eruditione celebratus. Anno 1664. & 1669. in Panormitano Pretorio Iudex sedit. Anno verò 1674. Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Iudex: electus etiam an. 1677. Iudex Magnæ Regiæ Curiæ, decessit Panormi eodem anno. In Ecclesia S. Ignatii M. Congregationis Oratorii Panormitani sepultus jacet, hoc Epitaphio cohonestatus.

D. Blasio Draco V. I. D. Regioque Consiliario, ac D. Flaminiæ Ciafaglione parentibus dilectissimis, D. Casimirus filius jam à Consil. S.C.M. perennitati ut daret, à quibus vitam accepit, sepulchrale depositum posuit Anno M.DC.XC.

Edidit

Allegationes, penes Franciscum Magretti *in observ. ad const. Pragm. Ducis Sermonetæ decis.* 4. *n.* 11.

Allegationes scriptas unà cum Francisco Miroldo, & Benedicto Fernandez apud Paulum Franc. Perramutum *in conflictu Jureconsultorum par.* 3. *to.* 1. *à pag.* 392.

BLASIUS MILITELLO ex Urbe Castriveterani natus 10. Decemb. 1639. Iurisprudentiæ addictus

tus Doctoris Lauream accepit Catanæ an. 1661. Doctrinâ insigniter excultus causarum Patronū egit: & in magni Siciliæ, Insularumque propinquarum Architalassi Curia Iudex perpetuus constitutus est. Dum hæc scribimus an. 1706. Messanæ etiam Iudex sedet, non sine integritatis laude. Astronomicas disciplinas egregiè callet, quas eruditione illustrat. Quæ edidit hæc sunt.

Allegationes in successione Comitatus Valentiæ status Mediolani pro D. D. Petro Fernandez de Castro Gattinaria Comite Lemense, & Castrense, Regni Peruani, & Indiarum Terræ firmæ Prorege. Panormi apud Dominicum Anselmum 1672. in fol.

Iuridica lucubratio pro Regni Siciliæ, eique condiacentium Insularum Vice-Admiratibus, in edictum adversus eorum Iura, & Jurisdictiones nuper publicatum. Accessit appendix de Magni Admiratus officii præstantia, ejusque Magnæ Curiæ Jurisdictione, & Gravaminibus. Ibid. typis Augustini Epiro 1696. in fol.

BONAVENTVRA ANGILERIVS Marsalensis Ord. Minorum Conventualium S. Francisci, vir à doctrinæ profunditate clarissimus, magnam sui opinionem ubique excitavit. Venetiis Theologus fuit Marci Antonii Justiniani illius Reipublicæ Ducis: mox Generalis Vicarius Ordinis sui Matrici constitutus. Exin se ad Patres Observantiæ transtulit, inter quos vivit. Ipsum laudat Io. Franchinus *in Bibliosophia, sive de script. Ord. Min. Conv. p.* 110. & Coronelli *in Bibliotn. tom.* 5, *n.* 2984. *pag.* 777. Edidit opus inscriptum

Lux Magica Physica &c. Cælestium Terrestrium, & Inferorum origo, ordo, & subordinatio cunctorum, quo ad esse, fieri, & operari, viginti quatuor voluminibus divisa. Pars prima de Imaginibus totius Mundi, primordiis cunctorum rerum, præcisè verò de re metallica, tum theoricè, tum mechanicè. Venetiis sumptibus Pontii Bernardini 1686. in 4. sub nomine Lysii Becani.

Lux Magica Academica. Pars secunda, primordia rerum naturalium, sanabilium, infirmarum, & incurabilium continens: insuper de lapide Physico, Mercurio nothò. Ibid. typis Io. Bapt. Tramontini 1687. in 4.

Alia paravit usq; ad numerum 24. voluminum.

BONAVENTVRA BATTALEA Ciminnensis Tertii Ordinis S. Francisci Sacræ Theologiæ Magister, & anno 1616. Ordinis sui Definitor Generalis, teste Bordono *in chronol. Tertii Ord. S. Franc. cap.* 13. *n.* 52. *pag.* 317. Non minus gravioribus disciplinis, quàm amœnioribus insigniter excultus. Hujusce viri extat italicè

Discorso dell' Arte Metrica diligentemente osservata dal R. P. M. Gio. Antonio Brandi Siciliano di Salemi nel suo libro del Rosario. Romæ typis Caroli Willetti 1601. in 16. cum eodem Rosario

BONAVENTVRA BELLVTVS Catanensis Ord. Minorum Conventualium S. Francisci, vir celeberrimus, Philosophus, & Theologus doctissimus. Post humaniores literas, Iurisprudentiæ ingenium admovit: sed vitæ præstantioris studio exstimulatus, memorati Instituti habitum suscepit Catanæ. Unà cum P. Bartholomæo Mastrio Philosopho, ac Theologo clarissimo in Collegio Romano S. Bonaventuræ gravioribus disciplinis operam dedit; ubi ex ingenii æqualitate, ac pari ad literarum studia propensione, tenacissimis literariæ, ac cordatæ amicitiæ vinculis sese astrinxere: magnâque ingenii laude in gravioribus studiis primas inter sodales suos obtinuere. Hinc cùm animadverterent in Scoti lyceis jam nunc, velut aliquibus limitibus à præceptoribus constitutis, opus esse sublimioribus ingeniis philosophica spatia laxare, & altiùs progredi: collatis mutuo consiliis, hanc provinciam suscipere decreverunt: ideoque inito fœdere, novum Philosophiæ curriculum, Scoti doctinæ inhærentem, instituere cordi fuit, novis, ac præstantioribus doctrinis refertum. Hinc Superiorum facultate, ne separatione ingenii conatus dissolverent, absolutis studiorum spatiis, ac Magistrali laureâ redimiti, in Cesenæ Academia insimul electi studiorum, ut vocant, Regentes, Philosophiam docuere, eò animi consensu, ut eadem lingua loqui, eodem calamo scribi, eodem ingenio speculari viderentur. Ibique, & Meldulæ, in studiorum vacationibus secedentes, collatis doctrinis, ac rationibus, unanimi ingenio, Parvam logicam concinnarunt, summulas tantummodo complectentem, ac typis non sine laude edidere. Inde ad studium Perusinum insimul Regentes translati, cum dubitarent, quòd alius Scoti discipulus Philosophicum cursum edere cogitaret, ut locum præoccuparent, relictâ Logicâ, octo Physicorum libros evulgarunt Romæ, quos tanto cum plausu excepere omnes, ut ne multis deficerent, opus fuerit statim Venetiis, Neapoli, & alibi recudere. Eâ approbatione ipsorum doctrinam demirati sunt sapientissimi viri, ut ad ipsos epistolas gratulationibus cumulatas advolaverint, præsertim à N. Centino S. R. E. Cardinali egregio Philosopho, ac Theologo, aliisque primariis Philosophiæ professoribus; præsertim à Luca Petroski Crocoviensis Academiæ Philosopho, qui etiam ejusdem denunciavit, hujus operis contemplatione, jam designatam fuisse Scoto Philosophicam Cathedram in Cracoviensi lyceo. Denique Academiæ omnes Scoti vestigiis inhærentes, magnâ aviditate horum doctrinam amplexi sunt: adeout scientiâ expertes viderētur, qui ipsorū opinionibus non adhærerent; quod & aliis ipsorum voluminibus, successivè excusis obvenisse scimus: ac hodie magnâ cum veneratione in scholastico pulvere demirantur, aliisque doctrinæ facem præferunt. Inde ad Patavini Studii cathedras evecti, Venetiis alia ingeniorum monumenta edidere, ab adversariorum jaculis strenuè propugnata. Theologiam etiam summo cum plausu docuere: adeo ut doctrinæ profunditate egregios, inter absolutissimos illius ævi Theologos adscripserint omnes. Sed post diuturnam annorum cohabitationem, ac unanimem studiorum laborem, tandem Bellutus noster Definitoris perpetui honore cohonestatus an. 1640. in Siciliam regressus est: ubi etiam Drepani studiis præfuit. Inde 24. Octobris anno 1645. Sici-

Siciliæ Provincialis electus est, ac summa cum prudentia, ac laude Provinciam gubernavit: ibique etiam Commissarium Generalem egit. Ab Episcopis Catanensibus, aliisque Siciliæ Dynastis magnâ æstimatione prosequutus, ipsum passim ob doctrinæ præstantiam consulebant: ideoque remissis aliquantulum scholasticis studiis, Theologiæ Morali, ac canonicis juribus egregiè sese instruxit. Honoribus auctus, Sanctiss. Inquisitionis Siciliæ fuit Consultor, & Censor; Camilli Astalli S. R. E. Cardinalis, & Michaelis Angeli Bonadies Episcoporum Catanensium Assessor. Dum vixit in Conventu Catanensi disciplinæ Regularis vigor mirificè enituit; in ipso enim tum graves, tum exemplares effulsere mores: modestiâ, & integritate insigni, ac observantiæ tenacissimo. Tandem obiit Catanæ 18. Maii an. 1676. ætatis suæ 77. Emeritis elogiis tantum exornant virum Ioannes Franchinus *in Bibliosoph. nu.53.pa. 86. & seq. & num.64. pag. 111. & seq.* Philippus Cagliola *explorat.3. manifest.1. Prov. Sicil. Ordin. Minor. Convent. pag.75.* Franc. Bordonus *in Chron. Tertii Ord. S. Francisci cap. 37. num. 8. pag. 543.* Ioan. Bap. de Grossis *in decacor. Catan. tom.1. pa. 149.* Wadignus *de scrip. Minor. pag. 50. & 81.* & Bonaventura Theuli *in Triumpho Seraphico*. Quæ edidit insimul cum Mastrio hæc sunt.

Logica parva. in 8.

Disputationes in Organum Aristotelis, quibus ab adversantibus tum veterum, tum recentiorum jaculis Scoti Logica vindicatur. Venetiis 1639. in 4. Ibi l. apud Ginamum 1646. in 4. & Neapoli typis Novelli de Bonis 1660. in 4.

Disputationes in octo libros Physicorum. Romæ typis Ludovici Grignani 1637. in 4. Venetiis quater, & Neapoli.

Disputationes in libros de Generatione, & Corruptione. Venetiis per Ginamum 1640. in 4.

Disputationes in libros de Cœlo & Mundo, & Metheoris. Ibid. apud eumdem 1640. in 4.

Disputationes in libros de Anima. Ibidem apud eumdem 1643. in 4.

Post repetitas editiones, tandem prodiere has omnes disputationes quinque Tomis comprehensæ, cum hac inscriptione: *Philosophiæ ad mentem Scoti Cursus integer.* Venetiis apud Nicolaum Pezzana 1688. in fol.

Scorsim sine Mastrii opera edidit etiam

De Incarnatione Verbi Dei. Catanæ typis Io: de Rubeis 1645. in fol.

Moralium opusculorum miscellaneo apparatu, atq; Resolutionum librum posthumum. Ibid. typis Bisagni 1679. in fol.

Ex Bonav. Theuli *cit.* prelo paraverat opus

De Sacramento Eucharistiæ.

BONAUENTURA CONOCCHIELLA Netinus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Theologus, ac concionator disertissimus. Doctrinâ claruit, eloquentiâ excelluit; ideoque non sine plausu quadragesimales habuit conciones in nonnullis Siciliæ civitatibus. Sodales suos scholasticam, & moralem Theologiam docuit, & Lectoris, ut ajunt, Jubilati, & Definitoris in Panormitana Provincia gradum obtinuit. Musis etiam amicus, multa egregiè cecinit. Floruit circa an. 1665. Edidit italicè

La Colomba Mistica, ed il Confaloniero Santo, discorsi Panegirici in lode di S. Nicolò Vescovo di Mira Titolare del Duomo: e di S. Conrado Eremita Patrono della Città di Noto. Cosentiæ apud Jo:Bap. Mojum, & Jo: Rossum 1663. in 4.

L'Abisso Angelico discorso Panegirico in lode di S. Tomaso d'Aquino. Catanæ apud Josephum Bisagnium 1666. in 4.

BONAUENTURA S. ELIA Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci, natus 31. Augusti 1660. Deo se dicavit anno 1675. & emissa professione, Romæ in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam studiorum curriculum sub P. Antonio Cotonio Theologo eximio confecit, magna cum ingenii præstantissimi laude. Theologicâ Magistri laureâ cohonestatus, statim doctrinæ profunditatem, vix Diaconi charactere insignitus, docendi munere patefecit. Romæ Philosophiam in eodem Collegio explanatam tradidit, & ibidem, ut vocant, studiorum Regens scholasticam Theologiam per multos annos, amplissimo auditorum progressu docuit. Hinc ad nonnullos honorum gradus meritò evectus est. Regentis, & Examinatoris Generalis munus accepit. In celebri Sapientiæ Academia à secretis electus, & Siculæ Provinciæ Discretus, ut ajunt, fuit constitutus. Totius Ordinis Generalem Procuratorem egit. In Conciliorum Academia in Romano Cœnobio Sanctor. Cosmæ, & Damiani, mox in Collegio de Propaganda Fide, cooptatus est. Sacræ Congregationis Indicis Consultor, & Inquisitionis Romanæ Censor enunciatus, doctrinæ splendoribus longè, latèque effulget. Vivit nunc Romæ ne dum apud sodales suos, quàm extrà magnâ æstimatione prosequutus: multis S.R. E. Cardinalibus, olim Innocentio XII. nunc Clementi XI. Pont. Max. gratissimus: adeout è Romano Theatro virum egregium nec recedere patiantur. A gravioribus studiis nunquam feriatus semper insudare conspicitur, ut responsa laudatis Congregationibus redderet de gravissimis rebus, in quibus suam persæpè sententiam exquirunt. Sæpè etiam ad publicas disputationes accersitus, etsi extemporaneus disputator, scientiarum excellentiâ, & ingenii acie præclarissimam sui admirationem excitat. In eo demum Regularis observantiæ exemplar, Catholicæ religionis zelum, in promovendis, fovendisque scientiis studium singulare, Subtilissimi Doctoris imaginem, & Ecclesiasticæ eruditionis thesaurum, intuentur omnes. Ioannes Patritius Spalatensis in Urbano de propaganda fide Collegio *in epist. in Synops. Concil. Orient. nostri Bonaventuræ par. 2. pag. 161.* egregium, & doctum virum, & Antonius Schiara Cl.Reg. *in Theologia Bellica*, Subtilem Theologum, & Canonistam Bonaventuram vocant. Quæ edidit hæc sunt.

Synopsis Oecumenicorum Orientalium Conciliorum, in qua præter historiarum notitiam, Hæresum proscriptionem, Canonumque Breviculum, Propositiones aliquot

aliquot in Conciliorum, & Apostolicæ Sedis favorem defenduntur adversus recentiores Impugnatores. Pars prima, & secunda. Romæ typis Angeli Bernabò 1687. in 12.

Tabulam Conciliorum à P. Antonio Celestri editam, multis addictionibus locupletavit, & in duas partes dissectam recudere studuit, hoc adjecto titulo:

Conciliorum Oecumenicorum Schema in duas partes distributum, quarum prior quæ in Oriente, posterior, quæ in Occidente sunt celebrata complectitur. Romæ typis Angeli Bernabò 1700.

Expurgavit Sacræ Congregationis Indicis jussu, locupletavit, ac indicibus illustravit opus G. Marcl inscriptum. *Prospectus Chronologiæ*, Ibidem apud Franciscum Buagnum 1695. in 4.

Multas dogmaticæ Theologiæ lucubrationes, in orbis literati beneficium, & Catholicæ Fidei obsequium ab ipso in lucem emittendas speramus, præsertim

De Infallibilitate Summi Pontificis suprà, & extrà Concilium in materia morum, & Fidei.

De sufficientia veræ Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam justificationis.

De Oecumenicis Conciliis Occidentalibus.

Synodus Orvietana.

BONAUENTURA MURCHIUS Alicatensis Sacerdos, Juris utriusque, & Sacræ Theologiæ Doctor, Natus 26. Octobris 1617. à teneris unguiculis futuræ sanctimoniæ specimen dedit. Humanioribus literis addictus, ingenii acumine, ac virtutum præstantiâ non sine ludimagistri admiratione inclaruit. Clericali militiæ adscriptus graviores disciplinas summa cum laude amplexus est. Exinde Italiæ peregrinationem aggressus, Romam, ac Neapolim diu inhabitavit. Spretis non semel nuptiis, ac Cacodæmonum insidiis contra castitatem superatis, virginalem pudicitiam illibatam servavit. Ad severiorem vitæ institutum non uno signo per quietem vocatus, in Siciliam remeavit, càque patriæ lætitiâ exceptus est, ut in triumphi speciem arcus crexerint cives sui, variisque elogiis, ac carminibus Bonaventuræ merita extulerint: ipse verò ut grates rependeret, disertissimam orationem latinè habuit. Medicâ facultate dum nimiùm oblectabatur, cum Carolo de Thomasio tunc Palmæ Duce, qui quartanæ morbo vexabatur, amicitiam contraxit, & exinde eâdem cum Julio de Thomasio ejus fratre protraxit. Hac occasione Palmam incoluit, ubi accolarum exemplo, pietatis, ac virtutum studiis animum adjecit. Sanctiss. Eucharistiæ cultui impensè addictus, sacris ritibus alios erudivit, ut in ecclesiasticis obeundis rebus, decor effulgeret. Vt aliorum beneficio operam daret sacris initiatus, tum humanas literas, tum Philosophiam docuit. Ægrotorum curâ sine aliqua stipe suscepit: eisdem inservire consuevit, ac non semel eorum ulcera suggere visus est. In pauperes profusus, pluries sese vestibus exuit, ut ipsorum nuditatem operiret. Bonaventuræ pietas præsertim anno 1646. enituit, dum in Sicilia annonæ caritas, morbique exitiales grassabantur. Orationis studio excelluit, ex qua mentis irradiationes, ac cælestes delicias abûdè exhausit. Cùm gravi morbo laboraret, sibi gloriam, sedemq; paratam ostendit Deus. Sanitati contra Medicorum judicium restitutus, Leocatæ insanabilium Nosocomium, quibus potuit sumptibus, excitavit: & Viam Crucis instituit, ad alterius similitudinem, quam Palmę Dux eo in Oppido, insigni religione instituerat. Novum Eremitarum Institutum in eodem Palmę oppido excitavit, ubi vitæ socios collegit, ac scriptis constitutionibus, quæ animarum beneficium, & Sanctiss. Eucharistiæ cultum spectarent, sodales omnes Clericos Minimos Sanctiss. Sacramenti appellavit; Institutum verò Alexander VII. Pont. Max. dato diplomate 30. Maii 1660. approbavit. Exinde eremiticæ vitæ cultor eximius in divina psalmodia ritè persolvenda, in oratione, corporis cruciatibus, silentii observantia, paupertatis amore, in hospitibus peramanter excipiendis, & inserviendis, in Sanctiss. Sacramenti, Templique cultu, aliisque Eremi legibus, omnibus præivit, ac sanctissimè prætulit. Hinc Asceterii famâ longè, latèque diffusâ, innumeros è remotissimis Provinciis evocavit, ut loci sanctimoniam venerarentur: adeout Sacerdotes divinis officiis, vel confessionibus excipiendis occupati, quandoque prandium usque ad noctis horas differre, vel prætermittere cogerentur. At dum indefesso labore præ omnibus desudabat Bonaventura, fractis jam viribus, supremum contraxit morbum, & editis eximiæ virtutis exemplis, magnâ sanctitatis famâ in eodem Palmę eremo decessit 15. Novembris 1663. Ad defuncti cadaver ne dum Palmenses, verùm etiam propinquarum Urbium incolæ, magnâ frequentiâ confluxere, ejusque vestes discindere, ac pilos evellere haud abstinuit, quorum ope mira patrata narrant. In ejus laudem funebris oratio recitata: & præclara vitæ gesta Angelus Pecorella scripsit, quæ inedita, forsan periere. At denato Bonaventura, ac si illius ædificii angularis lapis excidisset, deficientibus paulatim severioris vitę cultoribus, eremus illa dissoluta corruit. Qui de Bonaventura plura cupit, consulat Franciscum Mariam Maggium *de sacr. Cærem. tom. 1. opusc. 3. disquis. 24. à pag.* 459. Blasium à Purificatione *in Vita Julii Thomasii lib. 1. cap. 23. & 24. à pa.* 118. & Joannes Bonifacius Bagatta *in Vita Caroli Thomasii par. 1. cap. 21. à pag. 139. & seq.* Evulgavit opus inscriptum

Biceps Anagrammatismi Epitome, in qua præter lege. radicis, & anagrammatis, regula cunbinationum traditur ab auctore jam jam inventa, qua scilicet Anagrammata possibilia ex quocumque termino deducantur omnia. Neapoli typis Francisci Savii 1638. in 8.

BONAVENTVRA DE RVBEIS Ceramensis Tertii Ordinis S. Francisci Sacrę Theologię Magister, tum doctrinâ, tum etiam vitę integritate conspicuus. Multa nę dum ad sui honorem, quam ad Ordinis beneficium accepit. Procuratoris Generalis munere insignitus effulsit. Meridionalium Provinciarum Commissarius Generalis, &

Siculæ Provinciæ Visitator constitutus, regularem observantiam instaurare curavit. Virtutibus abundè ornatus enituit. Romæ ædificia Collegii Siculi S. Pauli ad Arenulam, ejusque Ecclesiam amplificare studuit. Diu cum Ordinis splendore sodales juniores sanctè instituit. Morum comitate, in proximos charitate, & observantiæ zelo eminuit. Virgines multas in sæculi viis periclitantes, emendicatâ ab aliis dote, non sine magno labore, in gynecæis Deo dicavit: aliasque mulieres in carnis illecebras fœdè prolapsas ad meliorem frugem revocavit. Orationis studio incubuit; ciliciis, flagellis, & abstinentiâ corpus edomuit. Paupertatem mirificè coluit. Pietate insignis, Divam Annam singulari animi sensu recoluit: eoque instante Romæ in memorati Collegii Ecclesia, publicè omnium venerationi Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum perpetuò exponitur. Per annos ultra 30. Romam inhabitavit, ubi præcipuis Matronis, nobilitate clarissimis, fuit à confessionibus; ibique semper ejus modestia mirabiliter effulsit. Egregiis his, aliisque virtutibus, ac in rebus agendis dexteritate, Dynastis, Principibus viris, S.R.E. Cardinalibus gratissimus vixit, qui summâ quadam æstimatione Bonaventuram semper inspexere. Ideoque difficillima sæpè negotia communicare, ac conscientiæ arcana ipsi pandere consuevere; & à confessionibus, cõsiliisq; eorumdem nonnulli delegunt, ac in supremo morbo invisere. Doloribus sævissimis per duos propè menses cruciatus, invictæ patientiæ exempla reliquit: ac editis singularis pietatis documentis, & acceptâ à Pontifice Peccatorum indulgentiâ, quam sibi per Ordinis Generalem misit, Divinæ voluntati conformis, piissimè decessit Romæ 28. Martii 1701. anno ætatis suæ 75. magno cum suorum, & nobilium virorum, ac mulierum dolore. Funus maximo confluentium numero celebratum à supremo Ordinis Moderatore: ejusque præclaræ virtutes, omnium præconiis acclamatæ, perennem eximio viro famam addidere. Ipsum laudat Bartholomæus Piazza *in Eusevologio Romano cap. 31. p. 162.* Scripsit italicè

Constituzioni del Rever. P. M. Bonaventura Rossi del Terz' Ordine di S. Francesco &c. publicate, e accettate nel Capitolo Provinciale celebrato nel Convento di S. Maria della Misericordia della Città di Palermo a 18. di Settembre 1678. Panormi apud Barberam, & Orlandum 1678. in 12.

BONAVENTURA SECUSIUS nobilis Calathajeronensis Ordinis Observantium S. Francisci, vir eximio præditus ingenio. Ab anno 1558. Studiis dicatus in Catanensi Academia, inde Religionis institutum amplexus est. Gravioribus disciplinis excultissimus, Sacræ Theologiæ Lector, & Concionator, eloquentiâ claruit. Ob doctrinam, animiq; dotes, egregiis virtutibus conditas, mirum in modum effulsit. Eximiâ in rebus agendis dexteritate excelluit; ideoque nonnullis muneribus, ac honoribus cumulatus est: in ordine enim tyronum Magister, Custos, Definitor, & Provinciæ Moderator inter suos enituit. A Cæsare Marullo Archiepiscopo Panormitano an. 1580. Diœcesis Panormitanæ Visitator constitutus: annò verò 1593. totius Ordinis Generalis electus est. Religionem Septennio, eo observantiæ zelo, pietate, ac vigilantiâ rexit, ut adhuc ejus memoria in constitutionibus editis ad Ordinis beneficium vigeat. Reformationem, ac Ordinis Recollectionem in Gallia, & Belgio promovere studuit. A Clemente VIII. Pontif. Max. Legatus in Galliam missus, ut pacis jura firmare curaret inter Hispaniæ, & Galliæ Reges, magnis exantlatis laboribus, ejus eloquentiâ, & operâ, ad optatum pacis vinculum utrumque Regem filiciter redegit. Hinc à Clemente in laborum præmium Canonicus Basilicæ S. Petri primùm, mox Patriarcha Constantinopolitanus electus: & à Philippo III. Catholico Rege Pactensis Episcopus an. 1600. enunciatus est. Apostolicæ Sedis Nuncium in Belgio, ac Sabaudia egisse tradunt: & purpureo galero ornatus refulsisset, ni invidiæ astus Pontificis mentem avertissent. In Pactensi Ecclesia multa vigilantiæ argumenta reliquit, usque dum an. 1605. ad Archiepiscopalem Messanæ sedem translatus est. Ibidem Clericorum Seminarium absolvit, & an. 1609. in Regni Comitiis præfuit. Dum autem seduli Pastoris partes explere satagebat, & Diœcesanorum clamores, ac Messanensium molestias egrè ferret, quietis desiderio ad Catanensem Episcopatum se transferre curavit an. 1609. Catanensem Ecclesiam pari vigilantiâ, ac doctrinæ splendore gubernavit, & iterum an. 1612. Regni Comitiis præfuit. Synodalibus decretis Ecclesiasticorum mores cohibuit, Cathedrale Templum nobilissimis auleis, ac sacrâ supellectili ornavit: porphyreticũ tabernaculum pretiosis lapillis contextum in SS. Eucharistiæ honorem erexit: Clericorum Seminarium in meliorem transtulit locum, & ædificiorum magnificentiâ nobiliorem effecit: aliaque laudabilia edidit. Demum meritis plenus extremum clausit Catanæ 28. Martii 1618. & in sepulchro è marmore conditus est: ibique hæc legitur inscriptio.

D: O. M.

Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Fratri Bonaventuræ Secusio Calatageronensi, viro non minus generis, quàm virtutum splendore percelebris, Franciscanæ Familiæ Generali Ministro, Sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII. Pontificis Nuncio, Pacis inter Philippum II. Hispaniæ, & Henricum IV. Galliæ Regem, aliosq; Duces Mediatori, Patriarchæ Constantinopolitano, Pactarum Episcopo, Archiepiscopo Messanensi, ac demum Catanensis Ecclesiæ Præsuli dignissimo, hoc immortalitatis tropheum in mortalibus statuerunt, ne victæ oblivioni victor unquam sive laude succumberet. Obiit Catanæ die XXIX. Martii M. DC. XVIII. ætatis suæ LX.

De eo fusius Ab. Pirrus *not. Eccl. Messan. pag. 378. not. Eccl. Catan. pag. 69. Syracus. pag. 233. & Pacten. pag. 415.* Joannes Bap. de Grossis in *Catana Sacra pag. 276. & in decac. Catan. tom. 1. cord. 2. modul. 8. p. 150. & tom. 2. cord. 10. pag. 166.* Petrus Matthæi *hist. lib. 2. narr. 2.* Bonfilius *hist. Si-*

cil. par. 3. *lib.* 1. *pag.* 25. *& lib.* 2. *pag.* 40. Wadignus *de script. minor. pag.* 83. Lipsius *cent.* 3. *epist.* 56. Homerus Tortora *lib.* 21. *p.* 3. *hist.* Cõsales Meneses in Vita Philippi II. Petrus Paulus Morretta *de Calathajerono cap.* 11. *pag.* 42. Franc. Privitera *Ann. Catan. pag.* 226. Barezzus Barezzi *chron. S. Franc. par.* 4. *tom.* 2. *lib.* 8. *c.* 84. *pag.* 747. Fortunatus Hueberus *in Menolog. Franc.* 28. *Feb. p.* 612. Dominicus à Gubernatis *in Orbe Seraphico tom.* 2. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 666. Petrus Marchant. in calce operis, *fundament. duodecim Ord. FF. Minor. pag.* 254. Hofmannus *lexic. tom.* 1. *pag.* 296. & 345. Petrus Carrera *epigr. lib.* 3. *pag.* 139. Thuanus *hist. l.* 118. *an.* 1597. & *seq.* aliiq; Edidit

Statuta, Constitutiones, & Decreta pro salubri regimine totius Seraphicæ Religionis. Extant apud Michaelem Angelum de Neapoli *in chronolog. Ord. S. Francisci tom.* 1. Neapoli ex typograph. Camilli Cavalli 1650. in fol. *à pag.* 362.

Pacis initæ inter Philippum II. Hispaniarum, & Henricum IV. Galliarum Reges Historiam. ex Wuadigno.

Constitutiones Synodales Ecclesiæ Catanensis, quæ habentur in Regestis Curiæ Episcopalis Catanæ. ex Grosso *in Catan. Sacra pag.* 278.

BONAVENTURA STABILIS Drepanitanus Ordinis Conventualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister, natus anno 1586. poesi, & eruditione claruit, tum à politioribus literis, tum etiam à sacris studiis insignis. Vitæ integritate, & inter suos auctoritate eminuit. Calatafimi Cœnobium instauravit, ibique ejus effigies in claustro adhuc spectatur. Obiit in oppido Partannæ ubi Ordinis sui Cœnobium ædificiis, & annuis proventibus amplificavit. Floruit an. 1648. Hujusce meminit Philippus Cagliola *explor.* 3. *manifestat.* 5. *Provinciæ Sicil. Minor. Conv. pag.* 134. & 138. & Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito de Virgine Drepanit. cap.* 23. *pag.* 787. Edidit

Viridarium Seraphicum mistellaneorum divinæ Agiographiæ apophtegmatum pomariis, nec non D. Bonaventuræ è Franciscbiadum Min. Conv. militia S. R. E. Episcopi Cardinalis, seu Doctoris Anthonomasticè Seraphici, laurum, floribus consitum ad verbi Dei declamatorum, & poetantium oblectamentum, epico effigiatum penicillo, inspiciendum obiicitur. Panormi apud Petrum de Isola 1648. in 8.

Scripsit etiam

Davidis Gesta heroico carmine: &

De opere sex dierum.

BORNASIUS Siculus, sed incertæ patriæ, Ordinis Prædicatorum, doctrinâ, & pietate insignis. Claruit circa annum 1344. Hujus memoria extat apud Gozeũ, Piũ *de vir. ill. Ord. Præd. par.* 2. *l.* 2. *p.* 177. Antoniũ Senẽsem *in Biblioth. Predicat.* Antonium Passevinum *appar. sacr. to.* 1. *pag.* 251. Altamuram *in Biblioth. Dominic. pag.* 118. & Ant. Teisserium *in Catalogo Librorum pag.* 46. qui scripsisse testantur

Vitam S. Dominici, ex illis omnibus, qui testes adjurati super illius sanctimonia, cùm fuerat divorum albo adscribendus de illo testati sunt.

BOTHRYS Poeta. Messanensem fuisse tradit Alcimus *in Siculorum rebus*, apud Athenæum *lib.* 7. *cap.* 20. *pag.* 322. quem sequitur Henricus Valesius *in not. ad Polybium lib.* 12. *ex excerptis de virtutibus, & vitiis pag.* 9. Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 1. *pag.* 175. Cognomen habuit Salpen ex Gyraldo *de poet. hist. dial.* 1. *pag.* 34. Fuit Poeta antiquissimus, argutus: jocos, ac dicteria à Græcis Pægnia Salpe vocata, adinvenit; ita dicta à quodam vario Piscis genere: hujusmodi enim poemata varium habent argumentum, teste Gyraldo cit. hinc Mnasea Colophonius cognominatus est Salpa, nam ea de re integrum edidit librum, ex eodem Gyraldo, & Cælio Rhodigino *lect. antiq. lib.* 22. *cap.* 23. Hoc poematis genus Bothrym adinvenisse auctor est Alcimus apud Athenæum cit. Gyraldus, Reina, & Laurentius Crassus *hist. poet. Græcis p.* 93. etsi perperàm Alexander Sardus *de rer. invent. lib.* 1. *pag.* 49. Mnaseam Colophonium, Salpen Lesbiam, & Bothrym hæc dicteria adinvenisse putet. Hæc autem poemata libidinem olebant, ex Timæo apud Polybium *lib.* 12. *ex excerptis pag.* 52. Quamvis inter Siculos collocetur à Hier. Ragusa *in elogiis Siculor. pa.* 67. ex auctoritate Ioannis Vigintimillii in indice Poetarum, quem suo de Poetis Siculis libro præfixit, attamen addit alios Bothrym Lesbiam fecisse, ex Alcimo apud Gyraldum: sed aliter Gyraldus: en ejus verba: *Nymphodorus Syracusanus Salpen Lesbiam facit Pægniorum auctorem. Alcimus Bothryn Salpen cognomitatam Pægniorum inventricem tradit.* Hæc Gyraldus: ideoque Salpen Lesbiam, quæ pœgnia scripsit à Bothri ipsorum inventore apertè distinguit, ut innui *in addict. ad Siciliam Inventricem Vinc. Auriæ cap.* 29. *p.* 246. ubi typographi incuriâ Salpen Lybiam pro Lesbia substituit. Hinc melius idem Ragusa *in Sicil. Bibl. Veter. pag.* 57. Bothryum Messanensem fuisse tradit, salium, & dicteriorum inventorem, qualia sunt, quæ Salpæ tribuuntur. Ex Alcimo citat. apud Athenæum, Valesio, & Reina vir fuit: at ex eodem Alcimo apud Gyraldum, & Grasso mulier. Quo vixerit ævo incertum est: hoc tantùm constat, antiquissimum fuisse; nam inter Græcos Poetas innumeros, qui hoc carminum genere cecinere, primus, utpotè inventor, fuit: ut rectè ait Reina, qui ad annum Mundi 3647. ante Christi Domini adventum 406. collocat. Nomina verò ejus poematum ignorantur.

BRUNO PACTENSIS Ord. Capuccinorũ Provinciæ Messanensis alumnus, vir doctrinâ, prudentiâ, consilio, & animi magnitudine clarus. Pluries præfuit Cœnobiorum Custos, tyronum Magister, Provinciæ Messanensis Definitor, ac ejusdem Provinciæ Moderator an. 1665. electus. Exinde Panormitanam Provinciam rexit. Prudentiæ verò suæ dotes effulserant in Provinciis Barii, S. Angeli, & Aragoniæ, in quibus Visitatorem, ac Generalem Commissarium egerat. Virtutibus eximiis ornatus claruit: modestiam præsertim ita usque ad supremum vitæ diem coluit, ut intuentes, ad virtutem amplectendam mirificè excitaret. Obiit in Cœnobio Turturicis an.

an. 1677. Hujus meminit Martinus Torrecilla in *speculo Seraphicæ Religionis pag.* 230. & Dionysius Genuensis *in Bibliotheca Capuccinorum pag.* 70. qui scripsisse ait librum

De Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione.

C



ÆCILIUS Calactinus ex antiqua Siciliæ Urbe Calacta, teste Suida *to. 1. dict. pag.* 1424. quod non solum Casaubonus, & Vossius tradunt, sed etiam contra Jac. Dalechampii lapsum Siculũ defendunt. Casaubonus Athenæi locum de Cæcilio *lib. 6. cap. 26. pag.* 272. vertit: *Cæcilius Rhethor in Acte pulchra genitus.* & *lib.* 11. *cap.* 3. *pag.* 466. vertit etiam: *Cæcilius Rhetor in Attica pulchra natus.* Sed Dalechampius Græcam vocem *Kalis Actis*, perperàm traduxit, *Attica Pulchra*: nam ut perpendit contra Dalechampium Casaubonus *in animad. ad Athenæum lib. 6. cap. 21. pag.* 468. *Kalis Actis*, est Calacta, græcè, *Pulchrum litus*, Urbs Siciliæ, ita à loci amœnitate dicta. *Quia legimus*, ut ait Casaubonus, *Atticam aliquando fuisse Acten appellatam, putarunt docti sic accipiendam hoc loco eam vocem, ac vertunt in Acte pulchra genitus. Sed errant hic quoque viri optimi. Hic enim est Cæcilius Rhetor Siculus, qui Romæ floruit æqualis, & amicus Dionysio Halicarnasseo. Meminere Cæcilii præter Dionysium Quintilianus, Longinus, aliique veteres. Kali Acti, nomen est Oppidi in litore Septentrionali Siciliæ.* Casaubonum sequitur Vossius *de hist. Græcis lib. 2. cap. 4. p.* 178. qui ait: *in Attica natus fuit si credimus Dalechampio, qui lib. 6. & 11. Athenæi ubi græcè est Kaicilos vertit Cæcilius Rhetor in pulchra Attica genitus. Sed non venit ei in mentem . . . . notare Siculum litus, inque eo Civitatem Siciliæ. ejus mentio est apud Diodorum Siculum lib. 12. ubi de Ducretio sic scribit*: fingens se oraculo juberi in Sicilia condere Calen Acten. *etiam Herodotus ita vocat lib. 6. sed ex Kali Acti, postea factum Kalacta.* Hinc rectè Cluverius *Sicil. antiq. lib. 2. cap. 4. p.* 291. Athenæi locum *l. 6.* vertit: *Cæcilius Rhetor à Calacta, sive à Pulchro litore*, Calactinum etiam volunt Cæcilium, Gualterius *animad. ad tab. Sicil. pag.* 59. Gesnerus *in Bibliotb. pag.* 127. Raphael Volaterranus *anthropol. lib.* 14. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 21. Humb. Goltzius *in Sicil. hist. post. pag.* 87. Petrus Angelus Spera *de nobilit. profess. Grammaticæ lib. 4. pag.* 257. Morerius *in dict. tom. 1. pa.* 657. Joannes Mollerus *de script. Homonymis cap. 4. nu.* 12. *pag.* 362. & ut nostros omittam, Siculum vocant Æmilius Portius *in vestibulo dict. Suidæ*, Photius *in Biblioth. cod.* 259. *pag.* 1451. aliique. Cæcilius Archagatus vocabatur ex Suida cit. quamvis autem libertinus fuerit, eodem teste, attamen Rhetoricus celeberrimus fuit, ab egregia doctrina sæpius à Quintiliano laudatus, & à Dionysio Lógino initio libri *de sublimi charactere.* Natione, ac linguâ græcum, sed religione Judæum fuisse volunt. Sed Suidas admiratione afficitur; quomodo Judæus, rerum græcanicarum peritus fuerit: eadem admiratio occurrit Vossio, qui hoc suspectæ fidei esse ait, præsertim, quòd non in Judæa, aut Ægypto vixisset, sed in Sicilia, & Romæ. Sed si non in Judæam saltem judaizantem Ciceronis ætate, ea ejusdem Ciceronis verba satis ostendunt, qui cùm Verrem multorum criminum reum accusare vellet, subdit: *Quid Judæo cum Verre est rei?* Dionysio Halicarnasseo amicissimus fuit, ut ipsemet Dionysius fatetur *in epist. ad Cn. Pompeum.* Oratoria facultate claruit, & Romæ Rhetoricæ præcepta docuit magna cum nominis celebritate sub Augusto Cæsare, quo tempore vixit, usque ad Hadriani ætatem, ex Suida, Gesnero, Valaterrano, & Hofmanno *lex. tom. 1. pag.* 334. sed hanc Cæcilii ætatem in dubium revocat Vossius: ab Augusti enim obitu usq; ad Hadriani principatum intercurrunt 102. anni, quòd si addas annos, quibus sub Augusto docuit, longum temporis spatium conficies. Vlterius addit, quòd etiam si de Hadriani pueritia intelligendum esset, non de principatu, quia forsan ipsum Romæ audierit; ab excessu Augusti ad 15. Hadriani annum sunt anni 76. quod eodem Vossio, vel sine Augusti annis, nimiùm longum videtur. Hinc falsum putat Hadriani tempora tetigisse: ideoq; dubitat sintne duo Cæcilii Rhetores Calactini, an unus Calactinus, alter Calatinus (Calate, sive Calari, à qua Calatinus etiam alia Urbs Siciliæ in Mediterraneis, ut habet ipsemet Vossius paulo ante, & Cluverius loc. cit.) indeque forsan error exortus tum de religione, tum de ætate. Sed utcumque fuerit, concludit Vossius, Cæcilium Augusti tempore claruisse, quòd etiam Lascaris cit. tradit. Ammonius *de vocum differentiis* apud Vossium cit. *lib. 4. cap. 16. pag.* 478. ait, quod Lysimachides librum *de Atticis Rhetoribus* nostro Cæcilio nuncupavit. Scripsit Cæcilius, ut ex relatis auctoribus colligimus,

Contra Phryges libros duos.

Dictionarium, sive demonstrationem ordine alphabetico, quo demonstrat omnium vocabulorum, & dictionis elegantiam: est autem delectus dictionum, & vocabulorum ordine alphabetico scriptus. Æmilius Portius in Suidæ opere, & in ipso operis ingressu, edito Coloniæ Allobrogum apud Petrũ, & Jacobum

bum Chouët 1619. in fol. ait, quòd inter Auctores, qui Suidę dictionario accessere, ac locupletatum illustrarunt, unus fuit Cęcilius noster, ex hoc opere suo: quod confirmant Joann. Frisius *in Biblioth. Philosophor.* apud Joann. Gualterium *in chronich. chronich. tom. 2. pag.* 891. Gesnerus cit. & alii. Lascaris scripsisse ait: *Elegantias, secundum elementa quæ adhuc apud Suidam leguntur*: nec dissentit Goltzius cit. Scripsit etiam

Comparationem Demosthenis, & Ciceronis.

Quare differat Attica imitatio ab Asiana.

De Genere dicendi decem Oratorum.

Comparationem Demosthenis, & Æschynis.

De Demosthene, quænam sint ejus orationes germanæ, & quænam adulterinæ.

De iis, quæ ab oratoribus secundùm historiam, vel præter historiam dicta sunt. Hoc opus est illud, quod Atheneus *lib. 11. cap. 3. pag. 466.* sub nomine *historiæ* citat, ut observat Vossius.

Commentarium de Bellis servilibus. citatur ab Atheneo *lib. 6. cap. 20. p. 272.*

In M. Catonem, ex Festo apud Gyraldum *in ęnigmat. p. 456.*

De Rhetorica libros. ex Quintil. *inst. orat. l. 3. c. 1.*

De Antiphonte. citatur à Plutarcho initio libri *de decem Rhetoribus*: & nostri Cęcilii esse extra dubium, ait Vossius.

Addit Suidas scripsisse: *Alia plura*. Dionysius Longinus in vestibulo libri *de sublimi charactere* apud Vossium ait; quòd de eodem libro scripsit Cęcilius. Id ipsum scribit Joseph Bonfilius *histor. Sicil. par. 1. lib. 1. pag.* 30. qui de stylo scripsisse tradit: at in plures lapsus est errores Bonfilius; ait enim opus hoc *de stylo* ab Horatio *de arte poet.* citari, additque quòd alibi de Cęcilio Horatius scribit: *condidit styli nasum*: Horatius autem *de arte poet. v.* 54. Cęcilii meminit, cecinitque:

. . . . *quid autem*
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus.

at intelligendum non de Cęcilio Calactino, sed de Statio Cęcilio, ut observant Horatii explanatores: prę̨sertim Lambinus. Verba verò à Bonfilio allata; *condidit styli nasum*, non Horatii, sed Plinii sunt, *ex præfat. hist. natur.* ubi non de Cęcilio, sed de Lucilio loquitur, ex editione Gelenii, & Dalechampii, ait enim. *Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit styli nasum.*

A Strabone *lib. 5.* citatur Cęcilii fragmentum de Roma à Gręcis condita, quod Auctor ille, qui veterum historicorum fragmenta collegit L. Cœlio Antipatro adscribit, & utrumque scriptorem confundit, ut observat Jo: Mollerus *de scrip. Homonymis cap. 4. num. 12. pag.* 362. & Vossius *de hist. lat. lib. 1. cap. 8. pag. 32. & 33.* Cęcilii ænigma expo.it Gyraldus *in ęnigm. p. 455. & 456.*

CÆLESTINUS GRASSI Acensis Tertii Ordinis S. Francisci Sacræ Theologiæ Magister, Romæ in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulã studiorum curriculum confecit: inde Regentis munere Panormi in Cænobio S. Mariæ de Misericordia Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam docuit, non sine doctrinę laude. Nunc in publica Neapolis Academia Pontificia Jura laudabiliter explanat, ab ingenio, & morum integritate celebratus. Edidit italicè sub anagrammatico nomine Celati Singressi

La Novena della Madonna, Solitudine, o Ritiramento Spirituale ne' nove giorni avanti la festa del S. Natale di Giesù Cristo Nostro Signore. Divisa in Tre Parti. Panormi apud Josephum Gramignanum 1699. in 12.

Scripsit etiam opus edendum

De Thesauris absconditis.

CÆSAR ALBAMONTE Panormitanus Poeta non contemnendus, qui vivebat anno 1625. ut ex Paruta *in Triumpho D. Rosaliæ pag.* 15. deducitur. De eo Vinc. Coronelli *in Biblioth. tom. 2. n.* 2844. *pag.* 513. Edidit italicè

San Francesco di Paola Poema.. Panormi typis Jo: Antonii de Franciscis 1611. in 8.

CÆSAR COLUMNA ROMANUS Mylensis claro genere ortus ex Montis Albani Ducibus. Romam perfectus ibi, ductâ uxore Flaminiâ de Magistris nobili Romana, sub Columnesium Procerum tutela, sibi sanguine conjunctorum, diu vixit, ac familiæ suæ splendorem servavit. A Ferdinando II. Cæsare magna ęstimatione prosequtus, Marchionis Collis titulo cohonestatus, & à cubiculo suo electus est. Apud Urbanũ VIII. Pont. Max. S.R.E. Cardinales, atq; Dynastas plurimùm valuit. Amœniores coluit literas, Astronomicas disciplinas calluit, & in Poetarum libris evolvendis fuit impiger. Inter Academicos Imperfectos, Humoristas, & Fantasticos effulsit: & Romæ novam excitavit Academiam, cui nomen dedit *Degli Anfistili*, quam in proprias ædes excepit: in eaq: poeticas ingenii amœnitates non sine plausu exposuit. In Romana etiam Academia Sirientium, in qua primus Princeps electus est, sui opinionem excitavit. Demum sub Clemente IX. Romæ decessit. Hunc laudant Mugnòs *in famil. Column. pag.* 52. Thomas Aversa *in Idæa Tragediæ S. Sebastiani* ipsi dicata, clariss. vir Prosper Mandosius *in Biblioth. Romana vol. 2. cent. 8. n. 6. p.* 150. origine enim Romanus non immeritò Romanis Scriptoribus accensitus, & Joseph Malatesta Gatussi *in Italia Academica pag.* 21. Edidit italicè

Le Colonne del Tempio dell' Eternità Panegirico nelle nozze di D. Anna Colonna, e D. Paolo Spinola. Romæ 1653. in 4. Inde recudit in opere infra notato

La Cetra Parte Prima. Ibid. apud Ignatium de Lazaris 1654. in 12.

Ex Mandosio cit. nonnulla poetica, & oratoria scripsit, & præsertim edenda reliquit

Poesie varie, volumina plura.

Il Prencipe politico.

Il Caligola. & alia

CÆSAR FARACI Paternensis Sacræ Theologiæ Doctor, Prothonotarius Apostolicus, primũ Congregationis Oratorii, exinde Catanensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus: vir eloquentiâ, poesi, ac politioribus literis insigniter instructus. Inter Academicos Renovatos Paternionis recensitus claruit. Obiit Catanę 14. Novemb. 1672. Edidit italicè *Com-*

Compositioni Poetiche in lode del M.R.P.F. Pietro Giordano de' PP. Predicatori. Neapoli apud Secundinum Roncagliolum 1650. in 4.

L' Oscurità luminosa paradosso retorico dell'oratione sacra rapresentata nel tempio maggiore della Città di Paternò, Catanę apud Vincentium Petronium 1655. in 4.

Orazione funerale nell' anniversario del M.R.P.F. Bernardo lo Giudice dell'ordine de' PP. Predicatori. Ibid. apud eumdem 1657. in 4.

CÆSAR FERRO Drepanitanus Eques Hierosolymitanus in Melitēsium equitum albo ascriptus an. 1626. antiquitatis perscrutator, vivebat an. 1647. de eo Ab. Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 556. Mugnòs *Theatr. Geneol. par.* 1. *pag.* 357. & Andreas Minutolus *in not. Prioratus Messan. p.* 49. & 277. Scripsit.

Seriem, sive Catalogum omnium Fratrum, Militum, Cappellanorum, & servientium Hierosolymitanæ Religionis linguæ Italiæ ab anno 1401. usque ad annum 1637. atq: ad alphabetum cognominum redactum.

CÆSAR GOTHUS, ET SPATAFORA nobilis Messanensis Ordinis Cassinensis, vir omnium literarum genere instructus, eruditione, & virtute conspicuus. In negotiis peragendis maximâ polluit dexteritate. Multis auctus honoribus claruit; fuit etenim Sacræ Theologiæ Doctor, adhuc ephebus Vicarius Generalis Archiepiscopi Ragusci, SS.Inquisitionis Siciliæ Consultor, & Censor: publicę Messanensis Academiæ Prior, Abbas Messanensis Monasterii S. Placidi, & S. Nicolai de Arenis Catanæ, & Ordinis Cassinensis Definitor Generalis. Apud omnes Siciliç Dynastas magnâ valuit opinione, & auctoritate. Vivebat an. 1675. De eo Petrus Ant. Tornamira *in epist. nuncup. de duobus triremibus,* Io: Evangelista Panormitanus *in anagram. pag.* 136. Abb. Pirrus *de Abbatis Sicil. pag.* 280. Edidit italicè

Del Genio Tiranno de' Galli Sincero avviso à i Prencipi bramosi della felicità de'loro Dominii. Venetiis apud Juntas 1649. in 4.

CÆSAR GRAVINA nobilis Catanensis Eques Hierosolymitanus, Equitibus Melitēsibus adscriptus an. 1595. fœcundç, vividæq: venę Poeta, qui Etruscâ, & Siculâ linguâ multa cum laude scripsit. Obiit Massiliç circa annum 1630. Hujus elogium leges apud Josephum Galeanum *in Musis Siculis par.* 2. *tom.* 1. *pag.* 117. & *par.* 4. *p.* 80. Ipsius etiam meminit Andreas Minutolus *in not. Prioratus Messan. pag.* 48. & 254. Ejus ingenii extant vernaculo carmine

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 2. *to.* 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnum 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Sacre. In eisdem Musis *par.* 4. Ibid. apud eumdem 1653. in 12.

Habemus etiam opellam, lepidissimo carmine Siculo expressam, sub anagrammatica larva Cęsaris Vinagrę, cui titulus

Lu Cattivu cuntenti capitulu ridiculusu in terza rima Siciliana. pluries prodiit Panormi, & tandem apud Petrum Coppola 1662. in 8.

Vidi tandem ingens Siculorum carminum volumen, quod Panormi plurimorum manibus teritur.

CÆSAR DE JUDICE Panormitanus, Joannis Baptistæ de Judice, & Dorotheæ de Opizinghis filius. Avum habuit Michaelem Ususmaris de Judicibus: nobilem Ianuensem, qui circa annum 1550. præclaram familiam, Usumarensibus conjunctam, Panormum transtulit: eodem ferè tempore, quo Nicolaus ejusdem familiæ de Judice, sed Calvis annexæ, Neapolim appulit, ubi illustres ipsius posteri eximio splendore effulgent: ut videre est apud Blasium Altimarum in libro *Memorie historiche di diuerse famiglie nobili così Napolitane, come forastiere, lib.* 2. *num.* 162. Penè omnes ex hoc Panormitano stipite (qui cum aliis in Sicilia ejusdem cognominis de Judice nullam habet annexionem) locum in hac literatorum Bibliotheca meritò sibi vindicant, ingenii acumine æquè, singulariterque insignes. Cæsaris Avus, & Pater utriusque Juris laureâ donati, causarum patrocinium egerunt. Ipsorum multa lucubrationum legalium volumina m. ss. servantur apud Antoninum de Judice, Cæsaris filium. Cæsar noster natus anno 1607. 28. Januarii, anno 1632. Doctoris lauream accepit; quam multiplici doctrinâ, morumque integritate uberius illustravit. Musicis etiam numeris, supra omnes ævi sui melicæ artis magistros, ad stuporem eruditus effulsit. In patheticis præsertim cantionibus componendis, singulariter excelluit, ut apertè testatur magnum Modulationum Volumem m. s. quod apud filios servatur. Missa pro mortuis, ab ipso adhuc juvene armonicis expressa notis, inter innumeros selecta est anno 1666. in funebri pompa Philippi IV. Hispaniarum, & Siciliæ Regis: Cæsarisque nostri affectibus etiam num Panormitana Ecclesia passim suos fideles luget defunctos. Anno 1650. Generalis Visitator electus per totam Noti Vallem, intemeratam exercuit cēsuram. Quo munere omnium laude expleto, surditate correptum, & à forensibus negotiis abstractum, religiosissimū virum amor æternorum sibi soli mancipavit: ab anno 1651. usque ad annum 1680. quo die 13. Septembris ad Cœlum evocatus est, à maritali thoro uxoris consensu, & ex voto segregatus, totus fuit in excolenda pietate, & omnimoda eruditione, familiaritateque Musarum instituendis filiis, Ioanne Baptista, Antonino, Placido, & Michaele, de quibus omnibus suo loco. Ex innumeris consiliis, ac legalibus dissertationibus, quæ m. ss. asservantur, evulgatas tantùm habemus

Allegationes, apud Franciscum Baronium *tom.* 2. *de citatione in addit. ad quæst.* 23. *num.* 58. *à pag.* 495. quas laudat, & sequitur Andreolus *controversiar. par.* 1. *controvers.* 276. *num.* 10. *to.* 2. Italicè edidit.

Madrigali concertati à 2. 3. *e* 4. *voci da cantarsi col Cembalo, e altre Canzonette alla Napolitana, e Romana per la Chitarra Spagnola. Opera prima.* Messanæ apud Petrum Bream 1628. in 4.

Mottetti, e Madrigali. Panormi 1635. in 4.

CÆSAR LANÇEA Messanensis nobili genere ortus,

ortus, Poeta, & historicus non contemnendus. Claruit anno 1610. ipsumque laudat Ab. Angelus Grillus *in epistol. lib.4. pag.575.* cui amicitiæ vinculis fuit conjunctus, eoq; teste carmina nonnulla scripsit in obitu Torquati Tassi, quæ an ediderit adhuc nescio. Ea quæ vidi italicè excusa, hæc sunt.

Vita della B. Eustachia della Città di Messina. Messanæ apud Petrum Bream 1605. in 8. & Neapoli typis Novelli de Bonis 1667. in 8.

Fucina amorosa di Madrigali in diverse materie. Messanæ apud Petrum Bream 1608. in 12.

CÆSAR MARULLUS nobilis Messanensis Juris utriusque Doctor, vir à generis nobilitate, morumque præstantia conspicuus. Philippi II. Catholici Regis primùm Capellanus, exinde an. 1574. Episcopus Agrigentinus electus est. Vix in Agrigentinæ sedis possessionem immissus, pastorali solicitudine prima Seminarii Clericorum fundamenta posuit, cui ex Episcopali mensa annuos proventus assignavit;& ædificiorum magnificentiâ Cathedralem Ecclesiam, ac Episcopii ædes illustravit. Anno 1578. ad Panormitanam Archiepiscopalem sedem translatus, Ecclesiam hanc haud minori vigilantiâ rexit; nam Pastorali fortitudine Ecclesiæ jura, ac privilegia constanti pectore propugnavit. Sacella Cathedralis, quæ meridionali lateri adhærent magnificè extruxit. Archiepiscopale palatium ornavit. Clericorum Seminarium à fundamentis excitavit. Synodum Diœcesanam an. 1586. coegit:& in Sanctimonialium Gynecęis collapsam disciplinâ instauravit. An. 1579. & 1582. Regni comitiis præfuit. Tandem editis pietatis, ac sedulitatis argumentis, Panormi decessit 12. Novembris 1588. & in Sacello Crucifixi Domini sepultus jacet, in cujus Sepulchro è marmore hæc legitur Inscriptio.

D. Cæsar ex illustri Marullorum genere, eximiâ Integritate Pastor, cùm Agrigentinam primùm, Panormitanam postea rexisset Ecclesiam præclarissimè, Justitiæ, Pietatis, Liberalitatis, ac Vigilantiæ relictis exemplis, annos agens LI. bonis omnibus tanti Præsulis desiderio mærentibus, obiit pridie Idus Novemb. M. D. LXXXVIII.

De eo Ab. Pirrus *notit. Eccles. Panorm. pag.* 184. & *notit. Eccles. Agrigent. pag.* 313. Placidus Samperius *in Iconologia B.V. lib. 1. pag. 99.* Stephanus Maurus *in sua Messana p.*265. Petrus Carrera *epigr. lib. 1. pag.* 44. Leonardus Orlandinus *Imag. lib.1. pag.* 71. & Vincentius Auria *in histor. Crucifixi Panorm.pag.*21.& *in chronol. Archiep. Panormit.* eidem libro in tertia editione subjuncta *pag.*215. Edidit

Constitutiones in Diœcesana Synodo promulgatas die XIII. Maii Anno M. D. LXXXVI. Panormi apud Franciscum Carraram 1587. in 4.

CAETANVS BVSACCA Mylensis Sacerdos, & Abbas, Musices peritissimus, ac in Mylensi Ecclesia Musices moderator. Edidit

Opera musicalia. ex epistola mihi data à Francisco Amico Mylensi.

CAETANVS CRESCI Panormitanus Soc.Jesu. Præclara hujus eximii viri gesta, virtutesque egregias justum volumen explerent: at feliciori calamo hanc Provinciam remittens: illustriora libando referam. Natus itaque 8. Martii 1655. ab ipsa infantia adhuc elinguis, & ad cibum accipiendum ineptus, futuri amoris erga Deiparam Virginem manifesta edidit præsagia; nam Angelicæ salutationis partem distinctè recitavit; & in pervigilio Sanctiss. Annunciationis ejusdem Virginis, solo lentis edulio, rigidum servavit jejuniū. Societatem amplexus 5.Octobris 1672. solemnia emisit vota 15. Augusti 1688. In eo mirum in modum excelluit singularis in Sanctiss. Virginem amor, quo ardentissimè conflagravit, cùm enim ipsam in matrem sibi delegisset, ipsi teneriores animi affectus devovit: immò ipse eidem se totū dicavit: adeo ut omnia ejus opera, ac verba ad ipsius venerationem, amoremq: tendere videbantur. Deipara autem ita sibi obsequentissima famuli studia excepit, ut materno prosequeretur amore: blanditiis demulcere, ac cęlestibus deliciis affluenter cumulare consueverit. Sępissimè se illi spectabilem fecit: amantissima veluti nutrix erga Caetanum se ostendit: nam frequentissimè, præsertim in suis festivitatibus, & in supremo vitæ suæ anno, ac singulis Sabbathis, Virgineo lacte Caetanum nutrivit, ejusque spiritum supernis deliciis ita cumulavit, ut sibi videretur, jam cœlesti beatitudine perfrui;& haud rarò exundantes animæ dulcedines in corpus effluere demirabantur. Hinc ejus mens, verba, gestaque omnia, virginei nectaris suavitatem exhalabant. SS. Virginem Magistram præcipuè, concionando expertus est: in concionibus exarandis Maria calamum dirigebat: quòd si ob innumeros labores, curasq: imparatus conciones habere conabatur, Maria dextro humero innixa verba copiosè suppeditabat, ac cœlesti eloquentiâ maniebat: multoties librum aperiens ad primum oculi ictum res occurrebnt ad conciones aptissimæ, quę & si floribus destitutę, supernâ dulcedine perfusas fatebantur omnes, quibus auditorum animos mirificè inflammabat. Mos illi erat absolutâ concione vires frigida potione reficere, veloque sudores detergere: cùm autem semel deesset socius, invocatâ Virgine, assistit Angelus, qui cœlesti sudariolo Caetanum abstersit, ac lacte virgineo fessum refecit. Sæpius variis in Monialium Ecclesiis per tres, vel quatuor horas post prandium concionabatur, & ne deesset tempus diem protraxit Deipara. Prophetico spiritu afflatus multa prædixit, abdita cordium patefecit, & gravi culpa fœdatos novit. Dęmones in fugam multoties convertit. Nonnullis revelationibus, visionibusque cælestibus illum Dominus illustravit: à SS. Virgine obtinere meruit, ut pro singulis sacris è purgatorii incendiis, una liberaretur anima, à quibus sæpius gratiarum actiones accepit. In tanta donorum affluentia, in abiectis domus ministeriis gaudebat, eâ enim demissione in se Virginis humilitatem exprimere conabatur. Pietate, obedientiâ, charitate singularis fuit:& ut omnia paucis absolvā, virtutes omnes in eo effulgere demirabantur, & ob egregiam sanctimonię opinionem summâ veneratione ab omnibus prosequebatur.

batur. Hinc vel concionaretur, vel confessiones exciperet, innumeri ad ipsum confluebant. Tandem cum innocentiam, à baptismatis lavacro acceptam, intemeratam servasset, in oppido Palmæ sacris missionibus intentus sanctè, ut vixit, extrema clausit 12. Novembris 1696. & ut ipsamet Virgo manifestavit, Caetani cor Mariano æstuans igne, ab ipsius vi discissum, & immolatum fuisse aperuit: & plures ad cœlestem gloriam evolare recte viderunt. Ad tanti viri funus omnis illius oppidi confluxit populus, & à Clero, locique Magistratu in majorem Ecclesiam delatum corpus, sepulturæ traditum est. Vestes vero discisse ut omnium devotioni fieret satis, & ut sanctissimi viri reliquias servarent. Multisque miraculis Caetani sanctimoniam confirmare Domino placuit. Edidit sequentem libellum italicè exaratum, quē ut ipse testatus est, ipsamet Virgo eidem dictavit.

Distillato di varii fiori per rinfrescare le arsure de' cuori amanti di Maria Vergine, o vero raccolta di varii ossequii da farsi in ogni tempo ad honor della Santissima Vergine. Panormi typis Adami 1692. in 12.

CAETANVS DE MARTINO Mylensis Sacræ Theologiæ, & utriusque Juris Doctor, vir sacrâ eloquentiâ, & eruditione clarissimus. Magna cum laude Ecclesiastem egit in præcipuis Siciliæ civitatibus: at amissâ voce ab incœpto cessavit: attamen anno 1704. voce destitutus, Panormi quadragesimales habuit cōciones in Ecclesia S. Ignatii Mart. Congregationis Oratorii magno cum eruditorum plausu. Eodem verò anno decessit Mylis. Edidit italicè

L' Opera delli Eroi, Oratione in lode della nobilissima Compagnia della Carità di S. Croce detta Communemente delli Bianchi (quæ Drepani extat) Drapani apud Bartholomæum de Franco 1690. in 4.

Il Muro di Diaspro alla Città Conca d'Oro per S. Rosalia Vergine Palermitana Oratione. Panormi apud Dominicum Cortesium 1704. in 4.

CAETANVS PANORMITANVS ex familia Potestà Ordinis Observantium S. Francisci. Natus Panormi 3. Martii 1654. cùm ætatis annum ageret 15. Deo se dicavit. Studiis de Ordinis more addictus, Philosophiam Panormi, scholasticam Theologiam Romæ accepit, in quibus ingenio satis excelluit. Hinc non sine laude sodales suos easdē facultates docuit, eâque doctrinæ approbatione, ut ad Lectoris, ut ajunt Iubilati gradum extulerint Ordinis Moderatores: cui Concionatoris Generalis honestamentum accessit. Nonnullis Cœnobiis præfuit, & Mazarensis Provinciæ Custos electus est. Vivit vir sanè doctus, qui tum inter suos, tum apud alios ingenii, & naturæ dotibus exornatus, aliisque titulis clarus effulget: & dum hæc sub prælo sunt an. 1706. Hierosolymitani Cœnobii Custos electus, ut muneris sui partes expleret, itineris incommoda sustinet. Scripsit italicè

La vera Sapiēza, o vero Mistica Teologia. Opera molto profittevole all'Anime, che s'incaminano per la strada della perfettione, ed assai necessaria per li direttori di spirito. Panormi typis Dom. Cortesii 1703. in 12.

CALPHVRNIVS vide Titus Calphurnius.

CALLIAS Syracusanus antiquissimus rerum Sicularum historicus, qui post Philistum, & ante Timeum etiam Sicularum rerum scriptores, vixit. Sicut autem Timeus à Callia, ita Callias à Philisto dissentit, ut ait Ioseph Hebræus *lib. 1. contra Apinionem*, & Vossius *de hist. Græcis lib. 1. cap. 11. pag. 68.* Fuit etiam Orator clarissimus, ac artem oratoriam docuit, è cujus schola prodiit Demosthenes Græcæ eloquentiæ facilè Princeps, ut habemus ex Plutarcho *in Vita Demosthenis*, & Crasso *de Poetis Græcis pag. 148.* Floruit ex Bonanno *Syracus. illustr. lib. 2. pag. 304.* eadem quasi ætate Timei, qui ut ipsemet Bonannus cit. ait *pag. 303.* claruit olymp. 120. nempè ann. 296. ante Christū natum: ex Vossio etiam *loc. cit.* vixit circa olymp. 116. ante Christi adventum ann. 312. Scripsit

Historiam de rebus Siculis, quæ Vitam, ac gesta Agathoclis Syracusarum Regis complectebatur. Hinc aliquando Calliæ opus scriptores citant: *Historiam de rebus Siculis*: aliquando verò: *Historiam de Agathocle*: at eamdem esse advertit Vossius. Sub nomine: *de Agathocle* Athenæus *lib. 12. cap. 11. pag. 542.* citat librum octauum: Ælianus *hist. animal. lib. 16. cap. 28.* librum decimum: Scoliastes Apllonii *lib. 3.* apud Cluverium *Sicil. antiq; lib. 2. cap. 14. pag. 408.* eumdem librum decimum. Hoc opus etiam citat Dionysius Halicarnasseus *lib. 1. antiqu.* Festus Pompeus *de significatione verbor v. Roma*, qui Caltinum vocat, sed Bonannus Festi locum mendosum putat. Natalis Comes *mytolog. lib. 8. cap. 10.* librum decimum de Agathocle citat, cujus fragmentum adducit. Volumina plura de Agathocle scripsisse ait Fazellus *dec. 1. de reb. Siculis lib. 4. cap. 1. pag. 103.* Historias plures, & in his Agathoclis gesta scriptis mandasse vult Lascharis apud Maurolycum *hist. Sicil. lib. 1. pag. 20.* ita & Ioseph Bonfilius *hist. Sicil. par. 1. lib. 1. pag. 27.* ubi ex typographi errore legitur Calbia, pro Callia. Sub nomine *Historiæ Siciliæ* opus Calliæ citant Ioseph Hebræus *loc. cit.* & Macrobius *lib. 5. Satur. cap. 19.* qui septimam citat historiam, & ipsius fragmentum exscribit. Diodorus Siculus *in eclogis lib. 21.* ait: *Callias Syracusanus viginti duorum librorum Auctor.* In his verò quæ de Agathocle scripsit à veritate alienum fuisse ait Suidas *tom. 1. pag. 1358.* muneribus enim ab Agathocle corruptus, multa contra veritatis cādorem tradidit, & assentatoris nomen sibi comparavit: quod scripserat Diodorus *in excerptis* editis ab Henrico Valesio *p. 260.* ut etiam Vossius *de hist. Græc. in addict. pag. 527.* advertit. Ex Lascaris auctoritate, alia scripsisse patet, quæ verò ediderit, haud indicat.

CALLIMACHUS MONSVIRIDIS Mazarensis Poeta, Dominici Caldarini Veronensis socius. Philosophicam duxit vitam, & Doctoris Laureā contempsit. Hujus meminere Io: Iacobus Adria *in typographia Mazar.* & Ab. Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag. 543.* Ex ætate Calderini, nostri Callimachi ætatem deducimus, Calderinus enim anno 1477. inclaruit teste Philippo Bergomense *in supplem. Chronic. lib. 15.* Scripsit ex Adria, & Pirro

De laudibus Siciliæ. Commentaria Poetica. Epistolas familiares.

CAMILLUS MORELLUS Panormitanus, ex Leone Allatio *in dramaturgia ind.* 1. *pag.* 321. edidit italicè

Li Travestiti Comedia. Panormi typis Petri Coppula 1644. in 12. de eo etiam Allatius *ind.* 4. *pag.* 554. & *ind.* 5. *pag.* 586. ubi hæc etiam scripsisse, sed non dum typis consignasse, testatur, nempè

La Fida Moglie comedia in prosa, & cum ipsa: *il Morto, lo Spirito, il Centimolo, e il Negro Intermedii.*

L' Incanto Comedia in prosa.

CAPITO Siculus incertæ patriæ Episcopus in Sicilia, cujus Ecclesiâ ignoramus. Cœlestis sapientiæ lumina, & catholicæ fidei zelum eâ ætate patefecit, dum Arii effrænata procacitas Ecclesiæ pacem fallis dogmatibus exturbare conabatur: ideoque à S. Athanasio *lib.* 1. *contr. Arianos pag.* 58. inter fortissimos fidei propugnatores connumeratur, nempè inter Hosium, Sylvestrum, Julium, Liberium, Meletium, Basilium, aliosq; inconcussos illius ævi Athletas, qui stylo Arium profligarunt. Hinc ad Capitonis exemplum Siciliæ Episcopi duo coegere Provincialia Concilia, in quibus Catholicam Fidem contra Arii hæresim egregiè propugnarunt, ut ex Athanasio *orat. contra Arianos*, & Oct. Caetano *tom.* 2. *Sanctor. Siculor. pag.* 270. & 271. liquidò constat. Inter illustriores Siculos meritorum gloriâ præclatos Capitonem recenset Caetanus: sed incertum an in Sanctorum album relatus: de qua etiam re dubitaverat *in Idea Sanctor. Sicul. pag.* 20. ubi addit Côcilio Nicæno interfuisse, ut habetur ex eodem Athanasio. Ejus sanctitatis præstantia conjectare licet ex verbis Baronii *annal. tom.* 4. *an.* 325. *n.* 35. ubi ait: *S. Athanasius, agens contra Arianos, quosdam recenset Sanctos Episcopos magni nominis, viros Apostolicos, fidei Catholicæ defensores*. & ex hist. ejusdem Concilii, in qua legitur: *Convenerant autem, præter innumerabiles Diaconos, ac Presbyteros, Episcopi numero trecenti, & octodecim, viri & vitæ sanctitate planè admirabiles; de quibus B. Ambrosius ad Gratianum Augustum: trecenti, inquit, decem & octo Sacerdotes tamquam Abrahæ electi judicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis, extulerunt.* Tandem Menologium Græcum 29. Maii habet: *Quarto kalendas Junii commemoratio Sanctorum Patrum, qui in Urbe Nicæa primam Synodum adversus Arium celebrarunt.* Cùm autem an. 325. hoc Nicænum Concilium fuerit celebratum, eo anno nostrum Capitonem doctrinâ, ac morum sanctitate floruisse non ambigendum. Cujus autem sedis in Sicilia Episcopus fuerit ignoratur, ut Caetanus cit. *pag.* 271. & Pirrus *lib.* 2. *Siciliæ Sac. not.* 12. *pag.* 463. Quamvis autem Carolus Morabitus *tom.* 1. *annal. Eccl. Messan. pag.* 281. & 295. & cum eo Ioseph Ambrosius *in solemnit. Epistolæ Marianæ pag.* 469. Messanensem Archiepiscopum prædicet, sanctitate, ac miraculorum gloriâ conspicuum: & *pag.* 299. extrema clausisse putet an. 340. attamen hoc sine auctoris testimonio protulit: immò contra Messanensium Scriptorum mentem, qui inter Præsules Messanenses Capitonem non admittunt. Hier. Ragusa, qui *in Elogiis Sicilor. pag.* 71. Morabitum sequtus, Archiepiscopum Messanensem, enunciaverat; *in Sicil. Bibl. Vet. pag.* 63. non Messanensem Archiepiscopum, sed Siculum Episcopum fuisse rectiùs putavit: Scripsit Capito teste Caetano *cit. pag.* 270. & ex Athanasio

Contra Arium.

CARCINUS Agrigêtinus Poeta Tragicus celebris ex Suida *tom.* 1. *pag.* 1374. Raphaele Volaterrano *anthrop. lib.* 14. Lascari apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 21. Goltzio *in hist. post. Sicil. pag.* 89. Gyraldo *de Poet. hist. dial.* 7. *pag.* 271. aliisq: at Laertius *lib.* 2. *in vita Æschinis*, Comicum Poetam fuisse ait, ac unà cum Æschine vixisse apud Dionysium tyrannum, donec à Dione expelleretur. Diodorus Siculus *lib.* 5. *n.* 5. scribit, quòd sæpius Syracusas profectus, cùm civium studium in sacris Cereris perpendisset, poema de Cerere Proserpinam perquirête scripsit. Carcini meminit Aristoteles *in Rhetor.* & *in Ethic.* ubi Eustratius apud Gyraldum cit. & Joseph Barberius *de miseria Poetar. pag.* 44. tradunt, quòd cum fabulam meditaretur, serpentis morsu affectus, ex venenato ictu decessit. Carolus Stephanus *in dict. pag.* 587. claruisse, ait, paulò ante Philippum Macedonem, fabulas docuisse 98. ac ex eo proverbium ortum: Carcini poemata, de his, quæ obscurè, & ęnigmaticè scribuntur. Sed ut benè observat Crassus *de Poetis Græcis pag.* 102. nostrum Carcinû cum Atheniensi confundit, eorumq; ætatem invertit: etenim proverbium: Carcini poemata, Atheniensi Carcino adscribitur ex Gyraldo *cit. pag.* 272. Suida *tom.* 1. *pag.* 276. Crasso *cit. pag.* 103. aliisque. Atheniensis claruit sub Philippo Macedone olymp. 100. ex auctoribus cit. noster verò ętate Dionysii minoris Syracusarum Tyranni, qui olymp. 109. è Sicilia expulsus est. Hinc in errorem lapsi sunt Volaterranus cit. Leander Alberti *in Insulis pag.* 54. Jo: Felix Astolfus *in addict. ad Laertium pag.* 75. Ravisius Tex. *in offic.* & Hofmannus *lex. tom.* 1. *pag.* 375. qui idipsum, quod Stephanus tradidere. Vossius *de Poetis Græcis cap.* 7. *pag.* 48. & 49. eodem tempore Atheniensem, & Agrigentinum floruisse putat: ait enim, quòd cum Æschine Socratico apud Dionysium majorem claruit, qui olymp. 103. decessit. Scripsit Carcinus

Tragœdias XCVIII. ex Stephano, Volaterrano, Alberto, Astolfo, & Hofmanno: at ex Lascari, & Goltzio XVI. ex Bonfilio *hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 30. XIII. Matthæus Silvagius *de trib. Peregrinis cap.* 46. *pag.* 171. Tragœdiarum numerum ad CL. extendit. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 135. ad CLX. sed nostrum cum Atheniensi confundit, qui teste Suida, Gyraldo, & Patritio *Poet. dec. hist. lib.* 1. *pag.* 91. tragœdias edidit CLX. Nostri Carcini Tragœdiam, cui titulus: *In senes, qui puellas uxores ducunt*, citat Athenæus *lib.* 3. apud Gyraldum cit *pag.* 272. & ex Tragœdia

Cere-

Cereris fragmentum exscribit Diodorus Siculus *loc. cit.* & Natalis Comes *mytholog. lib. 5. cap. 14.*

CAROLVS AMICVS Panormitanus Sacerdos, vir doctrinâ, ac morum integritate insignis. In Panormitano Clericorum Seminario exceptus, literis operam dedit, & absoluto studiorum curriculo Doctoris insignia accepit. Primùm Cathedralis Panormitanæ Ecclesiæ Beneficiatus, inde Canonicus titularis, Magnæ Vineæ vocatus, tandem an. 1686. ejusdem Ecclesiæ Canonicus enituit. Ornamentum ipsi addidere sacræ eruditionis copia, & sacrorum rituum studia, in quibus fuit versatissimus: ideoque eo instante Sacra Rituum Congregatio Decretum in una Cordubensi, & Neapolitana 3. Septembris 1672. de Officio, & Missa Septem Dolorum B. Mariæ Virginis revocavit, edito Decreto 4. Martii 1673. quo statuit eo in festo adhibendum colorem album, in Officio dicendum, *Te Deum*, & in Missa, *Gloria in excelsis*. Ob vitæ probitatem ab omnibus veneratus claruit, præsertim ab Archiepiscopis Panormitanis; egregias namque coluit virtutes, quas Dominus laborum igne expiatas voluit. Decessit Panormi 3. Novembris 1687. & Canonicorum sepulturæ traditus est. Edidit italicè

Vita del P. Filippo d' Amico Prete secolare. Panormi typis Josephi Bisagni 1652. in 12.

Bilancio spirituale dell' Anima, in cui si tratta d'esercitii, meditationi, e discorsi, adornati con divote curiosità tanto della Divina Scrittura, quanto ancora della Mistica Teologia. Ibid. apud Dominicum de Anselmo 1671. in 4.

Per annos 23. edidit etiam Ordinem recitandi Divinum Officium, Missasque celebrandi, servandum singulo anno ab omnibus Ecclesiasticis Panormitanæ Ecclesiæ, ejusque Diœcesis.

CAROLVS ANTONIVS CONVERSANVS Leontinus, Marcelli Conversani celeberrimi Jurisconsulti filius, vir patritio genere ortus, Baro Scarpelli, & Juris utriusque Doctor. Doctrinâ insigniter instructus pluries in patria sedit Judex, & Leontini Senatus Consultorem egit. An. 1650. Orator missus est à patria ad Joannem Austriacum Siciliæ Proregem Messanę degentem, & Catanę ad Anellũ Gusmanum Castri Roderici Marchionem etiã Siciliæ Moderatorem, pro arduis rebus agendis, ac patriæ privilegiis propugnandis. Eruditione claruit, in historiis versatissimus. Obiit Leontini 14. Septembris 1690. ætatis circiter 73. & in Ecclesia S. Francisci Paulani sepultus est. Edidit

Ætheream Leontinorum Gloriam, sive ejusdem Urbis Sanctorum, Beatorum, & aliorum sanctimoniâ illustrium elogia, narrationibus exposita. Catanę ex typograph. Bisagni 1685. in 4.

Prælo parabat, *Historiam Leontinam.*

CAROLVS ANTONIVS GALLELLA Messanensis vir in Divinis literis, Sanctorumque Patrum libris versatus. Claruit anno 1643. quo in lucem emisit

Patrum Intelligentiam super Textum Evangeliorum ad dubiorum solutionis formam redactam. Tomũ primũ. Genuę typis Io: Mariæ Farroni 1643. in 4.

CAROLVS BASTONE Panormitanus Soc. Jesu, vir in quo magna ingenii vis, eximia modestia, & in concionibus non vulgaris eloquentiæ facultas effulsit. Magna cum laude in præcipuis civitatibus Ecclesiastem egit. Dum Rectoris munere fungebatur in Collegio Netino, ibidem apoplexiâ correptus obiit 25. Decembris 1669. at ipsius eruditionis, ac virtutis fama adhuc superstes vivit. Ipsum laudat Placidus Reina *in notit. hist. Messanæ par. 2. p. 60.* Edidit italicè

L'entrata solenne, Discorso detto nel Duomo della gratissima Città di Caltagirone, celebrandosi la prima volta la festa di N. Signora della Lettera l'anno 1660. Catanę apud Vincentium Petronium 1660. in 4.

Il simulacro della Fede discorso per le Glorie di S. Corrado. Panormi apud Domin. de Anselmo 1662. in 4.

CAROLVS BELLEUS Ragusanus Ord. Min. Conventualium S. Francisci. Vir doctrinâ clarissimus, Philosophicis, ac Theologicis scientiis insigniter excultus, ecclesiastes celeberrimus, poeta haud ignobilis, & politioribus literis ornatissimus. Anno 1568. Siculam Provinciam rexit. Magna cum nominis fama, ac ingenii subtilitate Philosophiam, ac Theologiam docuit multis in locis, præsertim in publicis Catanæ, & Senarum Academiis: tandem in celebri Patavino gymnasio ab anno 1575. Methaphysicam professus est. Ibi etiam Monacis S. Mariæ de Monte Oliveto Scoti formalitates explanavit: ac Literatorum benevolentiam, amoremq; sibi conciliavit, ut Francisci Piccolominei, Archangeli Mercenarii, Jacobi Zabarella, Nicolai de Oddis, aliorumque doctrinâ celebrium. Obiit Patavii anno 1580. Hujus meminit Philippus Cagliola *in manif. Provinciæ Siciliæ Ord. Min. Convent. explan. 2. manif. 7. pag. 40. & expl. 3. manif. 4. p. 128.* Possevinus *in appar. sacro tom. 1. pag. 296.* Joan. Franchinus *in Bibliof. p. 543.* & Jacobus Philippus Tomasinus *in gymnasio Patavino lib. 3. cap. 7. pag. 289.* A Joan. Clessio inter illustres viros recensetur *in Elench. viror. liter. pag. 426.* Edidit

De secundariis intentionum Natura Tractatũ. Venetiis apud Franciscum de Franciscis 1589. in 8. opus posthumum editum à P. D. Nicolao Oddo Patavino Monaco Olivetano, qui in epistola nuncupatoria ad Sistum V. Pontificem Max. magnoperè Bellei doctrinam, ac ingenii subtilitatem extollit; ac aliud opus Bellei imprimendum promittit, cui titulus: *Formalitates*, quod non vidi, & forsitan ineditum delitescit. Edidit italicè

Dialogo per la Gerusalemme di Torquato Tasso. Venetiis apud Aldum, ex Possevino.

Carmina varia, ex eodem.

De multiplici sensu Sacræ Scripturæ Tractatus, Possevinus ait, hos prælo tunc subjiciendos.

CAROLVS BERGALLVS Panormitanus Ord. Minor. Conventualium S. Francisci, vir in scholasticis studiis versatissimus, Sacræ Theologiæ Magister, ac studiorum Regens Monopolis, Messanæ, Neapolis, & Assisii, ubi Philosophiam, ac Theologiam summa cum laude docuit. Ecclesiastem etiam egit, eloquentiâ gravitate, ac corporis maestate præclarus: hinc non sine plausu Conciones quadragesimales habuit in Sicilia, Bono-

niæ, & alibi. Siculam Provinciam gubernavit, Provincialis electus anno 1657. ac Custodis munere Panormitanum Cœnobium S. Francisci rexit anno 1651. 1664. 65. & 66. à prudentia, & in rebus agendis dexteritate commendatus. Obiit vir sanè doctus Panormi die 17. Novẽbris 1679. Hunc laudat Joannes Franchinus *in Bibliosophia p.143.* Edidit

De objecto Philosophiæ. Perusiæ 1649. in 4.

Scripsit etiam ex Franchino cit. quæ sequuntur, eorumque censura fuit Theologis demandata; an verò typis commiserit nescit, nec ego vidi, sunt autem

Poesis miscellanea.

Tyrocinium Medicæ facultatis. Italicè

Davidiade Poema Eroico.

CAROLVS CARRERA Drepanitanus Sacerdos, vir pietate insignis. Edidit italicè

Mazzetto di fiori spirituali. Panormi apud Augustinum Bosium 1658. in 16.

CAROLVS CARVSVS Agrigentinus Juris utriusque Doctor, annum agens 21. Doctoris lauream accepit Messanæ. Doctrinâ exornatus causarum patrocinium cum laude suscepit; & multa tum in Patria, tum extra honorificè obiit munia; septies enim in Agrigentino foro præfuit Judex, & in omnibus etiam finitimis Oppidis. Non rarò Syndicatoris munere functus, & Proregum Siciliæ, Magnæ Regiæ Curiæ, & Inquisitorum Siculorum jussu magni momenti negotia tractavit. Apud Ignatium Amicum, & Ferdinandum Sanchez Episcopos Agrigentinos Fisci Patronus, & Assessor; Magnæ Regiæ Curiæ, & Regiæ Monarchiæ Pauperum Advocatus, & in eadem Monarchia etiam Fisci Patronus electus est. Messanę in Regiæ, ut vocant, Audientiæ foro Iudex constitutus; aliisq; muneribus prudentiâ, & doctrinâ perfunctis, sui æstimationem apud Regni Dynastas, ac doctos excitavit. Obiit in oppido Terrænovæ in Sicilia 25. Novẽbris 1690. Ipsũ laudat Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico p.1.l.5.c.1. pag.* 570. Lucubrationes ab ipso æditæ, hæc sunt.

Praxis circa modum procedendi in Criminalibus super Ritu Regni Siciliæ, non minus utilis, quàm necessaria, cum Additione V. J. D. Josephi Caruso Auctoris filii. Panormi apud Petrum Coppolam 1655. in fol. iterum apud eumdem 1662. in fol. apud Dominicum de Anselmo 1663. in fol. & typis Thomæ Ajccardo 1705. in fol.

Sylva Terminorum, seu temporum judicialium practicabilium, ac usu frequentiorum. Ibid. apud Dominicum de Anselmo 1661. in fol.

Glossema dilucidum, ac perutile Commentarium in Constitutiones Pragmaticales Ducis Sermonetæ hujus Siciliæ Regni olim Proregis. Ibid. apud eumdem 1679. in fol.

Votum in causa propria. Ibid. apud Petrum Coppola 1655. in fol.

Votum decisivum in materia electionis Prælati Regularis. Ibid. typis Dominici de Anselmo 1664. in fol. Italicè verò ad fovendam pietatem

Modo facile di fare l'oratione mentale. Ibid. apud Coppolam 1651. in 12.

Esercitio spirituale da farsi ogni giorno per conservarsi il Christiano nella gratia di Dio. Ibid. apud eumdem 1660. in 12.

Punti da meditarsi nella Novena dello Spirito Santo. Ibid. apud eumdem 1660. in 12.

Edenda reliquit m.ss.

Glossematis Tomum secundum. Sylvæ Terminorum Tomum secundum. Sylvam Cautelarum.

CAROLVS CIRINVS nobilis Messanensis Soc. Iesu, natus anno 1580. adolescẽs Deo se dicavit in Societate. Vir solidæ virtutis, qui morũ candorẽ, & inculpatam vitæ rationem, cum grata quadam animi hilaritate copulavit. In eo effulsit obedientia singularis, paupertas eximia, ac cęterarum virtutum nexus. Sacrâ eloquentiâ valuit; ideoq: magna cum laude in præcipuis Siciliæ civitatibus concionatus est cum plausu, ac fructu. Obiit Messanæ in domo Professorum 17. Aprilis 1641. Edidit italicè suppresso nomine

Oratione funerale per l' Illustris. Arcivescovo di Messina Andrea Mastrilli. Messanæ apud Io: Franc. Bianco 1624. in 4.

In Bibliotheca Domus Professorum Societ. Iesu Messanę asservantur m. ss. ejus *Conciones Quadragesimales.*

CAROLVS FICAROLA Panormitanus claro genere natus, poeta non vulgaris, paulò post celeberrimum Antonium Venetianum floruit nõ sine laude: egregiam enim ęstimationem promeritus est inter Siculos Poetas, qui vernaculâ linguâ cecinere. Hunc laudant Vincentius de Ioanne *in Panor. triumph. pag.* 126. & Ioseph Galeanus *in Musis Sicul. par. 1. pag.* 121. ubi ipsius invenies Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. in eisdem Musis, Parte Tertia. Ibid. apud eumdem 1651. in 12.

CAROLVS FINAMORE Panormitanus, pingẽdi arte peritus, ac poeta egregius, de quo Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag.* 113. ibiq; Caroli habes Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi typis Decii Cyrilli 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. In 12.

CAROLVS GALLUCCIUS Messanensis Iosephi Gallucci mercatoris Calabri ex familia Neapolitana filius, in lucem editus est 24. Ianuarii 1633. Literarum studiis deditus, Medicinæ laureâ accepit Messanæ anno 1656. & inter Messanensis Collegii Medicos recensitus effulsit. Vivit nunc doctrinâ clarus, ac apud doctos magnâ æstimatione eminet. Edidit

Medicinam completam ad Galenistarum mentem in duos divisam Tomos, in primam totam continentem Theoricam, parteamque Praxis, & in secundam totam habentem praxim. Tomum Primum. Messanæ typys Vincentii de Amico 1705. in 4.

CAROLUS GIACONIA Panormitanus Ord. Clericorum Regularium Minorum, natus anno 1622. à teneris unguiculis humanioribus literis dicatus, ingenii præstantiam patefecit. Eximiâ

indole

indole munitus anno ætatis quinto clericalem habitum suscepit, quo usque ad 13. ætatis annum fuit insignitus: anno verò 1635. Ordinem Clericorum Regularium Minorum amplexus est Romæ, ubi solemnia edidit vota,& studiorum curriculum confecit. Ob ingenii sublimitatem egregiâ doctrinâ instructus, magnam nominis famâ, cum singulari æstimatione sibi comparavit. Anno ætatis suæ 19. coram Urbano VIII. Pontifice Max. die Circumcisionis Dominicæ Orationem habuit in Sacello Vaticano, quam eo oblectamento excepit Pontifex,ut jusserit anno sequenti eadem die (Clericis Minoribus addictam) iterum peroraret, ut effecit, & ab ipso Pontifice in approbationis significationem nonnullis favoribus fuit cumulatus. Ab anno ætatis 19. quinquennio Ordinis sui sodales Rhetoricam docuit: anno verò ætatis 22. dum adhuc Rhetoricæ præcepta tradebat, Philosophiam iisdem explanare cœpit. Inde in Catanensi gymnasio quadriennio publicè Philosophiam tradidit. Ab anno 1645. Neapoli in Collegio S. Iosephi Ordinis sui sexennio Philosophiam professus est. Anno 1650. Theologiæ Lector in Cœnobio Romano constitutus,singularem ingenii opinionem assequutus est: & ex ejus schola permulti doctrinâ præstantes prodiere. Triennio ab anno 1653. Romæ in Collegio de Propaganda Fide,haud minori laudum censu publicè Philosophiam explanavit. Hinc exigentibus promeritis ad nonnulla honorifica munera fuit vocatus, præsertim in Tribunali Sanctiss. Inquisitionis Siciliæ Consultoris, & Censoris munere cohonestatus:plures Romanæ Provinciæ domos rexit, & anno 1654. totius Religionis à secretis electus est. Hoc in munere dum esset, & contagiosa lues Romæ grassaretur, noster Carolus charitatis ardore accensus, vitam in proximorũ obsequium exposuit: & humiliter omnibus charitatis officiis morbo infectis ministravit; sed divina ope illesus servatus est. Anno 1660. Serræ Marchionissa ab Ordinis Generali enixè efflagiravit, ut Carolum sibi concederet, intercedentibus tribus S.R.E. Cardinalibus consanguineis, ut ejus secundogenitum filium D. Franciscum Serra juxtà spirituales regulas informaret, & philosophicis disciplinis erudiret:quod apud Massam Carrariæ cum insigni adolescentis profectu effecit. Eloquentiâ claruit; ideoque non modò per totum anni curriculum ejus sermones Romæ, & Neapoli non vulgati plausu auditi; verùm etiam conciones eloquentiâ, & eruditione refertas habuit in cinerali jejunio Romæ, Panormi, Florentiæ, Senis, Bononiæ, Genuæ, Neapoli, Catanæ,& alibi magnâ cum auditorum frequentiâ, ac literatorum approbatione. Panormi eo plausu ejus eloquentiam in Cathedrali Templo excepere eruditi omnes, ut libellũ poeticis encomiis cumulatum ediderint,hoc titulo prænotatũ: *Poesie Latine, e Toscane in lode del M. R. P. Carlo Giaconia de' Cl.Reg. Minori.* Panormi apud Petrum de Isola 1649. in 8. & iterum electus ut denuò in Principe Templo Panormitano cursum Quadragesimale concionando perageret, obstitit mors, quæ illi supervenit Catanæ anno 1668. magno cum literatorum dolore,à quibus ob eruditionem, doctrinamq; magnâ veneratione prosequebatur. Est hujusce scriptoris mentio apud Alphonsum Salvum *in prosis pag.* 249. & Honorium Dominicũ Caramella *in Carminum juvenilium centuria pag.* 22, Edidit italicè

Panegirici Sacri Tomo Primo. Romæ apud Franciscum Monetam 1652. in 12.

Zodiaco Eucharistico, dodeci Sermoni del Santiss. Sacramento dell'Altare. Romæ apud Michaelem Correilinum 1655. in 8.

Reliquit sub prelo Catanensi

Il Cittadino Celeste, quod opus auctoris mors interrupit. Reliquit etiam jam typis parata hæc alia m. ss. quæ in Bibliotheca S. Michaelis Archangeli Cl. Reg. Minorum Catanæ servantur: nempè

Philosophiæ Tomos duos.

Theologiæ Scholasticæ Partem primam & secundá.

Resolutiones Morales. Italicè

Panegirici Sacri tomi due.

Grammatica della lingua Toscana.

CAROLUS DE GRASSIS Panormitanus Juris utriusque Doctor, doctrinâ, & ingenio clarus: causarum Patronum eâ felicitate peregit,ut doctissimorũ hominũ laudem simul,& invidiam excitaverit. Obiit circa annũ 1617. Laudatur à Francisco Baronio *de Maest. Panorm.l.* 3. *pag.*120,& Io: Bap.Ricciolio *Chron. Refor.t.*4.*ind.*2. *p.*211.Edidit

Tractatum de exceptionibus ad materiam statuti excludentis omnes exceptiones. Venetiis apud Nicolaum Misserinum 1601. in 4. & iterum apud eumdem 1603. in 4. tertio Panormi apud Jo: Baptistam Maringum 1609. in fol. & Maspurgi 1602. in 8. ex Fontana *in Bibliotheca legali pag.* 442. In errorem lapsus est P. Augustinus Oldoinus, qui *in Athenæo Romano pag.* 160. ab homonymia deceptus, hoc opus Carolo de Grassis Bononiensi S.R.E. Cardinali adscripsit, cùm ex ipsa operis fronte, nostri Caroli fœtum esse, clarissimè pateat.

Tractatum de effectibus clericatus, in quo præter Ecclesiasticam Jurisdictionem, & Clericorum privilegia, omnes ferè casus ad materiam pertinentes eruditissimè declarantur, & resolvuntur. Panormi ter apud Io: Baptistam Maringum 1617, 1622. & 1630. in fol. Venetiis 1638,& 1654.in fol. ex cit. Fontana *pag.* 443.

Tractatum de effectibus amicitiæ. Panormi apud Io: Baptistam Maringum 1617. in fol. & iterum apud eumdem 1622, in fol.

CAROLUS DE GREGORIO nobilis Messanensis, vir sanè egregius, qui laudem haud exiguam promeruit; in ipso enim preclariora cumulata effulsere, quæ equitem undique spectabilem constituunt. Eques Ordinis militaris Messanensis fuit, à Stella vocati,in qua Principem egit.Quinquies Messanæ Senatoris munere functus est: bis ad pertractanda patriæ negotia orator missus ad Philippum IV. Catholicum Regem, ut etiam ad Ioannem Austriacum Siciliæ Proregem. A Philippo Rege memorato Marchionis Pogii Gregorii

gorii titulo fuit insignitus, ex privilegio dato 27. Iulii 1663. Illustriora attamen encomia accepit à literarum studiis,quæ inter publicas, ac domesticas curas magnoperè coluit. Hinc non modò Poeta, & Orator fuit egregius, verùm etiam literatorum Mæcenas, eximius : in eo ad promovendas literas studium singulare enituit: ideoque anno 1639. Academiam Messanensem,cui Officinę nomen, excitavit, quam in proprias ædes honorificè excepit, ac semper fovit usque ad annum 1678. cùm inter belli calamitates estincta est. Ipse verò Carolus relictâ patriâ Venetiis, & Romę inter ævi sui literatos, non sine ingenii,& eruditionis laude,vixit. Tandem circa annum 1695. Romę decessit. Hujusce laudes leges apud Leonem Allatium *in epist. nuncupatoria poetarum antiq.* Ioannem Franciscum Loredanum *in epistolis par. 2. pag.* 119. 120. 444. & 458. Aprosium Vigintimillium *in libro Grillaja pag.*504. Ioannem Vigintimillium *in epist. nuncupatoria Poetarum Siculorum*, Reinam *par. 2. hist. Messan. pag.* 540. Samperium *Iconolog. M. V. lib. 1. pag. 38. & lib. 5. pag.* 644. Franciscum Gueli in libro *stravaganze liriche degli Accademici della Fucina par. 3. pag.* 227. Scip. Henricum *in Carm. edit Messanæ* 1653, *pag.* 668. & P. Dom. Arganantium *in pompis festivis pag.* 138. Edidit italicè

Poesie, in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina par. prima.* Messanę apud hęredes Petri Brea 1656. in 12.

Poesie, in libro: *Parte terza di dette Poesie.* Neapoli typis Ægidii Longo 1659. in 12.

Poesie, in libro: *Stravaganze liriche della Fucina Parte prima.* Bononiæ apud Jo:Bap.Ferronũ.1642. in 4. & *Parte terza*, Neapoli apud Sebastianum Alecci 1661. in 12.

Poesie, in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo, Quarto, e Quinto.* Neapoli apud Andream Colicchiã 1670. & 1671. in 4.

Discorso quanto sia lagrimevole, e miserabile ogni età dell' huomo infelice. in libro *Prose della Fucina libro secondo.* Neapoli apud eumdem 1669. in 4.

Discorso nella Commemoratione de' Defonti Accademici della Fucina. Ibidem.

Si descrive il Secolo presente, discorso, in libro primo ejusdem operis. Monteleoni apud Dominicum Antonium Ferrum 1667. in 4. *pag.* 317.

Si spiegano i pregi del color pallido in un bel volto nella gara della Rosa, e della Viola, Discorso. Ibidem.

CAROLUS JANLONGUS Montycensis Iurisconsultus Doctissimus, & in patria Iudex. Obiit Panormi circa annum 1610. Ipsius cum laude meminit Placidus Carafa *in Motuca illustr. pag.* 98. & Pirri *not. Eccl. Syrac. pag.* 255. Edidit

Racemationum Juris librum primum, Messanæ ex officina Petri Brea per Laurentium Valla 1605. in fol.

CAROLUS JOSEPH CICALA Erycinus, Sacerdos S. T. Doctor; prima doctrinæ alimenta in Seminario Mazarensi traxit, ac egregiè eruditus, Canonicus Ecclesię Mazariensis electus est. Romam profectus ibi diu vixit, & ab Urbano VIII. Pont. Max. in Insula Cretæ Apostolicus Missionarius constitutus; Romam regressus, grassante contagiosa lue, ab Innocentio X. Valetudinariis peste affectis pręficitur, ubi contracto morbo, decessit Romæ anno 1656. Multa scripsit, sed tantummodo typis tradidit italicè

Successi della Canea. Romę apud Ludovicum Grignanum 1646. in 4.

CAROLUS LATIUS Alcamensis Sacerdos, natus parentibus ex præcipuis Alcami civibus 31. Iulii 1613, Aliquando in Societate Iesu strenuè literis operam dedit; è qua egressus doctrinę profunditatem in gravioribus scientiis detexit: hinc emeritam Doctoris lauream Philosophiæ, Theologiæ, & Iurisprudentiæ obtinuit, ac eximiâ veneratione fuit oppidò prosequutus. Tribunalis Sanctiss. Inquisitionis Commissarium egit, ac ipsi plurium Ecclesiarum visitatio ab Episcopis Mazariensibus fuit demandata, quibus gratissimus vixit: à morum integritate, doctrinâ, ecclesiastica eruditione laudatus. Obiit Alcami 14. Decembris 1667. & in Ecclesia S. Olivæ in sacello Sanctiss. Crucifixi sepelitur, Laudatur à Balthassare Falsaperla *in suis carminibus pag.* 159. & à Placido Reina *in not. hist. Messan. par. 2. pag.* 60. Multa scripsit, sed tantummodo edidit

Bullę Cruciatę absolutissimam dilucidationem, divisam in tresdecim disputationes, & quinquaginta quæstiones, in quibus difficultates 522. distinctè, ac dilucidè enodantur. Panormi typis Petri Isola 1657. in fol.

Aquilam Triumphantem, seu triumphum Marianum, opus absolutissimum, in quo sacrarum scripturarum oraculis, omnium Patrum, Doctorumque testimoniis, omnium fidelium plausu, vividisque rationibus evincitur, demonstratur, concelebratur mysticæ Aquilę Triumphus de Stygio Pythone Originalis Peccati in ipsomet suæ Conceptionis instanti. Ibid. apud eumdem 1663. in fol.

Compendium totius dilucidationis in quatuor Cruciatæ Bullas, nempè communem, lacticiniorum pro Ecclesiasticis, Compositionis, & Defunctorum. Ibidem apud eumdem 1664. in 12.

Ex Hispana lingua Italicam fecit Opellam, cui titulus

Antidoto pretioso contro il Peccato Mortale del gran servo di Dio P. Luigi Lanuza della Compagnia di Giesù tradotto dal Castigliano nell' idioma Italiano. Ibid. apud Petrum de Isola 1678. in 24. & pluries prodiit Panormi.

CAROLUS LOMBARDUS Panormitanus, Societatis Iesu institutum amplexus est Panormi 3. Octobris 1633. Præter humaniores literas, Philosophiam Panormi, ac Theologiam Syracusis docuit. Vir sanè illustris; eximiam enim animi demissionem, cum ingenii sublimitate mirificè copulavit. Ob egregias virtutes omnibus gratissimus, cujus desiderium adhuc inter Societatis Patres viget. Piissimè obiit in Collegio Panormitano 14. Aprilis 1665. Post mortem cuidam sodali Societatis se spectabilem fecit, quem certiorem fecit, tantummodo expiandas in purgatorio igne pœnam de levibus querimoniis ob

aquam

quam haud satis refrigeratam nive, ut ad Paradisi gloriam evolaret. Edidit

Decadem Philosophicam, seu Conclusiones ex decem prædicamentis, quas in aula Collegii Panormitani Soc. Iesu defendit Sebastianus Giusinus. Panormi typis Petri de Isola 1654. in 12. Italicè

Vita del P. Antonio Bellavia della Compagnia di Giesù. Ibid. apud eumdem 1664. in 8.

Vita del P. Pietro Cottone della Compagnia di Giesù. m. s. hanc citat Sylvius Tornamira *in prodigiis Euchar. pag.* 5. & 610. & *in centum vocat. pag.* 239.

CAROLUS MACCAGNONE Mazarensis Iurisconsultus insignis, Balthassaris, pluries Magnæ Regiæ Curiæ Judicis, Filius, Baro S. Caroli. Scripsit

Allegationes apud Franciscum Magretti *dec.* 3. *post obser. ad pragmat. Ducis Sermonetæ*, ubi laudatur.

CAROLUS MANCINUS Catanensis publicus in patria tabellio, & à Secretis Catanensis Magistratus, cujus etiam negotia procuravit. Politioribus literis excultus claruit, obiitq: Catanæ Mense Maii 1683. Edidit italicè

Narrativa del Fuoco uscito da Mongibello il dì 11. di Marzo 1669. Messanæ apud Josephum Bisagnum 1669. in 4.

La S. Agnesa Tragedia. Catanæ 1673. in 8.

Repudio della Verità Drama Musicale.

Edenda reliquit hæc alia italicè m. ss.

La S. Agata Drama Musicale.

La S. Lucia Opera Tragica.

CAROLUS MARIA PIAZZA Panormitanus Soc. Jesu, vir ingenio, & eloquentiâ clarus. Nunc vivit, ac studiis impigrè operam dat. Edidit italicè

Vita, e Virtù del Venerabile Servo di Dio P. Gaspare Paraninfo Narese della Compagnia di Giesù primo Missionario della Sicilia. Panormi apud Josephum Gramignanum 1702. in 8.

CAROLUS MARIA PICA Panormitanus Societatis Iesu, natus 21. Augusti 1659. Societatis institutum amplexus est 27. Octobris 1675. in qua solemnia dixit vota 2. Febr. 1693. Exacto studiorum curriculo, tum humaniores literas, tum Philosophiam docuit. Exinde cùm oratoriæ facultati ingenii vires devovisset, summa cum eloquentiæ laude, plausuq, concionatus est in cineralì jejunio Panormi, Messanæ, & in præcipuis Siciliæ Civitatibus. Dum in dies magis, magisq; proficiebat, Drepani decessit 14. Februarii 1703. Ipsum laudat Nicolaus Maria Sclavus *in Funebri Pompa pro D. Joanne de Joanne pag.* 75. & 77. Edidit italicè

L'Apologia della Vergine per l'affetto più singolare mostrato a' suoi Messinesi nella sua Sacrata Lettera. Panegirico. Messanæ typis Matthæi la Rocca 1700, in 4.

La Morte Trionfata dalla Pietà, e dal Valore dell' Ill. & Eccel. D. Gio: di Gio: Gran Priore di Messina, e già di Barletta, Capitan Generale della Squadra Gerosolimitana &c. Oratione funerale. Ibid. apud D. Antoninum Maffei 1700. in 4.

La Gelosia del Divino Amore dall' Innocenza della B. Lucia Vergine Caltagironese pienamente appagata ne' suoi rigori. Panegirico Sacro. Panormi typis Josephi Gramignani 1701. in 4.

CAROLUS MARIA VIGINTIMILLIUS Panormitanus clarissimo genere natus 20. Augusti 1576. ex Comitibus Vigintimillii, & Collesani, Dominis Crateris, & Baronibus S. Stephani. A teneris unguiculis cùm literis operâ dedisset magno animi ardore, ob singularem ingenii felicitatem ad absolutissimum doctrinæ fastigium pervenit. Non modò Philosophicis, ac Theologicis studiis instructissimus, verùm etiam & aliis omnibus scientiis egregiè ornatus claruit. Adhuc adolescentiam non excesserat cùm non sine magna sapientum admiratione, & plausu publicas Theologiæ theses in aula Collegii Panormitani Soc. Jesu strenuè propugnavit. In Mathematicis disciplinis usque ad miraculum versatus, has amicis suis, oblectamenti gratiâ, explanare consuevit, qui ab ejus doctrina eruditi, doctissimi evasere. Ingenii sui acie multa primus adinvenit, primusque docuit, adeout à vero non aberrasse scimus Marianum Valguarneram, qui Carolum Panormitanum Archimedem vocavit. Ad eum etiam à longinguo veluti ad oraculum in difficillimis hujus scientiæ quæstionibus convolabant. Ab amœnioribus literis etiam laudatus, Oratoris, & Poetæ gloriam non vulgarem obtinuit; oratoria, ac poetica ingenii monumenta tum Latina, tùm Etrusca magnâ cum laude excepta in Reaccensorum Academia, quam & instauravit, & patrocinio suo fovit, in eaque Principem egit. Literati verò omnes ipsum Mœcenatem laudatissimum experti sunt. Antiquitatis studiosissimus fuit, ideoque Palatii sui ædes vetustarum rerum thesaurū dixisses; numismatibus, statuis, aliisq; rarioribus antiquitatis monumentis undique ornatas. Mirâ valuit prudentiâ ab obitis muneribus clara, quæ præsertim an. 1624. refulsit, cū sæviente Panormi contagiosa lue, ipsius oculatissima administratio non parvam Urbis partem incolumem servavit. Proceribus, ac Regni Proregibus gratissimus vixit, à quibus fuit honoribus cumulatus. A Prorege Alcalà Duce Propugnaculorū, ac Arcium Siciliæ Visitator Generalis electus, juxtà bellicæ artis, ac Mathematicæ leges munivit, ac instauravit; & bis à successoribus Proregibus eodem munere cohonestatus, multa ad Regni tuitionem perfecit. Pietate, ac charitate excelluit; hinc pauperum inopiam profusis eleemosynis levavit; & Ecclesiam S. Mariæ de Monte Serrato, quæ Penormi extat in area Regii Castri ad mare, legata ex testamento facultate, ditavit. Obiit tandem magno literatorum dolore 25. Martii 1662. & in memorata Ecclesia sepelitur, ubi è marmore tumulus, ejusque effigies marmori insculpta conspicitur, cum hac Inscriptione Hispanè loquente.

Fondador desta Yglesia D. Carlos Maria Ventimillas Ruis dell' Illustre familia de los Señores Větimillas d' este Reyno, docto en todas scientias. Murio à XXV. de Marcio de M. DC. LXII. siendo Prior de esta Casa Fra Juan Martinez.

Tanto

Tanto viro justa persolvit Reaccẽsorum Academia, in cujus laudem funebrem orationem dixit D. Horatius Alimena vir eruditus 26. Iulii 1662. Emeritis laudibus exornatur à Francisco Baronio *in Sicul. nobil. amphiteatro pag.* 21. Alphonso Salvo *in prof. pag.* 41. Honorio Dominico Caramella *in epist. nuncup. carminum juvenium*, Hieronymo Matranga *de Academia syntagm.* 6. *cap.* 6. *pag.* 187. Daniele Bartolo in libro *Torto, e Dritto num.* 29. *pag.* 66. Pirri *not. Eccl. Panorm. pag.* 90. *& Eccles. Cephal. pag.* 491. Petro Carrera *in memor. hist. Catan. vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 53. *pag.* 115. *& lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 135, D. Vincentio Auria *in observat. ad Batillum Jo. Bap. de Judice pag.* 363. *& in hist. Chronol. Proreg. Sicil. pag.* 85. Fabio Columna *de Plantis pag.* 89. Iosepho Galeano *in poes. lyric. p.* 58. Gualterio *in Tabul. Sicil. pag.* 17. *&* 19. Nicolao Serpetro *in admirand. Naturæ pag.* 127. Athan. Kircherius *in mundo subterraneo lib.* 8. *sect.* 2. *cap.* 4. Thoma Bartolino *de luce hominum, & Brutorum lib.* 2. *cap.* 12. *p.* 280. ubi ait, Lampyridum sexum, & generationem omnium primum observasse, Io: Bap. Hodierna *in Thaumátiæ miraculo*, cui dicavit. Multa scripsit: quæ edidit italicè hæc sunt,

Oratione nell' Esequie del Serenifs. Prencipe Emmanuele Filiberto di Savoja fatte nel Duomo di Palermo in nome del Regno di Sicilia. Panormi apud Decium Cyrillum 1625. in 4.

Dichiaratione dell' Intermedii rapresentati nell' Ancora Comedia, che si recitò in Palermo nelle Nozze del Sign. D. Giulio Agliata Cavalier di S. Jacopo della Spada, e della Sign. D. Antonia Valdina, e Ventimiglia. Ibid. apud Erasmum de Simeone 1606. in 4.

Scripsit, sed non edidit

Dissertationem de Stella Crinita, quæ anno 1618. aparuit.

De Horologiis Tractatum.

Antiquæ, & Novæ Siciliæ Topographiam exactissimam.

Commentaria absolutissima in Cantica Canticorum. in fol.

De Astrologia Tractatum.

Italicè

Orationi nella morte dell' Abbate D. Flaminio Leofante.

Discorsi, e lettioni accademiche sopra diverse questioni Filosofiche, Matematiche, e Geometriche.

De Navium generibus opusculum m.s. in 4. apud D. Vincentium Auriam Panormitanum.

Scripsit etiam

Horreum variarum rerum. in 4.

Poetarium. tom. 1. *&* 2. in 4.

Antiquarium. tom. 3. in 4.

Philosophatum. tom. 4. in 4.

In Spheram, in Geographiam, & Astrologiam scripta varia in 8.

De Physiologia m. s. in 8. apud me.

Iosephi Campanile *in Notitiis Nobilitatis not.* 9. *pag.* 232. scribit: nostrum D. Carolum Vigintimillium ad Davidem Imperialem direxisse *librũ Quæsitorum in Euclidem*: sed in lucem non prodiit. D. Vincentius Auria cit. *in observationib. ad Batillum pag.* 363. citat quamdam ejus m.s. *Epistolam ad Fabium Columnam*, cujus fragmentum exscribit.

CAROLUS MIRABELLA Mazarensis V. I. Doctor, causarum Patronus, doctrinâ & ingenio clarus. Vivere desiit Panormi 28. Iunii 1681. De eo Mugnòs *in Theatr. Geneol. par.* 2. *pag.* 162. Edidit unà cum Io. Ant. Joppulo

Allegationes in causa Status Campi Franci. Messanæ ex typograph. Iacobi Matthæi 1654. in fol.

CAROLUS MORABITUS Messanensis Sacerdos, S. T. Doctor, quem à doctrina, & eruditione laudant. Non longè ab anno 1688. Messanæ octogenarium decessisse puto. Hunc celebrant Placidus Reina *in not. hist. Mess. par.* 2. *pag.* 509. Ansalonius *in sua famil. pag.* 325. *&* 337. Edidit

Annalium Protrometropolitanæ Messanẽsis Ecclesiæ Tomum Primum. Messanę ex typographia Iosephi Bisagni 1669. in fol.

Duos Florum fasciculos, vel de S. Silviæ patria manifestata. Messanæ ex typographia Vincentii de Amico 1688. in 4.

Alia prelo parabat.

CAROLUS MORISCIANUS Messanẽsis Philosophię, & Medicinæ Doctor, ex primariis Medicis Messanæ doctrinâ claris. Italicè evulgavit

Il Torchio delle osservationi della Peste di Napoli nell' anno 1656. Neapoli typis Sebastiani Alecci 1659. in 4.

CAROLUS MUSARRA Messanensis Sacerdos, Sacrę Theologiæ Doctor, Eques Hierosolymitanus ex servientibus, vir amœnioribus literis ornatus. Musas precipuè Etruscas coluit: in Academiis Messanensibus Officinę, & Radicatorum adscriptus, & in Panormitana Reaccensorum, ingenii monumenta non sine laude exposuit. Fuit aliquando Messanensis Magistratus à Secretis. Obiit Augustæ in Sicilia 3. Aprilis 1683. Edidit italicè

La Santa Flavia Rapresentatione Sacra. Venetiis apud Joannem Guerilium 1652. in 12.

Il Natale della Fucina Poema dramatico: in libro: *Stravaghanze Liriche degli Accademici della Fucina parte seconda.* Messanę apud hæredes Petri Brea 1655. in 12.

L' Idolatria abbattuta nel Trionfo della castità della Vergine Lucia Nobile Siracusana drama. Ibid. apud Dominicum Costam 1681. in 12. sub nomine Academici Extincti.

Poesie. in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina Parte prima.* Messanę typis hęredum Petri Brea 1656. in 12. & *parte Tertia* eorumdẽ Carminum. Neapoli apud Ægidium Longum 1659. in 12. & in libro: *Stravaganze Liriche degli Accademici della Fucina Parte Prima.* Bononię typis Io: Bap. Ferroni 1642. in 4. & *Parte Tertia.* Neapoli apud Sebastianũ de Alecci 1661. in 12.

Rime. in libris: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo, Quarto, e Quinto.* Neapoli apud Andream Colicchia 1670. & 1671. in 4.

Rime: in libro: *Fastosi presagi dell' Accademia degli Abbarbicati per la nascita felice del Prencipe delle Spagne.* Venetiis apud Bodium 1659. in 4.

Scripsit etiam *L'Eneide*

L'Eneide di Virgilio in istile drammatico, ex libro: *Stravaganze liriche par. 3. cit. pag.* 280. ubi ab Antonio Messana laudatur. Sed in lucem editam non vidi.

CAROLUS DE NEAPOLI Nobilis Panormitanus, Josephi de Neapoli Jurisconsulti eximii, in supremo Italiæ consilio Regentis, filius. Elegantissimum ingenium gravioribus disciplinis, & eruditionum copiâ excoluit. Græcis, latinisq; literis instructissimus effulsit. Adolescens patrem in Hispaniam sequtus, ibi doctrinâ, & eruditione literatorum amorem promeritus est. Philippi IV. Catholici Regis à cortina, & eleemosynis fuit, à quo Prioratu S. Andreæ Plateæ, & anno 1644. Abbatia S. Mariæ Nohariæ donatus est; multisque aliis donis sanè cumulasset Rex juxtà egregia viri promerita, & permaximam Regis æstimationem, nisi mors nimis acerba spem majorum dignitatum præcidisset: anno enim 1644. Regem sequtus, apud Pragam decessit anno ætatis 31. De eo Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispana par.* 2. *pag.* 358. Abbas Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 102. & Phil. Mugnòs *in Theatro Genelog. par.* 2. *pag.* 239. *&* 241. Annum agens vigesimum secundum, opus eruditione egregium scripsit, cui titulus,

Analysis ad Fastos P. Ovidii Nasonis. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Balthassaris Moreti 1639. in fol. in eo ipsius eruditio, & doctrina laudibus exornatur ab Euseio Puteano, & Cæsare Alexandro Scaliæ Abbate in epistolis sibi mutuo datis. Scripserat etiã Carolus, sed non edidit

Commentaria ad Cornelium Tacitum.

Et in comm. ad Ovidium *pag.* 271. promittebat se intra biennium editurum

Bibliothecam Siculam.

CAROLVS PATERNIONIUS nobilis Catanensis Societatis Jesu, natus 8. Octobris 1613. Societatem ingressus est 7. Octobris 1628. & solemne quatuor votorum Sacramentum dixit primo Iunii 1648. Claruit literis insigniter excultus, & virum numeris omnibus absolutum diceres, nisi innumeris scrupulorum angustiis affectus, vitam omnem usq; ad supremum diem nimis molestam egisset. Obiit Catanæ circa annum 1650. Edidit orationem, quam habuit ad Senatum Panormitanum, hoc titulo inscriptam.

Panormus utriusq. Palladis Regia. Oratio habita in anni Literarii recursu ad Illustr. Senatum à Partu Virginis 1643. Panormi typis Decii Cyrilli 1644. in 4.

CAROLUS REGIUS Nobilis Panormitanus Soc. Iesu, in lucem editus anno 1540. in Societatem ascriptus est 1556. In ea gravioribus disciplinis admotus Philosophicâ, & Theologicâ doctrinâ excelluit. Inter primæ notæ concionatores meritò recensitus, omnia, quæ egregium oratorem constituunt in ipso mirabiliter elucebant. Eo claruit eloquentiæ candore, ac vi, ut quadraginta annorum decursu concionando, usq; ad supremum vitæ terminum, celeberrimi Oratoris famam sibi comparaverit. Ab obitis etiam muneribus clarus, anno 1579. Procurator electus est à Sicula Societatis Congregatione, ut Romam Provinciæ nomine peteret, ac magni momenti negotia pertractaret. Rexit Collegia Panormitanum, & Messanense; ac Provincialis munere Neapolitanam, & Romanam Provinciam eximiâ prudentiâ gubernavit. Venerabilem effecere virum eximium pietas singularis, morumq; innocentia. Tandem religiosè vitam absolvit Romæ 8. Octobris 1612. Ejus laudes habes apud *Bibl. Soc. Jesu pag.* 132. Baronium *de Maest. Panor. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 125. Iosephum Barlotta *in sacris Vigiliis pag.* 310. P. Dominicum Albertum *in hist. Sicul. Soc. Jesu par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 12. *pag.* 365. *cap.* 14. *pag.* 377. *lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 423. *& lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 552. Matthæum Peregrinum in libro *Acutezze pag.* 217. Phil. Labbè *in Pinacatheca scriptor. Soc. Jesu pag.* 323. & Ioan. Bapt. Ricciolium *Chronol. Reform. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.* 211. Publicæ luci consignavit

Oratorem Christianum, Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1612. in 4. & Coloniæ typis Bernardini Gualterii 1613. in 4.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Societ. Iesu servatur volumen m.s. *de Pænitentia*.

CAROLUS SALPEGNI Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci Sacræ Theologiæ Doctor, & Magister, natus 12. Martii 1657. Ordinis habitum Panormi accepit, & an. ætatis suæ 16. emissa professione, Romam missus est, ubi in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam Philosophicas, & Theologicas facultates eâ ingenii felicitate breviter adeptus est, ut septimo suæ professionis anno, consono Magistrorum Ordinis, & præcipuè Antonii Cotonii judicio, in eodem Collegio studiorum Moderator delectus est. Ibi magnâ doctrinæ subtilitate Philosophiam, exinde scholasticam Theologiam explanavit, ac egregiam in publicis concertationibus laudem sibi comparavit. Philosophico quodam curriculo Romæ confecto Scoti doctrinam, cum Angelici Doctoris sapientia conciliare curavit, tantâ subtilitate, ut omnibus admirationi esset. Doctoris lauream in Romana Sapientiæ Academia accepit, & Panormum regressus in Cœnobio S. Mariæ Misericordiæ per quindecim annos Theologicas quæstiones Regentis munere tradidit, non sine laude. In Oratoria arte eximius, in sacris literis versatus, ac tum scholasticâ, tum etiam dogmaticâ, & morali doctrinâ dives, totius Ordinis generalis Examinator electus est; & Provincialis titularis Provinciæ Patrimonii S. Petri constitutus. Demum Clementis XI. Pontif. Max. jussu Romam accersitus est, ut Collegium Siculum S. Pauli ad Arenulam gubernaret, in cujus regimine nunc omnibus gratus occupatur. Edenda quamprimum hæc scripsit, nempè

Theologiam scholasticam in via Scoti. Tom. III. in fol.

Cursum Philosophicum. Tom. I. in fol.

Italicè

Prediche Quaresimali. in 4.

Sabbati di M. V. in 4.

Panegirici de' Santi. Tom. II. in 4.

CAROLUS DE TOCCO Siculus ut tradunt Ioannes Baptista Nenna *in epist. ad lectores*, operis infrascripti nostri Caroli, Antonius Beatillus *in hist. Barens. lib. 4. pag.* 204. & ipsemet Carolus *in Gloss. ad leges Longobard. l. si quis qualecumque de maleficiis, & publicis criminibus pag.* 5. ubi ait: *& hac consuetudine utimur hodie in Regno Siciliæ*: & ex eisdem operis titulo, clarè patet. Hinc in errorem lapsum agnoscimus Nicolaum Toppum, qui cùm in opere *de origine Tribunalium Urbis Neapolis par.1. lib.3. cap.10.pag.99.*scripsisset: *Carolus de Tocco, an sit de Tocco Aprutii oppido, sive de Tocco propè Beneventum, sive familia, in nostra topographia elucidabitur*: exinde *in Biblioth. Neapolitana pag.60.* patriæ studio incensus, Theatinæ urbi concedit, non alio munitus argumento, nisi quod familia de Tocco Theatina est: at præter supra allata testimonia, quæ Siculum proclamant Carolum, non deest conjectura à familia desumpta: familia etenim de Tocco antiquissima est in Sicilia, è qua originem trahere scimus Principes Hyccaris; immò Panormitanum affirmare Carolum rationi consonat, antiquum enim Panormi domicilium habuisse hanc familiam non dubitamus. Caroli igitur patrem Jurisconsultum fuisse ipsemet innuit *l.1. de convitiis p.* 12.Studiorum curriculum confecit Bononiæ,in cujus Academia tres audivit celebres Jurisconsultos, qui eo tempore civilia jura docuere: horum unus fuit Placentinus, ut ipse ait *in rubr. prim. p.* 1. alter Octo Papiensis, ut *l. fin. de his, quæ à viro in mulierem dantur p.*101.tertius Joannes Cremonensis,ut *ex l. si quis puellam de injuriis mulierū p.* 39.colligimus. Ejus doctrinam meritò honoribus exornavit Gulielmus Siciliæ Rex;Judicem enim Magnæ Regiæ Curiæ Vicariæ Neapolis,& Assessorem suum constituit, ut ex privilegio dato Panormi 12. Maii 1162. narrat Toppus *de orig.Trib. loc.cit.* Vivebat anno 1207.ut ex opere ipsius Caroli habemus,nā *in l. si adulter, de adulterio pag.*86. ait: *Est sciendum quòd solemnis forma accusandi adulterium in regno non fit: sed ita potest concipi libellus accusatorius. Anno M. CC. VII. Mense Augusti die V. administratori publico existente tali Bailo, Ego Jo. Carosus accuso N. uxorem meam*. Scripsit Glosas in leges Longobardorum, quas in Regno Neapolis nimiùm æstimantur, easque laudat Andreas de Isernia *tit.de hi, qui feuda dare poss.§.& quia in fine.* Prodiit hoc titulo opus:

Leges Longobardorum cum argutissimis Glosis Don Caroli Tocco Siculi multis marginalibus postillis decoratæ, unà cum Capitulari Caroli Magni Regis Francorum. Venetiis apud Dominicum Lilium 1537. in 8. extant in Volumine legum Imperialium,cui titulus: *Volumen legum tum posteriores tres libros Codicis, authenticasque, seu Novellas Constitutiones Justiniani Imperatoris, quàm cæterorum Principum edicta, & extravagantes feudorum Consuetudines, & Longobardorum leges Tom. V.* Venetiis sub signo Aquilę 1606. in 4. à pag. 554: & alibi pluries.

CAROLUS THOMASIUS Ragusanus, non ut impudentissimo mendacio scripsit Toppius *in Biblioth. Neapol. pag.* 60. Capuanus, nec Panormitanus,ut tradit Silos *in hist. Cler. Regul. pag.* 3. lib. 12. *pag.*555. In Ragusæ Siciliæ Civitate natus est 17. Octobris an. 1614. quòd rectè affirmant Jo: Bonifacius Bagatta *in nostri Caroli Vita par.1.cap. 1. pag.* 4. & Blasius à Purificatione *in Vita D. Iulii Thomasii ejus fratris gemelli lib.1. cap. 2. pag. 7. & seq.* Parentibus nobilibus ortus, in ipsa infantia pietatis lumina emisit, quibus futuræ sanctimoniæ edidit indicia: nam pietatis studia mirabiliter amplexus est, ac corpus variis pœnitentię cruciatibus edomare curavit: hinc non adhuc 14. ætatis annum excesserat, cùm rejectis sæculi illecebris, ad Capuccinorum Ordinem convolare meditaretur, quòd perfecisset,ni mater variis rationibus ipsius animum à proposito avertisset. Interim ineunte ætate magno cum ardore literis operam dedit. Defunctâ matre sub patrui curâ ad fundandm in Sicilia Oppidum Palmæ primùm lapidem posuit 3. Maii 1637. cui vix exordium statuerat, cùm incolæ proximiores à suavitate morum, ac singulari pietate nostri Caroli mirabiliter allecti, magno concursu ad inhabitandum locum confluxere. Hujusce Oppidi gubernacula suscepit, ac prudentiæ, justitiæ, ac pietatis legibus moderatus est; omnia quæ tum ad pietatem, ac divinum cultum fovendum, tum ad incolentium commodum conferunt sanctè decrevit, sed præcipuè virtutum omnium ornamēto omnibus præfulsit. Hinc Philippus IV. Hispaniarum Rex amplissimo privilegio dato Matriti 10. Decembris 1638. Ducis Palmæ titulo insignivit, non sine animi sui dolore, qui ab honorum, & ambitionis stimulis pœnitus alienus vivebat. Dum autem satagebat patruus, ut vinculis matrimonii alligaret Carolum, Carolus Religionis desiderio æstuabat, ac Deus tandem pia ejus animi vota excepit; nam longâ ægritudine fractis ejus corporis viribus, patruum suadere tandem potuit, ut annueret, quòd in fratris sui Julii Thomasii commodum, sponsam sibi paratam, ac Principatum sponte cederet: ideoque relicto Palmæ Oppido non sine incolentium magno dolore, ac lachrymis, sacrisque initiatus anno 1640. inde Panormi Clericorum Regularium Ordinem magna cum animi exultatione 9. Aprilis an. 1641. amplexus est. Absoluto probationis anno die 11. Aprilis 1642. solemnia emisit vota: ac studiis addictus, contra omnium opinionem ita profecit, ut ob ingenii felicitatem, socios omnes longè præcesserit, magnamque doctrinam sibi comparaverit: ideoque adhuc discipulus Theologicas lucubrationes doctissimè aggressus est, quas exinde publici juris fecit. Exacto studiorum curriculo 30. Julii 1649. nō sine plausu Theologicā Doctoris lauream promeruit. A literis haud sejungere passus religiosæ perfectionis studium. Erant illi familiaria Seraphici Doctoris volumina, ac Angelici Doctoris opera, quorum gesta, ac doctrinam imitatus, ab uno rectas perfecti viri leges, ab altero doctrinæ profunditatem in se exscribere curavit: hujus vestigia adamussim sequutus est, ideoque ejus cordi erat totam hujus sancti viri doctrinam alphabetico ordine dirigere

re, & aphorismis inter sese connexis contrahere, quod etiam & de Sancti Doctoris expositoribus varie ejus scripta expendentibus efficere meditabatur. Hoc verò magnæ molis opus *Bibliothecam Thomisticam* inscribere proposuerat. Cùm autem, humilitate suadente, suis viribus impar opus, ac brevem vitæ suæ cursum putaret, Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum rogavit, ut alicui suæ Religionis sodali doctrinâ instructissimo hanc Provinciam demandaret, quod ille perpetrare promisit: ipse verò nonnullas Theologicas lucubrationes ad umbilicum perducere curavit, & edidit; multaque alia in lucem emisisset, ni adversa valetudo à studiis ingenium avertisset. Absolutissima viri sanctimonia, ac doctrina magnam apud nonnullos Præsules, ac primæ notæ viros promeruit æstimationem: hinc postquā domū Panormitanam S. Mariæ à Catenis Præpositi munere rexisset, anno 1658. Romā petere coactus, ut Generalibus Ordinis Comitiis interesset; Superiorum jussu Romæ permansit, ut ibi ejus virtutes, veluti in ampliori Orbis theatro, refulgerent: quod evenisse non ambigendum: ideoque à viris sanctitate, & doctrinâ præstantissimis, à Præsulibus, S.R.E. Cardinalibus, ac etiam à Sum. Pontificibus veneratus, magnâ nominis famâ ea in Urbe inclaruit. Cardinalis in primis Sfortia Pallavicinus eâ veneratione ejus virtutem, doctrinamq; inspexit, ut amicitiæ vinculis ipsi conjunctum esse exoptaverit & in intimam sui familiaritatem Carolum admiserit, & aliis, præsertim Alexandro VII. Sum. Pont. ejus virtutes indicare, laudibusq; exornare consueverit: in ipsum usq; ad supremam vitæ lineam flagrantissimum servavit amorem, quem manifestum voluit, cùm Carolo aliquas Sanctorum Reliquias in benevolentiæ argumentum, ex testamento legavit. Apud nonnullos etiā Præsules, ac Cardinales magnâ virtutis, doctrinæq; opinione valuit, qui non rarò in ejus cella invisentes virum egregium, in difficillimis negotiis, ac animarum angustiis ipsum consulebant, ejusque documenta venerabantur. A Cardinalibus Valdarico Carpegna, (cujus spiritum moderabatur) & Gregorio Barbarigo, magnâ veneratione prosequutus est: ut etiam à Marchione Pianezę, Hyacintho de Samione, à secretis status Ducis Sabaudiæ, ejusq; primo Ministro: Clementi IX. percarus fuit, à quo indulgentiam pro orantibus per horæ quadrantem, aliaq; obtinuit. Ad Hispaniæ aulam diffusâ ipsius virtutum famâ, anno 1666. ab Anna Maria Austriaca Hispaniarum Regina, Episcopus Pactensis enunciatus est. Sed, licèt nonnulli ob animarum profectum, ut onus subiret, studiosè urgerent Carolum, attamen ipse in humilitate defixus, constanter dignitatem rejecit, non sine omnium admiratione. Apud Clementem X. institit, & obtinuit, ut Amphitheatrum Romanum, quem Colosæum vocant, martyrum sanguine consecratum, occluderetur, ac interdictis in eo prophanis ludis, in Templum redactum, ad Sanctorum memoriam recolendam anno 1674. reclusum est. Charitate ęstuans multa in animarum utilitatem scripsit; & egregie patravit: præsertim in excitandis Monialium Monasterio, asceterio, aliisq; piis locis in oppido Palmæ: in quibus consilio, & operâ Iulio fratri semper præsto fuit. Tandem virtutibus egregiis ornatus, ac sanctimonię opinione apud omnes clarus, ægrotavit ad mortem. Multi S.R.E. Cardinales, Præsules, ac primariæ nobilitatis viri Principes ad ipsum in lectulo decūbentem confluxere. N. Crescentius à Cubiculo tunc Clementis X. inde S. R. E. Cardinalis, Pontificio nomine ipsi benedictionem, & plenariam peccatorum Indulgentiam elargitus est. Tandem anteactę vitę preclara gesta, hoc heroico virtutis actu conclusit, nempè: omnia suffragia, quæ ex pia Ordinis sui institutione sodales defuncto socio persolvunt, omnia animabus, quę in igne purgatorio cruciantur renunciavit; ipse verò se lubens, ac volens paratum exibuit ad amplectendas omnes pœnas vel usque ad extremi judicii diem. Obiit tandem sanctè, ut vixit, Romæ primo Ianuarii 1675. ęt. 60. ut multò ante prænunciaverat. Ad tanti viri cadaver undiq: magnus concursus, cujusvis ordinis; vestes discissę, ut veluti reliquias servarent: eorumq; contactu nonnulla miracula patrata narrantur. De ejus vita, heroicis virtutibus, ac sanctitate estructi sunt processus in ordine ad Beatificationem. Consule ipsius vitam an. 1702. editam Romę à Io: Bonifacio Bagatta Cl. Reg. Veronensi. De eo etiam P. Blasius à Purificatione *in Vita D. Julii Thomasii*, Ioseph Silos *par. 3. hist. Cler. Reg. lib. 12. pag.* 555. *& in analectis epist. 68. pag.* 180. Franciscus Maria Maginus *tom. 1. de Sacris Caeremonis pag.* 3. 91. *&* 332. in lib. *de Ritibus incolendæ solitudinis pag.* 212. 256. 273. 504. *in Carmelo Mariano pag.* 301. *&* 313. *& in propos. benè moriendi prop.* 75. *pag.* 410. P. Antonius Natalis *in suo purgator. n.* 99. *pag.* 175. *& in allegat. Theologica n.* 33. *pag.* 43. *& n.* 82. *pag.* 89. Franciscus Andaloro *in corona 12. Stellar. pag.* 52. Sfortia Pallavicinus S. R. E. Card. *in epistolis pag.* 20. 222. 223. 225. & in epistolis ad Iulium Thomasium fratrem *à pag.* 265. *usque ad* 291. & in epistola nuncupatoria libri tertii *de arte perfectionis*, quem honorificè ipsi dicavit: epistolam etiam nescio quam, edidit ad ipsum datam ex Oldoino *in Athenæo Rom. pag.* 602.

Quæ edidit Carolus hæc sunt,

Arbor uberrima sacrę doctrinæ, seu commentarii, & Aphorismi in summam D. Thomæ. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1656. in fol. hoc pergrande volumen inde tribus tomis mole parvis complexum, hoc apposito titulo prodiit:

Commentarii, & Aphorismi in universam summam D. Thomæ, quibus omnium quæstionum, & articulorum doctrina breviter, & dilucidè explicatur. Venetiis 1673. in 12.

Collibeta Theologica. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1657. in fol.

Tabula Aurea operum omnium Antonini Dianæ Cl. Reg. qua resolutionum plusquam sex millia, pluraq; aliorum casuum millia in duodecim partes promiscuè impressa, recta, & clara methodo in 150. tractatus ritè, ac scholasticè ordinantur, disponuntur. Ro-

mæ ex typographia Nicolai Angeli Tinassi 1664. in fol.

Ordinaverat noster Carolus omnia opera celeberrimi P. Dianę, ac in tractatus, scholastica methodo per septem tomos distributa, digesserat: totius operis tabulam prenotatam typis tradidit; sed cùm P. Martinus Alcolea locum præoccupasset, suæ coordinationis editionem prætermisit.

Annus Bonaventuræ igneis seraphicæ doctrinæ floribus vernans, seu D. Bonaventuræ de quatuor mentalibus exercitiis floridæ sententiæ, singulis totius anni diebus accommodatæ: nec non Anthologia sacra ex amœnissimis Sanctorum, piorumq; Doctorum Viridariis selecta. Panormi typis Ioannis Antonii Mandracchia 1654. in 12. & Parisiis auctior, & emendatus apud Godefridum Marcher 1658. & 1659. in 24. In hoc opere, Anthologia sacra nonnullas complectitur asceticas opellas, nempè,

Prodromum dierum & æternitatis.

Fasciculos myrrhæ duos inter animæ ubera alternatim, & continuò suscipiendos.

Sapientiæ domus columnas septem.

Igniti cordis Ignatii Martyris igneum simulacrum.

Sacrum Venetis sydus, Eucharistici solis Lucifer, & Hesperus.

Rosarium Beatiss. Virginis, Seraphici Bonaventuræ Principiis spiritualiter expensum.

Mariæ præsentia, septem salutationibus angelicis efficaciùs coruscans.

Salutatio Angelica Chronologica.

Caetano, corde hinc inde alis acto, consuetas metas prætervolanti, & in ipso Dei sinu nidificanti, orantis obsequia.

Crucifixio Spiritualis Animæ

Alia quæ scripsit hæc sunt.

Oratio Marialis, seu septem petitiones, quas B. V. quotidie faciebat dum morabatur in Templo. Panormi apud Decium Cyrillum 1650. in 16.

Septem Salutationes Angelicæ septem diei horis addictæ. Panormi apud eumdem 1649. in 8. & italicè Bononiæ 1650. & Panormi apud. Decium Cyrillum, & Nicolaum Buam 1650. in 8.

Scalæ Sanctæ graduum incipientium, proficiscentium, perfectorum piæ deosculationes, & meditationes per septem hebdomadæ dies distribuendæ. Romę apud Ignatium de Lazaris 1657. in 24.

Horologium historicum Dominicæ Passionis, quo singula Passionis mysteria singulis diei horis, mysteriis respondentibus recoluntur. Ibid. apud eumdem 1657. in 16. & Panormi apud Insulã 1673. in 16.

Schema, ac Breviarium totius D. Thomæ summæ. Panormi apud Decium Cyrillum 1643.

Schema veræ vitæ, seu iugis Amoris. Romæ apud Stephanum Picart 1656.

Schema Horologii Historici Dominicæ Passionis. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1657. in 32.

Schema divinorum Attributorum. Romę apud eumdem 1657.

Schema totius Sacræ Scripturæ. Ibidem apud eumdem 1657.

Schema Majus seu magna arbor universæ summæ D. Thomæ quatuor apertis foliis explicata. Ibidem apud eumdem 1656.

Schema festivum pro Sacræ Vrbis incolumitate sub optimo P. M. Alexandri Septimi Principatu. Ibidem apud eumdem 1656.

Epistola ad Alexandrum VIII. de mira utriusque Philosophiæ naturalis, & divinæ armonia. Ibidem apud eumdem 1656.

Caramuelis Proteus informas 722. 131. 200. variabilis D. Thomæ dicatus, expensus, & dilucidatus. Romæ apud eumdem 1657.

Ave Maria Parodiis, & Paraphrasibus Beatiss. Virginis principalibus festivitatibus, ac mysteriis piè, & non injucundè accommodata. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1668. in 16.

Rosarium triplex Angelicum, Seraphicum, Beatum, seu Beatitatis Corona aurea, aureolisque coronatum. Romæ apud eumdem.

Septem piissimi affectus efficacissimi ad implorandum Dei amorem, septem hebdomadæ diebus distributi. Romæ typis Angeli Bernabò 1669. in 16. Panormi apud Petrum de Insula 1675. in 8.

Septem Miserere efficacissimi ad implorandam Divinam misericordiam. Romæ apud Angelum Bernabò 1669.

Flores Seraphici S. Francisci excerpti ferè omnes ex ejus opusculis. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1672. in 8.

S. Thomæ de Villanova flagrantissimi duo, sed verè mira verba: Amo, quia amo: Amo, ut Amem. Romæ quod eumdem 1672.

Munusculum Beatiss. Virginis visitantibus suum dulcem Natum pauperrimè in presepio.

Clypei Mariani pro sacra æde Lauretana.

Aliasque edidit opellas in foliis expansis. Itacè verò

La Passione del Signore considerata in dodeci stati &c. divisa in 12. Tomi corrispondenti à 12. Mesi dell'Anno, con altri tre Tomi continenti tavole utilissime per uso dell'Opera, Romæ apud Ignatium de Lazaris 1670. in 12.

La Cella interna di S. Catarina di Siena delineata nella medesima Santa. Romæ apud Zannettum 1669. in 8.

Cento Estasi de' Santi Pietro d'Alcantara, e Maria Madalena de' Pazzi. Romæ apud eumdem 1669. in 4.

Imagini de'cinque Santi Caetano, Francesco, Filippo, Luigi, e Rosa spiegate encomiasticamente. Romæ, apud Ignatium de Lazaris 1671. in 4.

Divotione al Principe degli Apostoli S. Pietro ne' più segnalati luoghi delle sue gloriose memorie nell'Alma Città di Roma, ordinata in dodeci stationi. Romę typis Ignatii de Lazaris 1661. in 12. & iterum hoc titulo: *Benvenuta al divoto Pellegrino, che viene à Roma nell'Anno Santo 1675.* Romæ apud Philippum Mariam Mancinum 1675. in 12.

Invito alla Scala Santa per il Venerdì Santo.

Letticello di riposo spirituale, cioè l'oratione di quiete brieve, chiara, e pratticamente spiegata. Primùm edita cum aphorismis Divini amoris S. Francisci de Sales, Romæ apud Ignatium de Lazaris 1662. in 12. inde cum Dominica Passione To. 13. Ibid. apud eumdẽ 1670. in 12. seorsim Panormi apud Insulam 1675. in 8. & alibi.

Horo-

Horologio Historico della Passione del Signore. Hoc primùm edidit Romæ in folio expanso, expressis æneis figuris Christi Domini, ac Sanctiss. Virginis: inde in libellum redegit additis meditationibus Romæ typis Ignatii de Lazaris 1657. in 12. ac tandem eundem in duodecim libellos divisit juxtà diei horas distributos. Romæ.

La Perfettione spirituale compendiata brevissimamente da S. Carlo Borromeo in un suo ammaestramento. Romę 1670.

Oratione cõtinua insegnata dall' Abbate Isaac all' Abbate Cassiano, e Germano suo compagno facilissima non solo a' Religiosi, ma a' secolari d'ogni stato, anco Prencipi grandi. Romæ 1672.

Rosario di S. Rosa V. di Lima del Terz' Ordine di S. Domenico. Romæ 1673.

Il buon giorno del Christiano, che li dà S. Gaetano 1673.

Giornata divota della Madonna, cioè sette Ave Marie assegnate à sette hore diverse del giorno.

Ritiro spirituale da farsi ogni giorno da ogni Christiano. Romæ apud Varensem 1673. in 12. Panormi apud Buam, & Camagnam 1670. in 12. & Petrum de Isola 1673. in 12.

S. Gaetano venerato, ed invocato con diversi esercitii, & orationi, Romæ apud Philippum Mariam Mancinum 1672.

Brieve Relatione dell' Anfiteatro Flaviano detto communemente il Coliseo. Romæ 1674.

La presenza di M. V. consistente in sette salutationi Angeliche, corrispondenti ad altretante hore del giorno. Panormi apud Nicolaum Buam 1651. in 8. e 1649.

Esercitio quotidiano alla Santiss. Trinità. Panormi apud Joan. Antonium Mandrachiam 1653. in 16.

Habitatione perpetua nelle Piaghe del Crocifisso. Panormi typis Nicolai Bua 1655. in 16. Ibidem apud Insulam 1675. in 8.

Gaetana devotissima, cioè esercitii da farsi ad honore del B. Gaetano. Ibid, Messanæ, Neapoli, Bartoli, Urbini, Genuę, Romę, & alibi.

Constitutioni di S. Francesco di Sales per le Monache della Visitatione di Maria Vergine accresciute. Romę apud Angelum Bernabò 1656. in 16.

Novena di S. Gaetano del P. D. Francesco Maria Maggio accresciuta. Panormi typis Jo. Ant. Mandracchia 1655. in 24.

Brieve, e semplice instruttione della Fede, e Vita Christiana. Romæ apud Ignatiũ de Lazaris 1662. in 12.

Aforismi del Divino amore, cavati dal Trattato dell' Amor di Dio di S. Francesco di Sales. Ibid. apud eundem 1662. in 12.

Alia edidit brevinscula: & nonnulla ex supradictis cum aliis orationibus à P. D. Carolo editis, collegit, ac typis dedit Romæ apud Mancinum 1675. in 12. D. Antonius Macca, addito titulo: *Fiori spirituali.*

Prælo paraverat.

Canticum Canticorum Salamonis illustratum, nova, & brevi paraphrasi.

Canticum admirabilem, & inæstimabilem cœlestis Coreæ, seu ballatæ omnium Sanctorum, ex opusculis S. Bonaventuræ brevissimè excerptum.

Hebdomadarium pium satispium iter incipientium, proficiscentium, & perfectorum, via purgativa, illuminativa, atque unitiva singulis diebus hebdomadum exercendum.

Meditationes de septem signaculis libri æternæ sapientiæ.

SS. Iesu Domini Doxologia.

Miserere ex psalmis ad literā excerptum, & orationem Dominicalem.

Orationem, seu affectus ad Christum Crucifixum.

Hymnum glorificationis, pia paraphrasi breviter per casus expensum.

Psalmum L. in sensu accomodo ad Christum Crucifixum.

Invocationem Spiritus Sancti.

Piissimas ad Deum petitiones cordis contriti, & humiliati, ex psalm. L. excerptas, & methodicè reductas.

Septem itinera Passionis, mysticè meditanda.

Monitum salutare valdè hominibus necessarium, ex operibus S. Augustini excerptum.

Sacræ Bibliæ synopsim affectivam. Italicè

Prodigio dell' Amor Serafico di S. *Bonaventura, nel quale s'ha quasi in compendio la sua vita.*

Quattro guanti spirituali di odor Divino.

La sacra Corona della Madonna, cavata dalle Parodie Mariane, & ispiegata in sette salutationi.

Ricetta per addolcire tutte le afflittioni del Mondo, e dello spirito.

CAROLUS TRIGONA nobilis Platiensis Societatis Jesu, natus 6. Januarii 1615. Societatem amplexus est 27. Decembris 1630. in qua quatuor votorum Sacramento se astrinxit 5. Maii 1651. Vir à doctrina celebratus; nam preter humanas literas, Philosophiam, ac Theologiam scholasticam docuit: moralem verò supra triginta annos magna cum laude professus est. Rexit Collegia Siclense, & Platiense, Studio infaticabilis, ac solertiâ singulari, doctrinâ, ac prudentiâ semper ubique claruit, presertim verò Messanę, in qua sapientiâ, morum comitate, & in rebus agendis facilitate veneratus, passim ejus consilia in difficillimis conscientię quęstionibus omnes, vel ipsi Pręsules exquirebant. Apud D. Josephũ Cicalā, & D. Franciscum Alvarez Archiepiscopos Messanenses Theologus, Examinator Synodalis, Visitator, & librorum Censor enituit. Fuit, & Theologus Camilli Astalli S.R.E. Cardinalis, & Michaelis Angeli Bonadies Episcoporum Catanensium: ut etiam & Francisci Marię Rini Episcopi Syracusani. In suum Theologum, & Examinatorem Synodalem delegit Franciscus Arata Episcopus Liparensis, ejusque successor Caetanus del Castillo, qui etiam Consultorem, & Censorem S. Inquisitionis Romanę ea in Insula constituit: ipse enim ex speciali privilegio Generalem ejusdem Insulę Inquisitorem agebat. Octogenario major decessit Messanę circa annũ 1703.

Synodum ab Ill. & Reverendiss. Domino D. Joseph Cicala Archiepiscopo Messanensi an. 1681. die 20. Aprilis Messanæ celebratam. Messanæ ex typogra-

graphia Vincentii de Amico 1631. in 4.
Scripsit etiam sed typis haud commisit

Synodum Liparensem ab Ill. & Rev. Domino D. Caetano del Castillo celebratam, quæ dum erat edēda ob inopinatam Episcopi mortem m.s.remāsit.

Clavem pro reserandis propositionibus damnatis ab Innocentio XI.

Consilia, & Allegationes.

Italicè

Lettera Annua dell' Anno 1640. della Provincia di Sicilia della Compagnia di Giesù mandata a Roma.

Gli Atti della Visita della Diocesi di Messina mandati al Card. Montalto Francesco Peretti, e presentati al Pontefice Innocenzo X.

CASIMIRUS DRACO Panormitanus Iuris utriusq; Doctor, Patre Blasio, de quo suo loco, in lucem editus est anno 1654. Jurisprudentiæ ab adolescentia addictus, & egregiâ doctrinâ insigniter cumulatus, inter primarios causarum patronos eminuit:magno etenim cliētum numero stipatus graviores Siculorum Procerum causas non sine plausu, felicissimè propugnavit. Hinc ad nonnullos honorum gradus meritò evectus est. In Panormitano Prætorio anno 1685. Iudex sedit. In Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ anno 1688. & ter in supremis Magnæ Regię Curiæ subselliis iudex etiam integerrimus præfuit annis 1693. 1697. & 1701. Exinde anno 1703. Regii Patrimonii Fisci Patronus electus, mox eodem munere in Magnæ Regiæ Curiæ foro anno 1705. cohonestatus est. Hanc modò provinciam præclarè administrat, dum ad majora, egregii viri promeritis exposcentibus, properare videtur. Multa scripsit Allegationum volumina; attamen solum in lucem emisit

Allegationes in causa successionis Status Geracis pro Comite Rogerio de Vigintimillis Comite Marchione Geracis, Principe Castriboni &c. contra Dominam D. Felicem de Vigintimilliis viduam relictam Comitis Blasci de Vigintimilliis Comitis Marchionis Geracis, Principis Castriboni &c. Panormi apud Josephum la Barbera 1692. in fol.

Veritatis, & Justitiæ Patrocinium in causa successionis status Geracis pro Domino D. Hieronymo Dei gratia Comite Vigintimillii in Liguria, ac Geracis Comite XXIX. & Marchione XVII. statusq; hujus ex Domini Comitis D. Rogerii occasu successore, contra Dominam D. Felicem Barberini & de Vigintimilliis Domini D. Urbani Barberini Prenestis Principis uxorem. Panormi apud Iosephū Gramignani 1700. in fol.

CASSIANUS Historicus Siculus, ut opinatur Octavius Caetanus *tom. 1. Sanctor. Sicul. pag. 19.* & Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag. 123.* quo vixerit ævo incertum: sanè Pirrus antiquū meritò scriptorem vocat. Scripsit ex citatis auctoribus, & ex Christ. Scobar *de reb. Syracus. p. 14.*

De Vita Chresti Episcopi Syracusani.

CATALDUS AMODEI Saccensis Musices peritissimus, cujus monumenta musicis notis modulata semper cum plausu excepere omnes Neapoli, ubi magnâ æstimatione vixit: ibique variis in Ecclesiis fuit musices Moderator eximius, Obiit Neapoli circa annum 1695. Edidit italicè

Cantate à Voce sola. Libro primo, Opera seconda. Neapoli apud Novellum de Bonis 1685. in 4.

CATALDUS AQUILA, aliàs PARISIUS Siculus, & forsan Panormitanus, familia etenim Parisia, quæ nunc titulo Marchionis Oleastri pręfulget, ex antiquis temporibus domicilium habet Panormi. Esset profectò Vizinensis, si Lucius Marineus civem suum *in epistol. lib. 5.* dixisset, ut innuit Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispana to. 2. pag. 358.* Marineus etenim in epist.cit. tantummodo Siculum fuisse ait: *quare, & si patria nostra Sicilia est, omnium rerum dives, &c.* ea in epistola Cataldum Jurisconsultum, ac Poetam clarissimū vocat, ejusq; consilium permanendi apud Joannem Lusitaniæ Regem laudat. In Lusitania igitur vixit Cataldus ob litteras, aliasq: virtutes Joanni secundo Regi, ejusq: filio notho Georgio Avenensium Ducum Progenitori in paucis carissimus. Huic admodum familiarem fuisse ex epistola nuncupatoria Georgii Hermici Cajadi poetæ Lusitani pro ecloga sua tertia ipsi Regis filio inscripta, patet, ubi ait: *Siculo tuo semper uteris ut Socrate Alcibiades, & Seneca Nero; nec injuria; quandoquidem vir est haud quaquam indoctus, aut imperitus.* & ipse Cajadus *in epigram. ad Cataldū*, hunc audivisse, suumq: præceptorem fuisse fatetur. Nec Emmanueli Regi Joannis Successori eo in Regno gratissimum extitisse dubito, cùm literatorum amātissimus fuerit, ac iisdem commentaria scripserit, ex Rainerii in libro *stati del mondo pag. 305.* Vivebat anno 1509. & forsan in ipso Lusitano Regno denatus est. De eo vide citatos Marineum ejus amicum, & Nicolaum Antonium, qui emeritis laudibus Cataldum cumulant. Scripsit ex ipso Nicolao

Ad Emmanuelem Regem libros quatuor, scilicet de rebus gestis Joannis Regis ultimo vitæ suæ tempore, atque Emmanuelis inauguratione.

Arcilinguem, sive de Gestis Alphonsi V. adversus Mauros, ad Joannem Regem.

De Perfecto Homine ad eumdem.

Epithalamium ad Alvarum Hispaniæ, hoc est Castellæ Præsidem.

Consolationem ad Marchionem Ferdinandum Menesium.

Elegiarum libros duos.

Epigrammatum libros duos.

Opera jam relata, carminibus expressa typis edidit simul. Seorsim verò

Visionum libros quinque.

Verum Salamonem, sive Martinum ad Comitem Alcoutinium, & alia. Ulysipone 1509. in fol.

Lilius Gregorius Gyraldus *dial. 2. de Poetis nostrorum temporum pag. 417.* cum Gesnero *in Bibl. p. 139.* Scripsisse tradit

De morte Alphonsi Principis.

De bello Aphrico. (Hæc autem forsan eadem sunt opera, ac supra notata de gestis Alphonsi.)

Quatuor, aut quinque libros Elegiarum, & alia. Ex Cathalogo Bibliothecæ Baldeanæ *pag. 116.* Edidit

Epistolas. &

Divi-

Divisionum lib. forsan Visionum corrigendum. Unam ipsius Epistolam ad Lucium Marineum habemus inter epistolas eiusdem Mariani *lib.*5.

CATALDUS FIMIA Catanensis patritio genere ortus, Jurisconsultus doctissimus. Vir studio, ac scriptis indefessus: ideoque doctrinâ, & eruditione clarissimus. Cum magna integritatis fama, septies in Magnæ Regiæ Curiæ Foro effulsit Judex: semel in Consistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ subselliis, Regiusque Consiliarius. Obiit Catanæ 14. Februarii 1638. Laudatur à Balthassare Abruzzo *ad pramm. sum. par.2.cap. 2.nu.206. & in §. accidit aliquando num.* 32. Caracciolo *decis.2. num.22.* Testai *allegat.21. num.22.* Magretti *in obseru. ad pragm. Ducis Sermonetæ* §. 5. *num.* 5. *pag.* 144. & 174. *num.*15. Petro Ansalone *de sua familia pag.* 279. Ignatio Gastone *in disceptat. pro Catanensi Gymnasio disc.*1. *num.*14. Joanne Baptista de Grossis *in decacord. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 146. ubi ait: *Plurima dimisit ingenii monumenta magno à Jurisconsultis habita pretio:* & *pag.* 149. addit: quòd unà cùm Petro de Amico, & Roccho Potenzano, Regni Pragmaticas recentiores in laudabilem ordinem redegerit. Ex eodem Grosso in m. s. *de viris illustr. Catanæ* reliquit

Repertor. Vol. XII. Decisionum Tom.XII. Repertorium Feudale. Allegationum Vol. XXVIII. At solùm editas vidi cum Marco Antonio de Marchesiis, & Mario Cariddi.

Iustificationes sententiæ datæ in causa petitionis Vindicatoriæ, & reintegratoriæ septem feudorum nuper erectorum in titulum Baroniæ Asprimontis 1637. sine loco, & Typographi nomine.

CATALDUS FLORENTIA de PAZZIS Catanensis, ob uxoris ductionem inter Messanenses recensitus, nobili loco natus, Baro S. Joannis, vir politioribus literis excultus. Vivebat Messanæ ann. 1671. De eo Petrus Ansalonius *de sua familia pag.*280. Edidit italicè

Gli Avvenimenti Tragici della Città di Sciacca. Venetiis apud Balionum 1671. in 12.

CATALDUS SICULUS v. Vincentius Errans.

CELIDONIUS SINI Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci Sacræ Theologiæ Doctor, & Magister, natus 4. Decembris 1661. anno ætatis suæ 15. Ordinis habitum obtinuit, ac Romæ virtutes, & regularis disciplinæ tyrocinium confecit, ibique studiorum spatia cum ingenii laude emensus est. In Calathajeronensi Academia Philosophiæ, ac Theologiæ laureâ donatus, ac doctrinâ insigniter instructus, Philosophicas quæstiones Panormi in Cœnobio S. Mariæ de Misericordia, Drepani, ac Messanæ docuit; Theologiam verò in eodem Panormitano Cœnobio. Oratoriâ facultate clarus, ac insigni munitus memoriâ, in quadragesimali curriculo conciones habuit semel, & iterum Panormi, Politii, Alcami, & alibi non sine laude. Historicâ eruditione dives, nunc vivit Panormi, magnâ æstimatione prosequtus. Scripsit italicè, ac typis quamprimum tradet

Quadragesimale. Tom. I. m.s. in 4.

Sabbati della Santiss. Vergine. Tom. I. m. s. in 4.

Panegirici de' Santi. Tom. I. m.s. in 4.

CERES. Multa de Cerere, quam deceptę Gentilium mentes Deam putarunt, tradidere Poetæ, multaque Mythologi. Consule Joan. Boccaccium *in Deorum Geneologia*, Vincen. Cartarium *in Imaginibus Deorum*, Nicolaum Comitem *in Mythol.lib.*5. *cap.*13. Lilium Gregor. Gyraldum *de Diis Gentium*, Vossium *in Theologia Gentium*, aliosque. Sepositis Musarum somniis, pauca, quæ ad nostrum institutum spectare videntur, seligam. Fuit Ceres Sicula, ut habemus ex Solino *cap.*11. Arnobio *contra Gentes lib.*1. Cicerone *lib.*4.*orat.*9. *in Verrem*, Aristotele *de mirabil.auscult.* Ioanne Boccaccio *geneol. lib.*8. aliisque. Ennensem, vel Catanensem fuisse, ait Lactantius Firmianus *divinar. instit. lib.*2. *cap.* 4. Ennensem putat Cicero *in Verrem lib.* 5. *act.*5. Silius Ital. *lib.*1. Julius Firmicus *de errore prophan. Relig.* Aristoteles *in mirabil.auscul. apud Cluverium Sicul. ant. lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 317. Fazellus *de reb. Sicul. dec.*1. *lib.*9. *cap.*2.*pag.*225. ideoque in fronte tomi tertii Pragmaticarum Siciliæ editi Panormi 1658. Cereris spectatur effigies, cum hac inscriptione: *Ceres Ennensis prima leges dedit.* Catanensem volunt Alexander ab Alexandro *dier. Genial. lib.*6. *cap.*2. *pag.* 613. Petrus Carrera *hist. Catan. vol.*1. *lib.*1. *cap.*1. *pag.*14. Jo:Bap. de Grossis *decacord.Catan.t.*2.*cord.*9. *p.*145. Nonnulli Æteam Cererem legunt apud Silium Italicum *lib.* 4. *v.*124. & Claudianum *lib.* 1. *de Raptu Proserpinæ*: at Cluverius *loc.cit.* legendum putat Enneam, ex Turnebo *lib.* 8. *adversf. cap.* 12. quam sententiam amplectitur Criticorum chorus; sed an legendum Ennea, vel Ætnea ex variis auctorum placitis, consule Cluverium, cit. Carreram *ibid. lib.*2. *cap.*3. *pag.*181. & Thomam Dempsterum *ad Rosinum lib.*2.*pag.*113. mihi potius Ennea lectio arridet. Nata ergo Ceres in Sicilia patre Saturno, prudentiâ, ingenioque enituit, quę cùm homines glandibus vescerentur, ipsa frumenti usum adinvenit, aratro terram scindere, frumentum serere, ac in panem redigere docuit: ideoque Orpheus in hymno Cereris ait:

Colla Bovum, quæ prima gravi subjecit aratro,
Feliceemque dedit victum mortalibus agris.

Ovidius *lib.*5. *metamorph.*

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

& *lib.* 4. *fastor.* Virgil. 1.*Georg.* aliique non pauci apud Vinc. Auriam *in Sicil. Inventrice cap.* 1. §. 1. *pag.*2. & *in meis observationib. ad eamdem pag.* 78. ubi adinventa alia, Cereri ascripta reperies, & Isidem eamdem, ac Cererem esse comperies. At quià Gentes more pecudum sine disciplina, ac lege vivebant, Ceres statuta, ac leges, ad mores erudiendos invenit; ideoque in hac nostra Bibliotheca relata vides. Primam leges adinvenisse testantur Cicero *in Verrem act.* 7. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *nat. hist.* Diodorus Siculus *lib.* 1. *n.* 14. & *lib.* 5. *n.* 5. Maurolycus *hist. Sic. lib.* 1. *pag.*1. Fazellus *dec.* 1. *lib.* 9. *pag.*225. Cartarius *in Imag. deor.* aliique. Hinc Legiferam vocant Cererem Virgilius *Æneid. lib.* 4. *n.* 58. Lilius Gyraldus

de Diis

*de Diis Gent.synt.4.pag.*362. *num.*30. Pierius Valerianus *hyerogl. lib.*1. *cap.*27. *pag.*12. *lib.*3. *cap.*16. *pag.* 29. & *lib.* 21. *cap.* 16. *pag.* 213. Walfangus Lacius *lib.* 2. *comm. de Republ. Rom. cap.* 7. Natalis Comes *loc. cit.* qui rectè perpendit hoc significare nomen festorum Cereris, quæ Thesmophoria dixerunt (de quibus etiam Athenæus *lib.* 3. *cap.*26. *pag.* 109.) nam ex græca radice, Thesmos lex sonat, & phoria ferre, quasi dixissent: Legifera: quòd etiam tradunt Jo: Rosinus *antiq. Roman. lib.*2. *cap.*11. *pa.* 73. & Jul. Cæsar Scaliger *poet. lib.*2. *cap.*20. *pag.*81. Apud Megarenses templum Cereri Legislatrici dicatum testatur Pausanias *lib.* 1. de alio in Ægina scribit Herodotus *lib.*6. Hinc Plutarchus *opusc. contra Colotem*, quemdam nomine Colotem acriter redarguit, qui legum inventionem Cereri ausus est denegare. In numismate Panormitano apud Parutam *in suis Sicul. numis. v.* 43. Ceres intuetur aristis redimita, velo tecta, & in sede locata, ac si populum instruat, ut observat Aug. Inveges *tom.*1. *annal. Panorm. pag.* 457. & Marcus Maer *in declar. numism. Sicul. pag.* 8. & in Cereris Legislatricis honorem excusum perpendunt. Aliud etiam videre licet apud eumdem Parutam numisma *num.* 44. in quo etiam mulierem sedentem, & veluti populum erudientem, spectatur: & Inveges *cit. pag.*458. & Maier *loc. cit.* Cereri Legislatrici ascribunt: sed Vincen. Auria *in observationib. ad Batillum Ioann. Bapt. de Iudice pag.* 326. Dianę fuisse putat. Ob ejus præclara adinventa, ac egregias dotes immortalitate dignam æstimarunt Cererem Gentes, ac inter Deas relatam venerabantur; eique altaria, templa, ac festa variis in locis dicata apud auctores citatqs leges; immò Sicilia tota fuit Cereri consacrata, ut testatur Cicero *in Verrem lib.*4. *orat.*9. *Vetus est hæc opinio*, ait; *quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis, atque monumentis Insulam Siciliæ totam esse Cereri, & Liberæ consacratam.*

CHARMUS Syracusanus facillimæ, ac facundissimæ venæ poeta, cui mos erat sępius in conviviis interesse, ac singulis ferculis versiculos, ac proverbia arguté, ac prompté accomodare magno cum convivarum oblectamento. Non rarò in convivio centum ferculis onusto, cui & centum assidebant convivæ, omnibus Musæ suæ sales lepidissimè aptavit. Hæc tradunt Suidas *tom.* 2. *pag.* 1114. Athenæus *lib.*1. *cap.* 4. *pag.* 4. Gyraldus *de poet. hist. dial.* 3. *pag.* 133. Goltzius *in Sicil. hist. post. pag.*89, Patritius *poetic. dec. hist. lib.* 1. *p.* 93. Bonannus *Syracus. illustr. l.* 2. *pag.* 296. Fazellus *de reb. Sicul. dec.*1. *lib.*4. *cap.*1. *pag.* 102. & Crassus *in hist. poet. Græcor. pag.* 105. Plurimùm apud Messanenses æstimatione valuit ob doctrinam, festivaque carmina, ut habemus ex Athenæo cit. Casaubono *in animad. ad Athenæum lib.* 1. *cap.*4. *pag.*15. & Placido Reinæ *in not. hist. Messan. par.*1. *pag.* 175. Claruit circa ætatem Alexandri Magni ex Crasso, & Patritio cit. quamvis Vossius *de poetis Græcis p.*87. inter poetas incertæ ætatis recenseat. Scripsit

Carmina, quorum quidem versuum poema, ait Gyraldus cit. *Solensis Clearcus Dipnologiam vocavit, alii Opsologiam, alii Hidypathiam, Crysippus verò Grastonomiam, quæ omnia vocabula ad gulæ, & ventris, voluptatisque rationem referuntur.* Hæc etiam ejus operis nomina exhibet Vossius cit. & Suidas, apud quem sic explicantur. *Clearcus Solensis id poema vocat Dipnologia, quasi dicat Cœniloquium, idest orationem de Cœna, alii Opsologia, idest de Opsoniis orationem. Chrysippus Gastrologia, idest ventris legem; alii Hidypathia, idest suavem voluptatem.* Ex eò desumpsisse videtur argumenta disticorum suorum Martialis, ut notat Carolus Stephanus *in dict. p.* 665. Matthæus Raderus *in Martialem l.* 13. *pa.*844. ex Cęlio Rhodigino *l.* 28. *lect. antiq. cap.*8.

CHARONDAS Catanensis Philosophus Pythagoricus, & Legumlator celeberrimus. Catanæ natum tradunt Aristoteles *polit. lib.*2. Jo: Stobeus *ser.* 145. Heraclides Ponticus *de Politiis ubi de Rheginis*, Jamblicus *in vita Pythagoræ* ex edit. Lucę Holstenii *pag.* 140. Carolus Stephanus *in dict. pag.* 617. *v. Catana*, licèt *pag.* 666. *v. Charondas*, sibi contrarius, Thurium fuisse scribat, origine Catanæum: id ipsum protulit Hofmannus *in lex. tom.* 1. *pag.*399. & 427. Catanensem voluere etiam Sebastianus Conradus *in notis ad Val. Max. lib.* 6. *cap. finali*, Joannes Fiore *in Calabria illustr. lib.* 4. *cap.* 5. §. 2. *pag.* 393. Morerius *in dict. tom.*1. *pag.* 839. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 18. & 19. Goltzius *in Sicil. hist. post. pag.* 86. quibus addendi quotquot Siculi de Charonda scripsere. Ideoque non audiendus Hieronymus Marafiotus *in descrip. Calabriæ lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 101. & alibi, qui Locrensem vult Charondam, ubi ut suam fulciat opinionem Aristotelem citat *lib.*2. *politicor.* suppresso nomine Catanei, non sine turpi malitiâ, ut observat Carrera *hist. Catan. vol.* 1. *pag.* 413. hæc enim protulit Aristotelis verba: *scripserunt Leges Zeleuchus locis iis, qui ad occidentem pertinent; & Charondas suis Civibus.* At Aristotelis verba sunt: *Charondas Catanæus suis Civibus*, hinc meritò à Carrera reprehensus, in quo miror, majorem modestiam desiderari à P. Fiore *in Calabria cit. pag.*393. cùm & ipse in detrahendis Siculis Scriptoribus, Religiosæ modestiæ limites excedat. Nec audiendus Gabriel Barrius, qui *in descrip. Calabriæ lib.*5. *pag.*419. Thurium voluit Charondam, ut observat Carrera *cit. pag.* 413. etsi P. Flore Carrerã objurgare audeat, ait enim apud Barriũ non inveniri Charondam Thurium. Nec fuit Sibarita, ut sine aliquo rationis fulcimento scripsit Hieronymus à Florentia *cent.* 36. *an.* 3560. relatus, & rejectus à P. Fiore *cit. n.* 4. *pag.* 393. Erravit tandem Raphael Volaterranus *anthropol. lib.* 13. qui Tyrium voluit Charondam (at paulò post Aristotelis opinionem protulit) ex æquivocatione forsan Thurii. Cur autem aliqui Thuriũ dixerint, hęc fuit causa. Catana discedens apud Thurium habitavit, illisq; populis leges dedit, ut mox tradam. Immò ex Diodoro Siculo *lib.*12. *n.* 11. eo tempore accidisse colligimus, cùm ad eam Urbem inhabitandam, ac constituendam varię confluxerant nationes, quarum unaquæq: proprium

prium nomen in sua Tribu servavit: earum una Insularis vocabatur, quia populi, qui à vicinis Insulis ibi appulerunt, eamdem conflabant. Hinc sine propriæ patriæ injuriâ poterat Charondas inter Thurios ascriptus, verè Thurius à Scriptoribus vocari, ut inter alios scripsit Diodorus cit. & Valer. Max. *lib. 6. cap.* 5. Repellenda denique illorum dubitatio, qui duos Legumlatores nomine Charondæ claruisse ambigerunt, unum Catanensem, Thurium alterum, quorum opinio retulit, & reijecit Carrera, & Fiore citati. Catanensis igitur Charondas Philosophus egregius Pythagoram audivit, ex Laertio *in vita Pythagoræ*, Jamblico *in vita ejusdem cap.* 23. 27. *&* 30. Porphyrio *in vita Pythagoræ, cit.* Seneca *ep.* 90. Jo: Ger. Vossio *de Philosophorum sectis cap.* 6. §. 27. *pag.* 38. Leonardo Cozzando *de Magist. antiquor. Philosoph. lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 309. aliisque. Fuit & aliquis, qui scripsit à Zeleuco Legumlatore etiam eruditum, sed hanc opinionem reijecit Aristoteles *in polit.* qui ibidem *lib.* 4. ait: quòd cùm inter Catanenses mediocri fortunâ floruisset, & Catanensium leges corrigere meditaretur, obstitere cives; & ut innuit Ælianus *var. hist. lib.* 3. *cap.* 17. fugâ vitæ consulens, Rhegium transfretavit, & Rheginis leges dedit: his leges condidisse tradit Heraclides *in politiis*, & Jamblicus *in vita Pythag. cap.* 7. *&* 27. Inde ad Thurios digressus, ipsis etiam leges scripsit, ex Diodoro Siculo *lib.* 12. *n.* 11. & seq. temerè à Barrio *lib.* 5. *Calabriæ pag.* 419. reijectus: ideoque meritò à Carrera *cit. pag.* 413. reprehensus; quicquid contra eruditissimum Carreram in Barri defensionem evomeat P. Fiore cit. Diodori sententiam sequūtur Val. Maximus *lib. 6. cap.* 5. Cozzandus cit. Brietius *annal. par.* 2. *tom.* 1. *olymp.* 83. *an.* 2. Morerius cit. aliique. Moralibus virtutibus instructus claruit, ut ex ejus legibus eruit Carrera cit. Et ex Diodoro cit. non modò omni disciplinarum genere excultum deducimus, verùm etiam summâ bonitate effulsisse, & in rebus divinis, humanisque altè versatum agnoscimus. Jamblicus verò *cap.* 27. *&* 30. inter Pythagoræ discipulos, & egregios legumlatores Charandæ primatum concedit. Crotoniatis, Sybaritis, Catanensibus Rheginis, Himerensibus, Agrigentinis, Tauromenitanis, aliisque leges dedit, Pythagoræ operâ, qui his muniti, diu inconcussi perdurarunt, teste Porphyrio *in Vita Pythagoræ pag.* 14. & Jamblico cit. *cap.* 7. qui *cap.* 30. addit Charondam honores Diis similes assequutum. Theodoretus autem *lib.* 9. ait, quòd omnium primus Siculis, ac Italis leges constituit; sed suadere haud potuisse Thirenos, Celtas, & Iberos ut ipsas exciperent. Tullius *lib.* 2. *de legibus* ait, quòd Charondæ animum ad leges condendas non vana aliqua delectatio impulit, sed Reipublicæ utilitas, existimavit autem in legumlatoribus officii rationem postulare, suadendos cives benignitate potius, quàm minarum terrore: ideoque Plato in legibus suis concinnandis Charondam æmulatus est. Additq: Cicero *lib.* 3. nostri Charondæ statutum fuisse, Magistratum à civibus obediendum, amandum, ac veneratione prosequendum. Calcidensibus etiam, qui Italiam, & Siciliam inhabitabant, leges suas dedit, teste Aristotele *Polit. lib.* 2. Goltzio *in hist. post. Sicil. pag.* 86. Lascari apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *p.* 18. *&* 19. & Silvagio *de tribus Peregrinis cap.* 40. *p.* 130. *& cap.* 44. *pag.* 161. Ipsas etiam leges excerpere Locrenses, ex Marafioti cit. (ideoq; forsan Locrensem dixit Charondam) & Athenienses juxta recentiores nonnullos, inter quos Stephanus *in dict. p.* 617. & Silvagius cit. quòd ut observat Carrera cit. apud antiquos nō legitur. Ob doctrinam ideoque, legesque suas in Italia, & Græcia celeberrimum sibi nomen comparavit: hinc Catanenses dolore affecti, quòd egregium civem ad fugam coegerint, in patriam revocarunt; ac summo honore exceperunt, quòd è numismatibus sibi dicatis, & sepulchri magnificentia clarè deducitur. Catanenses ergo civis sui leges accepere, teste Aristotele *polit. lib.* 2. & Jamblico *in Vita Pythagoræ cap.* 7. Carthaginensibus leges tradidisse, ait Alexander ab Alexandro *dier. Genial. lib.* 6. *cap.* 20. *p.* 653. additque Cælius Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 18. *cap.* 19. Marsilius Ficinus *in argum. ad Minoa Platonis p.* 34. & Natalis Comes *mythol. lib.* 2. *cap.* 2. quòd leges Carthaginensibus datas è Saturno derivatas prædicabat, ut tanquam à Numine conditas, summâ veneratione observarent. At Carthaginensibus leges dedisse negat Tiraquellus *in annot. ad Alex: ab Alexan. loc. cit.* Pro Carthaginensibus legendum Catanensibus opinatur Carrera cit. *p.* 414. Relatos verò auctores Joannes Joinsius *lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 149. apud Joannem Mollerum *de script. Homonymis cap.* 3. *num.* 18. *p.* 294. castigat: etenim ipsos Charondam Catanensem, cum Charone historico Carthaginense, ex nominis affinitate, confundisse ostendit. Græcis in Italia, & Sicilia degentibus leges dedit, ex Seneca *ep.* 90. & Italiam, & Siciliam à Charonda leges accepisse tradit Plato *dial.* 10. *de Republ.* Mazaceni juxta Capadoces Charondæ legibus utebantur, ex Alex. ab Alex. *lib.* 6. *cap.* 23. *p.* 738. Non omittendum, quòd de harum legum excellentia literis mandavit Aristoteles *Polit.* nempè præferendas omnibus aliorū legumlatorum ævi sui: ex quo rectè deducit Carrera cit. *pa.* 414. Platoni superiorem constituisse. Jamblicus cit. *c.* 27. de Charonda ait: *optimorum legūlatorū unus*, & *c.* 30. *Discipuli Pythagoræ omniū Optimi fuerunt legūlatores. Primus quidē Charondas Catanæus.* Vt nullus suarum legū mutationē tentaret, inter alia decrevit, ut nemo ipsarum reformationem proponeret, nisi adligata ad collum funei adeout nisi utiliorem proponeret, ad mortem paratum sese exponeret, ut Diodorus ait *lib.* 12. *num.* 17. Cùm autem senuerit, addit Valer. Maximus *lib.* 6. *cap.* 5. compositis civium seditionibus, ut imposterum omni dissidio januam occluderet, prudenter sancivit, ut si quis in publicas conciones armis munitus ingrederetur, statim vitâ privarent: at elapso temporis spatio, è Villa regrediens appenso lateri pugione; & inopinatò, concione convocatâ, forum ingressus, ut erat armatus, cùm de legis violatione nonnulli mone-

monerent Charondam, eumdem pugionem coram omnibus pectori infixit, ac proprio sanguine legis observantiam subscripsit: hæc ex Valerio cit. Cicerone *lib. 3. de legibus*, & Diodoro Siculo *lib.12.nu.19.* qui inter se paululum dissentiunt. Addit Diodorus quòd nonnulli facinus istud Diocli Syracusano legumlatori ascribunt. Carrera verò cit. *p.* 415. & Bonannus *Syracus. illustr. pag.* 337. Diocli probabilius hoc mortis genus contigisse putat. Gravi ętate cōfectus vivebat olymp. 83. ante Christi Domini adventum ann. 440. ex Carrera cit. *pa.* 413. Quamvis autem P. Fiore *in Calabria cit. pa.*393. obiisse ait apud Thurios, attamen ex his, quæ adjiciam, Catanæ vitam absolvisse patet: etenim tanto viro sepulchrum è marmore Catanenses extruxere, in quo stamnea arca cum ejus cadavere claudebatur. Hoc autem sepulchrum Fezelli ævo, ut ipse testatur *dec.1. de reb. Sicul. lib. 3. cap. 1. pa. 66.* Catanæ fuit adinventum juxtà ædem D. Agathæ, quam veterem vocant, idest an. 1524. ex Roccho Pirro *not. Eccl. Catan. pa.62.* De eo etiam Joan. Bapt. de Grossis *in decacord. Catan. tom.2. cord. 6. mod. 9. pag.* 38. Subdit Carrera cit. *pa.*416. ætate sua adhuc perdurasse, in eoq; legebatur inscriptio, quæ Charondæ sepulchrum esse declarabat, ac quindecim annos antequam opus de rebus Catanensibus edidisset, nempè anno 1624. incautè eversum testatur: quod iterum confirmat *Vol. 2. lib. 2. pag.* 250. Catanæ etiam ejus effigies fuit marmori insculpta, ejusque caput in ædibus Senatus Catanensis servabatur, ex eodem Carrera *cit. pag.* 362. & de Grossis *cit. pag.*46. & tandem juxtà quorumdam sententiam argenteis, æneisq; numismatibus Charondæ memoriam servare curarunt Catanenses, quæ habentur apud Parutam *in nummis. Siciliæ*, in illis Catanæ *n.*5. 9. 12. *&* 41. eaque cum aliis explanat Carrera *cit. vol. 1. lib. 3. cap. 23. pag.* 360. *& seq.* & Marcus Maer in nova editione Parutæ *pag.* 21. Horum unum explicat Raphael Trichetus de Fresne Burdegalensis, edita *epistola de Charondæ effigie in Catanensi nummo argenteo expressa ad V. C. Petrum Seguinum D. Germani in Urbe Antistetem.* Parisiis 1658. in 8. ut habeo ex Joanne Hallervordio *in Biblioth. curiosa p.*351. & Mollero *cit. p.*295. & iterū in libro cui titulus: *Selecta Numismata antiqua ex Musæo Petri Seguini.* Lutetię Parisiorum 1665. in 4. in ea epistola adductis nostri Carreræ rationibus, sed Carreræ nomine suppresso, Charōdæ fuisse credit: sed cùm ego caput viri barbati his in numismatibus, cornubus munitum vidissem, Jovis Ammonis esse putavi, ac mordicus substinerem, & solidissimas suppeditaret rationes Antiquitas: at ne mei instituti fines transgrediar, & in alienam messem falcem immittam, hanc spartam aliis ornandam relinquo. Nonnullæ Charondæ leges adhuc superstites sunt apud Diodorum Siculum *lib.* 12. *n.* 12. *& seq.* Aliæ apud Stobæum *Ser.* 145. Alia de patria potestate extat apud Dionysium Halicarnasseum *lib.*2. Alia servatur apud Plutarchum *opusc. de curiositate*, contra eos qui civem in scenis carperent, ac de adulatoribus, & curiosis in comœdiis interdictis. Aliam demum retulit Aristoteles *Politic. lib.* 2. de falsis testibus, ac obedientiâ moderatoribus pręstandâ. Hinc miror eumdem Aristotelem cit. scripsisse de Charonda hanc tantùm legem de falsis testibus supervixisse. Apud Athenienses inter pocula Charondę leges canebantur, teste Hermippo *lib. 6. de Legislatoribus*, apud Athenæum *lib.14. c.3. p.619.*

B. CHEROMENUS Syracusanus S. Niconis Martyris Discipulus, qui unà cum CXCIX. Discipulis martyrio coronatus, ad Cœlum evolavit 23. Martii an. 253. ex Octavio Caetano *tom. 1. Sanctor. Siculor. pa.* 44. Vitam solitariam peregit, & Sanctimoniâ clarus decessit 2. Novembris an. 297. Ipsius meminit Kalendarium Gallicanum apud Michaelem Angelum Mancharusum *in Kalend. Syracus. 2. Novemb.* Ex eodem loco cit. ut etiam 23. Martii. Scripsit

Acta Sanctorum Martyrum Niconis, & CXCIX. Discipulorum. Extant apud Bollandum *in actis SS. to. 3. Martii*, ex codice Bibliothecæ Ambrosianę.

CHERUBINUS BELLUS ex oppido Terrænovæ Ordinis Strictioris Observatiæ S. Francisci, tum poeta, tum Theologus clari nominis: Pontificiis juribus instructus etiam enituit, apud suos magna æstimatione veneratus. In Provincia Sicula Vallis Neti Definitorē egit. Floruit an. 1652. De eo Lucas Wadignus *de Script. minor. pag.* 89. & Petrus Tognolettus in Paradiso Seraphico *par. 1. lib. 5. cap. 1. pag.* 570. Edidit linguâ Siculâ

Ergasto Idillio Primo. Panormi apud Decium Cyrillum, & Angelum Orlandum 1616. in 12.

Le Lagrime di Maria Vergine nel Calvario. Ibid. apud Decium Cyrillum 1635. in 12. Italicè verò

Clori Favola Pastorale. Ibid. apud Decium Cyrillum, & Angelum Orlandum 1618. in 12. Hæc adhuc in Sæculo vivens edidit, sub nomine Hieronymi Belli, quo utebatur; postquam verò Religionem amplexus est, publici juris fecit:

L' Agnese Tragedia Sacra. Ibid. apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1646. in 12.

Il Martirio di S. Agata Tragedia. Ibid. apud eumdem 1646. in 12. ex Allatio *in drammat. pa. 6. & 21.*

Il Nascimento del Bambino Giesù, Azione Drammatica. Ibid. apud Josephum Bisagnum 1652. in 8. & apud Coppolam 1663. in 12.

Prelo paraverat, *Summam casuum Conscientiæ.*

CHRISTOPHORUS BRIGNONE Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ, & Juris utriusque Doctor, ac Apostolicus Prothonotarius. Ingenio clarus, bis in Panormitano Collegio Academiæ Princeps, doctrinam hausit egregiam. Nedum gravioribus disciplinis, quàm amænioribus literis excultus in Reaccensorum Academia ascriptus inclaruit. De patria benemeritus, à Panormitano Senatu fuit missus ad Comitem Ajalæ Siciliæ Proregem Messanę degentem, ut magni momenti negotia pertractaret, ut ex *hist. Chronol. Proregum Siciliæ* D. Vinc. Auria *p.*134. habemus. Ejusdem Senatus negotia procuravit in Regia Aula Philippi IV. Catholici Regis, ubi Patriæ jura, ac privilegia interrito pectore propugnavit. Hinc

Hinc Panormum regressus in laborum præmium Parochus, S. Mariæ de Monteserrato in Suburbio Panormi eligitur an. 1650. & exinde in eadem Urbe Parochus Ecclesiæ S. Hippolyti an. 1663. Obiit Panormi 8. Aprilis 1681. Laudatur à Seraphino à S. Catharina Senensi *in vita F. Petri à Matre Dei pag.* 93. Edidit italicè

La Nebbia sgombrata difesa Domenicana per la limpia, & Immaculata Concettione della Gran Madre di Dio Maria, composta in lingua Castigliana dal D. D. Marc' Antonio Palau, tradotta in italiano. Panormi apud Dominicum de Anselmo 1654. in 4.

Panegirico dell' Immaculata Concettione di Maria Vergine *dal M. R. P. Giuseppe Spucces della Compagnia di Giesù detto nella Real Cappella di S. Pietro del Palazzo Regio di Palermo nel* 1640. *tradotto dall' originale italiano nello spagnolo.* Ibidem apud eundem 1654. in 4. Hispanè

Rezo de Cavalleros de Regla a los de la Orden de Sant' Jago: devocion loalbe a los de qualquiera Orden de Cavalleros. Provecho a cada persona noble. Ibid. apud Barberà, Rumulum, & Orlandū 1678. in 12.

CHRYSIPPUS Siculus Medicus. Multos Chrysippi nomine insignitos inter scriptores proditū est. A Laertio in Vita Chrysippi Solensis præter hunc Solensem, alii quinque recensentur. Joinsius *hist. Philos. lib.* 2. *cap.* 8. *pa.* 150. & 159. apud Mollerum *de scriptoribus Homonymis cap.* 3. *p.* 297. Viginti Chrysippos enumerat, & inter hos Novem Medicos. Hos inter Medicos, unum Medicū Siculū claruisse patet ex Galeno *lib.* 2. *de differ. pulsuum c.* 10. *p.* 58. ubi ipsum reprehendit, ex quo in Sicilia natus, & græcam non callebat linguam, attamen legem Græcis dare voluit de nominibus. Quo vixerit ævo incertum est: at doctrinâ philosophicâ, ac medicâ satis instructum effulsisse ex dicendis patet. Hic Chrysippus Siculus, teste Luca Antonio Portio *in Erasistrato, sive de sanguinis missione dial.* 2. *pa.* 102. & Nicolao Lanzone *in Psendo-Galenicos pa.* 38. Scripsit accuratè, & diligenter

De affectibus, & ægritudinibus animi, deque remediis, ægro animo convenientibus. Hoc opus in quatuor libros distributum citat Galenus *de Hippocratis, & Platonis decretis lib.* 4. *cap.* 4. & 7. *lib.* 5. *cap.* 5. *pa.* 257. & *cap.* 7. *pa.* 259. qui etiam *libro* 4. & 5. per totum ipsius errores, his in libris scriptos recenset, & expendit; & ex *lib.* 4. *cap.* 7. & *lib.* 5. *cap.* 6. Possidonium contra Chrysippum etiam scripsisse colligimus. Eosdem libros alibi citat etiam Galenus præsertim *lib. de cognoscendis, curandisque animi morbis cap.* 1. *p.* 50.

De Anima libros. Hujusce operis librum primum citat Galenus in tractatu *de Hippocratis, & Platonis decretis lib.* 5. *cap.* 7. *pa.* 259. ubi ait, quòd totum primum librum de Anima insipientium sermonibus, ac Poetarum carminibus replevit. Quod etiam innuit *lib.* 2. *ejusdem tractatus cap.* 2. ubi ipsius fragmentum adducit: *lib.* 3. *per totum*, quæ libro 1. de Animæ primatu scripsit, pluribus refellit: ejusque verba persæpè adducit. Opus hoc de Anima à nostro Chrysippo scriptum ex eo deducimus, quia Galenus *de Hippocratis, & Platonis decretis lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 234. de hoc Chrysippi opere agens ait: ad suas sententias firmandas Chrysippum vulgares interdum Poetas adduxisse, & in verborum etymologiis aberrasse: at eâdem censurâ Chrysippum Siculum notat in tractatu *de differentiis pulsuum lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 58. Nostri Siculi Chrysippi fuisse puto hæc alia, nempè

Commentaria Logicæ, &

Commentaria absque causis conscripta curatoria, & morali, quæ citat Galenus *de Hippocratis, & Platonis decretis lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 234.

De Venæ sectione, ex Portio, & Lanzone locis citatis. Sed hujus operis auctorem non Chrysippum Siculum, sed Chrysippum Cnidium Erasistrati præceptorem fuisse puto, ex Galeno *de venæ sectione adversus Erasistratum lib.* 2. *cap.* 2. & *lib.* 3. *cap.* 2. ubi semel, & iterum Chrysippum Cnidium vocat. Hujus etiam meminit Laertius *in vita Chrysippi Solensis.*

CITHARIUS, sive CITERIUS Syracusanus Poeta, & Grammaticus eximius, literis apprimè excultus floruit: græcarum literarum professor, Aristarcho, Zenodotoque similis claruit. Burdegalam profectus ibi multos humanioribus literis erudivit; ductaque uxore, & Burdegalensi Urbe donatus, cùm nullos suscepisset filios, eadem in urbe decessit. Ausonii Burdegalensis amicus, & coævus, vixit circa annum 364. in quo hoc Epigrammate celebratur *in commemoratione Professorum Burdegalensium Epigr.* 14.

Cithario Siculo Syracusano Grammatico
Burdegalensi Græco.

En Cithari dialecte mihi: memorabere, dignus,
Grammaticos inter qui celebrare bonos.
Esset Aristarchi tibi gloria, Zenodotique
Grajorum, antiquus si sequeretur honos.
Carminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis,
Concedit Cei Musa Simonidei.
Urbe satus Sicula, nostram peregrinus adisti:
Excultam studiis quam propè reddideras.
Conjugium nactus cito nobilis, & locupletis,
Invidia fati non genitor moreris.
At nos defunctum memori celebramus honore:
Fovimus & vivum munere amicitiæ.

De eo etiam Petrus Angelus Spera *de nobilit. profess. Grammaticæ lib.* 4. *pag.* 283. qui scripsisse testatur

Carmina, quibus Simonidis Cei ingenium superavit. Hunc eundem puto, quem Joan. Vigintimillius *in tabula Poetarum Siculorum* libro suo de Poetis Siculis præfixa, Citharium sive Citherium Sidonium vocat. At Citherius ille Poeta ab Athenæo citatus *lib.* 15. *cap.* 13. *pag.* 692. cujus etiam meminit Patritius ex Crasso *de poetis Græcis pa.* 115. alius est à nostro, Athenæus enim anno post Christum natum 190. floruit ex Joanne Baptista Ricciolio *tom.* 4. *ind.* 2. *pa.* 201. nempè ann. 174. ante nostrum Citharium. Nostri Citharii adhuc extat nobile Epigramma de Pastoribus, teste Josepho Scaligero *Ausoniarum lect. lib.* 1. *ca.* 12. *pag.* 36. Ipsius fragmenta habemus in libro:

Epigrammata vetera, quorum pleraque nunc primùm ex antiquis codicibus, & lapidibus alia sparsim antehac errantia, jam undecumque collecta emendatius vulgata, destinataque in libros IV. Parisiis 1590. in 4. prodiere ex Bibliotheca Petri Pithæi, cum ejusdem emendationibus, teste Joanne Alberto Fabritio *in append. Biblioth. Latinæ pag.* 8. Joseph Scaliger edidit etiam Catalecta Veterum Poetarum in duos libros digesta, in quibus invenies carmina Citherii Sidonii Syracusani ex eodem Fabritio *cit. pag.* 29. & 30. sed dicendum Citherii Syracusani esse, vel Citherii Sidonii.

CIULLUS dal CAMO Siculus Poeta, corruptè ita vocatus, veriùs tamen VINCENTIUS ALCAMENSIS: Ciullus enim Vincentius sonat; ita ea rudis ætas, cum Italica lingua adhuc balbutiebat, nomina concipiebat: & Siculæ linguæ hoc proprium esse incompertum est: mos enim adhuc viget inter nos, præsertim apud vulgum, quod *Ninu*, pro Antonino, *Ciccu*, pro Francisco, *Masi*, pro Thoma, *Cola*, pro Nicolao substituuntur: & ad rem *Nzulu*, & *Cilla*, pro Vincentio, & Vincentia reponitur. Angelo Coloccio apud Leonem Allatium *in epist. ad lectores suorum Poetar. antiquor. p.* 22. immutare nomen Ciulli: vel ut ipse ait Cieli, in Coelium placuit: sed hanc immutationem redarguit Allatius *pag.* 24. cùm Ciulli nomen nec dissonum, nec malè oleat. Alcamensem fuisse pro certo habeo: nàm cùm ipsum nonnulli vocent italicè *Ciullo*, vel, *Cielo dal Camo* ex Colaccio, Allatio, & auctoribus infra citandis; ex eo corrupto nomine rectius scribendum italicè intelligimus *Ciullo d' Alcamo*; Alcamus enim italicè *Alcamo*, ut rectè Auria *in Sicilia Inventrice* ait, *cap.* 9. §. 5. *pa.* 31. Hic primus italica panxit carmina ex Colaccio, quem retulit, & approbavit Allatius *loc. cit. pag.* 21. & 22. *& in epist. nuncup.* cùm enim inter Italos Poetas alius Ciullo antiquior non eluceat, meritò in hunc, & secum in Siciliam (ubi exortū hoc Poematis genus) primati gloria, & Italici carminis inventio referenda. Claruit ex Colaccio paulò post Gothorum ruinam in Italia, quam opinionem multis refellit Allatius; Gothorum enim ruinam anno 555. evenisse testatur Genebrardus, post alios, *in Chronolog.* at circa hæc tempora, nec vixit, nec vivere potuit Italica lingua in Sicilia, ubi nata: sed sub Normannis Regibus, ut latè scripsi *in observat. ad Siciliam Inventricem D. Vinc. Auria c.* 9. §. 5. *p.* 145. *& seq.* paulatim efformata; & regnante Friderico II. Imp. eò deducta, ut hac linguâ scribere, & ingenii momenta exarare potuerint. Hinc cum Allatio *pag.* 23. deducendum Ciullum non paulò post Gothorū ruinam floruisse, sed sub Friderico II. Imp. an. 1197. (anno 1297. ex typographi incuriâ legitur apud Jo: Mariā de Crescimbeni virum ingenio, & eruditione clarissimum *in hist. Poes. Vulgaris lib.* 4. *pag.* 263.) vel paulò ante vixisse conjectamus: Ciullus enim apud Allatium *cit. pag.* 409. Saladini Babyloniæ Regis meminit, qui Regni primordia ab anno 1172. exorsus est: & Soldani Ægypti, qui tunc multa contra Christi Fideles perpetravit. Laudatus Crescimbeni *loc. cit. lib.* 1. *pa.* 2. & 3. Allatii, & Colocci opinionem de Ciulli primatu infringere videtur; nam etsi Siculis Italicæ Poesis inventionem concedat; attamen si alii, ait, circa Ciulli tempora claruere Poetę, cur primatum in Ciullo inferendum? Nec ratio deducta ab ipsis Ciulli carminibus, in quibus Ægyptii Soldani, & Regis Babyloniæ meminit Ciullus, ut divitiis affluentium, concludere sibi videtur; nam longè ante præcedere poterant: nos enim hodie Cresum, ut ditissimum nominamus. At si non primus Ciullus, inter primos sine hæsitatione recensendus (quod concedit Crescimbeni *in commentar. ad hist. Poes. Vulg. vol.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 199.) Si enim à Siculis, eodem Crescimbeni teste, Italica Poesis originem traxit, & alium Siculum Ciullo antiquiorem non invenimus, vel primus, vel inter primos collocandus. Adde quod rudis illa, ac inculta dictio, quę in Ciulli carminibus observatur, ut Crescimbeni notat *in comm. cit. lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 4. & *cap.* 4. *pag.* 11. apertè indicat in ipsa poesis nativitate, hęc Ciulli carmina exorta. His tandem addam eruditissimi Apostoli Zeni judicium, ex epistola mihi data Venetiis 6. Augusti 1701. *ut in meis observationibus ad Siciliam Inventricem Vinc. Aureæ scripsi pag.* 153. nempè, quòd ex Dantis auctoritate hæc Ciulli antiquitas roboratur: hic enim *in lib. de vulgari eloquentia Parisiis edito* 1577. *pa.* 22. ait: *Si vulgare Sicilianum accipere volumus, &c. quod prodit à terrigenis mediocribus, ex ore quorum judicium eliciendum videtur, prælationis minimè dignum est: quia non sine quodam tempore profertur, ut puta ibi* [*Tragimi deste focora, se teste a bolontate*] hoc verò carmen à Dante in exemplum deductum est nostri Ciulli, ut observavit Zeno, quòd legitur apud Allatium *pag.* 408. ideoque cùm hanc Ciulli auctoritatem exhibeat Dātes ad probandā rudiorē, & antiquiorem carminū Siculorum modū, ut à Siculis cultioribus secernat, deducendū rectè putat Ciullum nō solùm antiquū, sed etiā populari, rudiq; dictione scripsisse, ut ferebat prima italicæ linguæ, & poesis ętas, & infantia. Ciullum à Græcis Siciliam inhabitantibus carminum formam per disticos accepisse Colotius putavit, quòd doctissimè negat Crescimbeni *in hist. cit. lib.* 1. *pag.* 3. & *seq.* ubi de forma carminum ipsius oculatè, ut solet, disserit. Allatius *cit. pag.* 34. & *seq.* alium esse putat Ciullum ab illo Poeta Anonymo, quem Siculi nomine citant, de quo Jovius *in epist. ad Hier. Scanapecum*: & hunc Siculum Ferdinandum Balamium Poetam Siculum fuisse opinatur: at ego Joannem Nasum existimo, ut loco suo leges. Ciullum citat Fridericus Ubaldinus *in comm. ad Petrarcham*, ex Joanne Vigintimillio apud Allatium. *cit. pag.* 66. de eo etiam Crescimbeni *in comm. cit. lib.* 1. *pag.* 2. 28. 30. 31. 44. 375. & 382. Scripsit Ciullus Italicè

Rime. ipsius aliqua habes carmina apud Allatium in libro: *Poeti Antichi* Neapoli apud Sebastianum de Alecce 1661. in 8. Colocius etiam Collectaneam verborum ex ipsius carminibus erutam, confecit, teste Allatio *cit. pag.* 34. & 38.

CLAU-

CLAUDIUS MARIUS ARETIUS Patritius, & nobilis Syracusanus, vir eruditissimus, politioribus literis excultus, poesi latinâ, italâ ac, siculâ claruit. Historici Imperialis titulo à Carolo V. Imp. insignitus eminuit, cujus monumentis nonnulli historias illustrarunt suas, teste Ioanne Vigintimillio *de Poetis Siculis cap.* 5. *pag.* 33. Floruit circa annum 1544. De eo Ab. Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 213. Iacobus Tirinus *in indice auctorum in calce operis in Sacram Scripturam*, & Andreas Schottus *Biblioth. Hispan. tom.* 2. *p.* 313. ubi mendosè legitur Cl. Marius Arelius. Edidit

De Situ Siciliæ librum. Panormi typis Antonii de Mayda 1537. in 4. & Messanæ in officina Petrutii Spiræ 1542. in 4. extat etiam in volumine inscripto: *Italiæ Illustratæ, seu Rerum, Vrbiumque Italicarum Scriptores varii notæ melioris.* Francofurti 1600. in fol. & in libro: *Rerum Sicularum Scriptores ex recentioribus præcipui.* Francofurti ad Moenum apud Andream Wechelum 1579. in fol.

Hispaniæ Situm. extat in *Hispania Illustrata.* Frācofurti apud Claudium Marinum, & Heredes Ioannis Aubrii 1603. in fol. prodiit etiam cum opusculo de Situ Siciliæ, & Beroso Ioannis Annii Viterbiensis. Lugduni 1552. in 12. ex Ioanne Alberto Fabritio *in Biblioth. Latina append.* 2. *pag.* 164. quæ omnia italicè edita sunt Vittimbergæ 1612. in 8. Italicè etiam

Osservationi della lingua Siciliana, e canzoni nel proprio idioma. Messanæ apud Petruccium Spiram 1543. in 4.

Ex Bibliotheca Conradi Gesneri edita per Frisium *p.* 154. hos scripsit libellos, his titulis prænotatos, qui simul collecti prodiere, nempè

Siciliæ descriptio accuratissima. dialogus, in quo pro Cæsare Iura Burgundiæ, Mediolani, & Neapolis leguntur. Clades ad Ticinum, & Rex liberatus. Monoeci Dominus quare Cæsari studet. Duellum Cæsaris. Siculorum, Hispanorumq; tumultus. Primus ejus in Hispaniam accessus. Philippi Filii Natalis. Dialogus, ubi Hispaniæ descriptio cum recentioribus nominibus. Dialogus, in quo Virgilii versus, defectus Lunæ, solisq; labores, & ille: discite justitiam moniti, & non temnere divos, declaratur. Europæ descriptio cum recentioribus nominibus. Observantiæ quædam latinę. Lusus Acidis, & Galatheæ connubium. Summi Pontificis liberatio. Elegiæ tres de Cæsare. Epigrammata nonnulla. Basileę 1544. Opusculum, de Summi Pontificis liberatione, editum fuit etiam seorsim Venetiis 1544. ex Ludovico à S. Carolo *in Biblioth. Pontif. lib.* 2. *pag.* 290.

CLEMENS FICARRA Panormitanus Clericus Regularis, natus anno 1606. parentibus genere, & virtute clarissimis, Iurisprudentiæ operā dedit, & Doctoris Laureâ donatus Messanæ, causarum Patronum egit non sine laude. At spretis seculi illecebris, anno ætatis suę 27. Clericorum Regularum institutū amplexus est 7. Iunii 1633. & solemnia emisit vota Panormi 8. Octobris 1634. Doctrinâ, & virtutum ornamento effulsit: gravioribus enim scientiis addictus, sub clarissimo P. D. Hieronymo Matranga, in doctissimum virum efformatus est: ideoque magno cum discipulorum progressu severiores Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinas alios docuit. Doctrinam regularis observantiæ studio insigniter illustravit: ideoque perspecta exemplaris vitę suæ ratione, diu adhibitus est ad informādos Ordinis sui tyrones. Prudentiâ, zelo regularis disciplinæ, vitæ innocentiâ, virtutibusq; munitus, ad altissimæ perfectionis fastigium pervenit. Romę ubi diu vixit, Dynastas, Pręsules, ac S. R. E. Cardinales in sui venerationem traxit. Domum Romanam S. Andreę Præpositi munere rexit: bis in Generalem Ordinis Consultorem assumptus est: ac dum Romæ vixit semper omnium ęstimationem promeruit; ibiq; tandem, numeris omnibus absolutus, decessit 2. Martii 1683. relicto sodalibus suis insigni virtutum exemplo. Ipsum laudat P. Franc. Maria Magius *de Sacris Cæremoniis opusc.* 2. *disq.*6. *pa.*168. & *disq.*8. *pa.* 183. Edidit

De Fama Tractatum Theologico-Moralem. Partem Primam. Romę typis Ignatii de Lazaris 1671. in fol.

Paraverat Partem Secundam, quam m.s. reliquit.

CLEMENS LARDIA Messanensis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, vir doctrinâ, & auctoritate clarus, Siculam, & Anconitanam Provinciam rexit: ac circa ann. 1660. floruit. Edidit italicè

Brieve Racconto dell'arrivo in Messina di S. Francesco di Paola. Messanæ apud Dominicum Costa 1661. in 12.

CLEMENS NETINUS ex familia de Laurentio Capuccinus, vir undique venerandus ob amplissimam sapientiam, eximias virtutes, honoresque, quibus effulsit. Annum agens 16. rejectis sæculi blanditiis, religionem amplexus est, in qua eâ animi contentione ad virtutes adipiscendas incubuit, ut religiosæ perfectionis exemplar evaserit. In studiis ita profecit, ut doctrinâ excultissimus, magna cum laude Philosophiam, ac scholasticam Theologiam docuerit. Ob egregia ejus promerita fuit Provinciæ Syracusanæ Definitor, ac quartùm eamdem Provinciam rexit Provincialis: & à Fratribus Cosentinæ Provinciæ etiam ad eam Provinciam regendam, licèt absens, assumptus est. Commissarium Generalem egit in Provinciis Messanensi, Panormitana, & Hidruntina. Romæ etiam Procuratoris Generalis munere laudabiliter functus, magnâ valuit æstimatione apud Paulum V. qui ipsum veluti Patrem amplectebatur, ac sæpius accersitum in Pontificio Palatio venerabatur: frequenter de eo dicere solitus: inveni hominem secundùm cor meum. Nec minori æstimatione claruit apud Urbanum VIII. Pont. Max. Tandem anno 1618. totius Ordinis Capuccinorum Generalis electus est. In hoc supremo Ordinis munere, zelum, ac curam prædecessorum Moderatorum sanctè æmulatus, totum adhibuit studium, ut solidius, ac præclarius regularis observantia effloresceret. Religionis Provincias lustrando, Imperator ipse, ac Reges, veluti virum è Cœlo delapsum, summo honore excepere: populique obviam illi egrediebantur,

bantur, ut veluti novum Christiani Orbis Prophetam susciperent. Ideoque prudentiâ, doctrinâ, dexteritate, ac vitæ sanctimoniâ ubique celeberrimus claruit. Multis etiam Deus admirandis viri sanctitatem comprobavit, nam ægrotos nonnullos sanitati restituit, ac à Dæmonum vexatione liberavit, adhibitâ tantummodo benedictione. Tandem sanctè decessit Syracusis 22. Septembris 1631. ætat. 73. Funus magnâ populi frequentiâ celebratum. De eo plura Abb. Pirrus *not. Eccl. Syracus. p.* 208. 220. & 225. P. Marcellus à Pise *tom. 3. annal. Capucc. an.* 1631. §. 14. P. Fortunatus Hueberus *in Menolog. S. Francisci 6. Novemb. p.* 2097. & Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucc. pag.* 81. qui testatur scripsisse *multos Philosophiæ, ac Theologiæ Tractatus, qui m. ss. asservantur.* &

Tractatum super Regulam FF. Minorum, præsertim super Votum Paupertatis Seraphicæ.

CLEON Syracusanus, Stephano *de Urbibus* memoratus verbo *Aspis pag.* 125. qui Syracusanum expresse vocat. Bonannus *in sua Syracus. illustr. lib. 2. pag.* 296. Poetam fuisse putat: ac eumdem, quem Siculum nominat Ruphus Festus Avienus, ac eorum unus, à quo idem Ruphus multa accepit, ut etiam tradit Petrus Crinitus *lib.* 5. *cap.* 80. *de Poetis Latinis*, & Conradus Gesnerus *in Biblioth.* qui teste Bonanno citato librum suum citat inscriptum

Lamenon, idest lavatus.

Andreas Schotus *in Senecæ suas. lib.* 1. *p.* 11. Cleonis Sophistæ Siculi meminit, ac forsan eumdem ac nostrum Syracusanum putat Bonannus, additque ignorari tempus, quo floruit. De quodam Cleone agit Raphael Volaterranus *lib.* 14. *anthropol.* quem vocat Cleonem Curieum: Poetam fuisse, ac scripsisse fatetur Argonauta, à quo Apollonius Rhodius mutuatus est: eadem scribit Carolus Stephanus *in dict. pag.* 707. *Bibliotheca Gesneri* edita per Frisium *pag.* 158. & Crassus *in histor. poetica Græcorum pag.* 121. Quòd autem hic idem sit ac noster Syracusanus, sine hesitatione affirmat P. Ragusa *in elogiis Siculorum p.* 76. & *Sicil. Biblioth. Vet. pag.* 66. sed ex Stephano cit. & Gesnero alium à nostro deducitur; nam postquam de hoc Cleone agunt, paulò post distinctè de nostro Syracusano scribunt: ac testatur Carolus Stephanus, quòd ejus meminit epitome Artemidori Ephesii. Ex Stephano *de Urbibus loc. cit.* noster Syracusanus scripsit librum

De Portubus.

Hoc opus scripsisse, sunt etiam testes Vossius *de hist. Græcis lib.* 3. *pag.* 344. (à quo inter auctores incertæ ætatis recensetur) Morerius *in diction. tom.* 1. *pag.* 896. Gesnerus *cit.* & Carolus Stephanus *cit.*

CLITIÆ Academia Messanensis. Diu Messanæ Officinæ Academia inclaruit, ut loco suo trademus: at belli vi anno 1678. ipsius igne extincto, multi literarum amantissimi Academiam hanc excitare curarunt anno 1701. ut antiquam illius gloriam resumeret: ideoque à Joanne Emmanuele Fernandez Paceco Viglienæ Marchione, Siciliæ Moderatore, tunc Messanæ degente, facultatem petiere, ut hanc Academiam erigendam permitteret: at ipse ne dum hanc novam fundationem pronis excepit auribus, verùm etiam in sui patrocinium Academiam assumere promisit. Mox consilio, cum ipsorum gloria immutato, ut sub Catholici Regis auspiciis eamdem fundarent, proposuit, ac se Regiam voluntatem impetraturum spopondit, ut obtinuit. Hinc anno 1701. hæc nova Academia ortum habuit, ejusq; exordium fuit in Messanensi Seminario, ubi tunc Regii Sacelli Musicos, Nobiles, Regni Dynastas, Urbis Magistratus, doctique viri magnâ frequentiâ confluxere. In Academiæ Phrenoschema, vulgò *Impresa*, Heliotropium delegere, quod Solem ex naturali propensione respicit, addito lemmate: *Veritas*, ex Horatio carmine, qui cecinit: *Fides, unaque Veritas.* In ejus albo omnium primus memoratus Prorex fuit recensitus, exinde præclariores Urbis viri literis, & eruditione insignes subsequti sunt. Bis singulo mense, nunc in Clericorum Regularium domo conveniunt Academici. At dum Franciscus de Judice S. R. E. Cardinalis Siciliæ Moderator Messanæ moras traxit, voluit, ut singulis Dominicis diebus omnes Academici in Regio Palatio literaria monumenta ingeminarent: & ingeniorum calorem sui aspectu, & æstimationis vi, mirum in modum fovebat. Academicorum societatem moderantur is, qui est à secretis, & Censores duo per semestris spatium: quo elapso, ipsorum successores eligunt. Qui à secretis præest invitandi ad solemniores congressus Nobiles, ac primarios Urbis viros curam gerit: nempè, quando Epistolæ Marianæ festum, & Anniversarium Natalitium Catholici Regis celebratur: ut etiam cùm Bacchanaliorum libellum indicitur. Ipse etiam Academicum, qui discursû recitet, ac problema proponat, post decimum quintum diem solvendum, designat. Qui verò discursum recitat, Principis nomine, & honore tunc gaudet. Edidit italicè

Applausi nel dì Natalizio di Filippo V. gran Monarca delle due Sicilie, e delle Spagne, espressi ne' componimenti della Real Società degli Accademici della Clizia nel 1703. Messanæ apud Dominicum Costam 1704. in 8.

CONRADINUS PUTEUS Agrigentinus, Iurisconsultus doctrinâ celebris, ac Novariensis Prætor. Edidit

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmat. Alphonsi de Censibus doctissimas Annotationes, apud Petrum de Gregorio *de Censibus*. Panormi typis Io. Anton. de Franciscis 1609. in 4. & iterum Panormi ex Officina typographica Franc. Ciotti 1622. in fol.

CONRADUS quidam Ordinis Prædicatorum, patriâ forsan Panormitanus, Prior Monasterii Panormitani S. Catharinæ, qui floruit ann. 1290. eo tempore, quo Moniales prædicti Monasterii sub Fratrum Prædicatorum regimine degebant, ut habet Abb. Pirrus *not. Eccl. Panorm. pag.* 221. Scripsit

Epi-

Epistolam ad Angelum Boccamazza Episcopum Catanensem, quam integram exscribit Ioannes Bapt. de Grossis *in sua Catana sacra pag.* 143. *& seq.* & Abela *in Melita illustr. p.*262. in eaq; multa de Sicilia complexus est.

CONSTANTINUS CAETANUS nobilis Syracusanus Benedictinus Congregationis Cassinensis, vir literarum, & eruditionis gloriâ celeberrimus, Octavii, & Alphonsi Caetani Societatis Iesu frater, (de quibus in hac Bibliotheca suis locis.) ex Marchionibus Sortini, & Principibus Cassari, parentibus Barnaba Caetano, & Hieronyma Perno natus, lucis usuram accepit anno 1560. Religionem amplexus est in Monasterio S. Nicolai de Arenis Catanæ, ubi solemnia edidit vota 29. Octobris 1586. Studiis, & gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinis addictus, doctrinâ claruit. Inde ad perscrutanda antiquitatis monumenta, eâ animi contentione adhæsit, ut pervolutis ferè omnibus Italiæ Archiviis, ab Ecclesiastica, recondita, insignique eruditione celeberrimum sibi nomen comparaverit. Hinc ubique ejus famâ diffusâ, Clemens VIII. Pont. Max. Romam accersivit Constantinum, ut ex Bulla Pauli V. in Operibus B. Petri Damiani primæ editionis patet, ibique veluti in ampliori Orbis theatro ipsius doctrinæ, & eruditionis præstantia effulgeret. Romæ indefesso labore antiquitatum studia sequtus, totum vitæ cursum in pulverulentis Archiviorum angulis impendit, & è tinearum injuriis memorablia, & illustriora Ecclesiasticæ historiæ monumenta laudabiliter liberavit. Ideoque ex antiquitatis tenebris maximum nòmini sui splendorem conciliavit, & amplissima ejus eruditio, in admiratione viros sanè egregios traxit. Hac ex causa clariss. Cæsar Baronius Constantini eruditionem veneratus, in suorum Annalium lucubrationibus ipsum sibi adjutorem delegit. Hinc pluries Constantinum laudat, ac multis in locis lumen à Constantini scientia, accepisse fatetur. Ita *tom.*11. *an.* 1002. *num.*4. scribit: *legimus ejusdem duo donationum diplomata nobis ostensa à Domino Constantino Caetano Monacho Cōgregationis Cassinensis, Archiviorum pervestigatore diligentissimo. An.* 1065. *num.* 16. *anno* 1072. *num.*34. *& tom.* 12. *ann.* 1119. *num.*3. alia de eo honorificè protulit testimonia. Ipsemet Baronius curavit, ut à Paulo V. Pont. Max. in Bibliotheca Vaticana custos præficeretur: & ob singularem meritorum præstantiam eodem in munere ipsum cōfirmarunt Greg. XV. Urbanus VIII. & Innocentius X. apud quos magnâ valuit opinione: ac ipsis ob sacras eruditionis opes gratissimus vixit, quibus à sacris literarum monumentis fuit: ideoque à nonnullis scriptoribus Romani Pontificis historiographus appellatur. Nec ambigitur quod in sacrum Cardinalium Senatū adjunxissent Constatinum, ni invidiæ astus acriter obstitissent. A Paulo V. Abbas titularis S. Baronti fuit electus, & ab Vrbano VIII. Prioratus S. Nicolai de Latina in Sicilia donatus, ut testatur Abb. Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.*334. Apud Proceres, S. R. E. Cardinales, Regesque plurimùm æstimatione valuit, qui Constantinum Instituti Benedictini splendorē sæpius dixerunt. Immortalem nominis famā assequtus est, cùm propriis sūptibus an. 1621. Apostol. Collegium Gregorianū de Propagāda Fide Romæ excitare meditaretur, eâ lege, ut ibi S. Benedicti alumni adversus Catholicę veritatis hostes prodirent in aciem doctrinâ muniti, quarto propterea voto adstricti ad hoc opus aggrediendum, ac de hoc Collegio primus electus fuit Præses. Sed hoc egregium opus perficere haud potuit, ex magna supra vires mole: at oblata à Constantino occasione, & ex jactis jam ab ipso fundamentis Gregorii XV. Pontificis Maximi jussu, ac operâ Collegium de Propaganda Fide fuit excitatum, non sine maximo Catholicæ Fidei bono; ac constitutâ Cardinalium Congregatione, ejusdem Consultor electus est Constantinus: ac eidem Collegio post mortem omnia sua reliquit bona. Celeberrimam etiam Anicianam Bibliothecam excitavit, in qua ingenti pecuniarum sumptu rariores antiquitatis, ac eruditionis thesauros collegit. Literis, studiisque semper pietatis, ac regularium virtutum ornamenta sociavit: ideoque inculpatos tanti viri mores, ac vitæ integritatem, non sine veneratione intuebatur omnes. Tandem magno Literatorum dolore vivere desiit Romæ 17. Septembris 1650. æt. suæ an. 90. & in Ecclesia S. Benedicti sepultus est. Ob singularem doctrinam, eruditionemq; innumeri scriptores laudibus extulere Constantinum, ut Antonius Passevinus *in appar. sacro*, Arnaldus Wion *in ligno vitæ*, Bellarminus *de script. Eccles. ubi de B. Petro Damiano p.* 280. Clemens Rainerius Anglus *in lib. de Apostolatu Benedictino*, Francisc. Bivarius *in comment. ad Luc. Dextrum*, Barth. Gavantus *in Rubr. Breviar. Romani*, Franc. Avantinus *in manuali simplicium*, Jacobus Gretserus *adversus Replicatorem Calvinianum*, Io: Salas *in* 1. 2. *D. Thom.* Andreas Salazar *in not. ad Regul. S. Benedicti*, Lucas Wadignus *in not. ad opusc. S. Francisci*, Christophorus Besoldus *in specilegio politico, & juridico*, Maximilianus Sanderus *Academic. comment. lib.* 1. Michael Ghislerius *tom.* 1. *in Hierem.* Oct. Caetanus *in vitis Sanct. Sicul.* Andreas Victorellus *in addict. ad Ciacconium*, Ughellus *in addict. ad Ciacconium*, Bzovius *in compend. annal. Baronii*, Constantinus Bellottus *de instituto Gregorii Magni*, Martinus Martinez *in apolog. de patronatu Hispaniæ S. Æmiliani*, Carolus Stengelius *in lucida corona Religionis Benedictinæ*, *& Monosterologia*, quam ipsi inscripsit, Io: Bapt. Laurus *in Orchestra Thea. Rom. pag.* 50. & Dominus Marsigliac, omnes à Leone Allatio adducti in libro *Apes Vrbanæ pag.*73. qui ut eruditè perpendit à Doctis Scriptoribus passim vocatur: *Archiviorum pervestigator diligentissimus, & de antiquitate ecclesiastica benemerens, & planè doctus, doctissimus, & de antiquitate merendi cupidissimus, eruditissimus pater, & pius, & gravis, & eloquens, & elegans.* Quibus ego addo nonnullos alios gravissimos scriptores, qui meritò Constantinum laudibus ornant, ut Maraccius *in Bibl. Mariana par.* 1. *pag.* 294. *& pa.* 2. *f.* 199.

Michael

Michael Justinianus *in Epistolis memorabilib.par.3.pag.* 114. Aloysius Novarini *opusc.tom.* 1. *pag.*61. Abb. Pirrus *not. Eccl. Syracusanæ p.*213. *& lib.* 4. *de Abbatiis p.* 152. Joseph Silos *in hist. Cler. Reg. tom.* 1. *lib.* 1. *pag.* 14. Petrus Ant. Tornamira *in respons. ad claritatem clarificatam pag.* 19. *& seq. & in Scriptoribus Marianis Benedictinis pag.* 48. Ludovicus à S.Carolo *in Bibl.Pontificia l.*2.*p.*293. Jo:Phil.Thomasinus *Elog.t.*2.*p.*77.Philadelph.Mugnòs *in Theatr.Geneol.p.*1.*p.* 202.Petrus Carrera *in mem.Catan.vol.*2.*p.*242.Jo:Bap.de Grossis *in decac. Catan.t.*1.*cord.*2.*p.*47.Iacobus Grimaldi m.s.apud Philippum Bonannum *in numismatibus Sum. Pontif. cap.* 10. *pag.* 58. Casimirus Oudin *in supplemento ad Bellarminum de scrip. Eccles.p.*377.Philippus Labbè *in Biblioth. nummaria p.*249.*& de scrip. Eccl. tom.* 2. *p.* 201. *&* 202. *& tom.* 1. *p.* 42. & Sirmundus apud ipsum *pa.* 692. Abb. Piccinelli *in Vita Hugonis Principis Etruriæ à p.* 69. *& seq.* Bernardus Clavellus *in hist. Arpinate lib.* 6.*p.*239. Jo: Thomas de Roccaberti *in Bibliotheca Maxima Pontificia tom.* 7. *pag.*27. & alii. Quæ edidit Caetanus, partim proprii ingenii monumenta, partim aliorum, ejus operâ, & studio collecta, & illustrata, hæc sunt.

S. Petri Damiani Monachi Ord. S.Benedicti S.R.E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, & Doctoris Sanctiss. ac disertissimi operum Tomus Primus continens Epistolarum libros octo, multis ex Bibliothecis, & argumentis, notisque illustratos, atq: nunc primùm excussos operâ, & studio D. Costantini Caetani. Romæ ex typographia Aloysii Zanetti 1606. in fol.

Tomus Secundus continens sermones,& SS.historias Romę typis Guilelmi Gacciotti 1608. in fol.

Tomus Tertius continens opuscula. Romæ ex typographia Jacobi Mascardi 1615. in fol.recusi simul Lagduni Sũptibus Claudii Lãdri 1623.in fol.

Tomus Quartus: continens Orationes, Carmina, & Rythmos, cum notis ejusdem Const. Caetani in eumdem, & in Regulâ Clericorum Petri de Honestis. Romæ 1640. in fol. Hi quatuor tomi simul prodiere Parisiis sumptibus Caroli Chastellain 1642. & 1663. in fol. Epistolæ seorsim editæ sunt cum notis nostri Constantini Parisiis 1610. in 4. ex Guilelmo Cave *in scrip. Eccles. hist. liter. p.* 427. & Dupin *in Biblioth. scrip. Eccles. tom.* 3. *saecul.*11. *cap.*8. *pag.*98. Noster Caetanus indefesso labore, ac studio, collegit, ac mendis purgavit opera B. Petri jussu Clementis VIII. ut testatur Baronius *tom.*11. *annal. an.* 1065. *n.* 16. *& an.* 1072. *n.*38.

B. Amalarii Fortunati Ordinis S. Benedicti Cardinalis, & Archiepiscopi Treverensis Vita. Romæ typis Iacobi Mascardi 1612. in 4.

Ven. Viri Joannis Gessen Abbatis Ord. S. Benedicti de Imitatione Christi libri quatuor recensiti; ac permultis in locis,ex veteri m.s. Codice restituti. Accessit ejusdem D. Constantini Abbatis Caetani defensio pro hoc ipso librorum Auctore. Necnon eorumdem librorum methodus practica, & brevis epitome ex eodemmet opere deprompta, in quibus vitæ perfectæ forma describitur. Romæ ex typograghia Iacobi Mascardi 1616. in 12. Huic opinioni, quòd libri de Imitatione Christi sint Abb. Ioannis Gessense opposuit Heribertus Rosvveydus,cui respõdit Constantinus recuso supradicto opere, & addito libello inscripto

Concertatio priori editioni auctior, cui accessit Apologetica Responsio pro hoc ipso librorum Auctore Ioanne Gessen adversus Heribertum Rosvveydum Soc. Iesu. Romæ 1618. in 8. Edidit etiam de hac re *Apologeticum libellum pro Joanne Gessen.de Imitatione Christi.* Romæ 1644.in 8. Cùm autem Caetani defensionem etiam suscepissent Quatremarius, & Walgravi, hos oppugnarunt Ioannes Frontonus, & Zerlinus Canonici Regulares, quos sequuti sunt Georgius Hesserus, Ioannes Bollandus, & Theophilus Raynaudus Soc. Iesu, Henricus Sommalius, Gabriel Naudæus, Chifletius, Caneus, Abbas Barlensis, aliique; sed tandem contra hos omnes in arenam descendit D. Franciscus Delfaù Benedictinus Congregationis S. Mauri, qui edito libro an. 1674. Caetani opinionem propugnavit; at adversarium expertus est quemdam Canonicum Regularem, ut legere est apud Diarium literatorum Romæ an. 1678. *pag.* 30.*&* 31.Ioannem Mollerum *de script.Homonymis cap. 6.n.*43.*p.*567.Henricum Wharton *in append. ad hist. liter. Guilelmi Cave pag.* 90. aliosque, qui hanc Kempensem pugnam latè narrant.

Pro Joanne Diacono S.R.E. Cardinali de S. Gregorii Magni ejusque Discipulorum *Monachatu Benedictino libri duo.* Salzburgi 1620. in 4. Augustæ apud Joannem Kruger 1621. & Romæ 1620. in 8. ex Bibliotheca Classica Draudii *pag.* 38.

*Sanctorum Trium Episcoporum Religionis Benedictinæ luminum Isidori Hispalensi, Idelphonsi Toletani, & Gregorii S.R.E. Cardinalis Episc. Hostiensis Vitæ, & Actiones,scholiis illustratæ. Accesserunt opuscula quędã ejusdẽ Isidori nõ dum edita.*Romæ 1616.in 4.

Animadversiones in Vitam S. Anselmi Episcopi Lucensis. Leguntur inter monumẽta contra Schismaticos à Iacobo Gretsero Soc. Iusu edita Ingolstadii 1613. in 4.

*S. Columbanum Abbatem Bobiensem, & Lucensem, cum suis fuisse Ordinis S. Benedicti Assertio. Inter scholia in vitam S. Atagni à Martino Abbate Farsensi scripta.*Augustæ Vindelicorum 1627.in 8.

*De erectione Collegii Gregoriani in Urbe Epistola Encyclica.*Romæ ex typogr.Cam.Apost.1622.in4.

Vita, & Passio S. Erasmi Antiochiæ Episcopi, & Martyris Caetæ Urbis Patroni scripta à Joanne Caetano Casinensis Monasterii Monacho, qui & Gelasius Papa II. edita verò, & scholiis illustrata à D. Constantino Abbate Caetano ejus Gentili. Romę ex Officina typographica Caballina 1638. in 4.

SS. *D. N. Gelasii Papæ II. Sacri Montis Casini Monachi, ex Caetanis Urbis Caetæ Ducibus, Campaniæ Principibus, vita, à Pandulpho Pisano ejus familiari conscripta, nunc primùm edita, & commentariis illustrata à D. Constantino Caetano Gelasii ipsius Gentili.* Romæ ex eadem Officina 1638.in 4.

De Religiosa S. Ignatii,sive S. Enneconis Fundatoris Soc. Jesu per Benedictinos Institutione, deque libello exercitiorum ejusdem ab exercitario Cisneri desumpto. Venetiis 1641. in 8.

Hunc librum oppugnavit P. Ioannes Rhò Soc. Iesu edito opere Achates ad D. Constantinum Cae-

Caetanum: sed utrumque prohibuit Sacra Congregatio Judicis, ut ex indice librorum prohibitorum.

De Singulari Primatu S. Petri Solius, Commentarius ad Innocentium X. P. M. Item de Romano ejusdem S. Petri Domicilio, & Pontificatu Concertatio. In Bibliotheca Maxima Pontificia P. F. Ioannis Thomæ de Rocchaberti Tomo VII. Romæ ex typographia Ioannis Francisci Buagni 1698. in fol. Italicè

Giuditio sopra la Vita del Re David scritta dal Sign. Ranuccio Pichi Secretario dell'Altezza di Parma. Romæ 1631.

Lettera sopra il Crocifisso esistente nella Basilica di San Paulo di Roma. In Epistolis memorabilibus Ab. Michaelis Justiniani *tom.3. epist.39. pag.233.* Romæ apud Tinassium 1675. in 12.

Innumera alia scripsit Constantinus, quæ ipso adhuc superstite, Plagiariorum nonnullorum manus effugere haud valuere: hinc vel suppressa, vel aliò fuerunt translata; sed ope Oratoris Hispani Romæ degentis partim recuperavit, partim in multis Bibliothecis dispersa asservantur m. ss. ut legimus in ejus elogio apud Bibliot. Pontif. Roccaberti *tom. 7. pag. 27.* Ipsarum operum multa extant in Bibliotheca Monasterii S. Georgii Venetiis ex P. Petro Antonio Tornamira *in epist. ad lectorem scriptorum Marianorum.* Horum nonnullorum nomina retulit Allatius in libro inscripto: *Apes Urbanæ*, nempè

Vita S. Benedicti.

Acta S. Scholasticæ Virginis ejusdem Sororis.

Acta S. Placidi Abbatis, & Martyris.

Acta S. Gregorii Magni. de his etiam Ludovicus à S. Carolo *in Biblioth. Pontif. pag.293.*

Acta S. Petri Cœlestini. & ex Ludov. cit.

Acta S. Thomæ Aquinatis.

De Sanctitate Luciferi Episcopi Calaritani libri II. Apologetici.

Vita Bonifacii VIII. Papæ è familia Caetanorum, cum Apologia pro ejusdem Bonifacii ingressu ad Pontificatum legitimo, prudenti regimine, & gloriosa morte. de hac etiam Ludovicus cit. *in Bibliotheca Pontif.*

De Nummis, & Numismatibus in honorem Beatæ Mariæ Virginis cusis libri duo. de his etiam Maraccius *in Biblioth. Mariana par. 1. pag. 295.* & ex eo Philippus Labbè *in Biblioth. nummaria* in calce Catalog. librorum *Ant. Teisserii p.440.*

De Veneratione Sanctorum libri duo.

De Sacrosancta Basilica Vaticana.

De Antiquitate Regulæ S. Augustini, & Canonicorum, quos vocant Regulares.

De Præstantia Religionis Benedictinæ, seu de quatuor causis ejusdem Regulæ materiali, formali, finali, & efficiente libri IV. Commentaria Encyclica, Partenica, Apologatica.

Opuscula quædam Ambrosii Autperti Magistri in humanioribus Caroli Magni, & Abbatis S. Vincentii de Vulturno propè Capuam fluvio.

Opuscula S. Bertharii Abbatis Montis Casini, & M. sanguine Regum Gallorum.

Opera S. Bruni Episcopi Signini Tomis quatuor comprehensa, & scholiis & argumentis illustrata.

Variarum concertationum Volumen.

CCC. de Vitis Sanctorum Historiæ adhuc ineditæ, cum notis, & scholiis.

Opuscula diversa veterum Patrum Tom. III.

Opuscula, & Epistolæ S. Columbani Abbatis Bobiensis, cum notis, & argumentis.

Sermones, & alia Opuscula Joannis Gessen Benedictini Abbatis S. Stephani Vercellarum, cum Apologia pleniori, & auctiori, illum fuisse legitimum Auctorem librorum de Imitatione Christi.

Opera Thomæ Galli Benedictini Abbatis S. Andreæ Vercellarum.

De Caetana familia commentaria ab anno Christi DCC. ad nostra tempora.

Maraccius *in Biblioth. Mariana pa.295.* & Tornamira *in scrip. Mar. p.48.* addunt hæc alia.

De Sancta Clave sacræ Domus Lauretanæ, quæ extat in sacrario Monasterii S. Mariæ Farfensis in Sabinis Tractatus.

De Divino cultu Genitrici Dei Mariæ à Magno Patriarcha Benedicto, ejusque Alumnis singulariter exhibito, ac propagato commentarium, in quo primordia describuntur, progressus, atque incrementa Virgineæ hujus venerationis à S. P. Benedicto, ejusque filiis doctoribus præstita, atque instituta.

His addit Tornamira *in Respons. ad Claritatem clarificatam.*

De Ordinis S. Benedicti.

Calendarium Benedictinum.

Annale Benedictinum.

Et tandem ibidem pag.27 testatur in Bibliotheca S. Martini de Scalis Panormi servari hoc opus authographum nostri Caetani.

De Maestate Ordinis S. Benedicti Magni Monachorum Patriarchæ Occidentalium Legislatoris eximii: Orientalium Censoris acerrimi, adversus quasdam S. Basilii Monachorum novitates, libellus Apologeticus.

CONSTANTINUS PANORMITANUS Capuccinus, Panormitanæ Provinciæ alumnus, ex familia Burgarello, anno ætat. 15. in Cœnobio Calatanissectæ Ordinis institutum amplexus, in eo Concionator, Sacræ Theologiæ Professor, in divinis, humanisque literis apprimè instructus, & ob morum elegantiam, vitæque probitatem veneratus claruit. Panormi decessit 10. Augusti anno 1698. gravi ætate confectus. De eo Dionysius Gennensis *in Biblioth. Capuccinorum pag. 85.* Edidit

Compendium Privilegiorum, atque Indulgentiarum à Summis Pontificibus concessarum tam Fratribus, quàm Monialibus Ordinis S. Francisci, & S. Claræ, quàm etiam sæcularibus eorumdem Ordinum Benefactoribus. Panormi apud Didacum Buam 1660. in folio expanso.

Manuale Sacerdotum in quo plura, quæ ad eorum officium pertinent, continentur, ac pro usu Ecclesiarum non minus necessarium, quàm utile. Panormi typis Dominici Anglese, & Fràcisci Leonis 1696. in 8. & iterum Panormi typis Dominici Cortesii 1706. in 8. ac idem liber est, quem innuit cit. Dionysius apposito titulo: *Sacrum Viridarium omnibus*

nibus benedictionibus refertum &c. Panormi 1684.

CONUS AMORGOMIA. v. Iacobus Romanus.

CORAX Syracusanus Orator celebris, perperam à Leandro Alberto *in descr. Sicil. pag.* 61. & Christophoro Scanello *in Chronol. Sicil.* vocatus Corazza. Claruit apud Hieronem Syracusarum Tyrannum, ut Manutius tradit *in comm. Ciceronis de claris Oratoribus pag.* 198. Rhetorices inventionem ipsi ascribit Hermogenes *in comp. Rhetor.* At Cicero *lib.* 1. *de Oratore*, Coraci addit Tisiam etiam Syracusanum, ac utrumque Rhetorices Inventores, & Principes vocat. Licèt autem nonnulli scribant Empedoclem Agrigentinum hujus facultatis Inventorem fuisse, ex Laertio *in vita Empedoclis, & in vita Zenonis*, & aliis, ut suo loco, ubi de Empedocle videre est: attamen hoc intelligendum, aliqua tantùm ad Rhetoricam spectantia adinvenisse, ut advertit cum Quintiliano *instit. orat. lib.* 3. *cap.* 1. Polydorus Virgilius *de rer. invent. lib.* 1. *cap.* 13. & Bonannus *Syracus. illustr. lib.* 2. *pag.* 306. In eodem sensu accipiendum puto Franciscum Patritium *in Poetica decad. hist. lib.* 1. *pag.* 72. ubi ait, quòd Corax, & Tisias ab Empedocle Rhetoricam didicere; nempè aliqua de Rhetorica ab ipso accepere. Quòd autem Corax, & Tisias in Sicilia, & Græcia celebres Rhetoricam primi adinvenerint, hoc etiam tradit Cicero *de claris Oratoribus*, ex auctoritate Aristotelis: scribit enim: *Itaq; ait Aristoteles, cùm sublatis in Sicilia Tyrannis res privatæ longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primùm quod esset acuta illa gens, & controversa natura, artem, & præcepta Siculos Coracem & Tisiam conscripsisse: nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accuratè tamen, & de scripto plerosque dicere.* Idem *lib.* 1. *de orat.* eosdem inventores hujus facultatis vocat, ut etiam Raphael Volaterranus *lib.* 14. *anthrop.* Oct. Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *Sanctor. Siculor. p.* 43. Goltzius *in Sicil. hist. post. pag.* 87. & Leonardus Cozzandus *de magist. antiq. Philos. lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 331. Hoc ipsum de Corace scribunt Bonannus *Syracus. illustr. cit. pag.* 306. Fazellus *de reb. Sicul. lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 101. Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 212. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 20. Escobar *de reb. Syrac. pag.* 13. Petrus Victorius *in epist. ad lectorem in Demetr. Phalar.* Petrus Ricordati *hist. monast. die* 4. *pag.* 445. & alios quos *in meis observ. ad Sicil. Inventricem D. Vincen. Auria cap.* 8. §. 1. *pag.* 134. & 135. adduxi. Ipsi Corax, & Tisias primi hanc facultatem publicè alios docuere, scholamque Rhetorices aperuere, ut ait Quintilianus *instit. orat. lib.* 2. *cap.* 17. *Doctores artis*, ait, *jam circa Tisiam, & Coracem primò repertos*: quod ita exponit Petrus Masellarius *in comm. ad Quintil. pag.* 54. *Tisiam, & Coraca primos præceptores artis benè dicendi.* Quamvis autem ex contentione inter Coracem, & Tisiam, infra relata, colligimus Coracem Tisiæ præceptorem: id attamen non evertit, quod insimul Rhetoricam adinvenerint: nam ut in facultatibus omnibus contigit, inventionis exordium in quacumque re ex materiæ difficultate sæpè infirmum, exinde paulatim nova accessione perficitur: hinc dicendum Coracem Rhetoricam primùm adinvenisse, Tisiam numeris omnibus absolvisse: ideoque tum Coracem, tum etiam Tisiam Inventoris nomen promeruisse. Hanc opinionem firmat Mirabella *in antiq. Syrac. par.* 2. *pag.* 118. quòd ex Manutio deducitur, *comm. in Cicer. lib.* 1. *de orat. pag.* 20. Hujus inventionis occasionem tradit Hermogenes *in Rhetoricæ compend.* inquit enim: *Syracusis Siciliæ Urbe primùm cœptam exerceri Rhetoricam, cùm videlicet oppressæ Gelonis, & Hieronis tyrannide vexarentur crudelissimè, itaut etiam loqui prohiberentur linguâ, & per signa manuum, & pedum, nutus oculorum, conceptus animorum mutuos promere cogerentur, quo tempore dicunt saltationes, & tripudia cœpisse. Ita vexati Syracusani supplicarunt Jovi, ut tam sævâ tyrannide liberarentur, quod & factum est Numinis miseratione, Ab eo tempore Syracusanorum populus veritus ne in similem tyrannidem incideret, non amplius res suas Tyranno crediderunt, sed populari dominatione se regere cœperunt. Corax autem Syracusanus unus ex populo sapientior contemplatus populum rem incostantem, & mutabilem esse, sciensq: orationem esse, quâ omnia fierent, & gubernarentur, moresque hominum in primis componerentur, excogitavit oratione inducere populum ad loquendum, omissis signis, quibus antea Tyranni timore utebatur; quare advocata concione cùm populus convenisset, primùm cœpit blando, & miti sermone plebem permulcere, & tumultum popularem lenire, quæ verba proœmia, & principia vocant, cùm verò postmodum multitudinem sedasset, & silentium omnes agerent, cœpit consultare de necessariis, & quæ optabat, populo persuadere, quod genus sermonis, Narrationem nominavit. Post hæc quæcumque dixerat breviter resumens, in medium vulgi deprompsit. Primas itaq; partes principia, vel proœmia vocavit, secundas Exercitamenta, tertias Epilogos, vel conclusiones; & ita Corax Syracusanus opus Rhetorices ostendens populo Syracusano, persuasit, quæ voluit, quæ finis est Artis nostræ.* Hæc Hermogenes, quod & confirmat Lascaris apud Maurolycum *hist. Sic. lib.* 1. *pag.* 20. Fazellus *dec.* 1. *de rebus Siculis lib.* 4. *c.* 1. *p.* 101. Goltzius *loc. cit.* Scribit D. Vinc. Mirabella *in antiq. Syrac. par.* 2. *in vita Tisiæ p.* 117. Coracem eloquentiæ suæ vi, affecisse, ut Syracusani ab Urbe Transibulum Syracusarum tyrannum, eiicerent: sed ut benè advertit Bonannus *in sua Syrac. l.* 2. *pag.* 308. hoc apud neminem legitur; nec Diodorus, qui diligenter Transibuli expulsionem narrat, de hac re verbum. Inter suos Discipulos celebris fuit Gorgias Leontinus ex Bonanno *cit. p.* 308. Sed Quintilianus *inst. orat. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 59. in arte oratoria tantummodo imitatorem suum dicit. Fuit & ejus Discipulus Tisias Syracusanus, de quo hæc narrant; quòd cùm desiderio ediscendi hanc facultatem æstuaret, nec ex fortunæ tenuitate haberet unde mercedem Coraci solveret, magnam exigere solitus, hanc cum illo pactionem instituit, nempè duplum stipendium ipsi soluturum, cùm oratoriam dedicisset. Docuit Tisiam Corax, & cùm Discipulum urgeret, ut promissam mercedem solveret, is Præceptorem coram

rum Judices rogavit; dic, inquit, Mihi Rhetoricæ definitionem: cui Corax, Rhetorica, respondit, est artificium persuadendi: hinc Tisias, si ergo suasero, dixit, nihil debere nihil debeo, nam non debere persuasi: si autem non persuasero, minus debeo, quia me nō dum satis persuadere docuisti. Sed discipuli callidum dilemma ita in ipsum retorsit Corax: & ego, inquit, si persuasero mihi solvendam mercedem, recipiam, quia suasi: si autem non persuasero etiam recipiam, quia talem institui discipulum, ut præceptorem superare potuerit. Tunc Judices obstupentes exclamarunt: mali corvi malum ovum; idest, arguto præceptore argutiorem esse discipulum. Ita Hermogenes cit, ac etiam Lascaris apud Maurolycum cit. Fazellus, Goltzius, Paulus Manutius *Adagior pag.* 536. Gyraldus *in enigmat. pag.* 455. Carolus Stephanus cit. sed in aliquo dissentiunt. Illud autem mali corvi malum ovum in proverbium transiit, ac usurpatur cùm ex uno alium nasci malū animadvertimus: alluserūtq; nomini Coracis, quod latinè sonat corvus, ut ait Lascaris, Fazellus, Goltzius, Stephanus, aliique. Haud dissimilem eventum, ac litem narrat Aulus Gellius *noc. attic. lib.* 5. *cap.* 10. & Apuleus *Floridor. lib.* 4. de Protagora, & Evathlo; quod errandi occasionem præbuit Lascari cit. qui ait Coracem, & Tisiam vocatos etiam Protagorā, & Evathlum, cùm fuerint diversi, ut Bonannus *in Syrac. p.* 308. docet ex Laertio, Suida, & Quintiliano *l.* 3. *inst. or.* qui de his quatuor distinctè loquuntur. Hinc idē Bonannus, ea, quæ Gellius narrat, falsè Protagoræ, & Evathlo ascribi putat: ideoque dicendum opinor: vel similem eventum Protagoræ, & Evathlo accidisse, ut placet Fazello *cit. pag.* 101. & Manutio *in com. Cicer. de claris orat.* vel Gellium, & Apuleum fabulam enarrasse, ut Paulus Manutius *in adagiis cit.* tradit. Tandem advertit Bonannus, quòd Raphael Volaterranus *comm. in Quintil.* hanc Coracis disceptationem invertit contra veritatem, & antiquorum scriptorum relationem. Corax igitur ob eloquentiam celeberrimus vixit; ideoque à Martiano Cappella *lib.* 5. *Rhetor.* vir aurei oris vocatur. Claruit olymp. 80. ante Christi Domini adventum ann. 450. ex Bonanno cit. Scripsit librum

De Arte Rhetorica, de quo Aristoteles *in Rhetor. lib.* 2. Lucianus, Cicero *de claris orat.* Polydorus Virgilius *de rer. invent. lib.* 1. *cap.* 13. Lascaris cit. aliique. Quintilianus *lib.* 3. *instit. orator. cap.* 1. ait: *Artium autem scriptores antiquissimi Corax, & Tisias Siculi.*

CORNELIUS MORFIA Panormitanus Musices peritus; ipsius extant aliqua in libro: cui titulus: *Infidi lumi, Madrigali à cinque Voci di diversi autori Siciliani.* Panormi apud Jo: Bap. Maringum 1603. in 4.

COSMANUS Siculus cujus patria in obscuro est, Monachus Ord. S. Basilii in Monasterio S. Mariæ de Rogato apud oppidum Alcarię, ob doctrinæ præstantiam authonomasticè, Theologus vocatus. Claruit circa an. 1167. Oct. Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *Sanctor. Siculor. pag.* 61. & 62. à confessionibus S. Nicolai Eremitæ Adernoniensis fuisse putat, ac ejus vitam, hymnumque scripsisse, quæ extant apud eundem *to.* 2. *cit. p.* 180. hoc titulo.

Vita S. Nicolai Adernionensis Eremitæ. & *p.* 182.

Cosmani Theologi ad D. Nicolaum Eremitam Hymnus.

COSMAS LENZUS Messanensis Ord. Claricor. Regularium Ministrantium Infirmis, vir à doctrina, & morum integritate conspicuus. Humilitate præsertim claruit. Diu in publicis Nosocomiis magno cum charitatis ardore ægrotātibus inservire solemne habuit. At cùm ejus virtutes undique refulgerent, Superiorum jussu domos Bononiæ, Caetæ, aliasque, Præfecti munere rexit. Religionis tyrones instituit, & ad Provincialis, ac Consultoris Generalis gradum evectus est; & ut Stephano Mauro *in sua Messana cap.* 22. *pag.* 210. placet, totius Ordinis Generalē Vicarium etiam egit. Messanensis domus constructionem mirabiliter promovit, & ut ipsam numeris omnibus absolutam inspiceret, non rarò murariis fabris se immiscuit, eorumque labores non sine humilitatis exemplo sustinuit. Ordinis sui zelo æstuavit, quem tenerrimo animi sensu diligebat. Magnâ æstimatione valuit, præsertim apud Archiepiscopum Messanensem Simonem Carrafam, ob eximiam vitæ suæ probitatem. Tandem meritis plenus obiit Romæ anno 1657. De eo præter Maurum citatum, vide Dominicum Regium *in hist. Cleric. Reg. Ministr. Infirm. lib.* 12. *cap.* 10. *pag.* 370. & *lib.* 15. *cap.* 1. *p.* 1. 448. & *cap.* 3. *pag.* 453. & Philippum Labbè *in Bibl. Bibliothecar. pag.* 42. Edidit

Annalium Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Tomum Primum. Neapoli typis Secundini Ronchalioli 1641. in fol.

Vita, ed Opere del V. P. Camillo de Lellis in Ottava Rima.

Scripsit etiam opus

De Judicio Universali exametris carminibus concinnatum, & alia, quæ ms. ss. reliquit, ex Regio cit.

COSMAS NEPITA Catanensis Juris utriusque Doctor eximius. In Catanensi Academia Cæsarea Jura doctissimè docuit. Bis in supremis Magnæ Regiæ Curiæ subselliis Judex effulsit. Prothonotarii, & Regii Consiliarii munus non sine laude explevit. In patriam regressus anno 1598. à seditiosis viris, bellici instrumenti ope, è vivis eripitur, & in D. Francisci æde sepultus est. Ipsum laudant Ab. Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 94. Jo: Bap. de Grossis *in decacord. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *p.* 146. Petrus Carrera *in hist. Catan. vol.* 2. *lib.* 2. *pag.* 362. & Marius Cutelli *de donat. tract.* 2. *disc.* 2. *par.* 12. *num.* 82. *p.* 355. Edidit

In Consuetudines Clarissimæ Civitatis Catanæ, ac totius ferè Siciliæ Regni commentaria. Panormi apud Jo. Franciscum Carraram 1594. in fol.

CREON. v. Acron.

CTESIAS. v. Tisias.

CYRILLUS. Anno 1630. Balthassar Corderius Soc. Jesu librum Apologorum moralium S. Cyrilli edidit Viennæ Austriæ, de quo, & ejus aucto-

te in epistola ad lectorem ita loquitur. *Cùm nuper Bibliothecam nostram Academicam in locum aptiorem transferremus, antiquiores Codices m. ss. præ cæteris diligentius observans, ac perlustrans, incidi in Apologos hosce S. Cyrilli inscriptos: sed an Hierosolymitani, an Alexandrini, vel cujus demum Cyrilli sint, quod ascriptum non esset, haud equidem facilè divinaverim, cùm nec apud Photium, nec apud Sixtum Senensem in Bibliothecis, nec à Possevino in apparatu nulla fiat mentio Apologorum à Cyrillo conscriptorum. Verùm nihil mirùm, si ut alia quamplurima Sanctorum Patrum opera, ipsis auctoribus incognita, quæ hactenus tenebris delituerunt.* Cornelius à Lapide *in prologomenis ad Ecclesiasticum cap. 3. pag.* 23. postquam opus hoc ob elegantia, eruditione, salibusque celebravit, addit: *sanè redolet acumen, leporem gravitate mixtum, variam eruditionem, & pietatem S.* Cyrilli *Alexandrini: stylus tamen magis latinam, quam Græcam elegantiam, phrasimque redolet, præsertim in acutis, argutisque antithetis, & homioptotis, quibus crebrò rem probat & adversarium stringit, conficitque. Unde Cyrillus hic latinus potius fuisse videtur, quàm Græcus, ac S.Cyrillo Alexandrino ætate posterior, utpotè crebrò citans Aristotelem, & Hippocratem, cùm S.Cyrillus cæterique Patres Platonici magis fuerint, quàm Aristotelici. Ad hæc autem sæpius Siciliam celebrat: unde nonnulli Siculum fuisse suspicantur.* Hac autem suspicione, seu verius ratione permotus, inter Siculos Scriptores hunc Cyrillum ascripsi. Et sanè cùm frequenter res Siculas magna cum laude revolvat, quid innuere, ac affirmare videtur, nisi se in Sicilia ortum? Quid enim cùm Sicilia Cyrillus Alexandrinus, aut Hierosolymitanus? Quid hi Græci scriptores cum hoc libro, qui græcam dictionem non sapit, teste Cornelio? Philippus Labbè *de Scriptoribus Ecclesiasticis tom.1. pag.* 246. de hoc opere ait: *Hic libellus ab auctore latino scriptus est*: ita etiam Du-pin *in Biblioth. Eccles. tom.4. pag.*51. & Guilelmus Cave *in script. Eccles. hist. literaria anno* 412. *pag.* 216. Hujus operis titulus hic est.

Apologi Morales S. Cyrilli ex antiquo m. s. Codice, nunc primùm in lucem editi per Balthassarem Corderium Antuerp. Soc. Jesu. Viennæ Austriæ typis Gelbhaar Typographi Cæsarei 1630. in 16. Miræus *in Biblioth. Eccles. in scholiis ad Gennadium de script. Ecclesiast. cap.* 57. *pag.* 60. & Guilelmus Cave loc. cit. advertunt, olim editum hunc librum à Joanne Parvo, titulo *Speculi Sapientiæ*, & Simlerus *in epitome Biblioth. Gesnerianæ* apud Labbe *cit. pag.* 761. hæc habet: *Cyrilli Episcopi* Speculum Sapientiæ; *aliàs Quadripartitus Apologeticus vocatus, in cujus proverbiis totus sapientiæ speculum claruit. Liber impressus ante annos centum. Idem liber in Germanicum sermonem conversus publicè extat.* Apologos hos, Hispanos fecit Franciscus Aguado Hispanus, & edidit Matriti 1643. in 8. *ex Biblioth. Hispan.* Nicolai Antonii *tom.1. pag.*303. De his Apologis etiam à Lapide *in prolog. in proverb. Salam. in fin. pag.* 10. eosdem sæpius citat Dionysius Cartusianus *in Proverb.* hoc modo: *Proverbia Cyrilli*, & Cornelius à Lapide locis citatis.

CYRILLUS THERMITANUS Ordinis Carmelitarum Primi Instituti Montis Santi, in sæculo Gregorius Vincentius Martorana, natus 20. Aprilis 1623. Religionem amplexus, in ea sacrâ eloquentiâ, ac muneribus claruit: plura etenim Prioris munere rexit Cœnobia: bis Provinciam Montis Sancti gubernavit, ac socius fuit Generalis totius Ordinis. Obiit Neapoli mense Novembris 1694. Hujus meminit Placidus Reina *in hist. Messan. par.2. pag.*62. & Vincentius Solitus *in hist. Thermar. tom.2. par.6. cap.4. pag.*140. Edidit italicè

L'infaticabil Sole Maria, Predica della Lettera scritta dalla Vergine alla Città di Messina recitata nella Congregatione delli Schiavi di N.S. sotto il Duomo con la presenza dell' Ill. Senato l'anno 1656. Messanæ 1656. in 4.


CYRINUS MAURUS Leontinus Sacerdos, natus anno 1646. humanioribus literis satis excultus, Catanæ Philosophiæ, Panormi scholasticæ, & morali Theologiæ, nō sine ingenii laude, operā dedit. In patriā regressus anno 1687. Leōtinæ Ecclesiæ Canonicus electus est, ubi nunc doctrinâ, morumq; integritate insignis vivit. Sodalitium secretum Leontini, in quo pietatis studia exercentur, aliquandiu rexit, ac pluries sermonum vi sodalium ardorem fovit. Amœnioribus etiam literis egregiè instructus, poetica studia dilexit; ideoq; scripsit, ediditque italicè

Lentini abbattuto da' Tremuoti, Poema in cinque canti diviso. Messanæ ex typographia Maffei 1700. in 8.



DAPH-

D



APHNIS celeberrimus Siculus, carminis Bucolici Inventor, ab innumeris scriptoribus celebratus. In Montibus Heræis Siciliæ ortũ habuit teste Diodoro Siculo *lib.* 4. *n.* 86. Sed quo in Siciliç loco sint hi Heræi Mõtes, magna inter scriptores dissentio. Thomas Fazellus *de rebus Siculis dec.*1.*lib.*1.*c.*4. *p.*19. *l.*9.*c.* 4.*p.*201. *& lib.*10. *cap.* 1. *pag.* 207. *&* 210. legit Montes Aërei, & inter Troinam, & S. Philadelphum, vulgò *S. Fratello*, constituit, quos *Montisori* dicunt. Vincentius Maria Cimarellus *in Resolut. Philosophicis, & moral. cap.* 6. *pag.* 50. Areos vocat, & juxta S. Philadelphum statuit. Philippus Cluverius *Sicil. antiq. lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 327. Hereos, sive Junonius appellat, & ad nonnulla Insulæ loca extendit: nempè à Platia ad oppidũ Noaræ inter Tauromenium, & Pactas; & ex occidentali parte Nebrodi monti, vulgò *Madonia*, adhærentes: & à Nebrode usq; ad Noaram prędictam, ac etiam non longè ab oppidis Caroniæ, S. Philadelphi, & S. Marci protrahit: ac tandem decernere ambigit, in quonam horum montium loco exortus fuerit Daphnis. At hanc opinionem tanquam improbabilem, & à veritate abhorrentem reiicit meritò Io: Vigintimillius *in Poetis Bucolicis p.* 26. cũm enim hanc Montium catenam in immensum protrahat, adeout ex sua sententia, propè duo centum millia passuum cõplectatur, ac montes circa centum; profectò apud scriptores celebris esset; sed apud ipsos vix exilis horum montium memoria servatur. Iacobus Bonannus *Syrac. Illustr. lib.* 2. *pag.* 260. opinatur, quosdam montes esse juxta Ragusam (quam Hiblam minorem, Heram, vel Hercam vocabant, ex Cluverio *lib.* 2. *cap.* 10. *p.* 352.) hanc autem opinionem amplexus est Ioseph Mazara Siclensis Soc. Iesu apud Vigiutimilium *cit. p.* 28. & Hier. Ragusa *in elogiis Siculor. p.*90.*& in Siciliæ Biblioth. Vet. p.* 73: qui ait montes esse in agro Ragusano non longè à Motuca, quos montes *della Lusia* vocant: ita etiam Placidus Carrafa *in Motuca Illustrata p.* 102. *& in descrip. Sicaniæ p.* 24. & Vincentius Auria *in declarat. Lauri Iosephi de Flores p.* 107. quod multis roborare conatur clariss. vir Franciscus Paternionus nobilis Ragusanus de rebus Siculis benemerentissimus, in historia Ragusę, quam molitur, & typis tradet. Ioannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiæ lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 10. ad Platiam pertrahit. Octavius ab Archangelo *in Chronic. Catanesi m. s.* Ætneos montes vocat, & Diodorum corrigere audet, ac juxta Catanam collocat: sed à Carrera oppugnatur, ut *in sua Syrac. Illustr.* (quam sub Iacobi Bonanni se edidisse tradit) *lib.* 2. *pag.* 258. At ipse Carrera sibi cõtrarius *in hist. Catanæ vol.* 1. *lib.* 4. *p.*387.*&* 388. palinodiam cantat, Archangelum sequitur, & adducta autoritate Timæi historici Siculi, & Parthenii Nicęi, inter viam magnam Catanæ, & Paternionem constituit: quod repetit *in Responsione ad Marianum Perellum pag.* 70. ubi inconstantiæ maculam, quo eum Perellus inurit, purgare contendit. Sed Timæus, & Parthenius de ortu Daphnis non loquuntur, sed tantummodo de ipsius inhabitatione, ut observat Vigintimillius *cit. pag.* 31. hinc alibi natus Ætneos Montes inhabitare potuerat: ideoque supervacaneum est Diodorum corrigere, ut Daphnis ortum nanciscatur, & pro Heræis substituere Ætneos, ut Archangelo, & Carrerę placet. Ælianus *de varia historia lib.* 10. *cap.* 18. ut etiam *in historia animalium lib.* 11. *cap.* 13. Syracusanum vocat, cujus vestigia sectatur Ioannes Zeze apud Vigintimillium *citat. pag.* 58. qui & ipse ad hanc opinionem firmandam quasdam exhibet conjecturas. Ioann: Iacobus Adria *in m. s. de Valle Mazariæ* apud eumdem Vigintimillium *loc. cit.* Selinuntinum appellat. Sebastianus Bagolinus ex sententia Alberti Durandi *in hist. Siciliæ* apud Vincentium Auriam *in observat. ad Battillum Io: Baptistæ de Iudice pag.* 319. Heræos montes describit in Bonifato monte Alcami. Demum Auria *cit. pag.* 320. Himerensem putat Daphnim, & post nonnullas rationes, Petri Marsi auctoritatem exhibet, qui *in comm. ad Silium Italicum lib.* 14. in illud: *Hos inter Daphnis*, expresse Thermitanum fuisse ait: Thermitanum enunciat, ex eo quod, indubium est, Thermas antiquę Himerę reliquias esse. In tanta opinionum varietate liberam opinandi facultatem lectoribus relinquo; longum enim esset hic omnium rationes ad lancem revocare. Ad indicandam ingenii sui excellentiam antiqui scriptores Mercurio, Nymphaq; genitum tradidere, teste Diodoro Siculo *lib.* 4. *n.* 86. Æliano *var. hist. lib.* 10. *cap.* 18. Scaligero *Poetic. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 19. aliisque. Natus in amœnissima valle, quam Nymphæ frequentabant, à Lauro nomen accepit, quę gręcè Daphnis dicitur, ut habemus ex Plinio *lib.* 15. *hist. nat. cap.* 30. vel quia inter Lauros natus, ut Diodoro, Scaligero cit. & Basilio Zancho *in Onomast. poet.* placet: vel quia jam natus inter lauros expositus, ut putat Ælian. *cit.* A Nymphis educatus, & pastoris munere functus, multa bovum armenta

menta possedit: ideoque Bubulci quoque nomen habuit, ex Diodoro cit. & Volaterrano *lib.* 15. *anthropol.* Fuere antè ejus Boves ex celebri, & fabuloso semine Bovum Solis, quorum meminere Homerus *Odiss.*12. Ælianus, & Scaligerus *loc. cit.* Plinius *lib.*2. *cap.*98. Seneca *quæst. natural. lib.* 3. *cap.* 26. aliique apud Cluverium *cit. lib.* 2. *cap.* 5. *pag.*307. Fistulæ cantu excelluit, & Dianam (cujus gratiam promeruit) modulationibus suis oblectasse fabulantur, ut ait Diodorus: ideoque à Parthenio citato appellatur: *Fistulæ cantor novus, atque industrius.* Immò ad extollēdam ipsius præstantiam à Pane Deo musicam didicisse ait Lacerda *in Eclog.* 5. *Virg.* ex aliquorum sententia. Venandi peritus unà cum Diana Siculos agros, feras insectando percurrit, teste Diodoro cit. Ælianus verò *lib.* 11. *hist. animal. cap.* 13. ipsius canes commemorat, quorum nomina non prætermittit, ac ipsorum fidelitatem, amoremque erga Dominum suum narrat: post Daphnis enim cæcitatem, ut mox referem, propter illum mortem elegisse, & luctu, ac ululatu plurimo dolorem aperuisse tradunt. Hoc autem in Daphnis cæcitate evenisse putat Vigintimillius *cit. pag.* 45. contra Carreram, qui *in hist. Catanæ lib.* 4. *p.*389. in ipsius morte contigisse ait. Theocritus *Idyll.* 1. scribit etiam fuisse Musis acceptum, ac Nymphis gratum. Ex his ejus exercitamentis, ac ex patriæ opinione Vincentius Auria *in observ. ad Batillum pag.* 323. quem sequitur P. D. Michael de Indice *in plausu Coronarum pro D. Rosaliæ festo pag.* 15. eruditè probat, Agros Panormitanos non longè ab Himera dissitos, ipsius cantu, ac modulationibus resonasse, cùm ex naturali amœnitate sint apprimè apti ad mulcendas non modò curas, ac pastorum cantus, verùm etiā ad venationē latè exercendam. Interea cum formosissimus esset juvenis, & cujusdam Nymphæ amore flagrasset, hæc eā lege Daphnim accepit, ut si fidem maritalem violaverit, utroque lumine orbaretur. Promissam fidem diu servavit Daphnis, licèt à nonnullis Nymphis importunè sequtus; sed tandem, addit Diodorus, *cum Regis filia, quæ mero ipsum inescaverat congressus, lumen oculorum amisit*; quod etiam scribunt Ælianus cit. Parthenius Nicænus *de amat. affect. cap.*29. *pag.*47. Suidas, Volaterranus cit. Patritius *Poet. dec. hist. lib.* 1. *p.*119. aliique multi. Hinc lumine captus inter dolorum, ac lachrymarum molestias, reliquum vitæ infeliciter traduxit, ac breviter miserrimè denatus est. Ab hoc Daphnis eventu frequentissima ad Bucolicos Poetas effluxit concinendi materia: primusq; Stesichorus Himerensis infelices Daphnis amores cecinit, ut Ælianus tradit *lib.*10. *var. histor. cap.*18. & Scaliger, *loc. cit.* Ipsius mortem ingemuit Virgilius *Eclog.*5. ex aliquorum sententia apud Lacerdam ibidem, & ante ipsum deplorasse videtur Theocritus *Idyl.*1. sub Tyrsi nomine quamvis Vigintimillius *cit. pag.*163. de nostro Daphne minimè cecinisse putet. Nonnulli ex Lacerda cit. post ipsius cæcitatem Mercurium patrem invocasse fabulantur, qui eumdem in Cœlum transtulit, ut innuerent, Daphnis excellentiam immortalitate dignam. Attamen celeberrimi nominis gloriam Orbi literato reliquit: nam ex Diodoro: *Cùm excellens in hoc ingenium ad musicam ferretur, Bucolicum carmen, & melos, quod etiam nunc apud Siculos in usu, & honore est, invenit.* Quòd autem Bucolici carminis fuerit Inventor, innumeri testantur scriptores, inter quos Diomedes *lib.* 3. *Gramm.* Polydorus Virgilius *de rer. invent. lib.*1. *cap.* 9. Laur. Crassus *in hist. Poet. Græc. pag.* 137. Patritius *dec. hist. poet. lib.* 1. *pag.* 119. aliique apud Vincentium Auriam *in Sicil. Inventrice cap.* 9. §.1. *pag.* 28. & *in meis addict. ad eamdem p.*141. Ipse etiam primus poesi fabulam præscripsit, ut Vigintimillius cit. probat *pag.* 59. Carmen etiam Hexametrum Bucolicum adinvenit, teste Plotio *de metris tit. de Hexametro Bucolico*. Hinc qui primam, & antiquiorem poesis speciem in orbem invexit noster fuit Daphnis Siculus, qui Bucolico hexametro rusticos amores cecinit: ideoque apud poetas mos inolevit, ut quando egregium pastorem nominatum vellent, Daphnis nomine appellaverint, ut inter alios Theocritus *Idyll.*6. 8. & 28. & Virgilius *Eclog.*5. & 7. Ejus etiam nomen Syracusanis Balneis impositum est, quæ Daphnica vocavere; de quibus consule Vincen. Mirabellam *Syrac. par.*1. *pag.*30. Quo claruerit ævo celeberrimus hic Poetarum Princeps, in obscuro est. Bonannus cit. *Syrac. illustr. lib.*1. *pag.*15. ex Diodoro *lib.* 4. putat, ante bellum Trojanum floruisse. Hoc verò ex Diodoro deducitur, quia in proœmio historiæ suæ scribit, primos sex historiæ suæ libros, res ante bellum Trojanum complexos: ideoq; cùm de Daphne scripserit libro 4. rectè eruimus ante memoratum bellum claruisse. Hinc patet quàm longè à veritate aberraverit Cælius Rhodiginus, qui *lect. antiq. lib.* 13. *cap.* 34. ait, vixisse temporibus Hieronis primi Syracusarum Regis; nam præter Daphnis ætatem ex Diodoro deductam, Maurolycus *in hist. Sicil. lib.*1. *pag.*25. ait, antiquissimum fuisse, & Orione coævum: & ex supra narratis, nempè quòd fuerit Mercurii filius, & venationem cum Diana obiierit, optimè deducitur vetustissima ejus ætas: hæc enim longè superasse Hieronis ætatem, omnes fatentur. De Daphne vide quæ diffusè, & eruditissimè scripsit Vigintimillius *in poet. Sicul. à cap.*5. & *seq.* Auria *in Sicilia Inventrice*, ut in meis ad ipsum *observation. p.*141.

DATIUS AGLIATA nobilis Panormitanus Societatis Jesu, quam annum agens 17. amplexus est. Ingenii felicitate præclarus, egregiæ doctrinæ mores integerrimos sociavit. Præter humanas literas Rhetoricam docuit: non modò exteros, sed etiam Societatis juniores. Eloquentiā, & Poesi nulli secundus: à graviorum scientiarum ornamento, & eruditionis præstantiā apprimè laudatus vixit. Dum laudabiliter Melitense Collegium regebat, Melitæ obiit 21. Januarii anno 1657. Edidit.

Orationem in solemni studiorum lustratione habita in Aula Collegii Panormitani Soc. Jesu. Panormi apud Decium Cyrillum 1636. in 4.

Ge-

Gemina Portus Sapientiæ ad Illustriss. Senatum Panormitanum ipsius renascentis anni literarii feriis, Orationem alteram. Panormi apud eumdem 1640. in 4.

DECIUS ALOYSIUS Panormitanus Ordinis Prædicatorum Philosophus, & Theologus doctrinâ clarissimus, qui haud modicam æstimationem promeruit, ob acutissimi ingenii dotes, in publicis disputationibus detectas: doctrinam modestiâ, ac vitæ integritate illustravit. De eo Baronius *de maest. Panorm. lib. 3. cap. 6. pag.* 123. qui scripsisse testatur doctissima

In D. Thomam, ac Cardinalem Caetanum Commentaria.

DECIUS JUSTINIANUS nobilis Messanensis Ordinis Prædicatorum, Genuâ oriundus, parentibus Anselino, & Hieronyma Justinianis ex Condominis Chii. Messanæ in lucem editus primo Januarii 1580. Prædicatorum Institutum amplexus 11. Augusti 1595. Joannis Baptistæ nomen à baptismatis fonte acceptum, in Decium commutavit. In religiosarum virtutum studio mirabiliter profecit, ac omnibus gratissimus, nonnullis Ordinis honoribus insignitus est. Absoluto studiorum curriculo 11. Maii 1611. Sacræ Theologiæ Magister enunciatur in comitiis generalibus Parisiis coactis. Vix Messanam remeaverat cùm inopinatò Aleriensi Ecclesiæ in Cyrni Insula præficitur à Paulo V. 17. Februarii 1612. Creditam sibi Ecclesiam doctrinâ, ac prudentiâ; sed præcipuè vitæ sanctitate mirabiliter illustravit. Divinum cultum amplificare curavit: ovibus suis divinæ prædicationis pabula incessanter in Cathedrali exhibuit eâ eximiâ, quâ pollebat, eloquentiâ, eoque fructu, ut alterum Christianæ Fidei fundatorem illius Insulę prædicaverint omnes. Erga Deiparam ardentissimo fragabat amore, & ad ejus cultum populos extimulavit. In multis Diœcesis suæ locis Societatem Sanctiss. Rosarii excitavit, ac sodalitium fundavit pro mulieribus Sanctiss. Virginis cultui mancipatis. Instituit ut in Cathedrali singulis anni Sabbathis Sanctiss. Virginis litanias decantarent Canonici, & Clerus: quibus, nisi urgerent alia, semper interfuit. Iisdem etiam Sabbathis in Deiparæ etiam obsequium à cibis abstinebat. Vt pauperum inopiam levaret annuos Ecclesiæ proventus liberaliter in pauperes erogabat. Clerum ad Ecclesiasticam disciplinam sanctè servandam exemplo magis, quàm verbo excitavit. Diu, noctuq; ad divinas laudes decantandas Chorum frequentavit. Ecclesiasticâ supellectili Cathedralem, ejusque sacrarium locupletare studuit. Clericorum Seminarium novis ædificiis splendidorem reddidit. Simultatum semina, quæ ea in insula sæpius germinabant, non solùm pastorali vigilantiâ evellere curavit, verùm etiam, & mutuo amore omnium animos admirabili dexteritate, ac charitate fovere contendebat. His, aliisque præclaris operibus, omni laude dignam duxit, ac absoluit vitam 21. Novembris 1642. ibique collacrimantibus populis sepulturæ traditus est in Ecclesia S. Mariæ, & S. Erasmi, vel ut aliis placet S. Anselmi, Campilaurei in Sacello S. Michaelis Archangeli, ab ipso Decio excitato, ac annuo cẽsu dotato: cui ab Ecclesiæ suæ Canonicis hæc inscriptio addita est.

D. O. M.

Decio Justiniano Genuensi
Anselini, & Hieronymæ ex Dominis Chii
Dignissimo filio,
Quem animi candor, vitæq. probitas
Adolescentem Religiosis Prædicatorum
Cælo addixere.
Virtutibus deinde, ac sanctimoniâ
Eximiè expolitum
Anno à Virginis Partu M.DC.XII.
Paulo V. Pontifice
Eum sacra dignitate, non cogitantem,
Episcopum Aleriensem dedere.
Fuit Decius moribus suavis,
Sapientiâ conspicuus,
Prodigus erga pauperes.
In Ecclesiasticis muneribus assiduus,
In componendis odiis Corsicæ miraculum,
Ecclesiam regali supellectile, novoq. sacello
S. Michaeli dicato, & dotato,
Locupletavit, & exornavit.
Ædificium in usum Canonicorum instruxit,
Et Seminarium Clericorum ampliavit.
Ipsum Clerum, & populum crebris concionibus,
Ac piis constitutionibus pavit, & reformavit.
Tandem meritis, ac diebus ornatus
Ad æterna evolavit An. M.DC.XLII.
Die XXI. Novemb. ætatis suę LXII. M. IX.

De tanto Præsule plura habes apud Ab. Ughellum Ital. Sac. *tom. 3. pag.* 607. *& in addict. pag.* 1260. *& in append. ad ipsum tomum, quæ habetur in calce tom. 5. pag.* 1635. Fontanã *in Theatr. Dominic. par. 1. cap. 5. tit. 22. pag.* 120. Maraccium *in Antist. Marianis pag.* 126. Abb. Justinianum *in Scriptorib. Liguris pag.* 178. Michaelẽ Pium *de viris illustr. S. Dominici par. 2. lib. 4. pag.* 388. Samperiũ *in Iconologia M. V. lib. 2. cap. 14. p.* 239. Stephanum Maurum *in sua Messana cap. 28. p.* 266. Lud. Morerium *in diction. tom. 2. pag.* 314. Jo: Michaelẽ Cavalerium in lib. *Galleria de' Pontefici &c. dell'Ord. de' Predicatori tom. 1. cent. 5. num. 82. pa.* 591. August. Oldoinũ *in Athenæo ligustico p.* 149. Typis excusam legimus hujusce viri

Compendium, seu Relationem brevem vitæ Servi Dei Alexandri Saulii Episcopi Aleriensis, deinde Papiensis. In ejusdem vita edita à P. Jo: Augustino Gallicio Cl. Reg. S. Pauli. Romæ typis Jacobi Fei Andreæ F. 1661. in 4. à *pag.* 269.

Scripsit etiam teste Iustiniano cit.

Constitutiones Synodales, quæ m. ss. servantur cum aliis in Cancellaria Episcopatus Aleriensis. Italicè

Prediche diverse. manuscriptas servabat idem Abbas Michael Iustinianus.

DECIUS DE MARCO nobilis Messanensis, Vir politioribus literis insigniter exculptus. Poeta in primis clarus, & unus ex Academicis Officinæ Messanensis. Claruit anno 1650. De eo Carolus de Gregorio *in Poes. vulgaribus Officinæ p. p. pag.*

pag. 240. Petrus Ansalone *de sua familia pa.* 186. & Mugnòs *Theatr. Geneol. par.* 2. *pag.* 108. Edidit italicè.

Il Secolo dell' oro Panegirico in lode dell' Illustr. ed Eccel. Sig. D. Pietro Faxardo Marchese de los Velez Vicerè, e Capitan Generale del Regno di Sicilia. in libro: *Poesie degli Accademici della Fucina pa.* 4. Neapoli apud Sebastianũ Aleccem 1660. in 12. & seorsim.

Giunone Pronuba. Epitalamio per le nozze de' Signori D. Francesco Lanza Barone di Brolo, e della Ficarra, & Agata Anzalone Baronessa del Regio Demanio. Messanæ 1643. in 4. e in libro predicto.

Polifemo Ebro. Idillio. ibidem, & seorsim.

Oratione funerale in morte di D. Francesco Faraone. ex Ansalone cit.

DEMETRIUS ex antiqua, ac diruta Urbe Calacta; historicus vetustissimus, cujus meminit Dionysius Halicarnasseus, Stephanus *de Urbibus v. Anticyræ pag.* 86. Marcianus Heracleota, Lucianus *in longævis* apud Vossium *de hist. Græcis lib.* 3. *pag.* 352. Cælius Rhodiginus *lib.* 26. *lect. antiq. cap.* 20. Scholiastes Theocriti *in idyll.* 1. apud Cluverium *Sicil. antiq. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 26. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1049. Goltzius *in Sicil. hist. post. p.* 91. Paulus Morretta *de Calatagirono cap.* 12. *pag.* 54. Matthæus Silvagius *de tribus Peregrinis cap.* 45. *p.* 169. Aretius *de situ Siciliæ pag.* 22. aliiq; Laertius *in vita Demetrii Phalerei* multos Demetrios adducit, & sexto loco nostrum Siculum collocat, ac scripsisse testatur,

De Asiâ, & Europa libros viginti.

Id ipsum scribuat Lascaris apud Maurolycũ *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 21. & Gesnerus *in Biblioth. pag.* 189. at Goltzius hos libros: *de rebus in Sicilia, & Italia sua ætate gestis* scripsisse tradit. Quo vixerit ævo ignotum: ideoque Vossius cit. inter Historicos incertæ ætatis reposuit.

DEMOLCUS. v. Dinolocus.

DICÆARCHUS celebris Messanẽsis Phidiæ filius, ac Aristotelis Peripateticorum Principis Discipulus, è cujus schola prodiit præstantissimus Philosophus. Fuit etiam Orator eloquentiâ clarus, ac Geometra nulli secundus, ut habemus ex Suida *tom.* 1. *pag.* 730. Lascare apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 18. Fazello *dec.* 1. *de reb. Siculis lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 49. Leonardo Cozzando *de magisterio antiquor. Philosophor. lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 131. qui *lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 304. Ciceronem secutus *lib.* 1. *quæst. Tuscul.* condiscipulum Aristoxenum Tarantinum habuisse scribit, aliosque Philosophos. Aristotelis etiam Discipulum putat Athenæus *lib.* 11. *cap.* 2. *p.* 461. & scholiastes Aristophanis *in pacem p.* 716. Ideoque in errorem lapsum agnoscimus Volaterranum *anthropol. lib.* 15. qui Aristoclis Discipulum dixit Dicæarchum. Nec erroris immunem puto Carolum Stephanum; hic enim duos Dicæarchos adducit Siculum unum Messanensem, Messenium alterum, cùm ex allatis scriptoribus, & infra adducendis constet eumdem fuisse. Id ipsum fortè dicendum de Claudio Francisco Milliel de Chales *in cursu mathematico* apud Hier. Ragusam *in Siciliæ Biblioth. Vet. p.* 85. qui duos Dicæarchos extitisse putavit: etsi apud de Chales *in tract. proœmiali cap.* 2. *pag.* 9. unum tantùm Dicæarchum Siculum comperio, de quo etiam *cap.* 5. *pag.* 46. Præter Aristotelem, ex Cozzando *cit. lib.* 5. *cap.* 1. *pag.* 304. Eurytum Tarantinum Pythagoræ Discipulum audivit. Io: Jacobus Adria *in descript. Vallis Mazariæ* apud Placidum Reinam *in hist. Messan. par.* 1. *pag.* 197. Medicum etiam fuisse tradit. Strabo *lib.* 2. ipsum laudat, & inter celebriores Geographos recenset; aitq; Polybium ad declinandas antiquorum fabulas, Dicæarchi, Eratosthenis, & Pitheæ vestigia sequutum, qui præteritorum Geographorum errores emendarunt. Ideoque Plinius inter eos scriptores adducit, quorum ope 2. 4. 5. & 6. librũ historiæ suæ naturalis infarcinavit, qui omnes de rebus geographicis loquuntur. Georgius Draudius *in Biblioth. Classica pag.* 1112. Michael Ant. Baudrand *Geograph. tom.* 2. *p.* 444. aliique inter illustriores Geographos Dicæarchũ admittunt. Tullius *lib.* 3. *de legibus*, civilis doctrinæ scientissimum putat. Cùm autem Aristotelis discipulus fuerit, & Theophrasti, ac Aristoxeni musici coævus, ex Vossio *de histor. Græcis lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 46. & Suida *loc. cit.* ejus ætatem deducimus, ac celebrem vixisse dicendum olymp. 115. ut ait Reina *cit. pag.* 204. & Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1062. nempè ann. 316. ante Christi Domini adventum. Multa scripsit Dicæarchus infra notata: quamvis autem alium Dicæarchum Lacedæmonium extitisse sciã, Aristarchi Discipulum: attamen has lucubrationes nostri Siculi Dicæarchi esse non ambigimus: immò Vossius *cit. pag.* 47. advertit, ubicumque mentio habetur de Dicæarchi operibus, de nostro intelligendum. Quæ scripsit hæc sunt.

Dimensiones montium, qui sunt in Peloponnoso ex Suida *tom.* 1. *pag.* 730. & Gesnero *in Biblioth. p.* 194. vel ex Lascari cit. *Peloponnesi totius descriptio.* Plinius *lib.* 2. *cap.* 67. qui Dicæarchum virum vocat in primis eruditum, ait, montes permensum Regum curâ, & ex eo Pelion altum 1250. pass. esse tradidit. Cicero *lib.* 2. *epist.* 2. librum hunc Pellenæum vocat, idest, ut exponit Manutius, Pellenæum librum Dicæarchi, de populis Pellençis; & Vossius cit. *pag.* 47. ex Stephani Bizantini auctoritate, de montibus scripsisse ait, cujus fragmentum de Pelleo monte extat. De eo etiam Claudius Franc. Milliet *cit.*

Græciæ Vita libris Tribus. ex Suida, & Gesnero cit. Ex Lascare verò, *Mores Græciæ*: & ut exponit Vossius *loc. cit. pag.* 46. & *de Philologia cap.* 11. *n.* 7. *pag.* 54. & *cap.* 69. §. 6. *pag.* 409. scripsit: *de Populis Græciæ, & moribus, ac Civitatibus.* Hoc opus citat S. Hieronymus *lib.* 2. *advars. Jovinianum.* Laertius *in vita Platonis*, hujus citat librum primum. Athenæus *lib.* 13. *cap.* 1. *pa.* 557. citat librum tertium, *de victu, & moribus Græcorum*; & *lib.* 14. *cap.* 9. *pag.* 636. *de Græciæ ritibus.* Hinc ut observat Vossius cit. hoc opus in plures distributum libros: & Suidas, & Stephanus *de Urbibus* tribus libris divisum testantur. Extat hujusce fragmantum inscriptum. *Dicæarchi Geographica quædam sive de vita Græciæ. ejusdem descriptio Græ-*

Graecis versis jambicis ad Theophrastum, cum latina interpretatione, atque annot. Henrici Stephani, & ejus dialogo, qui inscriptus est: Dicaearchi Sympractor. Genevae 1589. in 8. Hoc primùm ex Italia attulit Matthaeus Budeus, Gulielmi Filius, ut ait Stephanus in epist. nuncupatoria, quod edidit lucubrationibus suis, & Isaaci Casauboni notis illustratum. Graecè iterum prodiit cũ notis Davidis Hoeschelii, unà cum aliis Auctoribus Graecis Geographicis. Augustae Vindelicor. 1600. in 8. ex indice Bibliothecae Barberinae *tom.* 1. *pag.* 341. & 543. & Milliet *cit. pag.* 47. Graecè servatur in Biblioth. Vaticana ex Biblioth. Classica Draudii *p.* 1112. & Biblioth. Exotica p. 788. sicut & in Bibliotheca Henrici Scrimgeri ex Jo: Frisio *in Biblioth. Philosophica* apud Joannem Gualterium *in Chron. Chronic. tom.* 2. *pag.* 857. & Gesnero *in Biblioth.* loc. cit.

Respublica Spartiatarum, ex Suida, Gesnero, Vossio, aliisque: addunt verò, quòd hunc librum singulis annis in Ephororum Praetorio legere cautum erat; juvenesque ad ipsum audiendum convenire tenebantur: quod diutissimè observatum est.

De Alcaeo. citatur ab Athenaeo *lib.* 11. *cap.* 2. *pag.* 461. & *lib.* 15. *cap.* 1. *pag.* 666. at advertendum, quòd licèt in hoc secundo Athenaei loco invenies, Dicaearchum Aristotelis discipulum Milesium, qui sibi contrarius *lib.* 11. scripserat Messanensem; attamen Casaubonus *in animad. ad Athenaeum lib.* 15. *cap.* 1. *pag.* 943. Vossius *de histor. Graecis lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 46. & Gesnerus *in Bibliot. pag.* 195. observant, in hunc locum errorem irrepsisse: ideoque restituendum volunt, Messenium pro Milesio. Citat etiam hoc opus Scholiastes *Aristophanis in pacem pag.* 716. ubi Messanensem vocat Dicaearchum.

Tripoliticus. ex Athenaeo *lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 141. in quo, ut exponit Dalecampius *in notis ad Athenaeum pag.* 729. Trium Civitatum mores, & instituta narrat. Quòd autem hoc opus nostri sit Dicaearchi, verisimile omninò putat Vossius *cit. pag.* 47. ubi ait, dubitatum olim fuisse de hujus libri auctore; Josephus enim *lib.* 1. *contra Apionem* ait, multos putasse Theopompi Chii fuisse, sed falsos esse scribit idem Joseph, qui cujus sit non addit. At ambigendum haud puto nostri Dicaearchi esse; nam Athenaeus locis cit. nostro ascribit, ut etiam Tullius *ad Atticum lib.* 13. *epist.* 31.

De descensu in antrum Trophonicum. citatur ab Athenaeo *lib.* 13. *cap.* 7. *pag.* 594. & *lib.* 14. *cap.* 11. *pag.* 641. cujus primum librum ad testimonium adducit, Cicero loco citato ad Atticum scribit, ut sibi mittat Dicaearchi libros Catabaseos, idest descensum.

De sacrificio, quod ad Ilium peractum est. Athenaeus *lib.* 13. *cap.* 8. *pag.* 603. citat hunc librum.

Olympicus. ex eodem Athenaeo *lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 620.

De Alcmane. ex Athenaeo cit. & *lib.* 15. *cap.* 2. *p.* 668.

De Hominis interiore. hoc opus citat Cicero, vel quis alius sit auctor libri *de consolatione.*

De Musica, ex Plutarcho, Quintiliano, Scholiaste Aristophanis *in nubes*, apud Vossium, *de hist. Graecis cit. pag.* 47. & *de art. popul. cap.* 59. §. 10. *pag.* 345. Sophocles *in Aristophanis Vespas* citat Dicaearchũ *de musicis certaminibus.* Ut Philosophus vero lumine orbatus, scripsit etiam

De mortalitate Animae libros tres, quos Lesbicos dixit; in his etenim dialogum complectebatur, habitum apud Mitylenẽ Lesbi Urbẽ, ut habemus ex Cicerone *quest. Tuscul. lib.* 1. qui ibidem Corinthi hunc sermonem de anima habitum scribit. Hos etiam libros citat idem Tullius *lib.* 4. *quest. Academ.* Hujus falsae Dicaearchi opinionis meminit Tertullianus *de anima cap.* 15. & Lactantius Firmianus *divinar. instit. lib.* 7. *c.* 8. Scripsit etiam seorsim ex Reina *cit. p.* 200.

De Anima Tractatus duos, quos Cicero *lib.* 13. *ep.* 32. *ad Atticum* nominat Peripsichis: at hi non diversos à supradictis dubito.

Epistolam ad Aristoxenum. ex Cicerone *loc. cit.* Eodem teste *lib.* 2. *de divinat.* scripsit etiam librum inscriptum

Nescire ea, quae eventura sunt melius esse, quàm scire.

De divinatione, & de somniis. Ex Cicerone *loc. cit.* Plutarcho *de Placitis Philosophor. lib.* 5. *cap.* 1. Vossio, & Gesnero cit.

De Vita Mortalium. ex Gesnero *cit. pag.* 195.

De Poetica. ex Franc. Patritio *decad. hist. Poet. lib.* 1. *p.* 1.

Leges, & Statuta. Ex Lascari apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 18. Fazello *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 49. Aretio *de situ Sicil. pag.* 57. Placido Samperio *Iconolog. M. V. lib.* 1. *p.* 32. & aliis, qui leges has civibus suis dedisse scribunt. Tandem Lascaris, Fazellus, & Samperius cit. testantur, quòd, *plurima in Philosophia* scripsit. Multis in locis Cicero egregiis laudibus Dicaearchum extollit; praesertim in epistolis *lib.* 2. *epist.* 2. *lib.* 2. *ep.* 8. & 16. *l.* 8. *ep.* 4. *l.* 13. *ep.* 30. *in quaest. Tuscul. lib.* 1. ubi ipsum vocat, Doctum, Mirabilem, vel luculentum hominem, historiae peritissimum, delicias suas, Peripateticum magnum, & copiosum. Dicaearchum citat Gellius *Noct. Att. lib.* 4. *cap.* 11. Plutarchus *in Theseo*, & *Agesilao*, Censorinus *de die natali cap.* 4. Strabo *lib.* 1. Porphyrius *de Vita Pythagorae pag.* 11. & 38. & alibi, Athenaeus praeter adductos locos, suppresso operis nomine, *lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 14. *lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 85. *lib.* 11. *cap.* 8. *pag.* 479. & *lib.* 15. *cap.* 2. *pag.* 667. Clemens Alexandrinus, Ludov. Vives *in lib.* 18. *de Civitate Dei*, Laertius *in Vita Taletis*, *in Vita Platonis*, & *in Vita Pythagorae*, Manutius *in adagiis pag.* 348. aliisque. De ipso etiam Thomas de Pinedo *in opusculo Auctorum, quos ad testimonium vocat Stephanus pag.* 760. Hofmannus *in lex. tom.* 1. *pag.* 547. Lud. Morerius *in diction. tom.* 1. *pag.* 1062. & *tom.* 2. *pag.* 797. Christ. Scanellus *in Chronica Sicil.* Matthaeus Silvagius *de tribus Peregrin. cap.* 42. *pag.* 149. Joseph Ambrosius *in descript. Festi de epistola Mariana pag.* 113. aliique multi.

DIDACUS DE AGHIRRE nobilis Salemitanus, parentibus Francisco de Aghirre, & Anna Maria

Maria Latio, Caroli Latio, de quo jam suo loco, sorore, natus anno 1652. Philosophicis, ac Theologicis studiis dicatus, ob egregias ingenii dotes; breviter ita profecit, ut annum agens 14. in Majori Salemitana Ecclesia, publicè sine Patrono, Philosophiæ, ac Theologiæ theses propugnaverit, non sine sapientum ex vicina Urbe Drepani, aliisq; locis confluentium, admiratione, & plausu. Hinc cùm Jurisprudentiæ operam dedisset, Doctoris laureâ donatus est Messanæ, & causarum patrocinium suscepit Panormi. Sed inde Romam digressus anno 1677. ibique Advocati munere functus, egregiam doctrinæ suæ præstantiam omnibus patefecit. Anno 1684. publicus in celeberrima Sapientiæ Academia Romana Lector electus est, cùm ad eam Cathedram, instituto cōcursu, innumeri anhelarent: & ab Innocentio XI. Pont. Max. præter exemplum, non ultimam, ut mos erat, sed penultimam Cathedram Institutionum Canonicarum accepit. Mox ad Cathedrā extraordinariam Juris civilis ascendit: postmodum ad aliam Decreti Gratiani, plures simul gradus transcendēs: quod eo in Lyceo eventu rarissimum. Tandem optionis Jure primariam Vespertinam Cathedram Decretalium obtinuit: ibique semper tum ingenii felicitatem, tum egregiæ doctrinæ excellentiam, Jura vel Pontificia, vel Civilia explanando, magna cum laude detexit. Fuit etiam Josephi de Aghirre S. R. E. Cardinalis Auditor. Vivit adhuc Romæ vir eximius, haud modica æstimatione prosequutus. Edidit

Theoricæ-Praxis ad Institutiones D. Justiniani Imperatoris Librum Primum; sive veram docendi Methodum pro breviori, faciliori, & utiliori Scientiæ legalis amplexu. Romæ typis Joan: Franc. Buagni 1693. in 12.

Prælo paratos habet alios tres libros sequentes in easdem Institutiones.

In Institutiones Canonicas eadem methodo Tomos quatuor.

De Jure Gazagà in fauorem Christianorum contra Hebræos Romæ degentes.

De Pacto redimendi.

Innumera edidit *Vota* ad petionem multorum ex nonnullis orbis partibus instantium.

DIDACUS ALOYSIUS MONTERUS Panormitanus, Juris utriusq; & Sacræ Theologiæ Doctor, Collegiatæ Ecclesiæ SS. Salvatoris Montis Regalis Canonicus. Vir tum politioribus, tum gravioribus disciplinis munitus, Mōtis Regalis Archiepiscopi Joann: Roani fuit à secretis. Vivit, editque

Esame della scrittura in giustificatione dell'operato del Reverendiss. D. Ascenzio Grasseo V. G. S. V. di Mazzara, e risposta data dalla Corte Arcivescovale di Monreale. Panormi apud Petrum Coppolam 1695. in fol.

DIDACUS CANNATA. v. Didacus Sgroi.

DIDACUS FERULA Alicatensis Sacerdos, vir amœnioribus literis abundè excultus; poeticas delicias cum amplissima laude apud suos dilexit. Per annos vigintiquatuor Alicatæ Vicarius Foraneus, Episcoporum Agrigentinorum æstimationem promeruit. Doctrinâ, & ingenio clarus, circa annum 1642. Alicatæ decessit. Post ejus mortem prodiit hoc ipsius opus Italicum, inscriptum

Il Sant' Angelo M. Carmelitano Tragedia. Panormi apud Bossium 1659. in 12.

Scripsit etiam, sed non edidit

La Decollatione del Precursore di Christo S. Gio: Battista Tragedia.

La Vita di S. Rocco.

DIDACUS FILIPPAZZI Calatanissectensis Societatis Jesu, natus anno 1611. Societati nomen dedit anno 1626. Emensis studiorum spatiis, & doctrinâ egregiè ditatus, humanas docuit literas quatriennio, Theologiam Moralem Decennio, ac sacras literas diu explanavit non sine eruditionis laude. Ad informandos Patres Societatis in tertia probatione aliquandiu adhibitus est. In Sacro Inquisitionis Tribunali Siciliæ fuit à Censuris, & Consiliis. In Concionibus habendis magnam nomini suo famam conciliavit; facundiâ etenim singulari, ac eloquii suavitate excelluit: ideoq; in præcipuis Siciliæ, & Italiæ Urbibus magno cum plausu per annos circiter vigintiquatuor conciones habuit. Tandem meritis cumulatus obiit Panormi 26. Octobris anno 1674. De eo *Bibliotheca Soc. Jesu pag.* 170. Edidit italicè.

Le Fiamme Panegirico Sacro del B. Filippo Benitio. Florentiæ apud Antoninum Bonardum 1657. in 4.

Il diletto Panegirico Sacro di S. Antonio di Padova. Ibidem apud eumdem 1658. in 4.

Panegirici Sacri. Panormi typis Petri de Isola 1674. in 4.

DIDACUS MATARATIUS Motycensis, natus 12. Novembris 1647. Medicæ facultati dicatus, Philosophiæ, ac medicinę lauream accepit, ac doctrinâ insigniter cumulatus, semper in Motycensi Comitatu claruit; ubi Archiatrum egit, ac medicinā alios multis annis docuit Motycæ. Vivit ob egregiam doctrinam magnâ æstimatione prosequutus, cum maximo ægrotantium adjumento. In lucem emisit

De Prolificæ eclipsis effectibus epistolam medicam, morbi curatione, duabus controversiis, & commentatione locupletatam. Neapoli ex typographia Novelli de Bonis 1690. in 4.

De febribus peticularibus malignis, & contagiosis, quæ anno 1672. per universum Trinacriæ Regnum debacatæ fuere, medicam relationem, duodecim Problematicis controversiis locupletatā. Mazzareni 1672. in 4. sed editionē ob mortem Principis Buteræ interruptam, non absolvit.

Prælo paratas habet,

Epistolas, & Consultationes Medicinales.

Universę Medicinæ Compendium.

DIDACUS SALEMIUS Motycensis Ordinis Observantium S. Francisci, orator eximius. Laudatur à Placido Carrafa *in Motucæ Illustrata p.* 122. qui edidisse testatur

Apostolorum Principis Triumphum. 1650.

DIDA-

DIDACUS SCROI, seu verius CANNATA Messanensis Ordinis Capuccinorum. Adolescens Jurisprudentiæ studiis strenuè operam dedit, ac Doctoris Laureâ insignitus causarum patronum cum laude egit: doctrinâ etenim abundè cumulatus effulsit: at exinde rejectis sæculi curis, ac divenditis bonis, institutum amplexus est Capuccinorum, ut evangelicam paupertatem sectaretur an. 1629. æt. 25. emissis solemnioribus votis, Philosophiæ, ac Theologiæ incubuit, ac Concionatoris munere perfunctus est. Hinc claruit Concionator, ac Theologus præstantissimus, solidâ, singulariq; doctrinâ ornatus, quam usque ad supremam ætatem indefesso studio augere curavit. Juribus tum Cæsareis, tum Pontificiis instructissimus fuit. Ideoq; meritò in Messanēsi Provincia muneribus Definitoris, & Provincialis an. 1656. fuit insignitus, in quibus eximiam prudētiam, ac regularis observantiæ zelum egregiè coluit. Ut opus infra notatum ederet, Venetias petiit: at vix editionem absolverat, cùm Veronæ extrema clausit anno 1673. cū literatorū dolore. De eo P. Dionysius Genuensis *in Bibliath. Capucinor. pa.* 91. Hic omninò reiicienda P. Joannis Fiore Calabri opinio, qui *in Calabr. illustr. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 392. contra citatum P. Dionysium, Calabrum ex oppido Palmi Didacum nostrum fuisse contendit. Sed Natum Messanæ evincit nō modò ipsius P. Dionysii testimonium, verùm etiam, & ipse P. Didacus, qui in libro edito, & infra notato se Messanensem fuisse fatetur. In epistola ad lectorem ante decisiones criminales Marii Giurba, idem Didacus de se ipso ait: *Didacus Cannata Jurisconsultus Messanensis*: & infra: *Didaci Cannata I.C. Messanensis in Detractorem Tetrasticon*. His accedit omnium Patrum haud suspectæ fidei ejusdem Ordinis consensus, idipsū testantium, cùm de hac re inquirerem. Demum hæc Didaci Familia nulli dubium est Messanensem esse: eâque in Urbe nunc floret: Didaci verò Avos, Proavosque Messanę Cives nos docent publica documenta; ex quibus hic solùm innuam Didaci nostri testamentum ante Ordinis ingressum in tabulis Nuntii Sordi 19. Martii 1629. ex quo Messanæ ortum patet. Edidit noster Didacus opus inscriptum

Lux Prælatorum, præsertim Regularium, nec non Curiæ sæcularis Foro criminali tum Theologicè, tum practicè accensa. Venetiis typis Brigoncii 1673. in 4.

Alia scripsit multa, quæ inedita delitescunt.

DIDACUS ZAMBUTUS Panormitanus, Juris utriusque Doctor, doctrinâ, & eruditione insignis. Edidit

Fodinam legatorum ex visceribus testamenti. Panormi typis Joannis Baptistæ Maringo 1609. in 4.

DINOLOCUS, quem DEMOLCUM, & DIMOLOCUM etiam vocant. Suidas *tom.* 1. *pag.* 669. ne dum ejus patriam in dubium revocat, verùm etiam dubitat, Epicharmi discipulus, an filius fuerit. *Dinolocus*, ait, *Syracusanus, aut Agrigentinus, Comicus. Vixit olymp.* 73. *filius Epicharmi, aut* (*ut quidam tradunt*) *discipulus*. ita & Gesnerus *in Biblioth. pag.* 196. Syracusanum putant Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil.* 1. *pag.* 19. Aretius *de situ Sicil. pag.* 17. Goltzius *in Sicil. hist. post. pag.* 89. Hofmannus *in lex. tom.* 2. *p.* 406. Volaterranus *antropol. lib.* 15. Christophorus Scanellus *in Chron. Siciliæ*, aliique. Christophorus Schobar *de reb. Syracus. pag.* 13. & rebus Agrigentinis, tum inter Syracusanos, tum inter Agrigentinos Dinolcum recenset. Agrigentinum putat Fazellus *dec.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 136. Epicharmi Siculi Comici vocatur filius à Gyraldo *de poet. hist. dial.* 6. *p.* 248. Hofmanno, Volaterrano, Scanello, Vincentio Mirabella *in antiq. Syrac. par.* 2. *pag.* 116. Discipulum verò Epicharmi putant Lascaris, Goltzius, & Fazellus. Epicharmi adversarium fuisse ait Ælianus, *de animal. lib.* 6. *cap.* 51. Comica poesi clarus vixit Dinolocus olymp. 73. ex Suida, Volaterrano cit. & Bonanno *Syrac. illustr. lib.* 2. *pag.* 271. ubi Conradum Gesnerū repellit, qui *in Bibl. pag.* 196. olymp. 53. (forsan ex Typographi errore) floruisse tradit: ut etiam Albertum *in Insulis pag.* 60. qui ad olymp. 103. protrahit. Ex Gyraldo cit. claruit olymp. 72. Mirabellæ cit. olymp. 78. vixisse placet, eosq; reprehendit, qui claruisse volunt olymp. 72. & ex hoc evincire credit, quòd si olymp. 72. floruisset, ante Epicharmum patrem vixisset. Sed contra Mirabellam insurgit Bonannus cit. qui eidem obicit incertitudinem illam, quâ putant Dinolocum natum patre Epicharmo: immò admisso Dinoloco Epicharmi filio, non officit, quin vixerit olymp. 72. Epicharmus etenim longævus fuit, & in ipsa senectute nil mirùm quòd olymp. 72. filium habere potuerit virili ætate florentem. At eadem Mirabellę ratione usus Gerardus Joannes Vossius *de poet. Græcis cap.* 5. *pag.* 27. *& cap.* 6. *pag.* 40. ex olymp. 72. ad 92. transtulit: *hac etiam olympiade* (nempè 92.) *vel aliquanto ante, Dinolocus Syracusanus, sive Agrigentinus, Poeta Comicus: qui dorica dialecto* 14. *fabulas scripsit: ut auctor est Suidas, sed addit, vixisse olymp.* 73. *quod esse nequit, si ut proximè subdit, Epicharmi fuerit, vel filius, vel discipulus: vel si fuerit Epicharmi Anthagonista, siue adversarius, ut Ælianus ait lib.* 6. *de animal. cap.* 51. *Nam is claruit anno* 84. *ut superius vidimus*. Suidas, & Zenodotus apud Bonannum citat. hoc Dinoloci adagium referunt: *Sus sub fuste*, quod de eo dicitur, qui se ipsum periculis exponit: extat etiam apud Paulum Manutium *in adagiis pag.* 992. qui etiam *pag.* 1625. aliud adducit ex Esychio: *Qui espuerit in agmen formicarum huic intumescunt labia*, quod illis aptant, qui fractis viribus multitudinem provocat, & damna assequitur. De eo etiam Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1067. Scripsit hic noster Poeta ex Suida, Fazello, Volaterrano, Lascari, Gesnero, Gyraldo, aliisque ex supracitatis.

Fabulas quatuordecim dorica dialecto. Ex Stephano tredecim. Harum Comœdiarum unam citat Julius Pollux *Onomast. lib.* 10. *cap.* 45. *pag.* 500. inscriptam: *Amazones*. Schobar apud Pirrum *not. Eccl. Syrac. pag.* 212. addit scripsisse etiam

Historiâ Romanorũ: at hoc apud Schobar nō inveni. Præter auctores citatos, Dinoloci scribit Crassus *de Poet. Græcis pag.* 153. & P. Ragusa *in elogiis Siculorum pag.* 93. *&* 94. & *in Sicil. Biblioth. vet. pag.* 84. *&* 87. qui duos fuisse ait, quorum unum Demolcum vocat, Dinolocum alium; ac unum scripsisse XIV. fabulas, alium XIV. Comœdias: sed eumdem esse, à quibusdam Demolcum, ab aliis Dinolocum appellatum, supra innui cum Bonanno: & antiquorum Poetarum Comœdias modò fabulas, modò Comœdias vocatas nemo ignorat.

DIOCLES Syracusanus tum armis, tum literis clarissimus floruit; strenuus etenim dux, animi fortitudinem detexit in bello apud historicos celeberrimo, quod inter Syracusanos, & Athenienses sævissimè exarsit: quo extincto cum ingenti victoria, quæ Syracusanis adhæsit, Diocles ut in pace cives firmaret, Syracusanis *leges* scripsit, ac observandas dedit, quas ab ipso *Diocleas* dixere. In his verò doctrinam, & eximiam prudentiam detexit. Contra eos, qui leges violare auderent implacabilis, ac durissimus fuit, supra omnes legumlatores justitiæ tenax. Inter alia, ut secundùm meritorum rationem præmia distribuerentur, sanctè decrevit. Erant Dioclis leges breves, ac concisæ; adeòut legentibus haud modica meditatione opus esset. Ad eam verò æstimationem Dioclis solertia, ac ejus nominis fama devenit, ut ejus leges non modò Syracusis, verùm etiam per totam Siciliam admirationem exegerint: easque nonnullas Siciliæ Urbes amplexæ sunt, ac diu his moderatæ, usque dum Siculi cives Romani sunt affecti. Nec à Syracusanis unquam permissum, ut quisquam illas vel corrigeret, vel suppleret: sed tantummodò, ut expenderet concessere. Tandem coacti ut novas leges à Polydoro, & Cephalo conditas jussu Timoleonis, & Hieronis admitterent, ipsas haud excepere, nisi tamquam explanationes legum Dioclis; ac istis tantummodo iterpretum nomina tribuere. Hæc ex Diodoro Siculo *lib.* 13. *nu.* 19. 33. *& seq.* Bonanno *in Syracuf. illustr. lib.* 2. *pag.* 336. & Josepho Spucces in *Mercurio Panormeo pag.* 19. Addit, & Diodorus *num.* 33. *& lib.* 12. *num.* 19. quod ea lex, ne quis armatus ad publicam introiret cōcionem; & facinus illud, quòd rure rediens, ut erat gladio accinctus, inconsultò in concionem venerit, & admonitus legis, gladio se ipsum transverberaverit, quod nos in Charonda narravimus, nonnulli Diocli adscribunt, quod verisimilius putat Carrera *vol.* 1. *memor. Catanæ lib.* 4. *p.* 415. & Bonannus *in Syracuf. illustr. pag.* 337. ubi Cosmi Nepitæ sententiam rejicit, *qui in Proœmio ad Consuetudines Catanæ* scripsit, Dioclem Syracusarum Regem fuisse. Floruit ex eodem Bonanno olymp. 90. nempè ann. 412. ante Christi adventum, sed ex meo computo annis 416. Eâ valuit opinione apud Syracusanos, ut jam defuncto divinos tribuerint honores; ac eidem templum excitarunt, ut narrat Diodorus cit. *lib.* 13. *num.* 35. quod postmodum Dionysius in novi muri eductione evertit. In volumine Pragmaticarum Siciliæ edito Panormi anno 1637. Dioclis effigies spectatur, hac adjecta inscriptione: *Diocles Syracusanus Legumlator.*

DIOCLIS alii Panormitani cognomento *Phimes*, illustris, ac egregii Oratoris nomen servatur apud Matthæum Silvagium *de tribus Peregrinis cap.* 42. *pag.* 172. Marium Aretium *de situ Sicil. pag.* 9. & Joannem Jacobum Adriam *in descript. Vallis Mazariæ* m. s. relatum à Joanne Vigincimillio *in Poet. Sicul. cap.* 48. *pag.* 457. Hujus etiam meminit Hieron. Ragusa *in elog. Siculor. pag.* 95. *& in Sicil. Biblioth. veter. pag.* 88. Sed ut ingennè fatear error hìc irrepsit; de hoc enim Diocle egit Cicero *in Verrem lib.* 3. *act.* 4. *orat*, 8. ubi ait: *Diocles est Panormitanus Phimes cognomine, homo illustris, ac nobilis Arator &c.* at Silvagius, & Aretius pro *Arator* mendosè legunt *Orator*: ideoque non Orator, sed agrorum dominus fuit, ut explicat Guido Pancirolus *not. Imper. Occident. cap.* 53. *pag.* 150. Aratores, idest; qui agros possidebant.

DIOCLEM alium Panormitanum etiam cognomento Phimes exhibet Adria cit. apud Vigintimillium etiam *loc. cit.* ipsumque vocat Philosophum, ac Medicum: idipsum habet Hieron. Ragusa *in Biblioth. pag.* 88. sed (ni ambiguitate laboret ex supra relato) quæ scripserit ignoratur.

DIOCLEM tertium Panormitanum adducit Ragusa *loc. cit.* inter Legumlatores, à quibusdam relatum, quem tamen apud neminem inveni; ideoque ad ipsum lectorem remitto. Cum Dioclo Syracusano Legumlatore confusum dubito.

DIODORUS SICULUS Argyrensis historicus celeberrimus. Carolus Sigonius *in judicio de Historicis, qui res Romanas scripserunt num.* 4. Diodorum, Syracusanum fuisse ait: at Diodorus Syracusanus, de quo infra, alius est ab hoc historico Argyrense: auctores autem omnes, qui de eo scripsere, Argyrensem prædicant: quibus accedit ipsius Diodori testimonium, qui *in præfat. Biblioth. num.* 4. ait: *nos enim ex Agyrio Siciliæ oppido oriundi*. Vtramque linguam calluit, nempè Græcam, quâ tunc Siculi utebantur, & Latinam, à Romanis in Siciliam confluentibus acceptam. Vt autem omnigenæ historiæ cognitionem assequeretur; & historicam conderet Bibliothecam, triginta insumpsit annos, magnamque Europæ, & Asiæ partem, non absque periculis, & ærumnis perlustravit, ut propriis usurparet oculis Regionum loca: populorum mores, ac leges explicaret. Ægyptum olymp. 180. peragravit, ibique multa ab Ægyptiis Sacerdotibus didicit. Romanorum etiam annales magnâ curâ evolvit, ac omnibus diligenter examinatis, vastissimam rerum gestarum seriem, ac omnium ferè Gentium historiam in quadraginta volumina, quam Bibliothecam vocavit, accuratè digessit, ut ex ejusdem Diodori *præf. lib.* 1. *Biblioth. num.* 46. *& lib.* 3. *nu.* 11. habemus. In lucubrationibus suis cùm nonnulla divinæ providentię, & justitiæ documenta intersevat, & à fortunæ cognitione homines evocare intendat, doctrinâ, ac sapientiâ munitum vixisse, satis agnoscimus. Sub Jul. Cæsare claruit, teste Eusebio *in Chron. olymp.* 182. *pag.* 144. Hen. Stephano

phano *in præf. ad Biblioth. Diodori*, aliisque: quod ex eodem Diodoro patet; ipse enim Jul. Cæsaris meminit *in præfat, operis,lib.4. num.19. lib.5. num. 21.* & alibi. Sub Augusto vixit ex Suida *to.1. pag. 740.* Volaterrano *anthropol.lib.15.*& aliis.Vtramque opinionem conciliat Vossius *de Hist. Græcis lib.2. cap.2. pag.166.*longævus enim cùm sub Jul. Cæsare vixisset,ad medium usque Augusti principatum pervenit, quod cum Scaligero *animadv. in Euseb. ad ann.* 1967. confirmat: hic enim observat, quòd Diodorus bisexti Romani meminit: hoc verò nomen non accepit, priusquam fastos correxisset Augustus. Vossii opinionem sequitur Balthassar Bonifacius *de Romanæ histor. script. n.* 4.hinc rectè sub utroque Cæsare vixisse,ait Goltzius *in Sicil. & Magna Græcia pag.89.* & Morerius *in dict. tom. 1. pag.* 1068. Ex Carolo Sigonio *in judicio.de histor. nu.* 4. floruit Triumviris in Rempublicam sævientibus, nempè post Jul. Cæsaris necem: eodem tempore Romam incoluit,ut tradit Possevinus *in Biblioth. lib. 16. sect. 2. cap.* 14. Vsque ad Tiberium Diodori ætatem nimiùm protrahit Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.1, pag.19.* sub Tiberio enim militasse ait: quod non improbat Crassus *de poet. Græcis pag.* 155. At non est errore immunis Fazellus *de reb. Sicul. dec. 1. lib.10. cap. 2. pag.* 218. *&* 219. qui cùm dixisset, Diodorum olymp.180. in Ægyptum velificasse, mox addit ann. 3. olymp. 175. decessisse Romæ, vel Syracusis, anno ætatis suæ 72. hunc autem mortis annum ex Petro Ranzano *in annal. m. ss.* (hujus verba habes apud Auriam *in hist. Crucifixi Panormit. p.127.*) forsan deduxit Fazellus. Scripsit Diodorus

Bibliothecā Historicā,quæ XL.libros cōplectebatur: in istorū sex primis res ante Trojanum bellū gestas descripsit:horū tres priores barbaricas antiquitates, posteriores Græcorū res continebant. Undecim sequentibus res ubiq; locorum gestas à bello Trojano, usq; ad Alexandri Magni mortem narrabat. In reliquis vigintitribus cæteras res gestas usque ad initium belli adversus Gallos excitati,quo C. Julius Imp. Romanum Imperium ad Britannicas usque Insulas prolatavit. Hos omnes XL. libros in Bibliotheca Imperatoris Constantinopolitani se vidisse testatur Constantinus Lascaris apud Maurolycum *lib.1.hist. Siciliæ p.19.* nunc autem XV.tantùm integros habemus, nempè primos quinque, undecimum, & sequentes usq;ad vigesimum,& nonnulla ex aliis fragmenta.Quindecim libri prodiere primùm Græcè Basileæ apud Henricum Stephanum 1559. in fol. Latinè ibidem ex officina ejusdem 1578. in fol. horum quinque, jussu Nicolai V. vertit Pogius Florentinus: & ediderat seorsim Basileæ apud Henricum Petrum 1531. in fol. undecimi, duodecimi, decimitertii, & decimiquarti incertus fuit interpres: decimumquintum Marcus Hopperus, & Uulteus Volaterranus latinâ veste induit: decimumsextum,& decimumseptimū Angelus (aliàs Bartholomæus) Cospus Bononiensis: 18. Sebastianus Castilionus: 19. Gallus quidam: & 20. incertus auctor. In eadem editione fragmenta quędam extant,nempè ex libris 31. 32.& 37. eodem Castilione interprete: & ex 34. & 36. ab Henrico Stephano latinitate donata. Exinde eosdem XV.libros cum fragmentis interpretatus est Laurentius Rhodomanus, & hoc titulo in lucem emisit Græco-latinè: *Diodori Siculi Bibliothecæ Historicæ libri XV. de XL. His accesserunt Eclogæ sive fragmenta, ex libris quibusdam Authoris, qui desiderantur. Studio, & labore Laurentii Rhodomani Cherusci.* Hanoniæ typis Wechelianis apud Claudium Marinum,& Hæredes Ioannis Aubrii 1604 in fol. & sine Græco textu ibidem apud eosdem 1611. in 8. In hac Rhodomani versione pręter Eclogas primùm *in Bibliotheca* Photii editas *à p.* 103. alia extant Diodori fragmenta non dum edita. In eadem verò Photii Bibliotheca *p.*1154. habes fragmentum ex 48. libro: sed corrigendū ex 38. prout in Rhodomana editione; Diodorus enim XL.tantùm scripsit historiæ libros. Alia etiam Diodori fragmenta in lucem emisit Henricus Valesius ex libris 6. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 34. & 37. in libro cui titulus: *Polybii, Diodori Siculi, Nicolai Damasceni, Dionysii Halicar. Appiani Alex. Dionis, & Joannis Antiocheni Excerpta ex Collectaneis Constantini Augusti Porphyrogenetæ. Henricus Valesius nunc primùm Græcè edidit, latinè vertit, notisq; illustravit.* Parisiis sumptibus Mathurini du Puis 1634. in 4. Alia edidit fragmenta Fulvius Ursinus in libro inscripto: *Polybii Megalopolitani è libris selecta de Legationibus, & ejusdem librorum, qui non extant fragmenta: item ex historicis Dionysii Halicarnassei, Diodori Siculi, Appiani Alex. Dionis Cassii Nicei selecta de Legationibus, & Dionis libri 79. & 80. fragmentum Græcè à Fulvio Ursino in lucem edita, & notis illustrata.* Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1616. in 4. Demum ex Gerardo Jo: Vossio *de Hist. Græcis in addict. pag.* 529. prodiit fragmentum, suppresso Diodori nomine, de Cleonide, & Aristomene, quod unà cum nonnullis Polemonis, & Himerii edidit H. Stephanus, qui Diodori esse nesciebat: at Diodoro tribuitur in codice Bibliothecæ Mediceæ, ut observavit Isaaccus Gerardi filius. Hic advertendum puto ex Hen. Stephano Possevino, & Vossio citatis, quòd Pogius Florentinus cùm quinque Diodori libros latinos fecisset, primum ob prolixitatem in duos divisit, secundum verò,tertium appellavit, & sic deinceps: hinc ex quinque, sex effecit libros:ideoque Volaterranus, Gesnerus *in Biblioth. pag.* 197. aliiq: sexto Diodori libro, (qui deperditus est) tribuunt, quæ verè in quinto continentur. Hi quinque libri, cū hac Pogii divisione, italicè prodiere hoc titulo insigniti: *Diodoro Siculo delle antiche historie favolose.* Venetiis apud Gabrielem Giolitum 1547. in 8. Italicè etiam XV. Diodori Libros olim editos vidi in 4. quos nunc præ manibus non habeo. Romæ in Bibliotheca Card. Renati Imperialis servantur m. ss. primi duo Diodori libri, ab incerto,sed antiquo auctore,in italicum sermonem versi, teste clariss. Justo Fontanino *in Aminta Torquati Tassi Defenso cap.* 11. *pag.*259. Gallicè etiam prodiere ex versione Jacobi Amyot, ut ait Vinc.

Vinc. Coronelli *in Biblioth. univers. tom. 3. n.* 1085. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 197. ait, quòd præter editos Diodori libros, reliqui à 10. usq; ad 16. Venetiis apud Didacum Hurtadum servabantur: ceteros quoque quintum sequentes usque ad decimum in Sicilia superstites asservatos tradit: ut etiam Romæ apud Cardinalem S. Crucis, & Augustæ Vindelicorum apud D. Jo: Jacobum Fugerum. At periisse potius dicendum; ideoque à viris eruditissimis desiderantur, inter quos non ultimus Vossius ait: *Utinam modò, nobile adeo opus integrum ad nos pervenisset*: & omnino observandus animi ardor Domini de la Mothe le Vayer, apud Dom. de Vallemont *in elementis historiæ to.* 2. *par.* 4. *cap.* 6. quo Diodori integritatem cupiebat. Antonius Possevinus *post appar. tom.* 3. *pa.* 65. ait, inter Græcos codices m. ss. Bibliothecæ Cesareæ servari: *Gemistii Plethonis Epitome historiarum Siculorum*: at immutanda hæc verba advertit Petrus Lambecius *lib.* 1. *commentarior. de Augustiss. Biblioth. Cæsarea pag.* 133. *&* 134. Et substituendum: *Georgii Gemisti Plethonii Epitome historiarum Diodori Siculi.* m. s. Codex Cattaceus in 4. addit verò erroris occasionem Possevino præbuisse Ioannem Iacobum Frisium, qui *in Biblioth. univers.* ejusdem Codicis meminit, aitq; *In Bibliotheca Imperatoria Viennæ habetur, Gemisti Plethonis Epitome historiarum Siculorum Græcè m.s. in* 4. ac eúdem libri titulum jam pridem meritò fuisse suspectum Leoni Allatio, qui in Diatriba de Georgiis, ubi Georgii Gemistii Plethonis scripta recensentur, tradit: *Epitome historiarum Siculorum, ni fallit titulus, quem tamen, & Epitomatores Gesneriani agnoscunt. In Bibliotheca Imperatoris Viennæ.* Ioannes Pamerius edidit, *Exercitationes in optimos ferè Auctores Græcos.* Lugduni Batavorũ ex offic. Danielis Abrahami, & Adriani à Gaasbeeck 1668. in 4. in his habes exercitationes in Diodorum Siculum. Rhodiginus Diodorum Scriptorem fabulosum appellat, cui Lud. Vives *de causis corrupt. art. lib.* 2. adstipulatur, qui nihil eo fuisse nugacius tradit. At Plinius *in præf. hist. natu.* quòd apud Græcos desiit nugari, affirmat. Iustinus Martyr *in cohortatione ad Græcos, sive Gentiles,* Historicorum omnium Illustrissimum: & infra: Historicorum preclarissimũ vocat. Eusebius verò *in Chron. Olymp.* 182. virum illustrem: ac sepe ipsum cum laude citat: immò multa ex Diodoro in libros suos *de præparatione Evangelica* passim exscribere testatur Vallemont citatus, qui P. Rapinum, & Dempsterum Diodorum laudantes adducit. Diodorum etiam post alios celebrat Montacutus *in præf. ad apparat. sect.* 4. apud Thomam Pope-Blount *in censura celebriũ Auctor. pag.* 63. Balthassar Bonifacius *de Roman. hist. scriptor. num.* 4. putat quòd Rhodiginus, & Vives de Diodori historia loquuntur, Plinius de operis titulo. Ludovici Vives cavillis respondet Hen. Stephanus in Apologia contra ipsum in editione Basileæ 1578. & inter cetera ait: *Quantùm Solis lumen inter Stellas, tantùm inter omnes quotquot ad nostra tempora pervenerunt historicos (si utilitas potius, quàm voluptatis aurium habenda sit ratio) noster hic Diodorus eminere dici potest. Ac quanto universus Orbis Civitate, ac gente unâ est capacior, & amplior, tanto major est scriptorum Diodori (si eorum argumentum spectemus) quàm ullius eorum, qui extant, historicorum amplitudo.* Diodorum etiam Rhodomanus *in epist. ad lect.* ante Diodorum, & Vossius *cit.* non indoctè defendunt. Addit Bonifacius, quòd quæ in Theopompo redarguit Diodorus, nempè ex libris 58. quinque esse, quorum dubia sit fides, id ipsum à plerisque in Diodorum non injustâ recriminatione retorqueri posse; ex libris enim XL. Diodori quinque priores ex fabulis conflati videntur. At rectè Bonifacius respondendum putat; nam quæ ex fabulis congessit Diodorus, datâ operâ id fecit, ac facti rationem satis declaravit; fabulosa enim à vera secernere curavit: illa in quinque priores libros de industria reijecit, in aliis veritatem sectatus. Diodori dictionem carpit Bodinus *methodi historiæ cap.* 4. quâ nil vulgare, ait, dici potest; eosque redarguit, qui Diodorum Appiano anteponunt, cui nec conferendũ putat: sed Bodino Photium Patriarcham acrioris judicii virum, & in grecis literis prestantiorem obiiciunt Bonifacius, & Rhodomanus citati, ait enim Photius *in Biblioth. cod.* 70. *p.* 103. *Stylo utitur perspicuo, nec affectato, sed qui historiam maximè deceat, neque etiam, ut sic dixerim, nimiùm atticissat, aut antiquarius est supra modum, neque contra ad humile dicendi genus se demittit: sed mediocri formâ sermonis delectatur, figuratam orationem, aliaque vitans.* In supputatione olympiadum, & Romanorum Magistratuum appellatione lapsum putant Diodorum, Bodinus, Stephanus, Sigonius, & Pighius, qui ipsum sæpè erroris notant: at forsan, ut Vossius, & Rhodomanus advertunt, corruptis, mutilisque fastis usus est. Suidas *tom.* 1. *pag.* 740. Gyraldus *de poet. histor. dial.* 8. *pag.* 309. & Franciscus Patritius *in Poetica decad. histor. lib.* 1. *pag.* 122. Diodorum Siculum, Comicum etiam Poetam fuisse putant, & nonnullas fabulas scripsisse tradunt, inter quas tres reponunt inscriptas

Auletris, sive Tibicina. Panegyristæ. Epiclerus. Sed Athenæus *l.* 6. *ca.* 6. *&* 9. *p.* 235. *&* 239. Epiclerum Diodoro Comico Sinopensi ascribit: *& lib.* 10. *c.* 8. *p.* 431. eodem Diodoro Tibicinam accenset. Patritius verò loc. citat. *pag.* 99. huic Diodoro Auletrim, & Epiclerum prius concesserat. Hinc dubitandi ratio exoritur, an hæ Comœdiæ sint nostri Diodori fœtus. Attamen Laurentius Crassus *in histor. poetar. Græcorum pag.* 155. Siculo Diodoro attribuit: additque nil mirùm, si Comœdiæ eodem nomine insignitæ, utroque Diodoro ascribantur: multa enim exempla habemus, quibus easdem fabulas, iisdem nominibus inscriptas; sed variis temporibus à diversis Poetis editas patet. Demum sub Diodori Siculi nomine italicè prodiere *Epistolas* LV. apud Petrũ Carreram *in hist. Catanæ vol.* 1. *à p.* 457. quibus nonnullas addidit notas ipse Carrera: idem verò *pa.* 457. *&* 492. tradit has epistolas græcè scriptas, latinitate donasse Card. Bassarionem ann. 1470. Exinde ab Octavio de Archangelo Catanense in italicam linguam versas, & in Historiis Catanensibus, quas Catanæ m. ss. servantur, exscriptas.

Futi-

Futili verò conjecturâ dubitat Carrera *pag.* 492. fintne Diodori Siculi, an Theocriti Chii: at ego cum Placido Reina *in epist. ad lectorem par.* 1. *hist. Messan.* aliisq: eruditis Siculis, suppositas esse puto: nullus enim antiquorum, vel recentiorum de his epistolis egit: nec unquam liber apparuit, à quo has epistolas eruit Archangelus.

DIODORVS Syracusanus: hunc Plinius adducit inter auctores, ex quibus librum tertium, & quintum historiæ suæ naturalis collegit. Quæ autem scripserit ignoratur: attamen opus historicum, vel geographicum scripsisse opinor; hi enim Plinii libri de situ Regionum, & Civitatum Orbis loquuntur. Ipsius ætas etiam in obscuro est. De eo Bonannus *Syrac. illustr. lib.* 2. *p.* 345. qui Gesneri lapsum notat: is etenim cum Diodoro Siculo Syracusanum Diodorum confundit: at Gesnerus *in Biblioth. pag.* 198. de utroque distinctè loquutus, suspicionem suam tantummodo protulit, ait enim de hoc secundo Diodoro: *forsan idem cum Diodoro Siculo.*

DIOMVS Siculus Pastor, & Poeta, Bucoliasmi Inventor. Erat Bucoliasmus, teste Hesychio *in lexico*, Hen. Stephano *in thesaur. Græc. ling. tom.* 1. *pag.* 775. aliisque pastoritii carminis genus, quod tibiç cantu, & tripudio perficiebatur: Pastores enim greges ad pascua deducentes, hoc festivo cantus, & saltationis genere animos demulcebant, & laborum onera levire curabant. Hinc ut observat Ioannes Vigintimillius *de Poetis Siculis Bucolicis cap.* 10. *pag.* 80. *&* 82. Bucoliasmus longè distat à carmine Bucolico, quod simplex est cantio pastoralis. Bucoliasmus in Sicilia à Diomo Poeta, & Pastore Siculo inventus est, ut testatur Athenæus *lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 619. qui & Diomi meminisse ait Epicharmum *in Halcyone & Vlysse naufrago*. Eamdem inventionem Diomo ascribit Scaliger *in Poet. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 20. & Vinc. Auria *in Sicilia Inventrice cap.* 9. §. 2. *pag.* 29. Hinc meritò Vigintimillius *cit. pag.* 82. rejicit Joannem Crispinum *in præfat. ad Theocritum*, & Franciscum Patritium *in poet. dec. hist. lib.* 1. *pag.* 119. qui Diomum adinvenisse carmen Bucolicum, pro Bucaliasmo tradidere. Reiicienda etiam Gyraldi opinio, qui *dial.* 1. *de poet. hist. pag.* 31. ait: *Bucolica, & Bucolismi à Diomo Siculo inventa.* Bucolicum etenim carmen à Daphne adinventum, multis auctorum testimoniis jam firmavimus supra in Daphne. Franciscus Robortellus *in poet. Aristotelis pag.* 139. ex Athenæo ait: *Diomum Bucolicum Siculum adinvenisse Idyllia*. Petrus Carrera *in suo Sicilianismo m. s.* apud Vigintimillium *cit. pag.* 83. scripsit, nostrum Diomum eumdem esse ac Diomũ Herculis filiũ, & Daphnis coævũ. At si Herculis filius, fuit ejusdem Daphnis ætate posterior, ut Vigintimillius opinatur, qui ait, nostrum Diomum unum ex antiquioribus Poetis Bucolicis fuisse, qui novis adinventis pastoritium concentum illustravit: etenim non solùm Idyllia deambulatoria edidit, sed etiam his, vocis, & instrumentorum modulationem, pedum numeros, & gesticulationes addidit, eâ elegantiâ, ac suavitate, ut non modò à Siculis Pastoribus hoc carminis genus communiter sit amplexũ ad levandam itineris, ac laboris molestiam, verùm etiam & à musicæ moderatoribus imposterum semper imitatum; utpotè unũ ex modulationibus auribus gratior, ac dulcior. De Diomo præter Vigintimillium eruditè *lo. cit.* vide Crassũ *de Poetis Græcis p.* 159.

DION nobilissimus Syracusanus Hipparini filius, Philosophus Platonicus, ac Orator facundissimus: ejus vitam prolixè scripsere Plutarchus *in Vitis*, & Cornelius Nepos, sive Æmilius Probus *in Vitis*: ex his multa ad meum institutum contracta hic transtuli, additis nonnullis ab aliis scriptoribus mutuatis, quos locis suis laudabo. Fuit Dioni soror nomine Aristomacha, quæ Dionysio majori Syracusarum Tyranno nupsit: ideoque tum ex affinitate, tum etiam ob singulares animi sui dotes, apud Dionysium magnâ valuit æstimatione: adeout Quæstoribus mandaverit suis, ut quæcumque peteret Dion, non negarent. Ipso Dione instante Syracusas accersitus est Plato, sub cujus disciplina haud parum in doctrinâ profecit: ob ingenii elegantiam supra discipulos omnes à Platone unicè dilectus. Hinc Maximus Tyrius *diss.* 6. aliique, hunc, aliosque duos Platonis appulsus in Siciliam, Platonis amori in Dionem ascribunt. Cùm autem Dion desiderio æstuaret, ut ex Platonis doctrinâ magnum eliceret commodum Dionysius, hunc, suadere curavit, ut ipsum loquentem audiret; attamen ejus documenta approbare haud volnit vir perditissimus, nam in id collimabant Plato, ac Dion, ut vitia, ac tyrannidem everterentur: immò ejus odium excitavit, & Platonem ut discederet, impellit. Sed non infirmata Dionis auctoritas, nam & ejus consilia libenter excipiebat Dionysius, qui omnes magni momenti legationes Dioni commisit, quas sedulò, & fideliter obivit: ideoque prudentiâ suâ, tyranni nomen Dionysio minus exercendum effecit. Carthaginenses præsertim Dionis singularem eloquentiam demirati sunt. Hinc Dionysius ipsum ut filium diligebat, ipsique uni liberè loquenti indulgebat: immò in amoris sui argumentum, Aretam filiam, quam ex uxore Aristomachia Dionis sorore habuit, Dioni nuptui tradidit. Nec apud Dionysium minorem, in regni sui exordio, minori valuit æstimatione: ut aliam vitæ rationem instrueret, & profligatis vitijs, Philosophiæ operam daret, Platonemque Syracusas revocaret, tyranno suasit. Dionysius itaque Platonis reditum exoptavit, qui ad iteratas Dionis preces Syracusas remeavit, à Dionysio maximo honore exceptus: ipsumque Dionysium ad deponendam tyrannidem inflexit: sed invidię astu Dionis fides in suspicionem apud Dionysium incidit, qui ex Philisti historici Syracusani consilio, nostrum Dionem in exilium dejecit: & ad leniendos populorum animos, qui magno studio Dionem prosequebantur, concessit, ut ipsius familiares, quæcumque ex divitiis suis vellent, Dioni mitterent. Erant Dionis facultates copiosissimæ, & ut Plato *in Epistolis* ait, ejus patrimonium centum talenta conflabant; quæ ex Bonanno *Syracus. Illustr. lib.* 2. *pag.* 322.

sexa-

sexaginta millia aurea constituebant. Ideoque divitiarum auxilio splendidè in Græcia vixit; ac post Platonis reditum in Græciam Philosophiæ strenuè navavit operam, eâ animi contentione, ut doctissimus evaserit. Hinc Diodorus *lib.16.* & Ælianus *lib.3.cap.4.* Dionem non modo à virtutibus laudant, præsertim ab humanitate, militari virtute, ac animi constantiâ, sed à Philosophiæ studiis. A Plutarcho *in Dione* vocatur eminentissimi ingenii vir, magnus, ac doctissimus, & inter Platonis discipulos diligentissimus, ingenio prōptus ad virtutes amplectendas. Gemistius Plethon *lib.1.* ipsum ita ingeniosum in Philosophicis, ait, ut à coævis suis nunquam superari potuerit. Cicero *lib. 3. orat.* omni doctrinæ genere instructissimum prædicat: ipse Plato *epist. 7.* acerrimo ingenio, & facillimo ad accipienda omnia, quæ ipsi tradebantur, testatur. Probus *in Vita*, ingenio docili, ad optimas artes apto describit. Ne dum Platonicâ doctrinâ instructus clarnit, verùm etiā in Pythagoricis dogmatibus versatum prædicat Jamblicus *de Vita Pythagoræ lib.1.cap.31.* qui addit, Platonis precibus à Philolao tres Pythagoreorū libros centum minis emisse. Laertius *l.7. in Chrysippo* narrat, Chrysippum de inæqualitate dictionum libros quatuor scripsisse ad Dionem. Græciam omnem lustravit Dion, & licèt regali magnificentiâ viveret, attamen nec licentiæ vestigium in ipso notavit aliquis: immò animi fortitudine, temperantiâ, & moderatione ornatum inspexere omnes: ideoque apud Græcos summâ floruit veneratione, & à Lacedæmoniis in civium suorum albo ascriptus. Sed post multa, patriæ liberationem moliri cœpit: itaque coacta militum copiâ, parva quidem ad opus aggrediendum, duabus onerariis Navibus in Siciliam maximo animo instructus traijecit; non tam militibus suis, quàm tyranni odio fretus: ideoq; vix in Siciliam appulsus, multi ad ipsum convolarunt; adeout parvo cōposito exercitu Syracusas properaverit: Syracusani verò statim in tyrannum commoti, Dionem ultrò excepere, ut optimum civem patriæ amantissimum. Hinc, quod admirabile visum fuit, post tertium diem, ex quo Siciliam attigerat, Syracusis libertatem restituit: & tyrannicum imperium quadraginta annorum, quingentis longis navibus, decem equitum, centumque peditum millibus munitum, statim evertit: & tandem post aliqualem civium inconstantiam ex Heraclidis operâ, patefactâ animi fortitudine, ac militari virtute, Urbis liberationem firmavit. Syracusani tantum civem venerati, post multa æstimationis argumenta, teste Diodoro Siculo *lib. 16. num. 20.* publico decreto Dioni divinos honores constituerunt. Inde non modò in Sicilia, verùm etiam & apud Græcos, & Carthaginenses celeberrimam nomini suo gloriam comparavit; nam expulso Dionysio, nil ipsi antiquius, quàm amicos beneficiis, ac honoribus splendidè cumulare: ipse verò vitam à luxu prorsus alienam traduxit, nec aliter, acsi in Platonis Academia degeret. Cùm autem Syracusarum felicitatem optima gubernatione firmare meditaretur, Calippus, sive ut alii scribunt, Callicrates Atheniensis, qui cum ipso in Siciliam traiecerat, cùm ad tyrannidem anhelaret, execrandam proditionem in Dionem aggressus est: de qua commonitus Dion, dixisse testatur Valerius Maximus *lib. 3. cap. 8.* se malle mori, quàm metu mortis violentæ amicis, & inimicis æquè turbationem inferre: vel ut Plutarchus *in apopht. Regum, & Imp.* tradit: melius esse, dixit, mortem obire, quam ita vivere, ut opus esset & amicos, & inimicos cavere. Ideoq; Calippus, cum sui facinoris sociis, Dionē in propriis ædibus agressus, ipsius necem obtinuit. Interfectus est annos natus circiter 55. Dionis mors nimio dolore Syracusanos affecit; ideoq; sepulchrali honore in celeberrimo Vrbis loco publicè cohonestarunt, & ex Laertio *in vita Platonis lib. 3.* hoc epitaphium à Platone editum, ibidem fuit adjunctum.

Et lachrymas Hecubæ, & Trojanis, fata puellis
Decrevere recens ex genitrice satis.
At tibi post partos præclaro Marte triumphos,
Spes reliqua est nullis, clare Dion, superis.
Te Patria ampla fovet, cumulat te civis honore;
Quo mihi nunc mentem perdis amore Dion?

Vixit ex Bonanno *cit. pag.* 323. olymp. 106. nempè ante Christum natum 352. Sed ex Ioann. Bapt. Ricciolio *Chronol. Refor. tom. 4. indic. 1. p.* 173. an.354. De Dione etiam scripsere Lascaris apud Maurolycum *hist. Sic. lib. 1. pag. 19. & lib. 2. à pag. 51.* Goltzius *in Sicilia, & Magna Græcia pag. 31. & seq. & in hist. post. Sicil. pag. 86.* Fazellus *de reb. Sicul. dec. 2. lib. 3. c. 2.* Volaterranus *in Antropol. lib. 15.* Morerius *dict. tom. 2. p.* 1070. aliiq: multi. De eo etiam scripserat Arrianus ex Photio *in Biblioth. cod. 93. pag. 235.* Dionis meminit Suidas *tom. 1. pag. 753.* qui perperàm ait: Nisæum Dionysii minoris Fratrem Dionem à tyrannide ejecisse: addit verò quod scripsit

Epistolas ad Platonem, & alios quosdam, ita etiā Gesnerus *in Biblioth. pag. 200. extant ejus epistolæ duo ad Dionysium, & Perdiccam inter Platonicas.* Scripsit etiam

Tragædias, ex Martino del Rio *Syntag. trag. latin. in prologom. lib. 1. pag. 24.*

DIONYSIUS Syracusarum Civis, & Tyrannus, senior dictus, ut à Dionysio juniore ejus filio, etiam Syracusarum Tyranno secerneretur. Haud mihi in animo est omnia in historiarum scriptoribus de Dionysiis passim obvia hic transferre, cùm præter institutum sit ipsorum omnia scribere, quæ in volumen coalescerent. Sat mihi, paucis de eorum imperio delibatis, eorum studia literarum attingere. Qui plura de ipsis cupit adeat Plutarchum *in vita Platonis, & Timoleontis*, & alibi, Diodorum Siculum, Athenæum, Gemistium Plethonem, Laertium *in vita Platonis*, Valerium Max. Aristotelem, Suidam, Ciceronem, aliosque ex antiquis: ex recentioribus verò Fazellum *de reb. Siculis dec. 2. lib. 3. cap. 1. & 2.* Maurolycum *hist. Siciliæ lib. 2.* Bonfilium *hist. Sic. par. 1. lib. 2.* Mirabellam *in Antiq. Syrac.* Bonannum *in Syrac. Illustr.* Goltzium *in Sicilia, & Magna Græcia*, Laurentium Crassum *in hist. Poet. Græcorum*

rum, aliosque innumeros. Dionysius itaq: senior, sive primus, malo omine natus est Syracusis, Patre Hermocrate, ex Diodoro Siculo *lib.* 13. *n.* 91. Æliano *var. hist. lib.* 12. *cap.* 47. & Laertio *lib.* 3. *in vita Platonis*: vel Patre Heracleone, ex Strabone *Geog. lib.* 16. sed ex Plutarcho *in Dione* non filius, sed fuit Hermocratis gener. Honesto loco ortus est, si Ciceroni credimus *quæs. tuscul. lib.* 5. Diodorus *loc. cit.* & Socrates *ad Philippum*, humili loco natum tradunt: immò Helladius Bizantinus apud Photium *in Biblioth. cod.* 279. *p.* 1579. Agasonis filium fuisse testatur. Hinc ex Diodoro *cit.* ad victum sibi comparandum amanuensem egit. Ex Plutarcho *lib.* 8. *sympos. quæst.* 1. eodem die lucem aspexit, quo Euripes poeta diem clausit extremum. Adultâ jam ætate militię nomen dedit; & animi fortitudine munitus, bellicâ virtute claruit. Cùm autem sobrium, acutum, in rebus agendis dexteritate ornatum, & à vitiis alienum se ostẽderet, à Syracusarũ populo primùm Prætor eligitur: inde Carthaginensibus Siciliam aggrediętibus, cives Dionysiũ supremũ exercitus Ducem constituerunt; qui statim tyrannidem molitus est: pedetentim enim populorum, ac militum animos aucupare cœpit: inde militaribus copiis constipatus, tandem apertè tyrannidem occupavit, annum agens 25. ex Cicer. *lib.* 5. *Tuscul.* decurrente anno 3. olympiadis 93. ex Diodoro *lib.* 13. *n.* 96. Dion. Halicarnasseo *lib.* 7. & Iacobo Saliano *an. mundi* 3648. Ut autem tyrannicum imperium firmaret, infra quinquennium Syracusanos, multiplicatis tributis, enervare studuit: paupertate oneravit, eorumq; facultates absorbere curavit; & inermes voluit, & oppressit. Ingentem extruxit arcem in Insula Ortygia, quam propugnaculis, muris, ac militaribus copiis munitam, inespugnabilem effecit. Sed cùm his haud satis tutum ejus imperium putaret, continuo timore exagitatus vixit; adeout inimicos, amicosque æquè extimescens, nec ipsis familiaribus, & consanguineis vitam suam credebat, ut ex Cicerone *l.* 5. *Tuscul. & lib.* 1. *de officiis*, Val. Max. *lib.* 9. *c.* 13. & Plutarcho *in Dione & in apoph.* colligimus: ideoque ex levioribus etiam suspicionibus nonnullos interfecit: immò magnam edidit civium cladem, & teste Plutarcho *de fortitud. Alexand.* supra decem civium millia trucidavit. Omnia sollicitè explorabat, ut insidias studiosè declinaret, ut ait Polyenus *lib.* 5. Inter alia multa, carcerem extruxit, qui auris figuram exprimeret, ut vel ea quæ submissa voce in ipso obmurmurabant occlusi, ex superiori foramine, omnia apertè intelligeret. De hoc carcere adhuc superstite, quem *Aurem Dionysii* vocant, vide Vincentium Mirabellam *in antiq. Syrac. par.* 1. *lib.* 5. *num.* 130. *pag.* 89. Athanasium Kircherium *in Musurg. lib.* 9. *cap.* 4. *prælus.* 3. Adamum Weber *in arte conversandi reg.* 11. §. 12. aliosque apud Auriam *in Sicil. Inventrice cap.* 7. §. 11. *pag.* 17. *& in meis observat. pag.* 130. Metum verò, quo afficiebatur, Demolcho familiari, exemplo declaravit, quod leges apud Ciceronem *lib.* 5. *quæst. Tuscul.* & Macrobium *in somn. Scip. lib.* 1. *cap.* 10. Ad tyrannicũ soliũ firmãdum maximâ cupiditatis libidine non modò civium domos, sed etiam Deorum Tẽpla expilavit; solitus sacrilegia lepidis tegere dicteriis, de quibus vide Ciceronem *de natur. Deor. lib.* 3. Val. Max. *lib.* 1. *cap.* 1. Ælian. *var. histor. lib.* 1. *cap.* 20. Aristotelem *lib.* 2. *œconom.* Lact. Firmianũ *div. instit. lib.* 2. *cap.* 4. Arnobium *adversus Gentes lib.* 6. Inter has Dionysii caligines aliqua effulgere visa laude digna. Epipolas (Syracusarum hic eminentior locus) muniendas curavit, altis circumseptas muris, ad triginta stadiorum longitudinem protractis, crebrisque turribus distinctis: hoc autem opus ingentium lapidum structurâ admirandum, dierum viginti spatio, sexaginta millia hominum operâ, absolvit, ex Diodoro *lib.* 14. *num.* 19. Navale etiam ædificium extruxit, in quo domicilia CLX. ad naves recipiendas, quorum pleraque binas naves complecterentur; vetusta etiam CL. reparanda curavit, ut ait Diodorus *loc. cit.* ex versione Philippi Cluverii *Sicil. antiq. lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 166. Gymnasia insuper magnificentissima, Deorumque fana, aliaque ne dum ad urbis maestatem, quàm ad sui gloriam excitavit, ex Diodoro Sicul. *lib.* 15. *num.* 13. Urbes Hadranum in Sicilia, nunc *Adernò*, ac Lassum in Adriatico sinu, fundavit. Catapultam, aliaque militaria instrumenta ad urbes expugnandas, & quinqueremes adinvenit, ex Eodem. Contra Carthaginenses strenuè pugnavit: non rarò victoriam obtinuit: & grassante pestilentiâ in Carthaginensium exercitu, ejus ope à Sicilia penitus ejecit, ac universam ferè Insulam suo subjecit imperio, ut habent Justinus *lib.* 20. & Diodorus *lib.* 15. Exercitum florentissimum sibi congesserat, quem ne otio tabesceret, contra Italiam instruxit, ut in sui ditionem redigeret: ac facili negotio Locros, Crotonitas, & Sybaritas superavit ex Justino, aliisque. Inde in Siciliam regressus, ut contra Carthaginenses, iterum Siciliam invadentes, pugnaret, nunc faustam, nunc verò adversantem fortunam expertus est; sed tandem cum propter intolerabilem superbiã, suorum odium in se concitasset, à majori exercitus sui parte derelictus, à suis iniquâ proditione sublatus est, ut narrat Justinus *cit.* Ex Timæo apud Plutarchum *in Vita Dionis*, & Probo *in ejusdem Vita*, & ut innuere videtur Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 1. obiit ex veneno, quod ipsi propinare curarunt Medici, jussu Dionysii filii, ne cum aliis filiis regnum divideret. Plinius *lib.* 7. *cap.* 53. obiisse tradit ex inopinata exultatione, quam ex tragicæ victoriæ nuncio conceperat. Diodoro teste *lib.* 15. *num.* 74. post acceptum victoriæ nuncium ob tragœdiam, quam Athenas recitandam miserat, epulis operam dedit, & ex magno vini potu, læthalem morbum contraxit. Hanc autem mortem ex nimio gaudio falsè secundo Dionysio, hujus filio, adscribit Patritius *Poeticæ dec. hist. lib.* 1. *pag.* 87. sed ex Cicerone *de natura Deorum lib.* 3. tranquillè in lectulo suo decessit. Hæc autem mors contigit anno ætatis suæ 63. regnavit etenim annos 38. ut ait Diodorus *lib.* 13. *nu.* 96. *& lib.* 15. *n.* 73. Cicero *Tuscul.* 5. *& de offic.* 2. &

Val. Max. *lib.9. cap.13.* Obiit anno primo olymp. 103. ut habemus ex Vossio *de hist. Græcis lib.1. ca. 6. pag. 25. & de Poetis Græcis lib.6. cap.42.* Eusebio *in Chron.* Petavio *de doctr. tempor. lib. 13. pag.* 588. aliisque, nempè anno ante Christi Domini adventum 364. at ex Joan. Bap. Ricciolio *Chronol. reform. t.4. indic. 1. p.173. an.368.* Triumphantium more cadaver concrematum fuisse scribit Cicero *de natur. Deor. lib. 3.* & Timæus apud Athenæum *lib.5. cap.9. pag. 206.* filiusque Dionysius magnificè parentalia persolvit, ex Diodoro *lib. 15. nu.* 74. ac thatralem sepulchrum ipsi extruxit, quod in suis historiis laudibus exornavit Philistus, ut habent Plutarchus *in vita Pelopidæ*, & Victorius *cap. 10. lib.38. var. lect.* apud Dalecampium *in annot. ad Athenæum pag.738.* Sed Timoleon Corinthius captis Syracusis, & expulso in exilium Dionysio secundo, demolitus est unà cum arce, & regias ædes, quas Dionysius extruxerat, ut ipsius tyrannidis memoriam deleret, ex Plutarcho *in vita Timoleontis.* Ad ejus doctrinam accedo: fuit Dionysius Poeta, & Historicus, à Cicerone *lib. 5. Tuscul.* vocatus: Homo præsertim doctus à puero, & artibus ingenii eruditus, musices studiosissimus, ac poeta tragicus. Medicinæ ita operam dedit, ut jam in supremo gloriæ solio constitutus, secando, & urendo, ac medicamina adhibendo, Chirurgi partes expleverit, ex Æliano *var. histor. lib.11. cap.11.* & Tiraquello *de nobilit. cap.31. nu. 124. pag. 205.* Poematibus scribendis impensè incubuit, ut ait Diodorus Siculus *lib. 15. num.6.* & poetas egregios, celebresq; accersitos, hos præcipuo honore prosequebatur, familiariter cum ipsis colloquebatur, eorumq; magisterio, ac censuræ ingenii fœtus submittebat. Studiorum amore extimulatus regiâ liberalitate literatos excepit, ac muneribus cumulavit, inter quos Eschines, Aristippus, Helicon, Eudoxus, Feton, Carcinus, Xenocrates, aliique multi, ut colligimus ex Æliano *var. hist. l.7. c.17.* Laertio *l.2. in Eschine, & Aristippo, & lib. 4. in Xenocrate*, aliisque: hinc Laertius cit. *in Aristippo*, Aristippum, inter alia, historiæ Lybiæ libros tres, & dialogum scripsisse tradit, ad Dionysium missos. Chrysippus verò ex eodem Laertio *in Chrysippo*, scripsit: de solœcizantibus orationibus ad Dionysium librum: dictionum librum ad eumdem: & de contrariis libros duos. Platonem potissimum magnifecit ob egregiam ejus doctrinam: at exinde ab ejus dicēdi libertate offensus, odium in ipsum concepit, & tanquam mancipium quinque minis vendidit, teste Diodoro *lib.15. num. 7.* Præstantiorem studium in Tragœdiis concinnandis adhibuit: tragica enim poesis jucundissima illi erat, ut Ælianus testatur, *lib. 13. var. histor. cap. 18.* Scripsit itaque Dionysius

Tragœdias, ex Plutarcho *in Timoleone*, Suida *tom.1. pag.747.* Patritio Poetic. *decad. histor. lib.1. pag.86.* Gesnero *Bibliot. pag.202.* Vossio *de histor. Græc. lib.1. cap.6. pag. 25. & de Poetis Græcis cap. 6. pag.42.* & Gyraldo *de Poetar. histor. dial.7. pag. 277.* (qui hunc Dionysium cum filio confundit, de hoc enim ait, quòd in exilium pulsus Corinthum, ibi scholæ Magistrum egit, & ex eo natum proverbium Dionysius Corinthi, quæ secundo adscribenda) Bonanno *Syrac. Illustr. lib.2. pag.342.* Lascari apud Maurolycum *histor. Sicil. lib. 1. pag. 19.* Laurentio Crasso *in hist. poet. Græc. pag. 161.* Cum Dionysio Antiphontem Tragœdias scripsisse tradit Plutarchus *de Vitis x. Rhetor. in Antiphonte*. Hæc autem Tragœdiæ, ac poetica Dionysii monumenta, licèt ab adulatorum laudibus efferebantur, præsertim à Damocle ex Bonanno cit. *pag.342.* attamen has Philoxenus poeta, tanquam ineptiis refertas, contempsit, & censoriâ virgulâ notavit; ideoque à tyranno in carcerem conjectus est, ut habet Diodorus *lib. 15. num. 6.* Plutarchus ait, *in vitis duodecim Rhetorum*, Dionysium morti adjudicasse Antiphontem poetam, quia ejus Tragœdias contendere ausus sit: quamvis idem Plutarchus, ex aliorum sententia, aliæ causæ hanc mortem adscribat, de qua etiam Aristoteles *Rhetor. lib. 2.* & Vossius *de Poetis cap. 6. pag. 42.* Cùm autem Tragœdias suas haud læta fronte exceptas vidisset, magno pretio Æschyli pugillares emit, quibus Tragœdias suas exinde exarabat, acsi illius Poetæ doctrinam, & scribendi rationem, ex his haberet, ut scribit non sine risu Lucianus *Dial. adversus indoctum* & Gyraldus cit. Addit Diodorus *lib.14. n.110. & l. 15. num. 6. & 7.* quòd ob edita poemata magis, quàm ob præclarè in bello gesta gloriabatur: eaque ad olympicam celebritatem maximâ pompâ recitanda misit; ubi ob suavem canentium vocem pronis auribus primùm audita, mox à carminum langore spreta sunt: quòd magnam in Dionysio mœstitiam exercitavit, quæ exinde in furorem declinavit; omnes sibi invidere ratus. Ex ipsius Tragœdiis verba adducit quædam Helladius Bizantinus apud Photium *in Bibliot. cod. 279. pag. 1587.* & Plutarchus *de fortuna, vel virtute Alexandri.* Scripsit etiam Dionysius

Comœdias, ex Suida *tom. 1. pag. 747.* Gesnero *Bibliothec. pag. 202.* Lascari, Patritio, Gyraldo, Vossio, aliisque citatis: quamvis Ælianus *in var. histor. lib.13. cap.18.* Comœdias odisse scribat, eò quòd à risu alienus erat. Ex Dionysii Tragœdiis *Adonem, & Themosphorum, sivè Legislatorem* citat Athenæus *lib.9. cap.14. & 16. pag. 401. & 404.* & horum aliqua adducit carmina, quòd & confirmat Casaubonus *in animad. ad Athenæum lib.9. cap. 16. pag. 691.* & Vossius *de poetis pag. 42.* sed Gesnerus in dubium revocat an Adonem Dionysio filio ascribendum: & Thesmophorum an Dionysio Sinopensi concedendum; additque quòd Athenæus inter Opsartyticorum scriptores Dionysium collocat, ac fortè ait, eumdem esse, qui & *Comœdiam Legislatoris* scripsit; nam versibus illis, quos adducit, coquus artem suam laudibus extollit. Stobæus *serm.251. p. 829.* opus citat inscriptum: *Leda*, quæ vel ejus Tragœdia, vel Comœdia est, de qua tria adducit carmina *ser. 279. pag.900.* Diodori, vel Dionysii carmina ex opere dicto *Sotera* exscribit; & suppresso operis nomine Dionysii citat, ejusq; carmina adducit *serm.128. pag.388. serm.129. pag. 389. serm. 139. pag. 402.*

serm.

serm. 148. *pag.* 504. *serm.* 247. *pag.* 811. Scripsit etiam quædam

Historica, teste Suida, cum Gesnero, cit. Cicerone *lib.* 5. *Tuscul.* Vossio, Lascari, & Bonanno *loc. cit.* Tandem Franciscus Patritius *poet. dec. hist. lib.* 2. *pag.* 200. ait, quòd secundus fuit, qui *de Poetica* scripsit post Democritum, quem immeritò reprobat Bonannus cit. *pag.* 348. legit enim Patritium scripsisse, quòd Dionysius res poeticas, nempè carmina, secundus post Democritum edidit; cùm de Poetica facultate scribat Patritius.

DIONYSIUS Secundus prædicti Dionysii filius, Syracusis natus ex ipso, & Doride Locrensi, ut ait Plutarchus *in vita Dionis*. Defuncto patre militum operâ tyrannidem occupavit ex Justino *lib.* 21. quòd accidit anno primo olymp. 103. ante Christi Domini adventum 364. ex auctoribus supra relatis de morte Dionysii junioris. Ad imperium firmandum studiosè populorum benevolentiam sibi conciliare curavit: hinc tria virorum millia, qui in carceribus detinebantur, libertate donavit: ac per triennium populo tributa remisit. Prudentem, ac liberalem se simulans, captâ jam populi benevolentiâ, statim hæreditario quodam jure, sævitiam exercuit, primùm in propinquos, & fratres, quos omnes imperii metu, interfecit, teste Justino citato. Inde etiam simulans se quietis amantem, pacem cum Carthaginensibus sancivit, quam etiam Lucanis concessit; quãvis nonnullis in præliis victor, ut scribit Diodorus *lib.* 16. *num.* 5. Pace firmata, laxis vitiorum habenis sordidissimam vitæ rationem amplexus est. Reticeo, quæ in turpissimo avaritiæ, libidinis, ebrietatis, & voluptatum cœno inuolutus, fœdè patravit, à quibus abhorret calamus: ea leges apud Athenæum *lib.* 10. *cap.* 10. *pag.* 435. *lib.* 12. *cap.* 11. *pag.* 541. *lib.* 6. *cap.* 17. *pag.* 260. & 261. & *lib.* 6. *cap.* 13. *pag.* 249. Ælianum *var. hist. lib.* 2. *cap.* 41. & *lib.* 6. *cap.* 12. Justinum *lib.* 21. *cit.* Plutarchum *in vita Dionis*, aliosque. Sed tandem crudelitatis impatiens Syracusarum populus, excitatâ conspiratione, in arce Dionysium obsedit: indeq; tertiò victus, tandem profugus, apud Locrenses ditionis suæ populos, se recepit. A Locrẽsibus rerum ignaris, exceptus, inter ipsos humanitatem ostendit. Rhegium Urbem instauravit, quam Phœbeam vocare placuit, ex Marafioti *in Chronic. Calabriæ lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 32. Fiore *in Calabria Illustr. lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 3. *pag.* 156. Fazello *dec.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 310. inde ad sævitiam, ac libidinem, cæteraque vitia prolapsus, cùm rapinis, stuprisque omnia fœdasset, tandem post annos sex, factâ conspiratione, à Locrensibus pulsus, in Siciliam regressus est, ut ex Iustino citato, Strabone *lib.* 6. Æliano *var. histor. lib.* 1. *cap.* 12. & *lib.* 9. *cap.* 7. Athenæo *lib.* 12. *cap.* 11. *pag.* 541. aliisque deducitur. Propositis itaque Syracusanis fœderis legibus, tandem in Urbe receptus est. In novæ dominationis exordio omnibus benevolentiam exhibuit: at paulò post resumptis crudelitatis, ac libidinis operibus, acerbiorem sui odium excitavit, adeout multi ex Syracusanis, ut tyranni sævitiam declinarent, relictâ patriâ, in littus Adriatici maris appulsi, Anconam Urbem, totius Piceni regionis nunc celeberrimam, condiderint, ex Strabone *l.* 5. & Fazello *dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 82. licèt Bonannus *Syracus. Illustr. lib.* 2. *pag.* 223. contra Fazellum, & Mirabellam hoc accidisse velit sub Dionysio primo. Ipse verò Dionysius militaribus copiis, custodibus, cladibusque se formidabile reddidit, ac tyrannidem roboravit: teste Plutarcho *in Dione*, & Æliano *lib.* 6. *cap.* 12. Inter infensissima sævitiæ opera, hæc laude digna effulsere: duas condidit Urbes in Apulia, ut Pyratarum excursiones in Jonio mari frenaret, teste Diodoro *lib.* 16. *num.* 5. Dionem magnâ æstimatione prosequutus est, qui consiliis suis ad rectam vivendi rationem quoquomodo revocare curavit Dionysii mores, ut ait Plutarchus *in Dione*. Cùm autem perpenderet Dion hanc vitiorum fœditatem ex ignavia oriri, adhortationibus institit, ut Philosophiæ studiis vacaret, animumq; virtutibus, ac optimis disciplinis ornaret: ideoque Platonicæ doctrinæ præstantiam egregiis laudibus extollere non cessabat; adeout ad repetitas Dionis suasiones, tandem desiderio audiendi Platonem Dionysius æstuavit; & ad frequentes Dionis, ac Pythagoreorum preces, & ad ipsius Dionysii epistolas, Plato in Siciliam remeavit: cui obviam fuit Galea, regali ornatu instructa: ad littus verò delatus, in splendidissimum currum exceptus est à Dionysio, qui ipsomet auriga; in regias ædes maximâ pompâ invexit, ut ex Plutarcho *in Dione*, Æliano *var. hist. lib.* 4. *cap.* 18. & Plinio *lib.* 7. *cap.* 30. patet. Hinc statim Regiæ facies immutata, nam non modò sub Platonis disciplinâ Syracusani Philosophiæ operam dedere, adeout Dionysii Regia pulverulẽta appareret, ex frequentia eorum, qui Geometricas in pulvere figuras inscriberent; verùm etiam & ipse Dionysius Philosophiæ, & Geometriæ præcepta à Platone (quem unicè venerabatur ex Æliano cit.) accipiebat: immò humanitatem omnibus ostendere, literatis favere cœpit, ac spem inculpati dominii omnibus tradidit. Mox, hortante Platone, tyrannidem penitus relinquere meditabatur. Sed cùm Philisti operâ, qui tyranno, ac tyrannidi amicus erat, in Dionysii suspicionem incidisset Dion, ab eo in exilium hic pulsus est: & paulò post ex imminentis belli pretextu, Platonem dimisit. Sed inde cùm aliorum scientiam longè superiorem eâ, quam brevi temporis tractu acceperat, experimento cognovisset; iteratis epistolis Platonem accersivit, qui spe revocandi ab exilio Dionem, tandem tertiò in Siciliam venit: & à tyranno honoribus, ac muneribus auctus, ab eo supra octogiuta talenta accepit, ex Laertio *in Vita Platonis*. At nonnullis inter Platonem, & Dionysium simultatibus exortis, tum ex Dionis exilio protracto, tum etiam ex adhortationibus, quibus Dionysium urgebat Plato, ut tirannydẽ deponeret, Athenas regressus est. Hinc Dion reditu desperato exercitum comparavit, ut patriam à tyrannide liberaret, quòd expulso Dionisio obtinuit, ut in Dione strictim attigimus. Interfecto tamen Dione, exortis post sexennium

populorum tumultuationibus, ac innumeris cladibus, ex harum occasione Dionysius Syracusas aggressus, faciliter in sui potestatem redegit, ac magis efferatus, crudeliorem dominium exorsus est. Interim cùm impendentem à Carthaginensibus bellum pertimescerent Syracusani, ad Corinthiorum opem confugere statuerunt; qui duce Timoleonte, auxilia Syracusanis mittere decrevere. Timoleon in Siciliam appulsus, Dionysium in arce obsessum ad deditionem compulit, & parva in navi impositum Corinthum misit, ex Plutarcho, & Probo *in vita Timoleontis*, Iustino *lib.* 21. & Carolo Stephano *in dict. pag.* 828. qui prioris Dionysii gesta, cum Dionysii filii facinoribus confundit, ut omnibus patet. Corinthum appulsus Dionysius an.4. olymp.109. ex Eusebio *in Chronic.* anno 343.ante Christi Domini adventum, ex Ioan. Bap. Ricciolio *in Chronol.refor. indic.* 1.*pag.* 173. & 174. & fortunæ volubilis mutationem expertus, omnibus exemplo fuit: cùm enim regno divitiis splendidum, militibus innumeris constipatum, classe quatuor centum naviū munitum, omnibus formidabilis possideret, ab adversante fortuna projectus, ad viliora delapsus est: ideoque vel ex fracti animi abjectione, vel ut probabilius ex Iustino *lib.* 21. & Plutarcho *in Timoleonte*, ne suspicionem Corinthiis præberet, ac ut vitæ consuleret; haud unquam rem aggressus est, quæ vilitatem non oleret: publicè etenim circuire, & bibere; in sordidissimis tabernis sedere: de rebus minimis cum neglectissimis etiam mulierculis quæstiones instituere: & abjectissimis vestibus uti consuevit; adeout ludibrio cunctis esset. Vt vitæ alimenta curaret, Ludimagistrum egit ex Cicerone *lib.* 3.*Tuscul.* Iustino *lib.*21. & Val. Max. *lib.6. cap.4. num.6.* aliquando tympana pulsavit, & stipem emendicavit, ut tradit Gemistius *lib.* 7. & Athenæus *lib.* 12. *cap.* 11. Ideoque ex tanta fortunæ mutatione ortum proverbium: *Dionysius Corinthi*, de quo Cicero *lib.* 9. *epist.* Quintil. *lib.*8. *instit. orat.* Manutius *in adag. pag.* 93. & Gyraldus *de poetis hist. dial.*7. *pag.*277. qui tamen à vero aberrat, dum primo Dionysio ascribit: eoque innuunt, aliquem è fastigio dignitatis, & imperii, ad humilem, privatamque fortunam redactum. Hinc cecinit Ovidius *lib.* 4. *de Ponto eleg.*3.

Ille Syracusia modo formidatus in Vrbe,
Vix humili duram repulit arte famem.

Tandem ærumnis undiq; pressus mortem obiit adeo obscuram, ut nec mortis locus,nec ejusdem genus innotescat: etsi Frāciscus Patritius *in Poet. dec. hist. lib.* 1. *pag.* 87.tradat, quòd post exilium cum Tragœdias scripsisset, & ex harum una victoriam accepisset, ex nimia exultatione decessit:at hoc mortis genus Dionysio majori accidisse compertum est. De hujus Dionysii doctrinâ hæc colligimus. Philosophiam, Geometriam, aliasque scientias à Platone accepit, ex Bonanno *in Syrac. lib.* 2. *pag.* 344. Orator etiam fuit, ut testatur Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. Et ex his, quæ scripsit; poetam etiam fuisse deducitur. Scripsit

Epistolas, ex Suida *tom.* 1. *pag.* 747. Vossio *de hist. græc. l.* 1. *cap.* 6. *pag.*25. Bonanno *cit.* Lascari cit. & Gesnero *in Biblioth. pag.* 202. unam Speusippo Platonis discipulo scriptā, citat Athenæus *lib.* 7. *cap.* 5. *pag.* 279. & *lib.* 12. *cap.* 12. *pag.* 546. cujus fragmentum adducit,& Laertius *lib.* 4. *in vita Speusippi.* In catalogo librorum Bibliothecæ Badleanæ *pag.* 164. extare comperi, *Dionysii epistolas græcas.*

Commentaria de carminibus Epicharmi, ex citatis Suida, Lascari, Vossio, Crasso, Bonanno cit. *pag.* 267. & 344.& Gesnero.

De laudibus Æsculapii opus poeticum, teste Athenæo. *lib.* 6. apud Bonannum *cit. pag.* 344. ex hoc forsan se Apollinis filium jactabat, ut habemus ex Plutarcho *de fortuna, vel virtute Alexandri.* Raphael Volaterranus *lib.* 15. *antropol.* Tragicum poetam fuisse ait. Patritius, & Crassus cit. scribunt,quòd Corinthum expulsus Tragœdias scripsit. Sed hoc inter antiquos Scriptores non lego: ideoq; à Dionysio majori hanc notitiam accepisse dubito. Inter Tragicos Poetas recensetur etiam à Martino del Rio *in Syntag. tragœd. in prolog. lib.* 1. *pag.* 24. ex Plinio, & Luciano.

DIONYSIUS FORTUNATUS Pactensis Poeta claruit anno 1600. Edidit

Vitam S. Nymphæ V. & M. Panormitanæ latinis carminibus expressam. Panormi typis Jo: Baptistæ Maringo 1607. in 4.

DIONYSIUS A S.ANDREA Syracusanus Carmelita Excalceatus, vir tum gravioribus, tum amœnioribus literis abundè excultus. Florente adhuc ætate, dum multa de se promittebat, decessit Syracusis circa annum 1676. Edidit italicè suppresso nomine

L'Armonico Decacordo toccato da Febo, e dalle Nuove Muse, Tributo di devota obligatione al merito dell'Ill. e Rev.Monsig.Vescovo di Siracusa D.Gio. Antonio Capobianco. Neapoli apud Novellum de Bonis 1670. in 8,

DIONYSIUS SICULUS, Historicus incertæ ætatis, teste Vossio *de hist. Græcis lib.* 3. *pag.*358. ideoque ab utroque Dionysio Tyranno diversus. Scripsit ex eodem, & Gesnero *in Biblioth. edita per Frisium pag.* 76.

De rebus Siculis: argumentum verò ex Aristidis Milesii libris rerum Sicularum mutuatus est, ut tradit Plutarchus *in Parallel. minor. cap.* 1. at Vossius perpendit, quòd ubi in græco codice legitur Dionysius Siculus, interpres vertit Diodotus Siculus.

DIOPHANTUS v. Ecphantus.

DOMINICUS ARGANANTIUS Messanensis Societatis Jesu in lucem editus anno 1617. Societati nomen dedit 4. Octobris 1634. in qua sollemni quatuor votorum Sacramento se adstrinxit. Humanas literas docuit: Ecclesiastem egit magnâ cum laude in præcipuis Siciliæ Civitatibus annis trigintatribus: eruditione, & eloquentiâ, claruit: & apostolico animarum zelo æstuavit. Solitudinis, & cubiculi amantissimus, in in eo ut studeret, vel oraret frequentissimam navabat operam: nec relinquere solitus, nisi ad obeunda

eunda Societatis munia, quæ semper exactissimè, etiam propè octogenarius, adimplere consuevit; regularis etenim disciplinæ zelo flagravit. Tenerrimo amoris sensu Deiparam prosequebatur: ac S. Franciscum Xaverium obsequentissimo quodam famulatu colebat, cujus numismate proprias, & aliorum ægritudines curabat: adeo ut prodigio ascribebant, si quid rogasset, & illud non impetrasset. Singulari pietate animabus, quæ purgatorii flammis excruciantur, opitulabatur; ideoque in omnibus ferè concionibus suis ad illas suffragiis levandas populos incendebat. Obiit tandem Messanæ 10. Decembris 1694. Hujus viri meminere cum laude Nataniel Sotuellus *in Biblioth. Soc. Jesu pag.* 180. Placidus Reina *in not. hist. Messanæ p.* 2. *pag.* 229. & 510. & Joseph Munebria in libro *Musa Risvegliata par.* 1. *pag.* 229. Edidit italicè

Le Pompe festive celebrate dalla Città di Messina nella Solennità della Lettera di Maria Vergine a Messinesi. Messinæ apud hæredes Petri Brea 1659. in fol.

Il Cavalier Trionfante, Panegirico dell' Illustre Martire S. Giorgio. Ibidem typis Pauli Bonacota 1660. in 4.

L' Occaso luminoso del Sole della Sapienza. Oratione Funerale nell' Esequie del Rev. P. Francesco Rosa, e Ginrba. Ibidem apud Paulum Bisagni 1673. in 4.

Veritiera Relatione della Sacra Lettera scritta dalla Gran Vergine Madre di Dio Maria alla Città di Messina: delle Gratie, che per mezzo di Lei hà operate a beneficio di quei, che con fede viva l' invocano; ed altre cose ad essa appartinenti. Ibidem apud Vincentium de Amico 1689. in 12.

Reliquit opus prælo jam paratum pro excitanda pietate erga Defunctos. Et in Bibliotheca Domus Professorum Messanensis servantur volumina 29. suarum concionum.

DOMINICUS DE AUGUSTINO Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor: vir utique doctus, eruditione conspicuus, & in Sacris literis, Sanctorumque Patrum lectione apprimè versatus: morum etiam probitate insignis inclaruit, & venerationem promeruit. Octogenarius obiit Panormi 20. Februarii 1692. Edidit italicè.

Discorsi della SS. Eucharistia. Tomo Primo. Panormi typis Jacobi Epiri 1688. in 12.

Tomum Secundum. Ibidem apud Petrum Coppolam 1689. in 12.

Tomum Tertium. Ibid. apud eumdẽ 1690. in 12.

Sermoni parte Prima. Ibid. apud eumdem 1691. in 12.

Parte Seconda. Ibid. apud eumdem 1691. in 12.

DOMINICUS BANDINUS Platiensis Societatis Jesu natus 17. Julii 1647. Societati se adjunxit primo Decembris 1662. in qua quatuor votorum professionem emisit 15. Augusti 1680. Absolutis studiorum spatiis, sacrum concionatoris munus suscepit; eloquentiâ, & eruditione clarus, in præcipuis Siciliæ Civitatibus magnâ cum laude conciones habuit per annos propè 16. Rexit Collegia Platiense, & Mazariense: & dum hæc scribimus an. 1706. insigni munitus prudẽtiâ Collegio Catanensi præest. Edidit italicè

La Corona Ingemmata all' ornamento della felicissima Città di Palermo, Augusto capo del Regno di Sicilia lavorata in un Panegirico di S. Rosalia V. Palermitana. Panormi typis Anglesi, & Francisci Leonis 1694. in 4.

Il Consigliere de' Nobili Sacro Politico. Ibidem apud Thomam Aiccardum 1697. in 4.

Il Governante Politico Cristiano instruito. Ibidem typis Gramignani 1699. in 4.

Quaresimale. Ibidem typis Jo: Bap: de Ajecardo 1704. in 4.

DOMINICUS BORDONARO ex oppido Franzanò Sacerdos: poesi clarus, ac politioribus literis excultus. Patriæ suæ Archipresbyter electus, diu cum laude, ac virtutum exemplo in animabus regendis inclaruit. Floruit anno 1680. Edidit italicè

Rappresentatione Sacra di S. Lorenzo di Franzanò nel Regno di Sicilia dell' ordine di San Basilio Magno. Romæ typis Barnabò 1675. in 8.

DOMINICUS BOTTONUS Leontinus natus 6. Octobris 1641. ex Nicolao Bottono Philosopho, & Medico eximio, & Camilla Catanzaro & Caruso. Annum agens sextum Messanæ translatus humanas didicit litteras, inde Philosophiã in Collegio Soc. Jesu: & Medicinam à Petro Castello celeberrimo Medico Romano, tunc Messanæ docente. Cùm autem ingenii felicitate excelleret, his in facultatibus egregiam doctrinam accepit, & emeritam Doctoris lauream Philosophiæ, ac Medicinæ in eadem Vrbe anno 1658. accepit. Ætate adhuc florente inter doctissimos non sine literatorum veneratione ascriptus, cõceptam sui opinionem non modò firmavit, verùm etiam mirum in modum experimentis amplificavit: nam salutari Medicæ artis ope innumeros ad pristinam valetudinem revocavit, & præsertim nonnullos Messanæ Dynastas, inter quos præcipuè accensendus Simon Carrafa Messanensis Archiepiscopus, qui in suum unicum Medicum delegit. Ob ejus expertissimę doctrinæ celebritatem, à nonnullis tum Siciliæ, tum Neapolis viris principibus in gravioribus morbis vocatus est, ut ipsorum curam susciperet. Ob expertissimam doctrinam Proregum Siciliæ maximam æstimationem promeruit; nam à Marchione Villæfrancæ Prorege cubiculi sui Medicus delectus est, ac etiam Messanensis districtus, ut votant, Archiater. Marchio Castri Rodrici etiam Prorex in eodem munere confirmavit, additis 50. aureis singulo mense. S.R.E. Cardinalis Ludovicus Fernandez Portocarrero non modò eodem munere cohonestatum voluit nostrum Dominicum, verùm etiã ut Regiis literis à Carolo II. Rege in eodẽ gradu confirmaretur, egregiè curavit: & ex ejusdem literis Xenodochii Regii Messanensis curam suscepit. Tandem S. Stephani Comes Siciliæ Prorex in Medicum suum selegit, apud quem magnâ doctrinę opinione valuit; quam in multis morborum periculis sibi comparavit. Cùm autem idem Comes Neapolitani Regni clavum Prorex teneret Dominicum Neapolim accersivit, & cum eximiæ æstimationis testimoniis

niis

nis, cubiculi sui Medicum voluit. Inde ut ad Prothomedici Regni Neapolitani gradum extolleret curavit: quod munus cùm haud exercere posset, obsistentibus Urbis illius privilegiis, quæ exterum non admittunt, per alium suppositum exercuit, cum aureorum mille emolumento singulo anno. Filium etiam Marium Xaverium Bottonum V. J. Doctorem etiam muneravit, nam in sui meritorum contemplatione Judicem Magnæ Curiæ Vicariæ elegit, ut etiam in Tribunali Audientiæ Calabriæ citra, Rotæ præfecit: & tandem Regii Teolonii, vulgo *Dogana*, Fogiæ Auditorem constituit. Noster etiam Dominicus in Neapolitana Academia quatriennio Philosophiam publicè docuit magno cum plausu, ac singulari doctrinæ celebritate. In ea etiam Urbe munus Medici Xenodochii Regii S. Iacobi exercuit, quòd semper medici celeberrimi obtinuere. Illuc tandem doctrinæ præstantiam multis in morbis detexit, quibus egregiam præstitit curam. Podagræ morbo aggressus, Messanam remeare decrevit; & obtentâ magno conatu Proregis veniâ, ad munus Medici Regii Xenodochii Messanensis regressus est, quo eum muneraverat Rex Catholicus anno 1692. cum amplo sexcentū aureorū stipendio singulo anno, ibiq; nunc præest magno cum ægrotorum profectu, ac singulari discipulorum utilitate, quos per annos multos medicinam scientissimè docuit. Ob doctrinæ famam in Academiâ doctissima eruditorum Londini, quam Societatem Regiam dicunt, ascriptus est anno 1697. & ex epistola illius, qui à secretis ejusdem Societatis tunc erat, æstimationis gradus quò eà in Regione viget tanti viri doctrina, facilè deducitur: fuitque ex Siculis primus in illius Academiæ albo scriptus. Floret nunc vir præclarissimus adhuc superstes Messanæ in magna omnium æstimatione, ac cum præstantioribus Europæ literatis amicitiæ vinculis adstrictus: Ipsum laudat Jo: Paulus ab Epiphania in lib. *Stravaganze della natura pag.* 423. & Sylvius Bocconus *in Musæo Physico pag.* 13. hic etiam ipsius meminit *in Musæo Plantar. pag.* 57. Edidit.

Pyrologiam Topographicam; idest dissertationem de Igne juxta loca cum eorum descriptione. Neapoli ex nova Officina Dominici Parrini, & Michaelis Aloysii Mutii 1692. in 4. Quod opus laudibus ornant Acta Eruditorum Lipsiæ *in supplemento tom. 2. sectione 4. pag.* 189. & Erudissimus Benedictus Bacchini *in Diario Literatorū anni* 1692. edito Modonæ *pag.* 304. Scripsit etiam

Ideam Historico-Physicâ de Magno Trinacriæ Terremotu. Hoc opus scripsit instante celeberrimo Marcello Malpighio, cui Societas Regia Britanniæ demandaverat, ut de hoc memorando Terræmotu scriberet: cui cùm manum haud admovere liceret ob fractas ex ægritudine vires, & ob notitiarum difficultatem, Botonum sui amicissimum rogavit, ut hanc lucubrationem aggrederetur: quam jam absolutam eidem Societati excudendam misit.

Alia prælo parat.

DOMINICUS BUCALUS Messanensis, V. I. Doctor, eruditione, ac doctrinâ clarus; vivebat anno 1668. ut ex *Corona Alphabetica D.* Santori Oliva, qui ipsum laudat, deducitur. Ipsius etiam cum laude meminit Placidus Reina *in not. hist. Messanæ p. 2. pag.* 511. Edidit

Responsorum decisivorum pro Tertio Possessore, Avia Paterna, exceptionem compensationis petente, Fidejussore, & pro Medico, nec non Votorum Juris Partem Priorem. Venetiis apud Jo: Jacobum Hertz 1648. in 4.

DOMINICUS CAMPISI Rayhalbutensis Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, doctrinâ apprimè excultus enituit. Cùm Musicæ operā dedisset, ob singularem peritiam, inter celeberrimos est ascriptus, qui in modulandis sacris laudibus excellerent. Famâ clarissimus floruit tum Panormi, tum etiam Romæ circa annum 1630. De eo Leo Allatius *in libro*: *Apes Urbanæ, sive de Viris Illustribus pag.* 82. Edidit

Floridum Concentum binis, ternis, & quaternis vocibus modulatum. Romæ apud Bapt. Roblettum 1622. in 4.

Lilia Campi binis, ternis, quaternis, & quinis vocibus modulata, cum completorio, & Litaniis Beatissimæ Virginis Mariæ. Romæ apud Lucam Antonium Soldum 1623. in 4.

Lilia Campi binis, ternis, quaternis, quinis, & senis vocibus modulanda. Romæ apud Paulum Angliottum 1627. in 4.

Italicè

Delli Mottetti a due, tre, e quattro voci con una Compieta libro Primo. Panormi apud Jo: Bapt: Maringum 1615. in 4.

Delli Mottetti a due, tre, e quattro voci libro secondo. Ibidem apud eumdem 1618. in 4.

DOMINICUS CARAMELLA v. Honorius Dominicus Caramella

DOMINICUS GRÆCUS Panormitanus, astronomicis facultatibus insigniter excultus claruit, anno 1650. quo in lucem emisit opusculum inscriptum

Quadrans Horoscopus horarum italicarum per lineas rectas ad latitudinem graduum 38. *utriusq, ferè Siciliæ usum explicans.* Panormi apud Cyrillum 1650. in 8.

DOMINICUS GUGLIELMINI Catanensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, alter à Dominico Guglielmino Bononiensi, ab editis lucubrationibus celeberrimo. Noster Dominicus Catanæ natus 27. Augusti 1660. in patrio Collegio Soc. Jesu, & inde in Collegio Romano literarum studiis, ac gravioribus disciplinis operam dedit: ibiq; decennio vixit clericali habitu insignitus. Inde politioribus literis dicatus; ob singularem ingenii felicitatem poesi, ac oratoria facultate excelluit: ideoq: in celeberrimas amœniorum literarum Academias exceptus fuit: nempè Romæ inter Humoristas, Infecundos, & Implicatos, italicè *Intrecciati*, Bononiæ inter Gelatos, & Venetiis inter Dodoneos: in quibus non sine laude, plausuque semper auditus. Et tandem in Academia Romana noviter excitata in ædibus Em. Petri Ottoboni S.R.E. Car-

Cardinalis ascriptus, ab eodem Cardinali maximo honoris argumento electus est, ut primum problematicum discursum recitaret, quod fecit in amplissima S. R. E. Cardinalium, & Præsulum confluentium corona. Religionem Minorum Conventualium amplexus, & gravioribus disciplinis addictus, Bacalaurei munus obtinuit. Concionatoris partes magnâ cum eloquentiæ,& eruditionis laude professus est. In multis Siciliæ civitatibus,& oppidis per nõnullos annos quadragesimales conciones habuit cum literatorum approbatione. Bis in Ecclesia Cœnobii Panormitani S. Francisci totius anni conciones dixit, & per Urbem, sive in principe Templo, sive in Regio S. Petri Sacello, sive alibi sæpius à Proregibus Duce Uzedæ, & Duce Veraguæ, ab Archiepiscopo Panormitano D. Ferdinando de Bazan expetitus, & magnâ cum laude auditus. Cæterùm ab honorum fastigiis abhorrens, vel carmina pangẽdo, vel telas pingendo vacat Romæ, anno quo hæc scribimus 1706. Edidit italicè

L'Innocenza Vendicata Azzione Regi-comica Morale. Catanæ apud Bisagnium 1688. in 12. & alibi

Il Re Tiranno opera Regi-Comica. Romæ 1687. in 12.

Hæc in gratiam nobilium Romanorum edidit, quæ Romæ in Collegio Clementino fuerunt recitatæ.

Il Sarmata Trionfante, Ode per la Vittoria di Vienna.

Palermo liberato per miracolo delle Rose. Discorso Allegorico. Panormi typis Augustini Epiro 1694. in 4.

Catania distrutta, con la narrativa di tutte le Città, e Terre danneggiate dal Terremoto nel 1693. Ibidem apud eumdem 1695. in 8. sub anagrammatico nomine Comeindi Muglielgini.

Il Volo della Fama, e il Pado supplicante, Odi in morte della Signora Elena Cornara Piscopia. In libro: *Pompe funebri per la morte dell' Illustrissima Signora Elena Lucretia Cornara Piscopia Accademica negl' Infecondi di Roma.* Venetiis 1686. in 12.

Alia edidit etiam carmina in aliorum laudem expansis foliis excusa. Prælo etiam paravit hæc alia.

I Fiati dell' Alvernia, Panegirici.

Il Postiglione della Critica.

Il Teatro di Cillenio, Discorsi, e Orazioni Accademiche.

I divertimenti del Genio, Poesie.

Il S. Giacomo Intercisο, opera scenica in verso.

Il Tigrane Dramma musicale.

L'Amazone Catanese, o vero la S. Agata, Dramma.

Il Massenzio, Dramma.

La Forza degl'Incanti, Dramma.

L'Empietà in Soglio, o vero il Nerone.

La Berenice, Opera scenica in prosa.

Li Riposi del Pennello, Poesie Pindariche.

DOMINICUS SERPETRUS sive à S. PETRO Panormitanus Ordinis Prædicatorum, emenso studiorum curriculo inter sodales suos Philosophiam docuit: exinde in Sinensi vinea Apostolicus Missionarius per triginta ferè annos insudavit, à virtute, ac regulari observantia laudatus. Claruit anno 1668. In celeberrima de Sinensi cultu controversia, pro Patrum Societatis Jesu opinione, contra Fratrum suorum sententiam, scripsisse tradunt

Epistolam ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide de cultu Sinensi, datam apud Canton 12. Novembris 1668.

Tractatum de Cultu Sinensi, ibidem absolutum 30. Septembris 1670. Utramque lucubrationem edidit P. le Tellier Soc. Jesu *in defentione novorum Fidelium, ac Missionariorum Sinensium par.* 2. ubi *pag.* 218. eximiis laudibus Dominicum extollit, & paucis ante annis defunctum testatur in eadem Sinensi Missione. Hinc Societatis Jesu Patres, virum apprimè doctum, pium, animarum zelo flagrantem vocant, & ubique in editis de hac re libris celebant, ejus integritatem: modestiam, ac sinceritatem laudant. A Dominicanis verò indoctus, rudis, prudentiâ expers predicatur. Calamus juxtà animi motus, solet in diversas abire vias. De Dominico consule Apologiam Missionariorum Sinensium Ord. Prædicatorum, editam Coloniç 1699. *cap.* 18. *pag.* 425. 426. & *cap.* 19. *per totum à pag.* 431. & alibi, vide etiam Dominicum Mariam Fontanam *in monument. Ord. Prædic. an.* 1667. *pag.* 630. Philippum Couplet Soc. Jesu *in libro: Confucius Sinarum Philosophus, sive Scientia Sinensis pag.* 109.

DOMINICUS MONACO' ex oppido Burgii Ordinis Strictioris Observantiæ Sancti Francisci, natus 10. Augusti 1623. ob eximium erga divam Annam, Deiparæ Matrem, amorem, quo ab infantia æstuavit, prædictum Regularium institutum, ipsi mirificè addictum, amplexus est 11. Junii 1640. Insigni morum candore, & inculpatæ vitæ exemplo claruit semper. Virtutes coluit egregias: tenerrimo præsertim animi sensu singulanter ornatus, numquam de Diva Anna sine jucundo lacrymarum fluxu eloquebatur. Multis in Provincia Vallis Mazariæ Cœnobiis præfuit. Pluries etiam Tyrones, ac Ordinis juniores instituit. Obiit demum in patria anno 1703. Hunc laudat Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphicò par. 1. lib. 5. cap. 1. pag.* 571. Italicè evulgavit

Modo devoto per recitare le Nuove Ave Marie in honore de' nuove speciali Privilegii della Gloriosa Madre S. Anna. Panormi typis Dominici de Anselmo 1664. in 12.

Il Trionfo della Fecondità, Vita de' SS. Patriarchi Giachino, & Anna. Parte Prima. Ibidem apud Carolum Adamum 1690. in 4.

Miracoli Gratie, e Favori concessi da Iddio Nostro Signore a' Fedeli per intercessione della Glor. Madrona S. Anna. Parte Seconda. Ibidem apud Thomam Rumolum 1690. in 4.

DOMINICUS OLIVARES Motycensis Sacerdos, eximii ingenii vir. Doctrinam accepit egregiam in Collegio Panormitano Soc. Iesu, ubi Sacræ Theologiæ lauream obtinuit. Humanioribus etiam literis fuit oppidò excultus, & in mathe-

matis

-maticis, ac astronomicis disciplinis insignis. Morum integritate, & virtutibus clarus, cum laude enituit. Panormi, ubi diu vixit, vivere desiit 17. Aprilis anno 1698. ætatis suæ circiter 58. Edidit italicè

Disinganno dell'Atterriti per la celebre conjuntione di Saturno, e Giove nell'anni 1682. e 83. discorso astrologico. Panormi apud Rumolum 1682. in 12.

DOMINICUS PALAMENGHI Agrigentinus, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Patre Gaspare, Iurisconsulto à doctrina, muniisque in patria obitis claro, in lucem editus est anno 1656. literarum studiis dicatus, eâ ingenii celeritate scholasticas disciplinas accepit, ut vix decimum sextum ætatis annum attigerat, cùm humaniorum literarum, Philosophiæ, civilium, & Pontificiorum Jurium curricula jam absolverat. superno lumine vocatus, ut Deo sese dicaret, Patris votis adhærere noluit, qui ex ipsius ingenio spem futuræ gloriæ, ad familiæ suæ beneficentiam, in Jurisprudentiæ tramite conceperat: ideoque proprios lares aufugiens, clam ann. 1672. Septembris, Ordinis habitum suscepit; frustra obsistente precibus, minisque patre, ut ad se Dominicum revocaret. Editâ professione ann. 1674. Catanæ gravioribus facultatibus operam dedit sub Bonaventuræ Belluti disciplina; quo defuncto Mazariæ Franciscum Graseum, tunc Regentis munere docentem, exinde Episcopum Mazariensem, audivit; & Bacalaurei, aliisque scholasticis muniis ornatus est. In Bononiensi Collegio studiorum curricula absolvit, & doctrinâ insigniter cumulatus, Romæ Sacræ Theologiæ laureâ, & Magistri nomine cohonestatus inclaruit. Philosophiam, studiorum moderator, docuit Agrigenti, ac pluries Agrigentino Cœnobio præfuit. Bononiæ ab Em. S. R. E. Cardinali N. Rannuci Archiepiscopo Bononiensi in suum Theologum delectus, ibi doctrinâ mirificè enituit. Politioribus literis insigniter ornatus, inter Academicos Reaccensos Panormi, Inutiles, & Gelatos Bononiæ, & Infecundos Romæ recensitus est: poetica, & oratoria ingenii monumenta magna cum laude protulit. Sacram eloquentiam professus, conciones eruditione, & facundiâ egregiis habuit tum Quadragesimæ tempore, tum etiam extra, Bononiæ, Ferrariæ, Parmæ, Romæ, & in præcipuis Siciliæ Civitatibus. Agrigenti præsertim cineralis jejunii conciones pluries dixit semper cum literatorum plausu. Vivit nunc vir eximius, haud exigua æstimatione apud suos clarus. Edidit italicè

Lo Scudo fatale. Orazione Encomiastica in lode del Santiss. Sacramento dell' Altare. Neapoli apud Dominicum Maccarano 1677. in 4.

Il Giglio che fiorisce reciso. Orazione funerale avuta nel Duomo della Magnifica Città d' Agrigento per le solenni Esequie celebrate alla Cattolica Maestà di Maria Aloisia Borbona Regina delle Spagne, e di Sicilia. Panormi apud Thomã Romulum 1689. in 4.

Orazione eucharistica avuta nella Chiesa di S. Francesco della Felice, e Fidelissima Città di Palermo, solennizandosi à 9. di Gennaro le votive memorie dell' Immacolata Cõcezione di Maria liberatrice de' Terremoti. Ibid. apud Augustinũ Epirum 1696. in 4.

L' Aquila imbalsamata dalle proprie ceneri. Orazione funerale in morte di Anna Maria Regina delle Spagne.

Orazione funerale in morte di D. Domenico Montaperto.

Il Litosforo, ò sia la Pietra Bolognese. Panegirici per S. Petronio.

La Donna Forte. Panegirico della B. Catarina di Bologna.

Felsina giubilante. Discorso Accademico per la promozione al Cardinalato di Monsign. Rannuci.

Felsina addolorata. Orazione funerale per la morte dell' Illustriss. Conte Vincenzo Mareschoti.

Le Maraviglie. Orazione Encomiastica per lo Beato Pio V.

Felsina risvegliata da Imeneo. Epitalamio.

La Bauma. Oda Pindarica per la Madalena.

I Vaticinii. Oda Pindarica nella presa di Neisel.

Apollo dolente. Oda Pindarica per la stragge degli Innocenti.

L'Arione. Oda Pindarica per S. Antonio predicante a' pesci.

L'Invidia abbattuta. Oda Pindarica nel dottorato del Carminati.

L'Asilo dell'Innocenza bandita. Dialogo per l'Immaculata Concezione di N. S.

I Trionfi della Spada Normanna perfezionati dalla lingua di S. Gerlando. Dialogo.

Hæc ferè omnia Bononiæ prodiere, quæ hìc sine annorum, & typographorum notitia exhibui ex incuria illius, cui intererat distinctè omnia transmittere. Quæ carmine etrusco scripsit, sub anagrammatico nomine Nicodemi Palmanerghi, vel Gipomenis Maldachino in lucem emisit. Hæc etiam edenda scripsit Italicè

Parenesi di S. Francesco a' Francescani, o sia Parafrasi à quelle parole del S. Padre, che cominciano: magna promisimus &c. *in fine della Regola de' Minori.*

Il Diogene in ronda. Opera Critica morale, Parte Prima, e Seconda.

Orazioni Encomiastiche Sacre, in lode di diversi Santi.

Orazioni Encomiastiche miscellanee funebri, e morali.

Epistole didascaliche. Risposte dottrinali à proposte erudite.

Lo Svegliatojo de' Regolari, o sia il Religioso istruito in tutti gli stati. Tomi otto.

La Margherita Antiochena. Tragedia sacra.

La Clotilde Tragicomedia sacra.

I Sponsalitii della Fortuna col Vizio. Tragicomedia ideale morale.

La Melpemone. Epicedii in morte di Uomini grandi in lettere, o in dignità. Parte Prima.

La Melpemone. Epicedii in morte d'Uomini di santa Vita. Parte seconda.

L'*Urania: Odi Pindariche miscellanee sacre, e morali. Parte prima, e seconda.*

DOMINICUS LA SCALA Messanensis Medicinæ Doctor celeberrimus, parentibus Salvatore & Gratia Scala honestissimis Messanensibus natus anno 1627. ex libro inscripto: *Galleria di Minerva.*

va Tom. 2. par. 11. p. 362. sed verius anno 1632. ex relatione mihi transmissa ab ejus filio. Ab infantia studiis humanioribus admotus, inde Philosophiæ, & Medicinæ facultatibus, præstantissimi ingenii argumenta omnibus dedit. Anno ætatis suæ 22. Doctoris laureâ acceptâ, medicinæ studia amplexus est, eâ animi contentione, ut florente adhuc ætate Democriti, Paracelsi, & Wanhelmontii sententias sequutus, novam Messanæ scholam excitaverit, quam ab ipso Scalisticam dicunt, quæ Messanæ, & alibi viget: suasque novas sentētias philosophicas, ac medicinales publicè propugnavit, non sine magno labore, ob validissimas adversariorum oppugnationes: sed maximo cum plausu, laudeque singularis ingenii, ac doctiorum admiratione. Ingenium etenim illi erat egregium, in penetrando acutum, in explicando dilucidum, in deliberando celeritate instructū. Studiis mirificè addictus, ea usque ad supremum vitæ indefesso labore protraxit. In Collegio Medicorum Messanensi ex omnium Medicorum suffragio Priorem egit. Nosocomii majoris Messanæ Medicus, in ægrotantibus ad sanitatem restituendis, omnem adhibuit curam, cum magna languētiū utilitate: nā paucis adhibitis medicaminibus, novâ, sed felici methodo, ad pristinam sanitatem innumeros mirabiliter revocavit: à vesicantibus, phlebotomiis, aliisque humani corporis excarnificationibus penitus abhorrens. Anno 1686. honorificentissimè accersitus, ut in celeberrima Patavina Academia publicè medicinam doceret, ne à patriis laribus recederet, oblatum munus recusavit. Attamen haud finem docendi fecit: nam ab ipso ætatis flore, usq; ad supremam vitæ suæ lineam, Messanæ medicinæ præcepta tradidit, magnâ cum discipulorum frequentiâ, qui undique ad ipsum confluebant. Inter præstantiores medicos fuit propositus, ut Pontificis Innocentii XII. curam susciperet, & celeberrimo Marcello Malpighio, amico suo amantissimo, suæque doctrinæ propugnatori, succederet. A Catholico Rege Philippo IV. fuit accersitus, ut lethali ejus morbo medicam navaret operam, unà cum alii s doctissimis viris: at jam decesserat, cùm appulit in Siciliam regia advocatio. In consultationibus verò pro eisdem Regis valetudine, assistentes Medici jam antea ejus doctrinæ oracula expetierant; qui ne venæ sectionem permitterent, monuit, juxtà doctrinæ suæ sententiam: & peritissimi illi Medici opinionem suam amplexi sunt, non sine Literatorum admiratione. Non modò in ejus patria Præsules, Nobiles, Dynastæ, & Regulares, doctrinâ, ac prudentiâ præstantes, singularem ejus doctrinam venerati, magnâ æstimatione ejus medendi rationem amplectebantur; verùm etiam ex aliis Siciliæ locis ad ipsum, veluti ad oraculum, passim confugiebant nobiles, titulis præfulgentes, aliique multi. Ex civitatibus Romæ, Neapolis, Venetiarum, Melitæ, & ex aliis multis Italiæ Urbibus ipsum consulebant: eâque frequentiâ epistolas ad ipsum dabant, ut ob temporis inopiam, non parvâ molestiâ, virum eximium afficiebant, nec omnium vota explere poterat: ejus attamen consultationes in justum volumen coalescerent, si colligere in unum liceret. Non rarò viri conspicui longa itinera aggressi sunt, ut Dominicum cognoscerent, vel ut ejus sapientiam loquentem audirent. Non pauci ut ejus ope à se diuturnos repellerent morbos, Messanam accessere. Vir etsi aspectu Philosophus, attamen in dicendo lepidus, gratusque, morum integritatem servare curavit. Unà cum Uxore unanimi consensu diu cœlibatum vovit: ac defunctâ uxore, clericali habitu indutus, ut sese totum Deo dicatum viveret, Sacerdotio insigniri haud parùm desideravit. Erga pauperes liberalis, ipsos tenero compatientis animi sēsu curabat. Laboris patiens: parcus: in omnibus veneratus: utpote & ipse virtute ornatos nimio venerabatur amore. Tandem ejus famâ longè, latèque diffusâ ex cibi, vinique nausea, morbum contraxit; cui accessit vomitus: quibus omnibus occurrere consuetis præsidiis studuit: sed cùm supervenisset sanguinis fluxus, fractis paulatim viribus, tandem defecit Messanæ 7. Septembris 1697. magno cum Literatorum, ac civium suorum dolore: quem mortuum tum discipuli, tum etiam omnes medicæ facultatis professores ad sepulturam sociarunt: & confluente etiam cujusque ordinis, præsertim nobilium concursu, in sacello Sancti Basilii sepulchro conditus est. Sodalitas nobilissima S. Basilii, quam dicunt Ceruleorum, in qua fuerat adscriptus, singularem æstimationem, quâ prosequntus fuerat sodalem suum, post mortem funeris magnificentiâ detegere curavit: ideoque funebri, altaque extructa mole, luminibus numerosè referta, & inscriptionibus illustrata, benemerenti sodali justa persolvere studuit: & inter Missarum solemnia Orationem de laudibus Dominici eloquenter dixit P. Don N. Moleti Clericus Regularis. Emeritis laudidus eximium virum ornant Sebastianus Rodari Veronensis in quodam libro *de Sanguinis missione*, D. Jacobus Moncada Calvarusi Princeps *in Viridario Amoris pag.* 275. Placidus Bertuccio in libro: *Disinganno al cavar sangue pag.* 32. & 65. liber inscriptus *Galleria di Minerva tom.* 2. *par.* 11. *pag.* 362. P. Nicolaus M. Gennaro *adversus atomos redivivas cap.* 2. *num.* 215. *pag.* 351. Didacus Mataratius *in epist. de prolifica Eclypsis effectibus* eidem Dominico inscripta. Edidit

Phlebotomiam damnatam, sive Avidii, Crysippi Cnidii, Aschlepiadis, Erasistrati, & Aristogenis contra sanguinis missionem doctrinam è vetustatis tenebris in lucem sibi debitam revocatam, & luculentius enucleatam, juxtà leges motus humorum in Orbem. Patavii ex typographia Fratrum Sardi 1696. in 4. Contra librum hunc scripsit Matthæus Georgius, edito libro inscripto: *Phlebotomia liberata*: sed Dominici doctrinam propugnavit Joan. Bap. Vulpinus vir sanè doctissimus, qui edidit, *Epistolam pro Dominico la Scala Medico Messanense, contra Matthæum Georgium*, quam habes apud Carolum Musitanum *in Trutina Medica lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 425. edita Coloniæ Allobrogum 1700. in 4.

DOMINICUS SCALMATUS Messanēsis Poeta, scripsit

scripsit ex Stephano Mauro *in sua Messana cap.* 2. *pag.* 19. librum, cui titulus:

Arcadius Poema.

DOMINICUS STANISLAUS ALBERTUS Panormitanus Societatis Jesu, natus 4. Maii 1655. Societatis institutum amplexus est 12. Novembris 1671. in qua solemnia emisit vota 15. Augusti 1688. Gravioribus disciplinis abundè excultus, ne dum humanas literas, & juniores Societatis Græcam linguam, verùm etiam Ethicam Panormi, & Philosophiam Sicli, Monteregali, & Panormi tradidit, non sine ingenii, & doctrinæ laude. Socium Rectoris Tyronum egit Panormi: nunc Missionibus Siculis præest: & animarum quæstum tum consilio, tum calamo promovet. In eximio viro eloquentiam, pietatem, ac morum comitatem venerantur omnes. Edidit italicè

Compendio della Vita, e Virtù del Venerabile servo di Dio P. Luigi la Nuza della Compagnia di Giesù. Panormi typis Coppola, & Adami 1692. suppresso nomine.

Vita de' Gloriosi SS. Fratelli Crispino, e Crispiniano Nobili Romani. Ibid. apud Augustinum Epirũ 1696. in 8.

Corona di Rose, e Gigli intrecciata di varie divozioni da offerirsi alla Gloriosissima Romitella S. Rosalia Vergine Palermitana. Ibidem apud Felicem Marinum 1698. & apud Augustinum Epirum 1703. in 12.

Corona di Gemme, cioè di varie divozioni da offerirsi in onore del B. Stanislao Kostka Novizio della Compagnia di Giesù. Ibidem typis Josephi Gramignani 1702. in 12.

Dell' Istoria della Compagnia di Giesù la Sicilia, Parte prima. Ibidem apud eumdem 1702. in 4.

Italico sermone adaptavit è Gallica lingua *Pomarium latinitatis P. Francisci Poney Soc. Jesu*, ac prodiit primùm Panormi apud hæredes Petri de Insula 1684. in 12. iterum ibidem typis Felicis Marini 1699. & Michaelis Constantii 1699. in 12. Prælo paravit

Dell' Istoria della Compagnia di Giesù la Sicilia, Parte Seconda, e Terza. in 4.

Vita di S. Castrense.

L'Amore scambievole tra la Santissima Vergine, e Congregati, che frequentarono le Congregazioni à lei dedicate nelle Case della Compagnia di Giesù.

Panegirici.

E



ECPHANTUS Syracusanus, ex Jo: Stobæo *lib.* 1. *eclog. physic.* Lilio Greg. Gyraldo *de Diis Gentium Syntag.* 1. *pag.* 15. Jo: Gerardo Vossio *de hist. Græcis lib.* 3. *pag.* 359. Carolo Stephano *in dict. pag.* 856. Hofmanno *in lexic. tom.* 1. *pag.* 581. & Jacobo Bonanno *in Syrac. Illustr. lib.* 2. *pag.* 333. qui Gabrielem Barrium *lib.* 4. *antiq. Calabr.* & Hieronymum Marasiotũ *l.* 3. *Chron. Calabr. c.* 7. & 8. reprehendit: hi enim Calabrum; ex Crotone Urbe Ecphantum putant. Sanè Jamblicus *de vita Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 36. *pag.* 221. inter Pythagoræ Discipulos Crotoniatas Ecphantum recenset. At ea in Urbe non natum; sed ibi Pythagoram audivisse intelligendum. Fuit Ecphantus Philosophus celebris Pythagoricus, quem Theodoretus *lib.* 4. *de materia, & mundo*, & ex eo Vossius cit. Diophantum vocat. Bonannus cit. ante Aristotelem floruisse tradit, qui ex Laertio *lib.* 5. ir ejus vita, obiit an. 3. olymp. 114. sed quo claruerit anno Ecphantus ignoratur. Scripsit librum

De Regno, cujus fragmentum extat apud Stobæum *ser.* 146. *Quod optimum sit Monarchia pag.* 483. & aliud *ser.* 147. inscripto, *Admonitiones de Regno pag.* 492. Hinc absolvendi Barrius, & Marasiotus, qui à Bonanno criminantur; ait enim hos in errorem lapsos, citantes Stobæum *in ser.* cui titulus: *Admonitiones de Regno*, cùm Stobæus Ecphantum adducat *in sermone, quòd optimum sit Monarchia*; nam bis Ecphantum citat Stobęus locis supra allatis: quòd & observavit Gesnerus *in Biblioth. pag.* 210. Variæ ipsius opiniones, quas docuit, servantur apud Plutarchum *lib.* 3. *de placitis Philos. c.* 13. Galenũ *in hist. Philos.* Gyraldum loc. cit. Originem, Carolum Stephanum cit. aliosque.

ELIAS LUNA Drepanitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo Sacræ Theologiæ Magister; & per annos duodecim Panormi, Messanę, ac Drepani studiorum Moderator. Tum scolasticâ, tũ morali doctrinâ apprimè excultus apud suos inclaruit. Eloquentiâ insignis conciones habuit non sine laude, magno cum animi ardore in præcipuis Siciliæ civitatibus. Dum Romam velificaret, in itinere à Thurcis captus, & in nonnullas trajectus plagas, permaximas pertulit ærumnas. Tandẽ Tunetũ delatus, per anni curriculum durissimè servitutis molestiis oneratus; ibidem acutæ febris ardoribus confectus, sanctè decessit 15. Novembris 1656. Edidit

De censuris in specie Tractatum. Panormi apud Cyrillum 1649. in 4.

Italicè

Trat-

Trattato delle Censure in comune, e vero casi di conscienza appartenenti specialmente a persone Chiesiastiche, e Regulari. Ibidem apud Petrum de Isola 1648. in 8.

ELIAS PANORMITANUS Monachus, ex Jo: Jacobo Adria *de situ Vallis Mazariæ m. s.* quem sequitur Hieronymus Ragusa *in Siciliæ Biblioth. vet. pag.* 100. Scripsit librum

De Lapide Philosophico.

ELISABETH AJUTAMICHRISTO Nobilissima Panormitana ex Misilmerii, & Calatafimi Dominis, Cellari, & Carcachi Baronissa. Literis exculta, poeticæ facultatis studiosa effulsit, & etruscis numeris multa, cum literatorum plausu, cecinit. Decessit Panormi circa annum 1580, & in Ecclesia S. Dominici sepulta est; in cujus tumulo in sacello S. Hyacinthi, ante Ecclesiæ amplificationẽ, hoc insculptũ legebatur epitaphium.

En Lector mira sunt, quæ vides, duas æterno fulgore cintas Cælum celat animas: duo corpora hic tumulat tumulus, unum fuere prius, nunc cinis una est, bina erunt iterum corpora, vivent simul æternè Vincentia filia, & Elisabeth ab Adjuvame Christe, & Belloc cognomento mater pientissima, quæ prius Cellari, & inde Carcachi Baronissa fuit.

Poetriæ hujus meminit clariss. Ioannes Marius de Crescimbeni *in hist. Poes. Vulgar. lib.* 4. *pag.* 280. Non præteream, quæ in ipsius laudem cecinit Philippus Paruta *in Elogiis Siculorum Poetarũ suo tempore defunctorum, m.ss. apud me, num.* 55.

Elisabethæ Ajutamichriste Dominæ Carcachi Panormitanæ.

An Charis est? an Musa? Charis, Charis illa vocanda est,
Quæ Charites omnes, cùm libet, una parit.
At quot habet voces, tot habet sub pectore Musas.
Musa, Charis; Charitum, Castalidumq: Dea est.

In notis verò addit: *Supra sexum sapiens, Majorum suorum decus, nova laude cumulavit.* Scripsit Elisabeth Italicè

Rime: at suorum incuriâ vel periere, vel delitescunt. Nonnulla ejus carmina etrusca prodiere in libro: *Rime in lode dell'Illust. & Eccell. Signora D. Giovanna Castriota Duchessa di Nocera di diversi huomini illustri.* apud Vicum Equensem typis Iosephi Cacchii 1585. in 4. *à pag.* 107.

ELISABETH MARIA A PASSIONE, in sęculo ELISABETH MORSO, ET LANCEA Marchionissa Gibillinæ, Sanctimoniæ famâ præclarissima. Ipsius vitam cùm luculenter scripsissent Bernardus Collis, & Franciscus Sclafani, hìc sat erit summa quædam ejus capita delibasse, juxtà nostri instituti leges. Parentibus Octavio Lancea Trabiæ Principe, & Musomellis Comite, & Ioanna Orreca, & Joenia, Principis Castilioni ex fratre neptis, nata 15. Aprilis 1582. in oppido Trabię, nobilissimæ familiæ splendores virtutibus, rebusque gestis mirificè amplificavit. Anno ætatis 19. Antonino Morso Gibillinæ Marchioni, nobilitate clarissimo, nuptui tradita, ad mundi pompas, & vanitatis adinventa paulatim declinavit, quibus corporis venustas magis eluceret. At oculorum morbo ad meliorem frugem à Domino revocata, neglectâ sęculi gloriâ, Deo se tota dicavit, & in virtutum studio tota fuit. Orationem, corporis macerationem, solitudinem, aliaque christianę pietatis officia frequentavit: & ab omnibus terrenis aliena, divini amoris ignes mirabiliter concepit. Hinc ut in monialium Cœnobio, mundo penitus mortua, soli Deo viveret, summoperè concupivit. Defuncto marito, eodem die, quo vir ejus sepulturę traditus est, statim ad monialium S. Marię omnium Gratiarum Monasterium, sive ut vulgò vocant, S. Viti, sub S. Francisci Regula degentium, convolavit: omnia bona Cœnobio liberalissimè concessit; & obedientię, paupertatis, charitatis, & humilitatis amantissima, supernas delicias degustavit. Ut se patienti Domino Iesu conformaret, tormenta sitiebat: & ut votis satisfaceret suis Dominus, corporis cruciatibus ipsius patientiam adauxit: nam dum ob quędem lapsum in lectulo decũberet, nulla vi impellente, utraque ejus coxa perrupta est: doloribus ideoque mirum in modum dilaniata, corporis pœnas infractâ animi cõstantiâ pertulit: immò inter dolores exultare visa. Simplicia edidit vota (non dum enim clausuram Cœnobio concesserat Pontifex) & cùm spectabilem egregię mulieri se fecisset Deipara, quam tenerrimo animi sensu diligebat, editis heroicę virtutis exemplis, 5. Iunii 1639. sanctè decessit. Post mortem triduò odorem suavissimum, & sudorem mirabilem emisit, ac vividum quasi colorem retinuit. Ad ipsam magna civium multitudo confluxit; & ęgroti nonnulli, adhibitis ejus rebus, corporis sanitatem recuperarunt. Ipsius vitam scripsere Bernardus Collis, & Franciscus Sclafani. De ea etiam Fortunatus Huberus *in Menologio Ord. S. Francisci* 24. *Martii pag.* 922. qui mendosè Elisabeth Sifala vocat, & Jo: Bonifacius Bagatta *in admirandis Orbis Christiani tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *§.* 5. *n.* 39. Italicè scripsit

Lettere Spirituali. has primùm edidit cum ejus vita Bernardus Collis, Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanova 1641. in 8. & iterũ cum aliis in lucẽ emisit unà cum ipsius vita Frãciscus Sclafani, ibidem typis Jo: Baptistæ Aiccardi 1706. in 4.

ELISEUS A S. ROSALIA Panormitanus Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, vir tum gravioribus, tum humanioribus literis excultus. Edidit italicè

Compendio delle parti principali dell'Oratione latina, Panormi apud Michaelem Constantium 1703. in 16.

ELPIS, sive ut aliis placet, ELPES, ELPHE, vel HELPIS mulier præclarissima, Severini Boethii sapientissimi Philosophi, ac Martyris illustrissimi uxor. Etsi inter Romanos scriptores adscribat eruditissimus Prosper Mandosius *in Biblioth. Romana vol.* 2. *cent.* 6. *n.* 91. *pag.* 66. Siculam fuisse indubium est, cùm ejus sepulchri Epitaphium ab eadem editum, apertè hoc ipsum testetur: ibi enim ait: *Elpis dicta fui Siculæ Regionis alumna.* Ipsius patriam nonnulli Messanam

putant. Hanc opinionem omnium primus edidit Io: Petrus Villa de Canibus, Patritius Messanensis apud Arnaldum Wion *in ligno vitæ*, ubi *de familia Anicia*, *grad.* 4. *Anic.* 20. qui de Boetii uxoribus scribens ait: *Uxores duæ fuere, harum prima fuit Elpis Messanensis Sicula, quam D. Joannes Petrus Villa de Canibus filiam facit T. Annii Placidi V.C. & Cons. ac Sororem Faustinæ, uxoris Tertulli Patritii, Matris S. Placidi Martyris; nos verò id non audemus affirmare, cùm testimonia veterũ desint, lector id quod velit sequatur.* Hæc Arnaldus. An verò de patria, vel de cognatione dubitaverit, haud liquet: de utroque aliquis divinaverit; nam utrique opinioni antiqua testimonia deficiant. Attamen hanc opinionem de Messanensi patria amplexus est Joseph Bonfilius *hist. Siciliæ par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 31. ubi Elleptem vocat, & Elpis epitaphium invertit: cùm enim, omnibus testantibus, ita loquatur: *Elpis dicta fui Siculæ regionis alumna,* ipse exscripsit: *Elleps dicta fui Zanglæ civitatis alumna.* Idem Bonfilius *in sua Messana lib.* 7. *pag.* 54. inter Messanenses mulieres illustriores recenset. Messanensem etiam Elpidem volunt Sylvester Maurolycus *in Mari Oceano lib.* 3. *pag.* 271. Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 402. Georgius Gualterius *in animad. ad tabulas Siciliæ n.* 456. *pag.* 179. ex m. s. Nicolai Coxa Canonici Messanensis, qui anno 1466. floruit: idque in thesauro Vrbis Messanæ in membranis asservabatur. Tandẽ hãc sententiã sequuntur Placidus Samperius *in Iconolog. Mariæ Virginis lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 41. *& cap.* 15. *pag.* 93. Stephanus Maurus *in sua Messina cap.* 21. *pag.* 192. Petrus Ansalonius *de sua familia pag.* 336. Carolus Morabitus *in annal. Eccl. Messan. pag.* 371. & in libro: *duo florum fasciculi pag.* 12. Ioseph Ambrosius *in descript. festi epistolæ Marianæ pag.* 124. *&* 475. Hieronymus Ragusa *in elogiis Siculor. pag.* 103. *& in Siciliæ Biblioth. veteri n.* 107. *pag.* 101. aliique. Elpidis pater ignoratur ex Petro Bertio *in præfat. ad librum Boethii de Consolat. Philosophiæ*, sed primæ dignitatis virum fuisse sat incompertum ex ipso Boethio, ut addit Bertius. Attamen Jo: Petrus Villa de Canibus apud Wion *cit. cap. Amicorum Boethii Genus*, ait, quòd filia fuit T. Annii Placidi V.C. & Consulis, ac soror Faustinæ Tertulli uxoris, & S. Placidi Martyris matris: at hoc non approbarunt Wion, & Caetanus, eùm veterum scriptorum testimoniis destitutam hanc opinionem agnoverint. Sed sine hæsitatione, Faustinæ sororem opinantur Elpidem Samperius, Maurolycus, Reina, Maurus, Ansalonius, & Morabitus citati; quibus addo Petrum Antonium Tornamiram *in Progenie S. Rosaliæ disc.* 2. *cap.* 11. *pag.* 215. & Gabrielem Bucellinum *annal. Benedict. an.* 523. Sed à vero aberrasse clarissimè liquet Anselmum Tansum *in Consol. Philosophiæ Boethii*, in italicum sermonem traducta, & Venetiis edita anno 1531. & Humbertum Montismateranum *in vita Boethii* Romæ excusa, cum eodẽ Boethii libro, qui Elpidem Symmachi Romani Senioris filiam fuisse tradidere. Elpis, igitur Anicio Manlio Severino Boethio Viro Consulari, ac Consuli doctrinã illustri, sed ob martyrii gloriã longè præclarissimo nupsit, quo nihil apud scriptores certius, nam præter auctores supra adductos, id ipsum affirmant Baronius *annal. tomo* 7. *an.* 547. Petrus de Natalibus *in Catalago SS. lib.* 9. *cap.* 99. Wernerus Rolenvinch *in fasciculo temporum pag.* 38. Ludovicus à S. Carolo *in Biblioth. Pontificia lib.* 2. *pag.* 301. Jacobus de Voragine *in vita Pelagii Papæ*, Vossius *de Poetis latinis cap.* 5. *pag.* 63. Gulielmus Cave *in script. Ecclesiasticorum hist. literaria an.* 510. *pag.* 274. Morerius *in dict. tom.* 2. *pag.* 140. Gyraldus *de Poet. hist. dial.* 5. *pag.* 219. aliique. Hinc refellendus Georgius Gualterius *in animad. ad tab. Sicil. n.* 456. qui, ex Antonini Amici monitione, scripsit, Elpidem nõ laudati martyris Boethii uxorem fuisse, sed alterius Boethii Severi Torquati Romani: quod Amicus scripsit in opusculo *de origine Prioratus Messanensis m. s.* apud me; ubi & peculiarem lucubrationem hac de re scripsisse innuit. Eo fundamento innixus hanc protulit opinionem Amicus, quòd Elpis ex Jacobo Bergomẽsi obiit anno 540. Boethius martyrio coronatus est anno 526. Hinc cùm Elpis in epitaphio suo testetur, se præmortuam viro suo, pugnare videtur, quòd Elpis martyris Boethii fuerit uxor: alio ergo Boethio nupsit. Martyris autem Boethii, addit Amicus, fuit Rusticiana, quæ marito superstes anno 540. vivebat, ac bonis omnibus spoliata, panem emendicabat, ex Procopio *lib.* 3. *de Bello Gothico*. At Reina, Maurus, & Morabitus citati rectè deceptum agnoscunt Amicum, utpote duobus erroribus fundatum. Horum unus est, Boethium uxorẽ tãtùm habuisse Rusticianam: sed ante Rusticianã Elpidem duxit uxorem, ut ait Arnaldus Wion loc. cit. *Uxores ei duæ fuere, harum prima fuit Helpis Messanensis Sicula . . . . Secunda Boethii uxor Rusticiana Symmachi Patritii filia.* Bertius *in præfat. cit.* ait: *Duxit autem uxorem primam Elpidem Siculam*, & infra: *Defunctã Elpide, Boethius secundam uxorem duxit Symmachi Senatoris, & Consularis filiam Rusticianam.* Addo, quòd ipsemet Boethius in libro *de consolat. Philosophiæ lib.* 2. *prosa* 3. fatetur se plures habuisse Soceros, ubi Philosophia Boethio alloquens, ait; *quis non te felicissimum cum tanto splendore Socerorum*. Error alter est, quòd Elpis non obiit ann. 540. sed 504. ex Octavio Caetano *in Idea Sanctor. Siculor. pag.* 26. Rusticiana verò Boethio superstes fuit, teste Baronio *an.* 547. *num.* 14. cum Procopio cit. & Leonardo Aretino *lib.* 3. *de Bello Gothico*. Hinc errasse comperimus Joannem Petrum Villa de Canibus cit. à Wione rejectum, ait enim: Elpidem eamdem fuisse, ac Rusticianam. Fuit ergo celeberrimi Boethii uxor nostra Elpis, illius, inquam, Boethii, qui à sapientiã clarus, Philosophus dicebatur: ab editis libris præstantissimus: ter Romanus Consul, & demum sæviente Theodorico Rege, in vincula conjectus, post diuturnum carcerem, martyrii coronam accepit anno 526. inter Sanctos relatus, ut testantur Wion, & Bertius citatus, quibus addo Ferrarium *in Catalogo Sanctor. qui in Martyrologio Romano non sunt* 23. *Octobr. pag.* 415.

Petrum

Petrum de Natalibus *in Catalogo Sanctor. lib. 9. cap.99.* & Baronium *ann. 526.* Filios Boethio genuit Elpis Patritium, & Hypatium, quos anno 500. Senatoria dignitate ornatos inspexit, teste Bertio citato: etsi Cave cit. hos ex Rusticiana secunda uxore Boethium suscepisse velit, quòd falsum; nam si Elpis an.504. decessit, & Patritius,& Hypatius Senatores claruere an. 500. ut ipsemet Cave fatetur, non Rusticianæ, sed Elpidis filii censendi. Fuit Elpis esageratis virtutibus insignita, quas enumerat, & laudibus ornat Morabitus *in duobus florum fasciculis pag.15.* Vernerus *in fasciculo tempor. cit.* devotam, ac prudentissimam vocat. Wion doctissimam,& æquè Sanctissimam. Anselmus Tansus in traductione Operis Boethii *de consol. Philosophiæ,* Mulierem dignissimam, castam, omnium virtutum genere, ac sanctimoniâ ornatam prædicat; ideoque parum abfuit, quin Octavius Caetanus in Sanctorum Siculorum fastos adscripserit, ut ipse tradit *in Idea Sanctor. Siculor. pag. 26.* Ex diuturna viri sui familiaritate mirum in modum in pietatis, ac scientiarum cognitione profecit.: ingenii verò sui dotes, animi pietatem, candoremque suum, ea quæ exaravit apertissimè testantur. Pluries Sanctam vocare non dubitavit Petrus Antonius Tornamira *in Progenie S. Rosaliæ disc. 2. cap. 11. pag.215. 216. 218. & seq.* qui *pag. 219.* ait, bonorum suorum partem Ecclesiæ Romanæ piè donasse,quòd apud alium non lego. Ex quorumdam sententia Ticinum digressa ad Boethium virum, ea in urbe carceribus mancipatum,ibi,ut tradit Wion,obiit, viro suo superstite, ibidemque sepulta est. Id ipsum placet Reinæ, Samperio, Maurolyco, Caetano, Tornamiræ, Gabrieli Pannoto *in historia Tripartita lib. 3. cap. 36. §. 7.* & Josepho Mariæ Bellino *in respons. apologetica ad Lychnum Chronologico-Juridicum Joan.Gasparis Berrettæ cap.5. pag. 95.* qui addunt sepulchro traditam in vestibulo Ecclesiæ S. Petri in Cœlo aureo. Hoc verò nonnulli falsum putabunt; nam, ut innui, obiit Elpis anno 504. Boethius autem Ticinensi carceri fuit addictus anno 523. ut ex Bertii narratione,quam sequitur idem Reina, habemus: scribit etenim, quod Boethius dum in studiis versaretur, ac multa lucubraret, *eripitur ipsi Elpis fida curarum, & gaudiorum socia.* Inde, ut sequitur, secundam duxit uxorem Rusticianam, & anno 522. tertiùm Consul electus est; eoq; in consulatu propugnando justitiæ jura, multorum, & in primis Theoderici odium sibi concitavit; ideoque sequenti anno 523. Ticinum relegatus, & in vincula conjectus, randem anno 526. obtruncatus occubuit, & in vestibulo S. Petri in Cœlo aureo conditus est. Si ergo obiit Elpis anno 504. quomodo virum vinctum sequuta est Ticinum anno 523?Esto quòd floruerit Elpis circa annum 522. ex Bartholomæo Gavanto *in Rubr. Breviarii sect. 5. cap. 6. pag.53.* (qui sibi contrarius in auctorum indice vixisse ait an.610.) omnino à ratione alienum est, quòd mortua Elpide, dum Boethius in carceris squaloribus languebat, secundam duxerit uxorem Rusticianam. Addo, quòd Elpidis epitaphium non Ticini, sed Romæ olim in porticu Divi Petri fuisse ait Georgius Gualterius *in tabulis Siciliæ pag.73.* Janus Gruterus *Inscript. pag. 1166.* & Joan. Gaspar Berretta *in Lychno Chronologico-Juridico num.62.* apud Bellinum citatum; ideoque verisimilius videtur, Elpidem Romæ defunctam, & sepultam. Epitaphium verò, quod ipsa sibi conscripserat, hoc est.

Elpis dicta fui, Siculæ Regionis alumna,
Quam procul à patria conjugis egit amor.
Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
Cumque viro solùm spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
Majorique animæ parte superstes ero.
Porticibus sacris, jam nunc peregrina quiesco,
Judicii æterni testificata thronum.
Neve manus bustum violet, ne forte jugalis
Hæc iterum cupiat jungere membra cinis.

Ita multi ex citatis auctoribus Elpidis epitaphium exscribunt. Bertius verò in dubium revocat, Elpis, an Boethius hanc sepulchralem inscriptionem concinnaverit. Ex supra narratis cave lapsum Samperii, cui Elpidem floruisse placet anno 530. quem annum mèdosè exscripsit 1030. Hieronymus Ragusa tum *in elogiis Siculor. pag. 106.* tum *in Siciliæ Biblioth. veter. pag. 102.* sicut & errorem Bonfilii, qui *in hist. Siciliæ par.1. lib.1. pag. 31.* epitaphium distortum exhibet, & Elpidē Mediolani quiescere tradit; & in errorē Josephum Perdicarum *in Vitis Sanctor. Siculor. pag. 129.* traxit. Ne ipsius memoria consenesceret, ejus effigies marmori affabrè insculpta fuit, quæ Panormi, dum aliqua Collegii Panormitani Soc. Jesu fundamenta effoderentur, inventa est: & anno 1643. Urbs Messanæ à Collegii Rectore P. Petro Villafrates obtinuit; ibique asportata, in Senatoriæ domus sacello collocata fuit, hac adjectâ inscriptione.

D. O. M.

Elpis Matronæ Nobilissimæ Mess. insignis Poetriæ, Magni Boethii viri Consularis sanctimoniâ conspicui uxoris, etiam in exilio conjunctiss. SS. MM. Placidi, Flaviæ, Eutichii, & Victorini amitæ à sorore Faustinæ faustissima fœminæ, vetustissimum hoc marmoreum signum S. P. Q. M. dono à Patribus Societatis Jesu datum in hac domo Senatoria posuere.

Senatores

D. Marcellus Cirinus Eques S. Jacobi, D. Carolus de Gregorio, Fr. Antoninus Gotho Eques Hierosolymitanus, Joannes Leonardus Caloria, D. Franciscus Ozes, Thomas Svaglies.

Anno Domini
M. DC. XLIII.

Ob ingenii elegantiam,ac diuturnā sapientissimi viri familiaritatem nostra Elpis doctissima fuit; ideoque, Gyraldus *de Poetar. histor. dial.5. pag. 219.* à probitate, literarum disciplinâ, & in primis à poeticis studiis Elpidem laudat. Bertius etiam tradit, quòd non modò probitatis, sed etiam literarum laude celebris vixit: in primis poetices amans. Petrus de Natalibus, Rhetoricâ eruditione insignem prædicat:et si Anselmo Tanso cit. credimus, latinis, græcisque scientiis instructa,

structa, ac familiari eloquentiâ ornata claruit. Omnes verò, qui de Elpide scripsere, Poetriam præclarissimam vocant. Multa lucubrasse pro cōperto habeo, sed ex ejus ingenii monumentis tātummodo, præter Epitaphium supra relatum, supersunt

Hymni in Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum laudem, quorum primus incipit: *Aurea luce*; alter: *Doctor egregie*, quos leges eo modo quo fuerunt ab Elpide scripti, in antiquis Breviariis, & apud P. D. Josephum Mariam Thomasium *in suo Hymnario pag.* 49. & 61. qui Hymnos alios pro ijsdem Apostolis incipientes: *Petrus Beatus*, & *Quodcumque vinclis*, simul cum prædictis ab Ecclesia decantari solitos, (à Gavanto *in Rubr. Breviarii sect.* 5. *cap.* 6. *pag.* 53. & 54. Thoma Tamburino in traductione Boethii *de consol. Philosoph. pag.* 15. aliisque Elpidi adscriptis) *pag.* 47. Paulino concedit. Hos autem Hymnos in nova Breviarii reformatione, expolitos invenies, unum 25. Januarii in Conversione D. Pauli, qui incipit: *Egregie Doctor*. Alium 29. Iunii in festo Sanctor. Petri, & Pauli, cujus initium: *Decora lux*. Tertium in eodem festo ad laudes, qui incipit: *Beate Pastor*. Quartū denique: *Quodcumq, in Orbe*, decantatur in festo utriusq; Cathedræ 18. Januarii, & 22. Febr. & in festo S. Petri ad vincula primo Augusti. De his vide Alexandrū Calanatū *in expositione Hymnorum, pag.* 211. & *seq.* & Gregorium Valentianum in Hymnodia Sanctor. Patrum *to.* 1. *tr.* 3. *pag.* 413. 418. 421. & 424. Joannes Caramuel *in Rhytmica art.* 5. *pag.* 95. scribit, Lupum de Vega in libro *Laurel de Apolo sylv.* 4. putasse, metrum Heptasyllabum, seu Heptametrum, quo recensitos hymnos Elpis scripsit, ab eadem Elpide inventum: at hanc sententiam non approbat idem Caramuel; nam ante ipsam Divus Augustinus hoc metro cecinerat.

EMMANVEL CALASCIBETTA Platiensis Clericus Regularis, pietate, ac doctrinâ conspicuus. Regularem institutum amplexus anno ætatis suæ 13. die 23. Augusti 1635. solemnia emisit vota Panormi 2. Februarii 1637. Exacto studiorum curriculo, ab ipso ætatis flore animarum zelo æstuavit; ideoque, eodem instante, à Sacra Congregatione de Propaganda Fide anno 1648. Apostolicus Missionarius cum aliis electus est, ut Evangelii facem in Orientalem Iberiam deferret, teste Josepho Silos *in histor. Cler. Regul. par.* 3. *lib.* 9. *pag.* 362. sed cùm à nonnullis impedimentis ea expeditio, Superiorum nutu, fuisset dissoluta, animi ardorem detegere haud neglexit. Gravioribus disciplinis excultus, Theologicâ doctrinâ eminuit: sed ferventiùs pietatis studia sequutus, absolutissimâ perfectione cumulatus effulsit: aliosque in spirituali itinere sanctè direxit. In Hispaniam oblegatus apud Regiam Aulam, ac Magnates, ne dum doctrinâ, verùm etiam vitæ integritate, ac animarum zelo insignis effloruit, multaque ad pietatem fovendam instituit. Inter alia non prætermittam, quòd ibi læthali oppressus morbo, dum animam ageret, cōtra Medicorum sententiam, Divæ Rosaliæ ope pristinæ valetudini mirabiliter restitutus fuit, recurrēte die anniversariæ solemnitatis ejusdem 4. Septembris: ideoque in grati animi significationem, sacellum nobilissimum S. Rosaliæ excitavit in Tēplo Matritensi S. Caetani Clericorum Regulariū, quod solemni ritu, ac pompâ dicari, ac ejusdem Sanctæ Virginis festum institui curavit: ibique adhuc singulis annis Regiâ magnificentiâ festum, unà cum Octava ab ipso Catholico Rege, Regii Consilii Proceribus, aliisque Dynastis celebratur, ut ex Epistola nūcupatoria Vitę D. Rosaliæ ab ipso Emmanuele conscriptæ, & ex relatione ab Hispanis viris accepta compertum est. Præpositi munere domum Matritensem rexit. A confessionibus fuit Vitaliani Viceccomitis Botromei Ephesini Episcopi, exinde S. R. E. Cardinalis, tunc apud Catholicum Regem Sanctæ Sedis Nuntii: ac etiam præcipuorum Magnatum. Ob egregias virtutes, vitæque sanctimoniam, quibus ubique enituit, omnium venerationem promeruit. Regularis disciplinæ studiosissimus, singularium virtutum exempla reliquit. In corpus præsertim suum miris pœnitentiæ legibus sæviit. Erga Sanctissimam Eucharistiam obsequentissimus, quà doctrinâ, quà exhortatione quotidianam communionem magno cum animarum fructu excitavit. Corporis, & cordis puritatem servare studuit: ac summopere curabat, ut alii Deo se dicarent, Regularium Ordinibus mancipati. Demum Matriti non sine sanctitatis opinione decessit primo Novembris 1673. Funus magno populi, Nobilium, & Aulicorum concursu celebratum: ac de ipsius virtutibus inter Missarum solemnia funebrem Orationem dixit P. D. Hieronymus Vigintimillius Cler. Regul. nunc Episcopus Liparensis. Ejus vestes à confluentibus discissæ, ut veluti sancti viri reliquias servarent. Ipsum laudant Silos *loc. cit.* & *lib.* 12. *pag.* 562. Franc. Maria Magius *de sacr. Cæremoniis opusc.* 2. *disq.* 21. *pag.* 189. & Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hispana par.* 2. *pag.* 353. Edidit Hispanicè

Enseñanzas Espirituales, o ver Dios te de Dios. Matriti apud Thomam Sanchez 1648. in 16.

Oracion jaculatoria. Ibid. apud eumdem 1648. in 16.

Vida del Glorioso, y bien avventurado P. S. Gaetano Tiene. Ibidem apud Paulum de Vidal 1653. in 4.

Coronacion Real, sermon Panegirico en applauso de la Profession solenne, que hizo dia de la SS. Trinidad Sor Rosalia Maria de la Trinidad Carmelida descalça en la Villa de Caravacca. Ibidem apud eumdem 1665. in 4.

La Rosa de Palermo antidoto de la peste; y de todo mal contagioso. S. Rosalia Virgen esclarecida, fina amante de Jesus, que vivio Anacoreta, y solitaria en los desiertos. Su celestial vida la escrive el R. P. D. Manuel Calasibetta &c. Ibidem typis Bernardi Villadiego 1668. in 4.

EMPEDOCLES Agrigentinus nobilissimus, non modò Philosophus celeberrimus, verùm etiā Medicus, Poeta, Historicus, & orator egregius. Si Empodoclis omnia per otium colligerem, in librum

librum sanè coalescerent. Præstantiora seligam. De ejus patre multæ scriptorum sententiæ. Metonem vocant Hippobatus, & Timæus: Archinomum Telauges: Exanetum Satyrus apud Laertium *lib. 8. in Empedoclis vita*: Melitonem Ioannes Tzezes *hist. chil. 1. cap. 58.* Archiomium ex aliis à Goltzio *in Siciliæ hist. post. pag. 86.* vocatur: Xanet à Suida *tom. 1. pag. 889.* Agrigentinum fuisse nil inter scriptores certius, nec confirmatione indigemus, cùm longa scriptorum series id ipsum clarissimè tradat. Sit pro omnibus Laertius cit. qui ipsius Empedoclis testimonium adducit, ait enim. *Empedocles Agrigentinus fuit.* & infra: *quòd autem Agrigentinus ex Sicilia fuerit, ipse in primo lustrationum refert.*

O Socii ingentem flavas Acragantis ad undas,
Vrbem qui colitis positam sub mœnibus altis.

Repellenda ideoque Philippi Bergomensis sententia singularis, qui *in supplem. Chron. lib. 5.* Empedoclem Atheniensem fuisse putat: ut etiam illa Petri Opmeeri *in opere Chronico*, qui Syracusanũ opinatur, his Ovidii carminibus innixus *in Ibin*:

Vtque Syracusio præstricta fauce poetæ,
Sic anima laqueo sit via clausa tuæ.

Hic etenim inconsultò putat Ovidium de Empedocle loquutum; meritò à Jacobo Bonanno *in Syrac. Illustr. lib. 2. pag. 247. & 285.* rejectus, nam tum Bergomensis, tum Opmeerus contra omnium mentem, ac sine aliquo rationis fulcimento scripsere. Studiis addictus noster Empedocles Parmenidem audivit, ex Suida *tom. 1. pag. 889.* quòd ex ætatis diversitate haud consistere videtur Vossio *de Poetis Græcis cap. 6. pag. 33. & 35.* Alii Xenophanis, alii Teleaugis Pythagoræ filii, alii Anassagoræ, alii Architæ, alii tandem Pythagoræ discipulum fuisse putant, ut videre est apud Suidam *cit.* Laertium *in vita Empedoclis, & in vita Pythagoræ*, Jamblicum *de vita Pythagoræ cap. 23. & 36.* Gyraldum *dial. 3. de Poetar. hist. pag. 98.* Vossium *de hist. Græc. lib. 4. cap. 2. pag. 437. de Poetis loc. cit. & de Philosophia cap. 11. §. 15. pag. 84.* Leonardum Cozzandum *de magisterio antiq. Philosophor. lib. 5. cap. 3. pag. 322.* Telaugem audiisse etiam scribit Eusebius *lib. 10. præp. Evang. cap. 3.* Theodoretus *lib. 2. de curat. græc. affect.* & Tzetzes *histor. chil. 1. c. 58.* sed ex Cozzando cit. Pytagoram, vel Teleaugem, vel ex Pythagoricis aliquem audivisse, patet argumento metempsychosis, hoc est transmigrationis, animarũ, cui fidem præstitit: ideoque ipsemet Empedocles apud Laertium cit. Philostratum *in Vita Apollonii lib. 1. cap. 1.* Ælianum *de animal. lib. 12. cap. 7.* aliosque cecinit:

Ipse puer quandoque fui, quandoque puella,
Arbustum, & volucris, gradiensque per æquora piscis.

Vide Vossium *de Philosophorum sectis cap. 6. §. 38. pag. 42.* qui ex his, & ex carminibus in laudem Pythagoræ editis apud Porphyrium, & Jamblicum *in vita Pythagoræ*, inter Pythagoricos accenset. Hinc ex Hieronymo apud Hofmannum, omne quod vivit, & movetur non edendum putavit, sicut Pythagoras docuit; & præsertim à fabis abstinendum dixit: ideoque apud Clem. Alexandrinum *lib. 3. strom.* carmen legitur:

Par est quippe fabam, atque caput corrodere patris.

Quod Empedoclis esse opinatur Vossius *citatus pag. 43.* Sanè, eodem Vossio teste, Empedoclis illud est apud Gellium *lib. 4. cap. 11. Noct. Att.*

Ter miseri, nolite fabas attingere manu.

At subdit Vossius §. 39. Gellium sequutus, non sine rationis soliditate, forsan Pythagoram, & Empedoclem de fabarum abstinentia symbolicè loquutos, nempè, non à Fabis, sed à Veneris proluvio abstinendum docuisse. Parmenidis imitatorem, & ipsius æmulum in poematibus fuisse ex Theophrasto, tradit Laertius: at Hermippus apud eumdem non Parmenidis, sed Xenophanis imitatorem fuisse scripsit, postmodum Pythagoricis congressum esse. Ex Anassagora, Laertio teste, constantiam, gravitatem, & habitus; ex Pytagora verò, rationes de natura accepit. Fazellus *de reb. Sicul. dec. 1. lib. 6. cap. 1. pag. 134.* ex eo Anassagoram audivisse deducit, quod ea quæ de rerũ natura docuit, magna ex parte cum Anassagoræ sententiis cohærent. Id sanè certum, præstantissimum Philosophum fuisse. Nec egregii ingenii dotes inter Philosophiæ limites continuit, sed ad alias etiam facultates protendit: ideoque Poesi excelluit. Ex Neante Laertius tradit, Pythagoricos usq; ad Philolaum, & Empedoclem, ad Sermonum communicationem admitti solitos: ubi verò Empedocles poemata sua evulgare cœpit, editam esse legem, ut versificator omnis inde excluderetur: quod confirmat Gyraldus *cit. p. 99.* Sed cùm poematibus suis naturæ res cecinerit, à multis versificator potius, quàm poeta existimatur: adhuc enim sub judice lis est, an inter Philosophos, vel Poetas recensendus sit, ex Lactantio *lib. 2. divin. instit. cap. 13.* Aristoteles sanè Physicis potius quàm Poetis addendum docet. Hanc verò quæstionem etiam de Lucretio, Nicandro, Hieronymo Fracastorio *in sifilo*, Arato, Manilio, Jo: Pontano *in Vrania*, Hesiodo, et Virgilio *in Georgicis*, exagitant multi, quos inter Poetas excipiendos dubitant. De hac re consule Paulum Benium *in Poet. Aristotelis cap. 1. par. 9. à n. 77.* Magium, Robortellum, Riccobonum, Minturnum *art. poet. lib. 1.* & alios qui *lib. 1. Poeticæ* Aristotelis explanant; eruditiss. Hyacinthum Gimmam *in Elogiis Academ. Roscian. par. 2. pag. 50.* & præcipuè de nostro Empedocle, longam instituit dissertationem Patritius *in poet. decad. disp. lib. 7. per totum*, qui inter Poetas recensendum putat, ac Homero præferendum. Inter illustriores Poetas Empedoclem excepere Quintilianus, Horatius, Dionysius Halicarnasseus, Strabo, Plutarchus, & Sextus apud Patritium cit. quibus addo Ciceronem *lib. 1. de oratore*, qui Epedoclis opus de rerum natura, *egregium poema* vocat; & *in l. de amicitia*, carminibus vaticinasse tradit, Gyraldus cit. Vossius *de Poetis Grecis cap. 6. pag. 33.* & Laurentius Crassus *de Poetis Græcis pag. 182.* inter Poetas ascribunt. Poetam & quidem Homericum fuisse testis est Aristoteles *de Poetis*, qui & acutum in dicendo, translationibus, cæterisq;

po-

poeticis figuris refertum fuisse addit apud Laertium cit. & apud Abrahamum Gravium *de historia Philosophica lib. 2. cap. 11. pag.* 180. Ingenii excellentiâ Rhetoricæ artem adjuvenit, ex Aristotele *in Sophista* apud Laertium tum *in vita Empedoclis*, tum *in vita Zenonis Eleatis*, Quintiliano *inst. orat. lib.* 3. *cap.* 1. Suida *in Zenone*, Polydoro Virgilio *de rer. invent. lib.* 1. *cap.* 13. Sexto Empirico *lib.* 8. *contra Mathem.* Vossio *de Rhetor. nat. & constit. cap.* 9. *pag.* 61. Francisco Patritio *Poet. dec. hist. lib.* 1. *pag.* 72. aliisque apud Vincentium Auriam *in Sicil. Inventrice cap.*8. §.1. *pag.* 21. *& in meis ad ipsum addiction. pag.* 134. ubi cum Bonanno Syrac. *Illustr. lib.* 2. *pag.* 306. aliqua hujus artis tetigisse scripsimus; nam ejus perfectionis gloriam Coraci, & Tisiæ Syracusanis debemus; quod ex Quintiliano cit. deducitur, qui Empedoclem aliqua circa Rhetoricam movisse scribit. Fuit noster Empedocles Orator clarissimus, quem Gorgias Leontinus audivit, teste Laertio, Suida, & Patritio cit. Empedoclem etiam audierunt Corax, & Tisias prædicti, ex Patritio. Audit Cozzandus *cit. pag.* 331. ab eo clariorem oratorum nobilissimam originem duxisse. Fuit etiam Medicus egregius, ex Laertio, Cornelio Celso *in præf.* Petro Castellano *in vitis Illustr. Medicor. pag.* 44. aliisq; Doctissimos scripsit de Medicina libros; & Heraclide teste apud Laertium, Empedocles Pausaniæ dictavit, quæ iste de Apno scripsit, quo cadaver ad triginta dies incorruptum servatur, ut ipsemet experimento probavit. Ex Galeno *de Hippocratis, & Platonis decretis lib.* 9. *cap.* 5. humanitate, & benignitate medebatur. Ob singularem verò medicam doctrinam tumidus, elatusque divinos honores, ambitionis studio, perquisivit, ut ex infra dicendis apertè patet, & omnia curare mala, & senectutis morbis se mederi jactabat, ex Tzetze loc. cit. Musices etiam fuit peritissimus, ideoque ex Philippo Bergomense *in supplemen. Chron. lib.*5. Vossio *de Musica cap.*4. *num.*16. *pag.*45. & Josepho Blancano *in Chronol. Mathem. pag.*42. musicis modulis adolescentis animum composuit, qui urgente furore, patris sui interfectorem, stricto jam ense, occisurus persequebatur. Jamblicus verò *in Vita Pythagoræ lib.*1. *cap.*25. *pag.*110. ait, quòd Empedocles adolescentem, quòd patrem suum publico judicio, capitis supplicio damnasset, cantu furentem placavit. Vide etiam Nicolaum Scutellium *in Vita Pythagoræ pag.* 8. qui addit in flectendis quoquò vellet concentu, sonoque hominum præcordiis, illustrissimum inter Pythagoricos inclaruisse: & ex metallorum sonitu cudentium Fabrorum, diapaton, diapente, & diatesseron, proportionem, & organa musica haud pauca, Tetacordum, Heptacordum, Monocordum, & Pentacordum constituisse. Magicis artibus operam dedit, quas ut edisceret multas peragrasse regiones tradit Plinius *hist. nat. lib.*30. *cap.* 1. in his autem discipulum, & spectatorem habuit Gorgiam, ut ait Laertius: ideoque nonnullis magicis potius, quam Philosophicis experimentis in sui admirationem omnes traduxit. Futuras tempestates prædicere solitus erat, quibus remedia objiciebat. Hinc cùm Etesiis flantibus, fruges corrumperentur, asinos excoriari jussit, factisque utribus, ipsos supra montium, colliumque vertices constituit, quibus ventorum impetus fregit: inde Alexanemos, quòd ventos arceret vocatus, ex Jamblico *lib.*1. *cap.*28. *pag.* 128. & Porphyrio *in Vita Pythagoræ pag.* 19. Colysanemon, idest ventorum inhibitor vocatur à Laertio cit. Suida *tom.* 1. *pag.* 209. *&* 890. Clemente Alexandrino *lib.*6. *strom.* aliisque: id verò magicæ arti adscribit Martinus del Rio *disquis. magic. lib.*2. *quæst.*9. *pag.*57. & Raynaudus *in Theolog. naturali dist.*4. *qu.* 4. *artic.* 2. *num.* 274. At Hieron. Mercurialis *var. lect. lib.*4. *cap.*14. *pag.*94. ait, hanc historiam multis parùm fide dignam videri: verisimiliorem putat, ex Plutarcho *contra Colotem*, quòd cum animadvertisset gravem quemdam, & pestiferum austrum per montium scissuram in campos emitti, eâ obstructâ, peste, & sterilitate è loco avertit: quod etiam S. Gregorius infra citandus, innuit. Petrus Castellanus *in Vitis illustrium Medicorum pag.* 44. narrat, ventos sterilitatem minitantes, extructis circa montium angustias muris, avertisse. Addit Gyraldus, quòd ne dum ventos propulsavit, verùm etiam aeris vitia depressit: ideoque inditum ipsi nomen Alexanemian. Hac de re nimis elatè gloriatur, editis carminibus apud Laertium. Pestilentiam etiam, quæ multos in locos grassabatur, exterminavit, adhibito ignium suffitu, ut Plinius scribit *lib.* 36. *cap.*27. Alibi etiã sævissimam extinxit pestem occluso quodam mõtis hiatu, è cujus corruptis visceribus insalubrem efflare austrum animadvertit, teste Plutarcho *de curiositate, & in opusc. contra Colotem.* E' Selinuntinorum civitate, ejusque agris aeris infamiam substulit: nam in adiacentem amnem (è quo noxii alitus exsalabant, ac pestem intulerant,) duorum fluviorum aquis non longè defluentibus derivatis, ex aquarum commixtione, pestis causam diluit: ut habet Laertius, & Golzius *de Sic. hist. post. pag.* 86. & *alibi* Mathematicis disciplinis imbutum prædicat Faber *de Poetis Græcis par.* 1. *pag.* 71. Libero animo ornatum testatur Aristoteles apud Laertium, & ab omni prorsus dominandi ambitione alienum: patriæ enim absolutissimum imperium, ab Agrigentinis sibi ultrò oblatum, constantissimè recusavit: ac vitæ tranquillitati regios honores prætulit: immò apud cives æqualitatem servari curavit, constituto triennali magistratu mille hominum; adeout cujuslibet ordinis viri in eum deligerentur. At simultates semel cõceptas, pertinacissimè exercebat: hinc exortum proverbium: *Empedoclis simultas*, ex Suida *pag.* 890. Gyraldo cit. & Manutio *in adagiis pag.* 925. Sed gloriæ stimulis actum nonnulli scribunt, ac divinos honores sibi deferri curavit: ideoq; auream coronam in capite, Delphicas coronas in manibus, calceosque æreos in pedibus gestare solitus: purpurâ, ac aureo strofio indutus, comâq; prolixa, tumidè in civitatibus deambulans, plausus, ac divinitatis honores aucupare contendebat, ut inter alios scribunt Suidas *tom.* 1. *pag.*

209.

209. & 889. Ælianus *var. histor. lib.* 12. *cap.* 33. Gyraldus, Patricius, Faber, Hesychius, & Laertius, qui cum Hesychio addit ex eadem causa, multas puellas, elargita dote, nuptui tradidisse. Ipseque Empedocles divinum nomen usurpasse, patet ex suis carminibus apud Laertium cit. Philostratus etiam *in vita Apollonii lib.* 8. *cap.* 3. ait in capite purpuream vittam gestasse, Diis affigi solitam: eoque signo Græciæ urbes perambulans, hymnos concinnabat, in quibus Deum se futurum jactabat. Sed in his carminibus:

At cur insisto his tamquam magnum quid agatur,
Mortales à me si homines superantur abundè,

Empedoclem defendit Sextus Empiricus *cap.* 17. *contra Mathematicos*; ubi ait, hæc scripsisse non arrogantiâ dementatus, sed ex mentis candore, utpote, qui ob sapientiam magis se, quàm alios, Deo accedere videretur. Et profectò virum egregium, doctrinâ præclarissimum laudibus extollunt scriptores innumeri: inter quos non prætermitrendus Lucretius, qui de Sicilia scribēs *l.* 1. ait:

Nil tamen hoc habuisse Viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, & mirum, clarumque videtur:
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, & exponunt præclariora reperta,
Ut vix humana videatur stirpe creatus.

In olympico pulvere decertare ipsi placuit: cùm autem semel equestri certamine victor discesserit, (olympiade 71. ann. 1. ex Vossio *de Poetis Græcis capit.* 4. *pag.* 26.) bovem myrrha, thure, aliisque aromatibus condidit, ut illis distribueret, qui sibi de victoria gratulabantur, ut ex Athenæo *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 3. Cælio Rodig. *lect. ant. lib.* 19. *cap.* 7. habemus: Laertius verò, & Philostratus *in vita Apollonii lib.* 1. *cap.* 1. ex melle, & farina compositum opinantur. Cùm enim Pythagoræ vestigia sectaretur ab animalium nece abhorrebat: ideoque carminibus suis, apud Plutarchum *de superstitione*, eos reprehendit, qui animalia sacrificant; quos versus citat Origenes *lib.* 5. *contra Celsum.* Addit & Laertius, quòd cùm ad olympia progrederetur omnium obtutus in se attrahebat: nec de alio tanta, quanta de Empedocle colloquebantur. De ejus morte multę scriptorum opiniones, quas retulit Laertius: aliqui etenim volunt, quòd ut aliquorum odium declinaret, è Sicilia in Peloponnesum digressus, ibi decesserit. Alii, quòd cùm artificiotum suorum virtute, mulierem jam defunctam ad vitam revocasset (quòd vel fabulam putandum, vel magicis artibus tribuendum) incomparabilem assequutus gloriam, sacrificium instituit in campis Pisanactæ. Convocatis itaque ad convivium amicis, ac absoluto sacrificio, cùm omnes recessissent, ut sub arborum umbris quieti indulgerent, ipse in eodem sacrificii loco permansit: sed crastina die cùm quæsitum non invenissent, servorum unus retulit, quòd instante noctis medio, vocem, Empedoclem vocantem, audivit: surgensque neminem vidit præter lumen cœleste, ac facularum splendorem. Stupentibus omnibus, tandem conclusisse tradunt, eo in loco divinos honores Empedocli, tanquam Numini, constituendos. Hæc exscribit Hesychius *de iis, qui eruditionis famâ claruere.* Aliis autem placet, quòd cùm Panteam à Agrigentinam mulierem, à Medicis destitutam, sanitati restituisset, immortalem sibi famam comparavit, & ut conceptam opinionem firmaret, sacrificium obtulit: ante Solis ortum Ætnam ascēdit, in ejusque crateres sese conijecit: ut cùm amplius non appareret, crederent omnes, inter Deos relatum: sed cùm ignis æneum ejus calceamentum evomuisset, hoc ipsius ambitionis studium ac temeritatem detexit. Alii opinantur, Messanam profectum, & in itinere lapsum è curru, fractâ crure, morbum lethalem contraxisse, ac apud Megaram sepulturæ traditum fuisse; ita etiam Hesychius, & Neantes Cizycenus apud Crassum *in hist. Poet. Græc. p.* 183. & Fazell. cit. & hanc etiam opinionem Placidus Reina *in not. Messanæ par.* 1. *pag.* 160. amplexus est. Democritus scribit, se ipsum laqueo suspendisse: & Teleuges, senio confectum in mare lapsum obiisse. Diodorus Ephesius ait, Empedoclem tragicâ eloquentiâ, & vestium gravitate Anaximandrum imitatum: ac liberatis Selinuntinis, pestifero morbo laborantibus, ut supra exposui, dum hi ex gaudio epularentur, supervenit Empedocles, cui omnes beneficii memores, divinos honores tribuere non dubitarunt: hinc ut inanis divinitatis opinionem roboraret, in Ætneas flammas se injecit. Quamvis autem opinionem hanc, quòd extimulante divinitatis studio in Ætnæ voraginem se conijecisset, Timæus apud Laertium, Strabo *lib.* 6. & Faber *cit.* fabulam putent: attamen vulgatissima est opinio, quam innumeri scriptores testantur, & ut alios prætermittam, hoc scripsere Suidas *tom.* 1. *pag.* 209. & 890. Gyraldus *dial.* 3. *de poet. hist. pag.* 99. Lucianus *in dial. Menippi, & Æaci, in Icaromenippo*, & alibi, Ovidius *in Ibin*, Claudianus *in Paneg. Manlii Theodori*, Lact. Firmianus *divin. instit. lib.* 3. *cap.* 18. Horatius *de art. poet. v.* 463. S. Gregor. Nazianzenus *or.* 3. *contra Julianum*, Tertullianus *in apolog. cap.* 50. *pag.* 224. *de Pallio cap.* 4. *pag.* 24. & *lib. ad Martyres cap.* 4. *pag.* 337. Lud. la Cerda in eosdem Tertulliani locos *pag.* 35. *num.* 193. & *pag.* 227. *num.* 1090. & post alios Lex Civilis *ff. de Injusto rupto Test. l. si quis filio, §. quod si quis.* Sed non reticeam opinionem illam, quæ mihi maximè arridet, à M. Ant. Sabellico *enn.* 1. *hist.* relatam, apud Beyrlinck *Theatr. Vitæ humanæ tom.* 1. *v. alacritas pag.* 189. Matthæo Silvagio *de trib. Peregrin. cap.* 43. *pag.* 158. & non longè diversè narratam à Josepho Carnilivario *hist. Sicil. lib.* 2. *pag.* 187. Christ. Scannellio *Chro. Sicil.* Bonfilio *hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 30. aliisque; nempè, quòd cùm doctrinâ instructissimus Ætneorum incendiorum arcana proprius examinare exoptaret, æneis calceamentis munitus, ut cinerum fervorem perferret, usque ad montis hiatum ascendit; & cùm incautè ulterius philosophando procederet, in flammarum gurgite lapsus est; ejusque casum calceamentum ab incendii vi reijectum, detexit. Hoc autem firmari ex eo potest, quod Fazellus *dec.* 1. *de reb. Siculis lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 57. Antonius Philothæus *in Ætnæ topographia*, & Vincentius Maria Cimarelli *in*

nesol. cap. 11. *pag.* 99. testantur, quòd in tertia Ætnæ regione adhuc vestigium vetustissimi fornicis lateritium spectatur, quòd à Cataneasibus, Turris Philosophi nominatur; siquidem apud ipsos viget ducta à majoribus fama, hanc Empedoclem ex testudineo opere ędiculam construxisse, ad explorandas Ætnei incendii causas. Favorinus vixisse ait annos 77. Aristoteles 65. alii verò 109. ut habemus ex Laertio, qui floruisse scribit olympiade 84. nempè ante orbem instauratum ann. 440. Claruit ex Eusebio *in Chron.* olymp. 81. & 86. Philippus Bergomensis cit. ante Christi Domini adventum ann. 439. collocat: Maurolycus *hist. Sicil. pag.* 27. an. 454. at paulò post ante annos 425. defunctum dicit, quòd & sequitur Bonfilius *par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 48. Reina verò *not. Messan. par.* 1. *pag.* 160. annos 443. Joann. Bap. Ricciolius *in Chron. Refor. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 129. & *tom.* 2. *Chron.* 3. *pag.* 16. an. 444. Fazellus ex Gellio *lib.* 17. *cap. ult.* vixisse putat ætate ferè, qua Xerses ab Atheniensibus juxta Salaminam fugatus est, & Fabii ad Cremeram fluvium cæsi occubuere, ac M. Coriolanus Romam debellaturus advenit. A' Fabro *de poet. Græcis par.* 1. *pag.* 69. etiam tempore Xersis, an. 470. ante Christi nativitatem, & à Vossio *de philosophia cap.* 11. §. 15. *pag.* 84. sub Artaxerse Longimano collocatur. Ad tanti viri memoriam, qui Siciliam illustravit, teste Laertio, Statua constituta fuit Agrigenti: inde Romam translata, & ante Curiam collocata. Quæ autem Empedocles scripsit, hæc sunt.

De Rerum natura Libri tres: ex Suida *to.* 1. *pag.* 890. Franc. Patritio *poet. lib.* 1. *dec. hist. pag.* 72. qui testantur, quòd opus hoc duo millia carminum continebat. De eo etiam Gyraldus *de poet. histor. dial.* 3. *pag.* 99. Gesnerus *in Bibliot. pag.* 214. Jamblicus *in vita Pythagoræ cap.* 29. Scribit Fazellus cit. cum Goltzio, quòd hujus operis fragmentum Florentiæ servatur in Bibltotheca Medicæa: immò observat Fazellus Aristotelem hos vidisse libros: quòd liquidò constat, tum quia cum ejus Philosophia cohærent, tum etiam quia multis in locis Empedoclis carmina exhibet. Tullius verò *lib.* 1. *de Oratore*, hos Empedoclis libros, egregiũ Poema vocat: idemque hujusce operis meminit *in libro de amicitia.*

De *Expiationibus.* Hoc opus tria millia carminum constituebant; teste Patritio cit. at Laertius & Castellanus, hoc, & supra relatum, quinque millia versuum comprehensa scribit. Athenæus *lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 620. ex Dicæarcho in olympico narrat, Cleomenem Rhapsodum, Empedoclis Expiationes in olympicis ludis memoriter reddidisse.

De Medicina versus sexcentum, ex Laertio, & Patritio. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 21. ait, opus hoc metro, & prosâ scripsisse; Suidas verò, oratione solutâ.

Hymni naturales, ex Menandro apud Gyraldum *cit. pag.* 99. Gesnero, & Patritio, qui *lib.* 2. *pag.* 161. Deorum laudes fuisse opinatur.

Expeditio Xersis, sive Xersis transitus, & in Apollinem proœmium, teste Laertio, Gesnero, & Gravio *in hist. philosophica lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 180. Has lucubrationes igni tradidit quædam Empedoclis sive soror, sive filia, ut ait Laertius: id ipsum narrat Gyraldus ex Aristotelis sententia *in libro de poetis.* Sed Vossius *de hist. Græcis lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 437. haud satis credit, combustas fuisse, cùm Aristoteles earum meminerit, præsertim *sect.* 21. *probl.* 22.

Tragœdiæ, ex Laertio, Gyraldo, Gesnero, Patritio, & Crasso *in hist. poet. Græc. pag.* 182. aliisque: at ex Hofmanno *lex. tom.* 1. *pag.* 569. ejus ex sorore nepotis esse videntur. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1139. etiam tradit, quòd alii nepotis ejus esse putant.

Politica, ex Laertio.

Pythagoræ laudes carmine expressæ, ex Jamblico *in vita Pythagoræ cap.* 25. apud Gravium *cit. pag.* 181.

Opuscula XLIII. ex Laertio. Addit Suidas, quòd *alia multa scripsit.*

Empedoclis Sphæra, vel Demetrii Triclinii senariis versibus ab eruditissimis viris castigatis, descripta. Vetus est, & nũc primùm in lucem edita ex Bibliotheca ornatissimi, & prudentissimi viri Jo: à S. Andrea. Lutetiæ apud Fridericum Morellum 1586. in 4. & ibidem latinè 1587. in 4. At opus hoc, ait Vossius *de mathem. cap.* 33. §. 10. *pag.* 150. & *de Poetis Græcis cap.* 6. *pag.* 33. Hofmannus, e Morerius cit. potius Demetrii censendum, quàm Empedoclis. Ex Ægidio Menagio *in obser. ad lib.* 8. *Laertii n.* 77. non esse Empedoclis ex eo patet, quòd ejus Physica fuerunt heroico versu scripta, hic autem libellus jambis constat. Sed nostro Empodocli ascribit Jo: Frisius *in Biblioth.* apud Jo: Gualterium *in Chron. Chron. lib.* 2. *pag.* 845. qui Græcè in Bibliotheca Strozæ asservatum ait. Apud Laurentium Crassum *in hist. Poet. Græc. p.* 440. legitur, Quintum Septimium Florentem Empedoclis opera traduxisse. Multa adhuc carmina nostri Empedoclis passim occurrunt apud Græcos interpretes Physicorum Aristotelis, teste Gesnero *in Biblioth. pag.* 214. Multa afferri tum ab aliis, tum à Pachemero Philosopho *in Aristotelis Ethica*, & à Sophronio, in iis, quæ *de anima* edidit, & *in primo Physicorum Aristotelis* à Simplicio, aliisque, testatur Gyraldus *cit.* Multa etiam invenies apud Laertium *in vita*, apud Aristotelem in *Poetic. cap.* 23. *lib.* 1. *de anima*, & alibi, Athenæum *lib.* 7. *cap.* 3. *pag.* 334. *lib.* 8. *cap.* 17. *pag.* 365. *lib.* 10. *cap.* 6. *pag.* 423. & *lib.* 12. *cap.* 1. *pag.* 610. Gellium *noct. Attic. lib.* 4. *cap.* 11. Jamblicum *de vita Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 15. Porphyrium *de vita Pythag. pag.* 20. & *de antro Nympharum. pag.* 109. Plutarchum *in opusculis*, & alibi, Stobæum, seu verius Antonium, & Maximum in opere Stobæi *ser.* 68. & 210. Tiraquellum *de nobilit. cap.* 31. *num.* 223. & alios, quæ si in unum quisquam colligeret, non dubito justum conficeret librum. Selecta quædam Empedoclis edidit H. Stephanus in libro: *Poesis Philosophica*, Genevæ 1573. in 8. *à pag.* 17. Quædam ejus Epigrammatum fragmenta citantur à Clemente Alexandrino

drino tum in *admon. ad Gentes*, tum in *stromat. lib.* 2. & 4. Theon Smyrneus expositionem edidit eorum, quæ ad Platonis lectionem utilia sunt: nempè Platonis loca ad Mathesim pertinētia explicavit. Hoc opus latinè versum, notisque illustratum edidit Ismael Bellialdus, in quo multa commemorat ex Empedocle, teste Milliet *in cursu mathem. tom.* 1. *in tract. proœm.pag.*30. Multæ ipsius opiniones, ac sententiæ adhuc superstites habētur, quas,ne amplius Empedoclis notitiæ turgescant, leges apud Laertium, Philostratum, Gyraldum, Suidam, Athenæum *lib.*8. *cap.*17. *pag.* 365. Origenem, Aristotelem, Ciceronem, Senecam *nat. quæst.* Plutarchum *de placitis philosophor.* & alibi, Galenum *in lib. Hippocratis de nat. hom. comm.* 1. & *de semine cap.* 3. & 4. & in libro Galeno ascripto *de historia philosophica*, Eusebium *lib.* 1. *præp. Evangel. cap.* 5. Sext. Empiricum *lib.* 7. *adver. Mathem.* Clementem Alexandrinum *strom. lib.*5. & 6. Censorinum *de die natali cap.* 4. & 6. Abrahamum Gravium *hist. Philosoph. lib.* 2. *cap.* 14. 15. 16. & 17. aliosque. Empedoclis doctrinam propugnat Plutarchus *in opusc.contra Colotem*, qui magnum,divinumque putat.Anaxagoræ præfert Empedoclem Aristoteles 1. *Methaph.* 1. *Physicor.* & 3. *de Cœlo*, ut observat Cozzandus *cit.pag.* 327.qui addit:de Empedoclis laudibus legendus Xanthi Lydii liber, si extat. Ex antiquis etiam Theophrastus librum protulit de Empedocle, teste Laertio *lib.* 5. *in Vita Theophrasti.* Hermachus Epistolas XXII. de Empedocle scripsit, ex eodem *lib.* 10. *in Vita Epicuri*. Joseph Barberius in libro *de miseria Poetar. pa.*37. & 111. *Empedoclem restitutum* se editurum promisit. Joannes Caramuel Empedoclis Philosophiam Lovanii exposuit, & typis tradere cogitabat, ut ipsemet ait *in Critica philosoph. dissert.*5. *methaph.num.*815. *pag.* 353. ubi scribit: *Empedocleam philosophiam, quam Lovanii jam ante multos annos scripsi, cùm primùm occurrat occasio emissurus in lucem.* Demum in Britannia Regiam Academiam florere testatur Joannes Baptista Pacichellus *in epist. erud. to.* 1. *pag.* 288. & *in novis itiner. par.* 1. *pag.* 389. cujus alumni Empedoclei vocantur.

EMPEDOCLES alter Agrigentinus; sive Empedoclis prædicti Avus ex Laertio *in Vita Empedoclis* (qui Timæum, & Heraclidem adducit) Fazello *de rebus Siculis dec.*1. *lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 136. Christophoro Scobar *de Agrigento cap.* 11. *pa.*15. & Petro Castellano *in vitis illustr. Medicor. pa.* 44. sive ex sorore nepos, ex Suida *tom.* 1. *dict. pag.* 889. Gyraldo *de Poetar. histor. dial.* 3. *pa.* 99. Lascari apud Maurolycum *histor. Sicil. lib.* 1. *pa.* 21. Laurentio Crasso *in hist. Poetar. Græcor. pa.* 183. Matthæo Silvagio *de tribus Peregrinis cap.* 46. *pag.* 171. Leandro Alberto *in Insulis pag.* 54. sive tandem ex filia nepos, ex Gesnero *in Biblioth. p.*214. Vir fuit,teste eodem Laertio,insignis;ac in olympico pulvere victoriam accepit olymp.71. Ex Fazello non modò Philosophus egregius, verùm etiam & Tragicus Poeta fuit eximius. Goltzius *in Sicil. hist. poster. pa.*89,etiam eloquentiâ, ac militari virtute claruisse tradit. Vixit olymp. 71. nempè ann.492. ante Christi Domini adventum. Scripsit ex Suida, Gyraldo, aliisque supra citatis

Tragœdias XXIV.

EMPEDOTIMUS Syracusanus Philosophus, teste Clemente Alexandrino *stramat. lib.* 1. quem sequitur Jacobus Bonannus *Syrac. illustr. lib.* 2. *pag.* 317. Inanis gloriæ studiosus cupidissimè curavit,ut se Deum crederent. Hinc futura prædicere audebat, & in penitissimis terræ latebris delitescebat, ut hominum æstimationem aucuparet: ideoque à S. Gregorio Nazianzeno *orat.* 3. *contra Julianum* meritò irridetur. De eo etiam Julianus Apostata *in saturnalibus*, & Elias Cretensis *comment. in orat.*3. *S.Gregor. Nazianz. pag.*405. Vixit ex Bonanno citato, eodē ævo ac Pythagoras, vel paulò post, circa olymp.70. ante Domini adventum ann. 496. Scripsit ex Suida *tom.* 1. *pag.* 891.

De Physica auscultatione.

ENZUS, sive ENTIUS, à nonnullis Henricus vocatus, Germanicè Encius dictus ex Carolo Sigonio *de Regno Italiæ lib.* 18. *ann.* 1239. Friderici II. Imperatoris, & Siciliæ Regis filius nothus. Siculus fuit Poeta ex Jo: Vigintimillio *in indice Poetar. Siculor.* quem suo de Poetis Siculis libro præfixit, quem sequitur Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculorum pag.* 110. & *in Sicil. Biblioth. veter. pag.*107. quod etiam tradunt Joan. Andreas Gesualdus, & Alexander Vellutellus, qui carmen Francisci Petrarchæ *in triumpho amoris cap.* 4.

E i Siciliani, che furono già primi,

expendentes, inter primos Siculos, qui Etruscis numeris carmina edidere, Entium collocant.Nec ambigendum puto Panormitanum fuisse, cùm incompertum sit, Fridericum Entii Patrem Regiæ Maestatis solium Panormi constituisse, ut ostendi *in observationibus ad Sicil. Inventricem Vincentii Auriæ cap.*9. §.5. *pag.*151. Lucis usuram accepit anno 1225. ex Augustino Inveges *tom.*3. *annal. Panorm. p.*557. Adolescens cum Friderico patre inter bellorum turbines, Italiam tunc sævissimè divexantes, fuit à teneris annis involutus: nam in ipso ætatis flore ad Friderici nutum Sardiniæ partem suo subegit imperio an. 1239. Sardiniæ Regem constituit Fridericus; & Regiâ Coronâ insignitum voluit eodem anno, ex Sigonio *loc.cit.* & Inveges *pag.*557. & 595. vel anno 1238. ex Bzovio *ad an.*1238. *num.*1. *pag.*444. Ut Hieronymus Surita *lib.* 5. *annal. cap.* 61. *pag.* 471. & 480. & Rocchus Pirrus *in Chronol. Regum Siciliæ pag.*49. tradunt,regiâ redimitus est coronâ, ut ab ea Insula Januenses, Pisanorum precibus, expelleret. At hoc Gregorio IX. Sum. Pontifici nimiū displicuit, qui Sardiniam Ecclesiæ juris esse contendebat.Immò quia Entius patris jura forti animo propugnabat, & Romanæ Ecclesiæ patrimoniū bellico furore vexabat,ipsū ecclesiastico anathemate percussit, ut habemus ex Ricardo à S. Germano *in Chron.* apud Ughellum *tom.* 3. *Italiæ Sacræ pa.*1033. & Inveges *cit.p.*598. Anno 1240. viginti Triremium classe, Genuensium Naves aggressus, strenuè pugnavit,ac vicit, & in suam potestatem supra XX. Triremes,duos S. R. E. Car-

dinales, aliosque Ecclesiæ Præsules redegit, Romam accersitos ad Concilium contra Fridericum à Gregorio IX. convocatum; quod aliquantulum diverse narrant Riccardus citatus, Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 18. *an.* 1240. Fazellus *dec.* 2. *de reb. Siculis lib.* 8. *cap.* 2. *pag.* 480. Bzovius *an.* 1240. *n.* 2. *pag.* 466. Maurolycus *hist. Sicil. lib.* 3. *pag.* 116. Abb.Pirrus *in Chronol. Regum Sicil. pag.* 49. Collenuccius *hist. Neapol. lib.* 4. *pag.* 85. Inveges *cit. pag.* 601. & 602. aliique. Post nonnullas nunc secundas, nunc adversas belli vices, tandem anno 1249. mense Majo ex Jo: Villano *lib.* 6. *cap.* 38. *pag.* 147. vel ex Sigonio cit. 28. Augusti, inito conflictu, juxta Modonam, inter S. Sedis Legatum, Bononiensiû copiis instructum, & Entii aciem,tandem Entius victus,& captus est, unà cum CC. Militum, ut præcitati scriptores, aliique multi testantur, Bononiam deductus jucundum simul,ac triste sui spectaculum fecit, teste Sigonio cit. qui ait: *His obviam effusa civitas victoriam egregiam gratulari, ac nobilium captivorum ingentem numerum admirari. inter quos eminebat Rex Hencius quippe maximi, ac potentissimi eâ tempestate Regis, atque Imperatoris filius, & cum dignitate suâ, tum ætate, ac formâ conspiciendus. nam non dum vigesimum quintum ætatis annum attigebat, & specie oris, ac pulchritudine corporis omnes eâ tempestate longè homines superabat. Ex quo in maxima Civitatis lætitia, misericordia quoque plerosq; afflictæ præcellentis juvenis fortunæ quædam angebat.* Carceri mancipatus noster Entius, habito à Bononiensibus consilio, lege sancitum est, ne ullo unquam tempore Entium libertate donarent, & usque ad vitæ extrema arctissima in custodia publico sumptu aleretur, ut addit Sigonius cit.Rei conscius Fridericus,nunc minis,nunc promissis Bononienses urgere non cessavit, ut Entium restituerent. Profusa Friderici promissa extant apud Sigonium cit. è quibus flagrantissimum Friderici amorem erga Entium facilè deducitur.Sed tantùm abfuit vinculis solvi Entium, ut arctiori carceri astrictum, immò teste Recordano Malaspina *in antiq. hist. Florent. cap.* 140. *p.* 126. Villano, & Pirro cit. ferreâ inclusum caveâ Bononienses voluere. Hinc ut Bzovius ait, *ann.* 1250. *n.* 12. *pag.* 556. Fridericus, desperatâ filii libertate, ex nimia tristitia morbum contraxit, ac paulò post extrema clausit.Nonnulli verò tradunt, quòd dum ad ultionem exercitum comparabat, decessit anno 1250. Sed defuncto Friderico mitiores erga Entium fuisse Bononienses ex eo deducimus, quòd ut observat Franciscus Scotus *in Itiner.Italiæ par.* 1. *pag.*176. ad Entii carcerem ædes extruxere magnificentissimas contra S. Petronii Ecclesiam, ibiq: 23. traduxit annos, ac regio sumptu splendidè usque ad mortem pertractarunt. Hinc ante mortis diem testamentû, & codicillos condidit, ex Joanne Antonio Bumaldo, seu verius Ovidio Montalbano *in Biblioth. Bonon. pag.* 188. Obiit Entius anno 1271. ex Recordano Malaspina cit. *ca.* 197. *p.*191. *An.*1272. mense Martio ex Pirro cit. Inveges *cit. pag.* 624. & 636. & Brietio *an. par.* 3. *tom.*2.*an.* 1249. *pag.* 134. Ex Jo: Maria de Crescimbene *in hist. vulg. Poes. lib.* 4. *pag.* 266. an. 1271. Ex Jo: Bap. Ricciolio *in Chronol. Refor. tom.* 4. *indic.* 2. *pag.* 223. anno 1176. à Bononiensibus captus, anno captivitatis suæ 23. obiit idibus Maii anno 1208. at non cõsonat annorum ratio. Addit Ricciolius ex eo deducta familia Bentivolia. Entii Corpus magnifico tumulo clausû,jacet Bononiæ in Ecclesia S. Dominici ex Pirro cit. Scoto *cit. pag.* 178. & Jo: Bap. Pacichello *in suis itineribus par.* 3.*pag.* 629. Fuit Entius literis apprimè excultus, & unà cum Friderico patre inter primos, qui italicas Musas excitarunt, & excoluerunt, ut ex præcitatis Jo: Andrea Gesualdo, & Alexandro Veliutello supra diximus: quibus etiam addo Petrum Bembum *in prosis lib.* 2. Nicolaum Francum *in Petrarchista pag.*19.Vincentium Auriam *in epistola ad lectorem in calce tom.* 1. *poes. D. Joannis Baptistæ de Judice pag.*478.& Petrum Franc. Giambullari *in Gello pag.* 61. De ejus poeti etiam Torquatus Tassus *disc. de Poema Heroico pag.* 74. Comes Fridericus Ubaldinus *in præf. ad poes. Petrarchæ,& tractatum virtutum moralium Roberti Regis*, editum Romæ an. 1642, qui ait amatorias cantiones cecinisse; ut etiam affirmant Ant. Miscettola in libro *Gabinetto delle Muse pag.* 25. Jo: Caramuel *in Rhytmica artic.* 8. *pag.* 104. qui mendosè Laurètium vocat,& Jo: Marius de Crescimbene *in hist. vulg. Poes. lib.* 2. *pag.* 84. & 118. *lib.*4. *pag.* 266. Leo Allatius *in Indice Poetarum*, quorum poetica monumenta in Bibliothecis Vaticana, Chisiana, & Barberina asservari testatur, editum in libro Antiquorum Poetarum *pag.* 48. & *seq:* in ipso nostrum Entium collocat, cujus poemata edere promittebat, unà cum aliis, in libris subsequentibus Poetarum Antiquorum; sed morte præventus promissa solvere haud potuit: hinc nostri Entii poemata in prædictis Bibliothecis, vel in ipsarum aliqua delitescunt m. ss. Extat tantummodo edita italicè,

Canzone. in libro inscripto: *Sonetti, e Canzoni di diversi antichi Autori Toscani. In Fiorenza per l' Eredi di Filippo di Giunta* 1527. *in* 8. Hanc Petrus Bembus *prof. lib.* 3. Antonius Minturnus *in sua Poetica lib.*3. *pag.*192. 216. & 218. & 211.Mauritius de Gregorio *in Rosario Poetar.* 500. *pag.* 327. Crescimbene *in hist. cit. pag.* 12. & *in comment. tom.* 1 *pag.* 393. citant, ac aliqua ejus carmina exscribunt. Cantionum etiam Entii meminit Jo: Georgius Trissinus *in dialogo*, quem inscripsit *Il Castellano pag.* 49.

EPICHARMUS celeberrimus Poeta. De Epicharmo amplissima, densaq; mihi paratur sylva: ideoq; ut cultiorem reddam, multa resecare, multaq; expolire oportet. Tum de hujus Poetæ patria, tum an plures sint Epicharmi contendunt scriptores. Quòd plures fuerint, non solius Fazelli *dec.* 1. *de rebus Siculis lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 102. & Vinc. Mirabellæ *Syrac. antiq. par.* 2. *pag.* 114. opinio fuit, qui duos fuisse putarunt, ut ipsis objecit Bonannus *lib.* 2. *Syrac. Illustr.pag.*262.nam, teste Gyraldo *dial.* 6. *de poet. hist. pag.* 247. alii hanc sententiam amplexi sunt, inter quos adscribendi

bendi Gesnerus *in Biblioth. pag.* 215. *&* 216. Tiraquellus *de nobil. cap.* 31. *pag.* 273. Hieronymus Columna *in Ennii fragment. pag.* 274. aliiq; Immò Fazellus, non duos, ut putavit Bonannus, sed tres fuisse, Epicharmi nomine insignitos prodit; unus nempè Cous Syracusanum incola, de quo *dec.* 1. *l.* 4. *cap.* 1. *pa.* 102. alter Megarensis cujus meminit *dec.* 1. *l.* 3. *cap.* 4. *pa.* 79. tertius ex oppido Castri, de quo *dec.* 1. *l.* 10. *cap.* 1. *pag.* 212. Sed cit. Bonannus unum Epicharmum fuisse firmat, qui & Philosophus, Medicus, & Poeta fuit, quòd ex his, quæ infra exponam, liquidò patet. Gualterius etiam *in animad. ad tabul. Sicil, pag.* 33. *n.* 112. unum tantummodo extitisse Epicharmum opinatur. Nec de patria Epicharmi minor scriptorum contentio, ex qua multiplicitas Epicharmorum orta, non ambigendum puto. Plutarchus apud Bonannum cit. ait quòd vel Cous, vel Siculus fuit: ex quo eumdem fuisse animadvertimus Epicharmũ, quam alii Coum, alii Siculum volunt. Diogenes Laertius *lib.* 8. *in vita Epicharmi* tradit, quòd fuit Cous, ac trimestris è Sicilia profectus Megaram pervenit, indeq; Syracusas digressus est. Abrahamus Gravius *in hist. Philosophica lib.* 2. *cap.* 10. *pa.* 174. Coum putat ex Laertio, cum Megarensibus, & Syracusiis diversatum, ex Jamblicho *in vita Pythagoræ cap.* 36. *& ult.* Ex his patet, quòd Epicharmus Cous dictus, idem sit, quem Megarensem, & Syracusanum dicunt. At idem Laertius carmen Epicharmi statuæ adjectum exscribit, in quo Syracusanus proclamatur: & Thomas Aldobrandinus *in Annot. ad Laertium pa.* 118. ipsum expendens ait, quòd Epicharmum omnes ferè Siculũ & Syracusanum dicunt; quidam verò Coum. Diomedes *lib.* 3. *Gramm.* Gualterius *animad. ad tabul. Sicil. pa.* 33. Ascentius *comm. in Horatii Poet.* in illud: *aut agitur res in scenis, &* Faber. *de Poetis Græcis par.* 1. *pa.* 73. volunt quòd Epicharmus in exiliũ pulsus à Hierone tyranno in Coum insulam, ibi comœdiam adjuvenerit, quæ ab ea insula nomen accepit: ideoq; ex hoc orta opinio quòd Cous fuerit. Scriptis tradidit Suidas *tom.* 1. *pa.* 1023. quòd in Co insula natus, in Siciliam unà cum Cadmo advenit: additq; quòd alii Samium, alii Siculum Megarensem volunt: sed ipsemet Suidas lucis usuram accepisse credit, vel Syracusis, vel Crasti in Sicilia. Ex his clarè evanescere puto multiplicitas Epicharmorum, nam ex varietate opinionũ de ejus patria plures fuisse Epicharmos falsè putarunt nonnulli ex recẽtioribus: sed inter vetustiores scriptores haud aliquem video, qui hanc multiplicitatem admittat: ut etiam perpendit Bonannus *cit. pa.* 263. sed exclusâ Co, (nam ut dixi ibi exul comœdiam invenit, ex qua celeberrimum sibi nomen comparavit) vel fuerit Megarensis, ut aliquibus placet, quos suppresso nomine citat Suidas, ut etiam voluere Aristoteles *in poetica.* Fazellus *dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 79. & Goltzius *histor. post. Sicil. pag.* 89. Vel fuerit ex urbe Crasto, ut scribunt Suidas *cit.* Stephanus *de urbib. v. Crastus*, Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. Neanthes apud Hieron. Columnam *in fragment. Ennii pag.* 273. Franciscus Flaccomius *in sicelide sect.* 3. *pa.* 36. & Carolus Stephanus *dict. pag.* 750. Vel tandem fuerit Syracusanus ex Athenæo *lib.* 15. *cap.* 16. *pag.* 698. Casaubono *in Athen. lib.* 3. *cap.* 14. *pa.* 180. Theocrito *in epigrammate*, quod Epicharmi statuæ affixit. Columella *de re rustica lib.* 8. *cap.* 3. *pa.* 498. Auctore epigrammatis apud Laertium *cit. & in Anthologia*, Bonanno *in Syrac. illustr. lib.* 2. *pa.* 264. Mirabella *in Syrac. par.* 2. *pa.* 114. Oct. Caetano *in animad. ad tom.* 2. *Sanctor. Siculor. pa.* 43. Laur. Crasso *hist. poet. Græc. pa.* 184. Hofmanno *lex. to.* 2. *pa.* 405. Morerio *dict. tom.* 2. *p.* 1141. aliisque innumeris; optimo jure Siculis adscribimus: ac Siculum voluere Cicero *in epist. ad Atticum lib.* 1. *epist.* 17. *& Tuscul. lib.* 1. Aristoteles *poet.* Horatius *l.* 2. *ep.* 1. *v.* 58. Hyginus *in fabulis n.* 277. Athenæus *lib.* 8. *cap.* 16. *pa.* 362. Casaubonus *in eumdem lib.* 3. *cap.* 13. *pa.* 176. Vossius *de poet. Græc. cap.* 6. *pa.* 33. Scaliger *poet. lib.* 1. *cap.* 5. *pa.* 24. Angelus Roccha *in Biblioth. Vatic.* qui inscriptionem ejusdem Bibliothecæ adducit, Hieronymus Columna *in Ennium pa.* 273. Paulus Beni *in Aristot. poet. cap.* 1. *par.* 17. *num.* 114. *pa.* 93. Faber *cit.* Leonardus Cozzandus *de magist. antiquor. philosoph. lib.* 5. *cap.* 1. *pa.* 300. Morerius *tom.* 1. *dict. pa.* 1147. Carolus Stephanus *in dict. pa.* 883. aliisque. Sed lapium quisque omninò existimabit Josephum Carnilivarium *in descript. Sicil. lib.* 2. *pa.* 252. qui Himerensem voluit, quod apud alium non leges. Epicharmus itaque Elothalem habuit patrem ex Laertio *lib.* 8. *in vita Pythagoræ*, *& in vita Epicharmi*, quem Mirabella cit. mendosè vocat Elolaum. Attamen Suidas Epicharmum Tityri, vel Chimari, & Sicidis filium opinatur. Metrodoro patre natum putat Jamblicus *de vita Pythagoræ lib.* 1. *cap.* 34. *pa.* 202. Ex Achille verò originem traxisse auctorem habeo Ptolomæum Hephestionem apud Photium *in Biblioth. cod.* 190. *pa.* 474. Literarum studiis addictus, Pythagoram audivit, teste Laertio *cit.* Plutarcho *in Numa*, & Leonardo Cozzando *loco cit.* aliosque ex recentioribus: ideoque Pythagoras, ut ait Laertius *in vita Pythagoræ* opus edidit Elotalis nomine inscriptum, ex Epicharmo patre. Jamblicus *de vita Pythagoræ cap.* 36. *pa.* 220. etsi ex discipulis, & auditoribus ejus fuisse concedat, non autem ex virorum congregatione putat. Thomas de Pinedo *in Breviario auctorum, quos ad testimonium vocat Stephanus pa.* 762. contra Vossium *de poetis Græcis cap.* 6. *pa.* 33. opinatur, Epicharmum Poetam, alium fuisse ab Epicharmo Philosopho. Sed eumdem esse, ne dum Vossius, verùm etiam penè omnes, quos hic adducimus auctores, id ipsum tradunt, inter quos non ultimus Plutarchus *in Numa*, & Cicero *l.* 1. *Tusc.* qui acutũ appellat Poetam, ejusq; sententiam detulit etiam *l.* 1. *epist. ad Attic.* Medicæ facultati etiam operam dedit, at doctrinâ insigniter excultus claruit; multaque de ea scripsit, ut infra notabimus. Hieronem etiam Syracusarum Regem audivit, ex Columella *lib.* 1. *de re rustica cap.* 1. quòd de rebus agrariis intelligendum, quibus Hiero mirificè tenebatur, ut habet Bonannus cit. *pa.* 265. 334. *&* 335. Immò Re-

Regis intimus familiaris fuit, ut innotescit ex Pausania apud Bonannum *cit. pa.* 335. Attamen præclariorem à poesi gloriam accepit, quâ excellere visus est, ac magna cum nominis celebritate doctrinâ, ac cultiori linguâ multa cecinit, ex *comment. Theocriti* apud Joannem Vigintimillium *de poet. Bucol. Sicul. pa.* 151. & Jamblico *in vita Pythagoræ cap.* 34. Hac in facultate ita profecit, ut ingenii acumine supra cæteros clarus, Comœdiam adinvenerit, cùm in Co insula exularet, quâ ab insulæ nomine dictam voluere, ut ait Diomedes *lib.* 3. *Gramm.* Scalig. *lib.* 1. *poet. cap.* 5. *pa.* 24. & 25. aliique. Quòd autem Epicharmo tribuenda hujus inventionis gloria, innumeros habeo scriptores: pro omnibus sint Theocritus *in epigramm.* Aristoteles *poet. cap.* 1. & *cap.* 2. (ubi & ipsi socium addit Formum) ipsiusque commentatores. Suidas *tom.* 1. *pa.* 1023. Gyraldus cit *pa.* 247. Franc. Patritius *Poet. dec. hist. lib.* 1. *pa.* 64. & 65. ubi ait primum Syracusis recitasse comœdias Olymp. 52, & iterum in *decad. disp. lib.* 2. *pa.* 56. in Sicilia comœdiâ adinvenisse scribit: Jacobus Mazzonus *in defens. Dantis lib.* 2. *cap.* 26. *pa.* 315. aliique, præsertim ex nostris Siculis, quos videsis *in Sicilia Inventrice* Vincentii Auria *cap.* 10. §. 1. *pa.* 37. & *seq.* & *in meis ad ipsum observationibus pag.* 157. Non inventionem tantùm comœdiæ verùm etiam, & ejus nobilitatem, cultum, ac progressus Epicharmo, & Formo deberi fatetur Scaliger cit. Addit Horatius *epist. lib.* 2. *ep.* 1. Plautum, Epicharmi vestigia sequutum; ubi ait: *Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.* Immò Scaliger cit. *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 32. inter auctores, à quibus accepit Plautus, Epicharmum collocat. Magnetem etiam comicum vetustissimum nostri Epicharmi discipulum fuisse scribit Suidas *tom.* 2. *pa.* 77. Patritius *Poet. dec. hist. lib.* 1. *pag.* 66. aliiq; & cùm ab eo excepisset comœdiæ formam, hoc poesis genus Athenas invexit. Noster etiam Epicharmus duas adinvenit græcas literas, etsi in his designandis pugnent scriptores. Plinius *lib.* 7. *hist. nat. cap.* 56. ex Aristotele fuisse ait *Thita, & Chi*: ita Vossius *de Poetis Græcis c.* 6. *pag.* 33. & Angelus Rocca *de Biblioth: Vaticana*, qui perperam Plinium, & Aristotelem pro literis Thita, & Phi citat. Hyginus *in fabulis n.* 277. *Pi, & Psi*: Julius Cæsar Scaliger *de causis linguæ Latinæ cap.* 6. *pag.* 10. *Xi, & Phi* fuisse putat. Alii ex eodem Roccha invenisse tradunt *Xi, & Chi.* Ermolaus Barbarus apud eumdem literam *Psi*, Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pa.* 19. Fazellus *dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4 *pa.* 79. Vinc. Mirabella *in Syrac. par.* 2. *pa.* 115. Goltzius *cit. pag.* 89. fuisse prodidere: *Zita, Xi, & Psi.* Demum ex Polydoro Virgilio *de rer. inventor. lib.* 1. *cap.* 6. *Thita, & Rho.* Ideoq; meritò à Cicerone *lib.* 1. *Tuscul.* vocatur, Vir acutus, nec insulsus: à Phalare *in epist. ad ipsum*: omnis Siciliæ Norma, & Regula. Demetrius Phalareus *in Epitetis* mirum in modum excelluisse testatur. Ab Epicharmo etiam originem traxit illud dicendi genus, quòd Græci Epicharmium vocant, ex Giraldo *cit. pag.* 247. Mirabella cit. *pa.* 115. & Gualterio *ad tab. Sicil. pa.* 33. Fuere etiam Epicharmi inventa, Esculenta farinæ, ut ait Suidas *tom.* 1. *pa.* 193. & 398. Critias Sculptor eximius æream Epicharmi statuam affabrè expressam fecit, veluti se in armatorum cursu exercentem, ut scribit Pausanias *in Atticis lib.* 1. & Natalis Comes *mytholog. lib.* 7. *cap.* 16. ex quo rectè Bonannus educit *pag.* 264. bellicis studiis operam dedisse. Phalaridem, ut agrigentinam tyrannidem deponeret, cohortatus est, licèt irrito labore, ut accipimus ex ipsius Phalaridis epistolis, ex Fazello *dec.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *pa.* 132. & Bonanno *pa.* 265. Ipsum Plutarchus adulationis insimulat *in opusc. de differentia inter Adulatorem, & amicum*, nam cùm Hiero Rex quosdam domesticos suos vita privasset; aliquibus elapsis diebus ad convivium accersitus Epicharmus, quærelas effudit, quòd ipsum prius non advocaverat ad amicorum sacrificium. Ideq: Plutarchus *in apopht. Imperatorum* scribit, à Hierone supplicio affectum, cùm turpia carmina ante ejus uxorem, (ante filias ait Alexander ab Alexandro *dier. Genial. lib.* 2. *cap.* 25. *pag.* 179.) recitasset, ut etiam Lascaris apud Maurolycum *cit. pag.* 19. & Gyraldus cit. *p.* 247. qui ait, in pœnam solùm verrere coactum fuisse: sed huic causæ Epicharmi exilium adscribunt Mirabella *Syrac. ant. pag.* 116. & Gualterius *in animad. ad tab. Sicil. pag.* 33. sed inde conciliatâ sibi Regis benevolentiâ, ab exilio fuit revocatus. Filium habuit Dinolocum comicum etiam Poetam; quamvis nonnulli ejus discipulum velint, ut scribit Suidas *tom.* 1. *pag.* 669. aliique, quos ubi de Dinoloco scripsi, leges. Obiit tandem Syracusis: ubi ob doctrinæ excellentiam ærea statua ipsi condidere, cui hæc inscripsit carmina celeberrimus Theocritus.

Et vox dorica est, & vir qui Comœdiam
Invenit est Epicharmus.
O Bacche æneum ipsum pro voto
Tibi hic dicamus;
Quem Syracusis collocarunt in prægrandi civitate
Vt virum civem decet:
Acervum enim habebat rerum utilium qui memores erant
Rependere mercedem:
Multa enim ad vitam pueros docuit utilia;
Magna gratia illi habenda est.

Alterius ejus statuæ meminit Laertius, cui hæc inscripta carmina testatur.

Quantùm Sol vincit sublimia sidera Cæli,
Quantò vis pelago major inest fluviis:
Tantùm ego profiteor sophia præstare Epicharmũ,
Cui Syracusa comis patria serta dedit.

Hanc statuam in Bacchi templo collocatam opinatur Mirabella *par.* 1. *Syrac. antiq. pag.* 61. sed ex præcedenti inscriptione, non hanc, sed aliam supra memoratam in illo templo excitatam deducitur. De hujus poetæ ætate non una est auctorum sententia. Suidas scribit *tom.* 1. *pa.* 1023. aliique, quod sex annis ante Persicum bellum fabulas suas Syracusis docuit, & edidit. Alii apud Gyraldum *pa.* 248. tempore Persici Regni, ac post claruisse volunt. Morerius *dict. tom.* 1. *pa.* 1147.

Faber

Faber *cit.* tempore Xerſis floruiſſe ait olymp. 77. ante Chriſti Domini ortum 470. hæc autem omnia vera eſſe poſſunt; nam, ut Gyraldus, & Voſſius perpendunt, longævus fuit Epicharmus. Supremam ſenectutem attigiſſe ait Ælianus *de varia hiſt. lib.* 2. *cap.* 34. Obiit ex Laertio anno ætatis ſuæ 90. & ex Luciano *in Macrobiis*, & Fabro *cit.* anno 97. Vixit ex Mirabella tempore Hieronis primi olymp. 75. quem nimis durè, ne dicam immeritò, cenſoris virgulâ notatur à Iacobo Bonanno *pa.*265.nam ex ipſo vixit uſque ad ætatem Phalaridis. Hippobatus apud Laertiũ *in vita Thaletis*, ait ante Pythagoram floruiſſe, ſed rejicitur à Bonanno cit. nam Epicharmus Pythagoræ diſcipulus fuit, ut ſupra dixi. Hieronymus Maraſioti *in Chronic. Calabriæ lib.*3. *cap.*5.*pa.*170. olymp. 16. collocat, quòd error eſt palmaris. Franciſcus Patritius *in poetiç. cit.* ait olympiade una, antequam Theſpis Athenis tragœdias ſuas edidiſſet, Epicharmus Syracuſis comœdias ſuas expoſuit: Theſpis autem floruit olymp.61. ex Suida *tom.* 1. *pa.*1315.ideoque juxta Patritii ſententiam, vixit Epicharmus olymp. 60. Iacobus Gordonius floruiſſe voluit olymp. 62. quòd Bonanno maximoperè arridet, ſed apud Gordonium *in Cronolog.* olymp. 95. conſtitutum video.Philippus Brietius *annal. par.ult. tom.*1. olymp.73. anno 3.collocat. Ioan. Bapt. Ricciolius *in Chronol. refor. tom.*4. *ind.* 1. *pa.* 174. ad olymp. 77. tranſtulit. Voſſius tandem *de Poet.Græcis cap.*6.*pa.* 33. ætatem Epicharmii ad olympiadem 84. protrahit. Alexis Calaber Poeta comicus ex Athenæo *lib.*4. *cap.*18. *pa.* 164. ait in quadam ejus comœdia, cui nomen Linus, quòd cùm Linus Herculem erudiret, juſſit ut ex libris ſuis acciperet unum: erant autem hi libri Orphæus, Heſiodus, Cherilus, Homerus, & Epicharmus: ſed hoc ut rudiſſimum commentum rejicit Bonannus *cit. pa.* 267. nam omnes hi auctores longè ante Lini, & Herculis ætatem vixiſſe putat. Eâ claritate ſuperſtes fuit Epicharmi fama,eâque doctrinæ laude apud ſapientes ſupervixit, ut ex Iamblico *de vita Pythagoræ lib.*1. *cap.* 29. *pa.* 150. Philoſophi de aliqua re diſceptantes circa hominum vitam,ad roborandas opiniones, Epicharmi ſententias adducebant: omnes penè Philoſophi eas ingenioſè dictas,ratiocinando in promptu habebant. Multa ſcripſit ut Philoſophus nempè:

Commentaria de natura rerum; de ſententiis, & de Medicina; notaſque breves commentariorum locis appoſuit; quibus indicat ab ſe elaborata opuſcula; ita Laertius *in vita Epicharmi*; qui etiam *lib.*3. *in vita Platonis*, Heſychius *de his, qui eruditionis famâ claruere*, aliique teſtantur: Platonem ex Epicharmi libris multa uſurpaſſe, & philoſophica multa circa res inſenſibiles, & intelligibiles exſcripſiſſe. Nonnulla etiam ex Epicharmi Philoſophia à Clemente Alexandrino *lib.*2. & 5. *ſtromat.* Theodoretó *de Græc. affect. curatione*, Tertulliano *de Animæ cap.* 18. Plutarcho *de Fortuna*, & alibi citantur. *De Medicina* ſcripſiſſe teſtis eſt etiam Plinius, qui inter auctores, è quibus librum vigeſimum, & ſeptem ſequentes, res ſuas medicinales excerpſit noſtrum collocat Epicharmum. Columella etiam *de re ruſtica lib.* 7. *cap.* 3. *de medicina* ſcripſiſſe tradit, præſertim: *Pecudum medicinas*; ideoque Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. inter Medicos veterinarios, qui de pecorum morbis, aliorumque animalium ſcripſere, accenſet. Commentaria autem hæc de rerum natura, & de medicina, Volaterranus *l.*15. *anthropolog.* teſtatur, quòd ævo ſuo Romæ in Bibliotheca Vaticana aſſervabantur. Idipſum confirmant Tiraquellus *loc. cit. n.*261. Geſnerus *in Biblioth. p.* 216. & Paſchalis Gallus *in Bibliotheca medica p.*90.Scripſit etiam

De Re ruſtica. ex Columella *de re ruſt. l.*1 *c.* 1.

De divinatione ſomniorum. ex Tertulliano *de Anima c.*27.& Voſſio *de Philoſophia c.*23.§.10.*p.*178.

Contra Xenophontē. ex Ariſtotele *in metaphyſ. l.* 3.

Orationē ad Antheno rē, ex Plutarcho *in vita Numæ.* Plura etiam poetica lucubravit, nam teſte Suida *tom.* 1. *pa.* 1023. ſcripſit

Comœdias LII. ſed ex Licone apud eumdem Suidam XXXV. ex Patritio *lib.* 1. *poet. decad. hiſt. pa.*65. XXXIV. ſed 35. numerum exceſſiſſe clarè probat Bonannus, nam ut ipſe obſervat, ejus comœdiarum nomina, quæ ab Athenæo, Suida, Julio Polluce, Fulgentio Placidio, aliiſque citantur ad 37. pertingunt; præter ea, quæ vel ab hominum memoria exciderunt, vel non citantur. Gyraldus *de poet. hiſt. dial.* 6. *pa.* 247. majorem harum comœdiarum numerum putat; quas Apollodorus in decem volumina digeſſit, ut tradit Porphyrius *in vita Plotini.* Harum nonnulla nomina hæc ſunt.

Commeſſationes ex Athenæo *l.*9. *cap.*10. *pa.*389.

Hebes nuptiæ. ex eodem *l.*3. *cap.*8. *pa.*85.

Muſæ. ex eodem ibidem, & *l.*3. *cap.*27. *p.*111. ut etiam alibi.

Pyrrha. ex eodem *lib.*3. *cap.*9. *pa.*86. & *lib.*10. *cap.*6. *pa.*424.

Promethæus: ex eodem *lib.* 3. *cap.*9. *pa.*86. Caſaubono *in Athenæum lib.*3. *cap.*9. *pa.* 167. & Jul. Polluce *onom. lib.*10. *cap.*23. *pa.*476.

Orya, ſive *Lactes.* ex Athenæo *lib.* 3. *cap.* 14. *pa.*94. Caſaubono *in Athen. lib.*3. *cap.*14. *pa.*113. & Cœlio Rhodigino *lect. antiq. lib.*4. *cap.*14.

Mare, & Terra. ex Athenæo *lib.* 3. *cap.* 24. *pa.* 105. & 106. & alibi. Antonius Poſſevinus *in Biblioth. lib.* 13. *cap.*30. *pa.*134. opinatur, Epicharmum non de Piſcibus aliquid, ſed comœdiam inſcriptam Terra, & Mare ediddiſſe. Sed deceptum Poſſevinum putat Bonannus; nam Comœdia hæc piſcium numerationem, eorumque qualitatem complectebatur, ut ex carminibus ab Athenæo, aliiſque allatis patet.

Logus, ſiue *ſermo.* ex Athenæo *l.*3. *c.*25. *pa.* 106.

Theori, idest *Spectatores.* ex eodem ibidem, & *lib.*8. *cap.*16. *pa.*362. ac *lib.*9. *cap.* 18. *pa.*408.

Bacchæ. ex eodem *lib.*3. *cap.* 25. *pa.*106.

Agroſtinus, ſive *Ruſticus.* ex Athenæo *lib.*3. *cap.* 33. *pa.* 120. & *lib.* 15. *cap.*8. *pa.* 682. ab Heſychio nimiùm laudatur.

Dionyſiæ. ex Athenæo *lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 158.

Feſtum. ex eodem *lib.* 4. *cap.* 16. *pag.* 160.

Inſulæ. ex eodem *ibidem*, & Polluce *lib.*10. *cap.* 16. *pag.* 471.

Sire-

Sirenes. ex Athenæo *lib. 7. cap. 5. pag. 277.*

Megaris. ex eodem *lib. 9. cap. 1. pa. 366. & lib. 7. cap. 9. pa. 286.*

Cyclops. ex eodem *lib. 9. cap. 1. pa. 366. & lib. 11. cap. 14. pag. 498.*

Ulysses Proditor, sive *Transfuga*. ex eodem *lib. 3. cap. 33. pa. 121. & lib. 9. cap. 4. pa. 374.* & Polluce *lib. 9. cap. 5. pa. 427.*

Ulysses naufragus. ex Athenæo *lib. 14. cap. 3. pa. 619.* Polluce *lib. 10. cap. 30. pa. 489.* & Scaligero *Poet. lib. 1. cap. 4. pa. 20.*

Busyris ex Athenæo *lib. 10. cap. 1. pa. 411.* Polluce *lib. 10. cap. 5. pa. 428.*

Athalanta. ex Athenæo *lib. 14. cap. 3. pa. 618.*

Alcion. ex eodem *loc. cit. pa. 619,* Scaligero *loc. cit.*

Philoctetes. ex Athenæo *lib. 9. cap. 3. pa. 371. & lib. 14. cap. 6. pa. 628.*

Cherion. Hanc alii Epicharmo, alii Chrysogono, vel Asiopisto adscribunt, ex Athenæo *lib. 14. cap. 17. pa. 648.*

Sphinx. ex eodem *lib. 3. cap. 3. pa. 76.* & Stephano *de Urbibus v. Chitone.*

Spes. ex Athenæo *lib. 4. cap. 6. pag. 139,* Polluce *lib. 10. cap. 36. pag. 495.*

Spes, sive *Plutus* (eadem forsan, ac prædicta.) ex Athenæo *lib. 6. cap. 6. pag. 235.*

Perialus, id est, is qui cæteris præstat, aut præstare vult videri. ex eodem *lib. 4. cap. 25. pag. 183. & lib. 4. cap. 6. pag. 139.* Casaubono *in Athen. lib. 4. cap. 6. pag. 261.* & Vossio *cit.*

Politia, sive *Respublica*. ex Clemente Alexandrino *Stromat. lib. 5. pag. 605.* apud Gravium *pa. 205.* & Gyraldo *cit. pa. 248.*

Antomolus. ex Stobæo *ser. 224. pa. 742.*

Harpagi, sive *Latrones.* Ex Polluce *lib. 9. cap. 4. pa. 423. cap. 5. pa. 427. & cap. 6, pa. 436.*

Persæ. ex eodem *lib. 9. cap. 6. pa. 438.*

Nuptiæ Niobes. ex eodem *lib. 10. cap. 23. p. 477.*

Scyron. ex eodem ibidem.

Philocnides. ex eodem *lib. 10. cap. 20. pa. 474.*

Ollæ. ex eodem *lib. 9. cap. 6. pa. 434.*

Junonis nuptiæ. ex Æliano *de animal. lib. 13. cap. 4. pa. 754.*

Has etiam Bonānus Comœdiarum nomina exhibet, nempè

Vulcanus. Deiphilus. Consolatores. Qui choreas ducunt, & canunt. Phileni, sive Otii amicus. Python.

Ex Epicharmi Comœdiis nonnulla adducunt carmina auctores allati tum in locis citatis, tum alibi etiam suppresso fabularum nomine. Aliqua etiam servantur apud Clementem Alex. *strom. lib. 1. 2. & 4.* Eusebium *de præpar. Evang.* Plutarchu n *de fortuna Alexandri*, & alibi, Ciceronem *de consolatione, & in epistolis*, Lucianum *de sectis*, Hesychium *de iis, qui eruditionis famâ claruere, ubi de Platone*, aliosque: quòd si omnia aliquis colligeret, haud parvæ molis librum conderet. Nonnulla ipsius fragmenta extant in libro, cui titulus: *Sententiæ insignes Græcorum quinquaginta Comicorū, quorum opera integra non extant, latino idiomate collectæ: Ignatii Albani opera in lucem editæ.* Brixiæ per Bartholomæū Fontanā 1612. in 12. in libro etiā inscripto. *Excerpta ex Tragœdiis, & Comœdiis Græcis tum quæ extant, tum quæ perierunt emendata, & latinis versibus reddita ab Hugone Grotio. Greco-lat.* Parisiis apud Claudium Buon 1626. in 4. ibique has etiam comœdias nominatas reperies, nempe: *Herculem delirantem*, & *Trojanos*. Epicharmi etiam fragmenta edidit Henricus Stephanus in libro: *Poesis Philosophica.* Genevæ 1573. in 8. *à pag. 54.* Aliqua ejus fragmenta ab Ennio latinè reddita, & à Hieronymo Columna collecta prodiere cum Ennii fragmentis. Neapoli ex typographia Horatii Salviani 1590. in 4. *tom. 2. à p. 271.* ab eodem Columna explanata. Ennius etenim Epicharmi Philosophiā latinitate donavit, teste eodem Columna *in vita Ennii pag. 32.* ideoq: Varro *lib. 4. de lingua latina*, Ennii Epicharmum citat. Dionysius II. Syracusarum Tyrannus Cōmentaria edidit etiam in Epicharmi poemata, ex Suida *tom. 1. pag. 747.* & Vossio *de hist. Græcis lib. 1. cap. 6. pag. 25.* & tandem memoriæ proditum est, Apollodorum Grammaticum Epicharmi, & Sophronis Poemata commentariis illustrasse, ut tradit Casaubonus *in Athenæum lib. 7. cap. 6. pag. 502.* ex Porphyrio *in vita Plotini.* Epicharmus ita libros suos concinnabat, quasi superstrueret, ut majus aliquod semper videretur, ut testatur Aristoteles *Rhetor. lib. 1.* qui etiā *in Poetic.* cum Athenæo *lib. 15. cap. 16. pag. 698.* ait, Parodiis usum esse. In epitetis excelluisse scribit Demetrius apud Vossium *de Poetis Græcis cap. 6. pag. 33.* Epicharmi excellentiam extollit Eusebius *de præp. Evang. lib. 14. cap. 4.* qui comicorum Principem vocat, & Athenæus *lib. 8. c. 16. pag. 362.*

EPIPHANIUS Catanensis Diaconus, claruit anno 787. quo Thomæ Sardorum Archiepiscopi vices tenens, Nicænæ Synodo interfuit, ut habemus ex Guilelmo Cave *in Scriptorum Ecclesiasticorum hist. literar. an. 787. pag. 351*, eoque teste scripsit

Sermonem laudatorium satis prolixum in eadem Synodo habitum. Latinè extat in Conciliorum *to. 7. pa. 617.* Epiphanii etiam meminit L. Ellies Du Pin *de script. Eccl. tom. 6. sæc. 8. pa. 126.*

ERASMUS MAROTTA Randatiēsis Societatis Jesu, Musices peritissimus, Romæ magnam nominis famam sibi comparavit: inde ætate maturus Societatem ingressus est anno 1612. Egregias virtutes, moresque integerrimos coluit; adeout omnium venerationē promeruerit. Rexit Collegium Menense; & Panormi decessit 6. Octobris 1641. De eo Bibliotheca Soc. Iesu *pag. 196.* Edidit

Cantus Pios musicis modulis expressos. ex eadem Bibliotheca, Italicè

Aminta Pastorale. id est Torquati Tassi Aminta armonicis datum notis.

In libro: *Infidi lumi Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi apud Io: Bap. Maringum 1603. in 4. extant Erasmi nonnulla edita.

ERASMUS SALATUS Drepanitanus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius, ætate adhuc florente ægrotorum curam gessit Neapoli, ac Dre-

Drepani: annis verò firmioribus Panormi. Eâ doctrinæ laude, & medendi felicitate effloruit, ut doctissimorum plausum promeritus, mirabilem languentibus opem attulerit. Hinc meritò apud S. R. E. Cardinalem Ioannettinum Doriam Archiepiscopum Panormitanum amplissima egregii viri opinione valuit, eique acceptissimus fuit. Anno 1624. unà cum primariis medicinæ peritis, ad examen Reliquiarum S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ, tunc divinitus adinventis, accersitus, strennam navavit operam, ut innuit Iordanus Cascini *in vita S. Rosaliæ lib. 1. cap. 11. pag. 70.* Ætate gravis obiit Panormi circa annum 1640. De eo Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito cap. 23. pa. 788.* Franciscus Valcassar *in epist. nuncupator. orationis funebr. pro Antonio Crispo pa. 6.* Scripsit librum, cui titulus

In varios Galeni libros Commentaria. Cùm autem in manus Simonis Acampi Neapolitani incidisset, apposito suo nomine edidit Neapoli 1642. & iterum apud Dominicum Macarellum 1647. in 4. Sed Plagiarii fraudem detexit Ioseph Galeanus, non minus doctrinâ, quàm morum integritate præclarus, in libro *de febre epidemica pa* 8. qui utpote nostri Erasmi discipulus, & familiaris, sacramento testatur, opus hoc Erasmi fœtum fuisse. Id ipsum confirmat Franciscus Valcassar citatus.

ERASMUS XACCA Acensis Sacerdos, natus 9. Junii anno 1643. literis dicatus, Philosophiam, Medicinam, Jurisprudentiam, ac Theologiam didicit, quarum lauream accepit. Politioribus literis etiam animum adjecit; Poesim præsertim Latinam, & Etruscam impensè coluit. Doctrinâ clarus ad nonnullos evectus est honores; Canonicus etenim Collegiatæ Ecclesiæ Acis electus est, Abbas S. Columbæ, & Commissarius, ut vocant, S. Officii Siciliæ. In nonnullis etiam gravioris momenti negotiis adhibitus est; à Regiæ Monarchiæ Judice, & S. Officii Tribunali Delegatus. Vivit sexagenario major in patria. Edidit etrusco carmine opus inscriptum

Brieve narratione dell' Incendio del Monte Etna, seu Mongibello, avvenuto nell' anno 1669. onde si bruggiarono molti casali, terre, e possessioni, e del gran danno, che hebbe la clarissima Città di Catania. Neapoli apud Novellum de Bonis 1671. in 8.

Prælo paravit hæc alia, nempè opus

De Febribus in genere, & in specie, cum signis, prognosticis, & curatione, carmine exametro.

Expositionem brevem in psalmos Davidicos, & Cãtica Canticorum.

Hierosolymam Tassi latino, & heroico carmine expressam.

EVAGRIUS Tauromenitanus S. Pancratii primi Episcopi Tauromenitani discipulus. Hic etenim Tauromenium missus à Divo Petro Apostolorum Principe, ita Evagrium virtutibus, sanctisque moribus instituit, ut in eo Episcopatu sibi successorem designaverit; eique præcepit, ut post ejus mortem Romam peteret ad D. Petrum: quod ex lectionibus S. Pancratii in Breviario Gallicano patet. Defuncto Pancratio Romam digressus, ac Episcopus consecratus, Tauromenitanam rexit Ecclesiam. Lustralibus Baptismatis aquis abluit quemdam Bonifacium, qui templū, ac sepulchrum S. Pancratii extruxit. Floruit circa annum Christi 45. De eo Abb. Pirrus *not. Eccles. Taurom. pa. 441.* Scripsit

Vitã S. Pancratii primi Tauromenitanorũ Episcopi. Sub Evagrii nomine nunc quædam S. Pancratii vita extat in m. ss. Codicibus Bibliothecę Cryptæ Ferratæ, & Bibliothecæ Sanctiss. Salvatoris Messanæ; sed mendis, ac propè infinitis erroribus scatens: ineptiis, fabulis, & rebus inter sese pugnantibus referta: ideoque Octavius Caetanus *tom. 1. Sanctor. Siculor. pag. 9. & in animad. pa. 14. num. 21.* vel non esse Evagrii, vel ab aliena manu corruptam putat. In eâdem sententiā abiit Franciscus Scorsus *in proœm. 1. §. 1. in homilias Theophanii Cerameí*, ubi fabulosam hanc vitam opinatur: frustra à Placido Reina *par. 2. not. Messan. pa. 151. & seq.* defensa; non enim tres tantummodò errores complectitur, ut ipse ait, sed innumeros, ut habet Caetanus, à sanctitate Evagrii alienos: hinc inferendum cum ipso, vitam hanc in prędictis Bibliothecis servatam, vel non esse legitimum Evagrii fœtum, vel fabulis ab aliis fuisse fœdatam.

EVCLIDES Siculus Gelous Geometra præstantissimus. Non me fugit multos scripsisse unum tantummodo Euclidē extitisse, eumque Megarensem Græcum in Isthmo: & huic etiam celeberrimum opus Elementorum adscripsisse: ut testantur nonnullæ Elementorum editiones, præsertim ex Campano, & Theone, quæ habent: *Elementa Euclidis Megarensis.* Sed qui ita sensere à vero longè aberrasse multi ex recentioribus oculatissimi affirmant: & non unum, sed duos floruisse Euclides volunt. Unus etenim fuit ex oppido Megara Isthmo adjacente, Philosophus moralis, Socratis discipulus, qui sectam instituit à se Megaricam dictam, & Dialecticam. Fuit hic coævus Platonis: qui natus olympiade 88. cùm duodetriginta annos haberet, nempè olympiade 95. ad hunc Euclidem Megara se contulit unà cum aliis Socraticis, ut habemus ex Laertio *in vita Platonis*. Hujus Euclidis vitam idem Laertius exhibet *libro 2.* Alter verò Geometra tempore Ptolomæi primi Lagidæ inclaruit, ex Proclo *lib. 2. comm. in Euclidem*, Hierone (non Hieronymo, ut ait P. Ragusa *in elogiis Siculor. pa. 113. & Sicil. Biblioth. vet. pa. 111.*) mecanico, Clavio *in prologomenis ad Euclidem*, aliisque mox citandis. Ptolomæus autem Ægypti regnum obtinuit olymp. 114. ex Eusebio *in Chron.* ideoque 80. propè annis post primum hic junior Euclides floruit. Hunc autem Geometram præclarissimum, Elementa scripsisse volunt. Qui duos Euclides admittunt, & horum juniorem Ptolomęi ęvo floruisse, elementaq; elaborasse testantur, sunt Clavius, cit. Proclus loc. citato Petrus Ramus *lib. 1. Scholarum Mathem.* Jo: Bapt. Ricciolius *in Almagesto in Chronic. Astronomor. vel Astrologor. par. 2. pag. 34. & in Chronol. Reform. tom. 4. ind. 1. pag. 174.* ubi Megarensem an. ante Christi Domini adven-

adventum 438. Geometram verò an. 306. statuit. Fridericus Commandinus *in prologomenis ad Euclidem*, Jo: Jacobus Hofman *in Lexico univer. tom. 1. pag.* 618. Carolus Stephanus *in dict. pag.* 904. Franciscus Maurolycus *hist. Sic. lib.* 1. *pag.* 28. & Constantinus Lascaris apud ipsum *pa.* 21. Hubertus Goltzius *in hist. post. Sicil. pag.* 86. Jacobus Proust *in notis ad Aulum Gellium l. 6. c.* 10. *p.* 198. Morerius *in diction. tom.* 1. *p.* 1196. Jo: Frisius *in Biblioth. Philosoph.* apud Jo: Gualterium *in Chron. Chron. tom.* 2. *pag.* 848. & 861. Leonardus Cozzandus *de magisterio antiquor. Philosoph. lib.* 4. *c.* 3. *pa.* 268. & 269. Sit pro omnibus Gerardus Jo: Vossius *de scient. mathem. cap.* 15. §. 1. *pag.* 53. qui de Euclide Geometra loquens, hęc ait: *Intelligendus verò est non Megarensis ille, Eristicæ sectæ conditor, cujus vitam Laertius scripsit: sed alter Mathematicus. Prior Megaris Atticis solebat noctu Athenas ire ad audiendum Socratem: ut æqualis fuerit Platonis; qui & ejus meminit in Thaeteto. Alter, Proclo Diadocho in 2. commentariorum testante, in Ægypto sub Ptolomęo, Lagi filio, docuit; ut eadem, ac Taeophrastus ætate claruerit. Quare hos inter Euclides annorum quasi XC. fuerit intervallum. Atque hoc eo magis commonere operæ duxi; quia non Conradus modò Gesnerus in Bibliotheca sua, sed alii magno numero, cōtra senserint: immò his omnibus ad errorem præivit Val. Max. lib.* 8. *cap.* 12. *ubi ait conductores sacræ Aræ à Platone missos ad Euclidem Geometram. Quamquam ne quidem de Socratico illud sit verum, sed problema reijecerit Plato ad discipulos. Vide Philoponum in lib.* 1. *post ann. cap.* 7. *At meminit historiæ etiam Plutar. lib. de Ei delphico. Ex iisdem constat, apud Valerium non conductores sacræ arcis, ut Stephanus Pighius, contra omnium codicum fidem, reposuit; sed sacræ aræ, legi oportere. Quod ex iis, quos dixi, scriptoribus rectè monitum, tum Friderico Commandino insigni Mathematico, tum doctissimo Savilio; ille in prologomenis Elementorum Euclidis, hic prælectione* 1. *in Euclidem.* Hæc Vossius. Quod & confirmat *in lib. de Philosophorum sectis cap.* 11. §. 1. *pag.* 62. Clavius etiam citatus hoc maximè ductus argumento hanc firmat opinionem, quòd Laertius *in vita Euclidis Megarensis*, cùm omnia ejus opera diligentissimè enumeret, celeberrimi voluminis de Elementis, quibus nunquam Euclidi fama consenescet, nullam faciat mentionem. Nec putandum Diogenem in recensendis Philosophorum libris, & in illis versatissimum, hoc egregium de elementis opus, vel scientem prætermisisse, vel ab Euclide elaboratum ignorasse. Suidas *lex. tom.* 1. *pa.* 1072. de Megarensi, eadem scripsit, prout Laertius; dialogos edidisse testatur; sed elementa non nominat. Fuit ergo Euclides Geometra, ab Euclide Megarensi diversus. At si unus Megarensis, alter; ubi natus? Joannes Mollerus *de scriptoribus Homonymis cap.* 3. §. 27. *pa.* 305. patriâ Ægyptium, ac fortè Alexandrinum fuisse arbitratur: at quotquot citat auctores, non Ægyptium, nec Alexandrinum enunciant Euclidem, sed in Ægyptum apud Alexandriam docuisse tradunt. Nec mirum hominem exterum in Alexandrina schola scientias explanasse: hoc enim in aliis accidisse, sexcentum exēplis proditum est; ideoque non audiendus Morerius, qui *tom.* 1. *dict. pa.* 1196. Alexandrinum vocat Euclidem. Hinc nos Geometram Euclidem in Sicilia natum putamus. Joan: Antonius Maginus *in descr. Sicil. pa.* 103. Siculum fuisse censet. In Urbe Megara in Sicilia natū ait Frāciscus Flaccomius *in Sicelide sect.* 3. *pa.* 36. sed hic unius, & alterius Euclidis patriam confundisse innuit. Rectius Geloum voluere Euclidem Francisc. Maurolycus *hist. Sicil. lib.* 1. *pa.* 28. Lascaris apud ipsum *pa.* 21. ex Laertio, Goltzius *in Sicil. hist. post. pa.* 86. Joseph Bonfilius *hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *pa.* 50. Leonardus Orlandinus *in disc. Sicil. pa.* 79. & novissimè P. Hieronymus Ragusa *in Elogijs Siculor. pa.* 113. & iterum *in Siciliæ Biblioth. vet. pa.* 111. Ideoque ęquivocatione Laertium laborasse facilè animadvertimus, nam *in Euclidis vita*, ait: *Euclides Megaris oppido, quod Isthmio adjacet, sive juxta quosdam Gelous, ut in successionibus tradit Alexander*: utrumque enim Euclidem, ex homonymiæ frade, confundit; nam unus Megarensis, Gelous alter censendus est. Hinc immeritò Bonannus *in Syrac. illustr. lib.* 2. *pa.* 293. Maurolycum, & Bonfilium redarguit, qui scripsere Euclidem Geometram à Megarensi diversum, Theocriti tēpore claruisse, ut advertit Joannes Vigintimillius *in Poetis Siculis Bucolicis cap.* 16. *pa.* 126. nam & ipse Bonannus cum aliis deceptus, unum tantummodo Euclidem Megarensem, Platonis coævum putavit. Noster ergo Euclides Gelous Geometra præstantissimus fuit: vir oppidò acutissimus, qui Academiæ frequentatione, & quotidianâ discipulorum Platonicorum consuetudine, in Academicorum doctrina multùm profecit. Mathematicas disciplinas eo animi ardore complexus est, ut mirabiliter in his excelluerit: & unanimi scriptorum sententiâ, teste Clavio, principem inter Mathematicos locum, jure optimo sibi vindicat. Joseph Blancanus *in clar. Mathematic. Chron. pa.* 45. ex Pappo *lib.* 7. Cl. Franciscus Milliet *in cursu Mathematico tom.* 1. *in tract. proœmiali cap.* 2. *pa.* 8. aliique tradunt, quòd diu Alexandriæ docuit; unde egregium in Mathematicis disciplinis habitum assequutus, numquam in paralogismum inciderit. Vossius verò *loc. cit.* ait, quòd ipsum valdè commendat schola, quam Alexandriæ excitavit; discipulos etenim ita erudivit, ac eâ doctrinâ instructissimos reliquit (de quibus Pappus *lib.* 7. *collect. mathem.*) ut ab ejus ævo usque ad Saracenica tempora vix unum egregium invenies Mathematicum, qui vel non Alexandrinum, vel non saltem Alexandriæ Mathesi operam dederit. Prolomæo Regi carissimus fuit; cui percontanti, num concisior aliqua ad Geometriam pateret via, quàm elementaris: respondit Euclides, haud aliam regiam adesse viam, nisi eam, quam tredecim libris demonstravit, ut Proclus scribit. Post obitū digitis dimentiens ejus imago in gymnasiis pingebatur, teste Vossio *cit. p.* 52. ex Apolinari *lib.* 9. *epist.* 9. Numismate etiam cusam ejus effigiem, cum enumerata maris arena, testatur Mauritius de Gregorio *in lib. Condottiero de'*

Pre-

Predicatori pa. 204. Multa scripsit de rebus Mathematicis, in quibus ex Clavio, Blancano, aliisque, Euclidis solertia, admirandaque ipsius doctrina facilè elucebat. At quæ extant, hæc sunt.

Elementorum libri XIII. licèt enim sub Euclidis nomine XV. circumferantur libri, postremos duos ab Hypsicle Alexandrino adjectos opinātur multi. Scripsit græcè; sed primùm ex arabico fonte habuere Latini. Arabes plures arabicè edidere Euclidem, ac nonnullis commentariis illustratunt, ex Bibliotheca Orientali apud Vincentium Coronellum *in Biblioth. universſ. tom. 1. num.* 5401. Prodiere Romæ Arabicè an. 1589. teste Vossio *cit. pa.* 69. & iterum ibidem per Nassir Eddin Tusæum 1594. in fol. Primus omnium latinos ex arabico fecit Joannes Campanus, qui undecimo Christi sæculo vixit, teste Milliet *citat. pa.* 12. & Blancano *in Chronol. cit. pa.* 57. Hæc Campani versio prodiit Parisiis apud Hen. Stephanum 1516. & Basileæ apud Hervagium 1537. in fol. Alias præcipuas versiones, ac editiones subnectam. Græcè prodiire Basileæ apud eumdem 1533. in fol. Ex græco latina fecere Euclidis elementa Bartholomæus Zambertus Venetus. Parisiis apud Hen. Stephanum 1516. in fol. & Basileæ apud Joannem Hervagium 1537. & 1588. in fol. Fridericus Commandinus unà cum scholiis antiquis Procli, aliorumque. Pisauri 1572. in fol. & italicè ibidem 1575. in fol. Latinè etiam Franciscus Flussate Candalla Gallus. Lutetiæ apud Iacobum de Puys 1578. in fol. Stephanus Gracilis edidit Græco-lat. Parisiis 1558. in 8. Boethius transtulit tantùm libros duos. Basileę ex officina Henricpetrina 1570. in fol. cum aliis Boethii opusculis. Gallicâ linguâ edidit P. le Mardelè ex græco versa. Parisiis 1622. in 8. sed Henrion apologiâ editâ contra Mardelè, suam esse hanc tradutionem contendit, ex Milliet cit. *pa.* 20. Henrion traductionem suam in lucem emisit Parisiis 1632. in 4. P. Milliet gallicè etiam edidit Parisiis 1677. in 12. Errard Regius Mathematicus novem tantùm libros Gallicos fecit, notisque illustravit 1605. ex Milliet cit. *pa.* 17. Petrus Herigon sex cum notis Parisiis 1639. in 8. Anglicè cum commentario edidit Henr. Billingsley. Londini 1570. Hebraicè ex Arabica lingua Moyses Aben-Tibon, ex Coronelli *Biblioth. tom. 1. num.* 1992. Italicè Nicolaus Tartalea Venetiis 1544. in fol. Ignatius Dantes cum annotationibus. Florentiæ 1573. & cum commentario Commandini Pisauri 1619. in fol. Lucas Paciolus in italicam etiam linguam transtulit, ex Jacobillo *in Biblioth. Umbriæ pa.* 180. Germanicè è græco vertit Guilelmus Xylander sex libros cum commentariis, teste Vossio cit. *pa.* 68. Ex Arabico hos Euclidis libros latinos fecit Adelardus Anglus, & m. ss. extant Oxonii in Collegio Sanctiss. Trinitatis, ex Vossio cit. *cap.* 16. *pa.* 62. servantur etiam arabicè m. ss. in Bibliotheca Parisiensi Soc. Jesu, ex Milliet cit. *pag.* 12.

Commentariis, demonstrationibus, notisque illustrarunt nonnulli Euclidis Elementa; nempè, præter jam recensitos, Proclus Diadocus scripsit *Commentarium in primum Euclidis*, quod unà cum Euclidis Elementis prodiit græcè Basileę 1533. in fol. & eumdem commentarium latinum fecit Franciscus Barocius, ediditque Patavii 1560. in fol.

Theon Alexandrinus græcum *Commentarium* scripsit, quod latinum fecit Bartholomæus Zambertus Venetus, editum Parisiis apud Henr. Stephanum 1516. in fol. & Basileæ typis Joan. Hervigii 1537. in fol.

Ioannes Campanus suum scripsit *Commentarium*, prodiitque Parisiis, & Basileæ apud eosdem, eodem tempore.

Petrus Cirullus edidit *notas in Euclidem* 1520. ex Milliet cit. *pa.* 13.

Orontius Fineus *in priores sex libros Commentarium* condidit. Parisiis 1536. in fol.

B. Albertus Magnus scripsit *in Geometriam Euclidis*: extat cum ipsius lucubrationibus, ex Altamura *in Biblioth. Dominic. pag.* 53.

Franciscus Maurolycus *librum decimum tertium illustravit.* Venetiis 1532. in 4.

Joannes Scheubelius *Commentarium* edidit *in sex priores libros.* Basilieæ per Hervagium 1550. in fol.

Jacobus Paletarius *demonstrationes in sex libros* scripsit. Lugduni apud Joannem Torvesium, & Gul. Gozeium 1557. in fol.

Christianus Herlinus *in sex priores Commentarium*, & Conradus Dasypodius in reliquos 1565.

Franciscus Candallà *Commētum* edidit Parisiis 1566. & Lutetiæ apud Iacobum du Puys 1578. in fol.

Nicolaus Tartalea *Commentum* italicè evulgavit Venetiis 1544. in fol. & in opere geometrico, notis illustravit librum primum.

Christophorus Dibuadius *Comm. in decem priores*. Arnhemii Geldriæ 1605. & Lugduni 1603. in 4.

Christophorus Clavius *Commentum* edidit Coloniæ apud Io. Baptistam Ciotti 1591. in fol. & alibi.

Carolus Malpertius *sex priores commentavit*. Duaci 1620. in 16.

Claudius Riccardus *Commentarium in decimum tertium* scripsit. Antuerpiæ 1645. in fol.

Petrus Montaureus in decimum 1651.

Gaspar Schottus *in cursu Mathematico*, sex priores expedit. Herbipoli typis Iobi Hertz 1661. in f.

Blandinus Grimaldus Genuensis *Commentaria* scripsit in Euclidem ex Aug. Oldoino *in Athenæo Ligustico pag.* 83.

Isaacus Barovu scripsit *Euclidis Elementa nova methodo explicata*. Londini 1670. in 8. Idem edidit, *Elementa breviter demonstrata*. Osnabrugi 1676. in 8.

Guilelmus Oubhtredus *in clavi Mathematica*, decimi libri edidit declarationem brevissimam.

Conradus Dasypodius explicavit Euclidem. Argentorati 1564.

Claudius Franciscus Milliet Dechales *in cursu Mathematico tom.* 1. *tr.* 1. Euclidis elementa ad faciliorem captū accommodavit. Lugduni 1690. in fol.

Io: Alphonsus Borrellus edidit *Euclidem Restitutum, sive Prisca Geometriæ elementa, brevius, & facilius contexta.* Pisis ex officina Francisci Honuphrii 1658. in 4. & alibi.

Vitalis Jordanus in lucem emisit italicè *Euclide Restituto.* Romæ typis Angeli Barnabò 1680. in fol.

Georgius Hilarius edidit *in Progymnas. Mathemat. Primi Element. Euclidei Apospasmation Græc. & lat.* Hafn. 1656. in 12. item, *sex libri Euclidis propositiones selectæ ordinatæ, & demonstrationibus illustratæ.* Ibid. 1654. in 12. Ex Alberto Bartholino *de scriptis Danorum pa.* 48.

Marius Bettinus in opere inscripto: *Apiaria Universæ Philosophiæ,* edidit: *Euclidem applicatum.* Bononiæ typis Ioannis Baptistę Ferronii 1642. & 1645. in fol.

Petrus Ioannes Manzon Valentinus elaboravit, *Elementa arithmetica ex Euclide decerpta.* Valentiæ apud Petrum de Nuete 1569. in 8. & apud Ioannem Mey 1559. in 8. ex Nicolao Antonio *in Biblioth. Hispana tom.* 2. *pag.* 162.

Thomas Albius ad posteros transmisit, *Euclidem Physicum, & Methaphysicum.* 1658. ex Coronello *in Biblioth. tom.* 2. *n.* 3349.

Floremundus Puteanus protulit *Elementorum librum decimum cum scholiis.* Parisiis 1612. in fol.

Ovidius Montalbanus Bononiensis edidit: *Speculum Euclidianum totam Euclidis Planimatriam unico in schemate linealiter representans, & demonstrans.* Bononiæ 1628. in 4.

Angelus Marchetti typis tradidit; *Euclidem Reformatum, sive antiqua Mathemeticæ elementa, novâ facili, ac securâ methodo contexta, ac demonstrata.* Pistorii 1698. in 4.

Garinus Garini Mutinensis publici juris fecit, *Euclidem adauctum, & methodicum.* Augustæ Taurinorum 1671. in fol.

Petrus Antonius Cattaldus 5. & 7. Primi Euclidis demonstrationibus explanavit, & Euclidis defensionem elaboravit, teste Blancano cit. *p.* 63.

Elias Astorinus edidit, *Elementa Euclidis ad usum novæ Academiæ Nobilium Senensium, nova methodo, & compendiariè demonstrata.* Senis 1690. & Neapoli 1701. in 8.

Antonius Cataldus italicè scripsit *I primi sei libri degli Elementi ridotti alla prattica*, Banoniæ apud Sebastianum Bonomum 1620. in fol.

Vincentius Vivianus italicè etiam edidit: *Quinto libro degli Elementi di Euclide, o Scienza universale delle Propositioni.* Florentiæ 1674. in 4.

Hujus operis præstantiā mirificè extollūt multi, consule inter hos præcipuè Cardanum lib. 16. *de subtilitate* Milliet *cit. pa.* 8. & Claviū *in Euclidem.* Scripsit Euclides alia mathematica opera; hæc verò sunt

Data, quæ Claudius Hardy ex Regia Bibliotheca græcè edidit, latinitate donavit, scholiisq; illustravit, & ex ejusdem Bibliotheca addidit Marini Philosophi Neapolitani Commentarium in eadem Græcè, & latinè. Parisiis 1625. in 4. ex Vossio *cit. pa.* 341. & 344. Fridericus Commandinus etiam in latinum sermonem vertit, & cum elementis edidit Pisauri 1572. in fol. prout Bartholomæus Zambertus, Basileæ apud Joannem Hervagium 1537. in fol. In eadem scripsere. Petrus Herigione Parisiis 1634. in 8. & P. Mersennus 1644. ex Milliet *cit. pag.* 23.

Optica, & Catoptrica. hæc ex græcis vertit Bartholomæus Zambertus, ediditque cum elementis Basileæ apud Joannem Hervagium 1537. in fol. Ioannes Pena Mathematicus Regius in lucem emisit Parisiis 1604. Catoptrica edidit græcè Conradus Dasypodius Argentinę ex Gesnero. Vertit, sed non edidit Maurolycus ex Blancano *appar. ad scient. Math. pag.* 202. & Vossio *cap.* 26. *pag.* 108.

Phænomena: à Bartholomæo Zamberto ex græcis latinè versa, edita Basileę apud Hervagium 1537. in fol. cum Elementis. Ex græcis etiam explanare laboravit Ioseph Auria. Romæ apud Ioannem Martinellum 1591. in 4. cum annotationibus brevibus Francisci Maurolyci: prodiere primùm Maurolyci annotationes Messanæ 1558. in fol.

De Levi & ponderoso. Hujus libri fragmentum latinum fecit Fridericus Commandinus, ex Milliet *cit. pa.* 13. & Petrus Forcardel Mathematicus Regius gallicè vertit, & commentario exposuit, ex eodem *pag.* 39.

Introductio ad Musicam, hoc opus primùm edidit Græc-lat. Ioannes Pena Lutetiæ 1557. ex Vossio *pa.* 94. Parisiis 1557. in 4. latinum etiam fecit notisque illustravit Marcus Meibomius an. 1652. ex Milliet *pa.* 61.

De Divisionibus. Ex Proclo, Pappo, & Gesnero, quod opus periit. Bagdelinus Arabs scripsit librum *de divisione figurarum,* & ut testatur Milliet *pa.* 12. & Clavius *in prolog. ad Euclidem,* nonnulli suspicantur esse librum Euclidis *de divisionibus,* falsò Bagdelino adscriptum; quod Ioannis Dee Londinensis, & Friderici Commandini operâ prodiit.

Conica Elementa libris quatuor comprehensa, ex Proclo, & Pappo: quod opus periit.

De resolutione, & fallaciis, de locis ad superficiem libri II. Ex prædictis Proclo, & Pappo, sed non extant.

Porismatum libri tres, teste Proclo & Pappo, sed ad nos non pervenere.

De Sphera. ex Milliet *pag.* 9.

De Speculis, de Perspectiva, & Mendacia, addit Gesnerus *in Biblioth. pag.* 222.

Ænigma Geometricum, extat in florilegio Planudii, ex Gesnero *cit.*

Collectanea Geoponica Euclidis, servabantur in Bibliotheca Sambuci eodem Gesnero teste.

Dedomena. ex Lascari, qui addit quòd potius Theonis sunt.

Addit tandem Goltzius, dialogos scripsisse: sed errat; dialogos etenim Euclides Megarensis edidit, teste post alios, Laertio *in vita Euclidis.*

EUDOXUS Poeta Comicus Siculus fuit ut apertè testatur Laertius *in vita Eudoxi Gnidii lib.* 8. & Conradus Gesnerus *in Biblioth. pag.* 223. Siculum immò Regis Agatoclis filium voluit Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *p.* 19. addit

addit Syracusanum fuisse Bonfilius *hist. Sic. par. 1. l. 1. pag.* 27. Lucius Christophorus Scobar *in Catal. illustr. Syracus. pa.* 13. Marius Aretius *de situ Siciliæ pag.* 19. Goltzius *Sicil. hist. post. pa.* 89. & Vincentius Littara *in Conradiade lib.* 3. *pa.* 151. Fazellus etiam *dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *pa.* 106. inter Syracusanos adnumerat: & licet Agathoclis tantum filium scribat, attamen Regis Agathoclis filium intellexisse colligitur. Sed Bonannus *Syrac. illustr. lib.* 2. *pa.* 250. quamvis Siculum fateatur, at Syracusanum, & Regis Agathoclis filium fuisse negat: nam Laertius (ita & Gesnerus) Agathoclis tantùm, non Regis Agathoclis filium scripsit. Addit, quòd qui scriptis mandarunt Agathoclis gesta, ut Diodorus Siculus, Iustinus, aliique, horum ejus filiorum meminere, nempè Arcagati, Heraclidis, & Agathoclis, & aliorum triũ minorum: sed nulla Eudoxi mentio. At mihi haud arridet Bonanni ratio, nam incompertum est adductos scriptores haud inconsultò Syracusanum, & Agathoclis Regis filium constituisse Eudoxum: nec ex eo quod scriptores gestorum Agathoclis Regis hunc Eudoxum ejus filium non indicant, ideo deducendum, ex eo haud natum: nam sicut illis trium minorum filiorum nomina silentio involuere placuit, ita & Eudoxi nomen præteriisse in dubium revocari potest: immò suspicare quisque rectè poterit, horum trium innominatorum, unum fuisse Eudoxum. Addo, quòd Gyraldus *de poet. hist. dial.* 7. *pa.* 288. Siculum proclamat Eudoxum, Agathoclis filium non ignobilem: hinc à Bonanni opinione recedo, qui cujusdam Agathoclis neglectæ fortunæ filium opinatur. Lauren. Crassus *in hist. poet. Græc. pa.* 208. quamvis Bonanni sententiam referat, Agathoclis tyranni filium enunciat: & tandem Hier. Ragusa *in Elogiis Siculor. pa.* 117. *& in Sicil. Biblioth. vet. pa.* 116. Syracusanum voluit. Fuit Eudoxus novæ Comœdiæ Poeta clari nominis. Scripsit

Comœdias nõnullas ex Lascari, & Goltzio, aliisq; supra citatis, ex quibus octies victoriã obtinuit, ter urbano certamine quinquies lenaica, ut ait Laertius, Lascari, Goltzius, & Gesnerus cit. hic autem addit, quòd ejus fabula *Nauclerus* inscripta à Polluce citatur.

EUHEMERUS Messanensis historicus antiquissimus. Messanę natus est, ut testantur Plutarchus *lib. de Iside, & Osiride*, Ælianus *de var. histor. lib.* 2. *cap.* 31. *pa.* 20. Suidas *dict. tom.* 1. *pa.* 730. Strabo *lib.* 1. *&* 2. Eusebius *de prępar. Evangel. lib.* 2. *pag.* 59. Lactantius Firmianus *divin. instit. lib.* 1. *cap.* 11. Raphael Volaterranus *anthropol. lib.* 15. Angelus Politianus *miscell. cap.* 35. Lilius Greg. Gyraldus *de poet. hist. dial.* 3. *pa.* 119. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pa.* 18. Ioseph Carnilivarius *hist. Sicil. lib.* 2. *p.* 178. qui Evhemenum vocat. Goltzius *in Sicil. hist. post. pa.* 91. Carolus Stephanus *in dict. poet. hist. & Geogr. pa.* 906. Ludov. Vives *in D. August. de Civitate Dei pa.* 355. Dionysius Gottifredus *in not. ad Cicer. de nat. deor.* Conradus Gesnerus *in Biblioth. pa.* 223. Anonymus *in libro artificia hominum miranda in Sina, & Europa cap.* 18. *pa.* 412. Beyerlinck *Theatr. vitæ humanæ tom.* 1. *ver. Athei pa.* 668. nostrates etiam Siculi, ut Aretius *de situ Sicil. pa.* 37. Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 2. *pa.* 50. Bonfilius *hist. Siciliæ par.* 1. *lib.* 1. *pa.* 25. at errat dum Euemenum; sive Alcaman vocat; confundit enim Euhemerum cum Alcmane poeta: Matthæus Silvagius *de trib. Peregrin. cap.* 48. *pa.* 149. Reina *in not. Messan. par.* 1. *pa.* 210. Ragusa *in Elogiis, pa.* 117. *& in Siciliæ Biblioth. vet. pa.* 116. Samperius *Iconolog. M. V. lib.* 1. *pa.* 33. Ioseph Ambrosius *in descrip. festi epist. Marian. pa.* 107. aliique. Hos omnes retuli scriptores, nam aliò natum aliqui volunt. Athenæus etenim *lib.* 14. *cap.* 22. *pa.* 658. Cœum credit. Plutarchus sibi contrarius *de placitis Philosophorum lib.* 1. *cap.* 7. Sex. Empiricus *Pirrhomor. lib.* 4. & Alex. ab Alexandro *dier. Gen. lib.* 6. *cap.* 26. *pag.* 745. Tegeatem enunciant. Eratostenes apud Strabonem *lib.* 2. Bargæum dicit. Ex Clemente Alexandrino *in hortatoria ad Gentes pa.* 18. & Arnobio *adversus Gentes lib.* 4. fuit Agrigentinus. Hinc ex hac opinionum diversitate Hier. Columna *in fragm. Ennii tom.* 4. *pag.* 482. Euhemerum incertæ patriæ dixit. Ex hac etiam varietate Casaubonus *in Strab. lib.* 1. duos Euhemeros admittit, unum Messanensem, Cœum alterum. Gyraldus cit. quem sequitur Crassus *de poet. Græc pag.* 209. an duo fuerint unus Messanensis, alter Tegeates dubitat. Sed unum tantummodo Euhemerum floruisse incompertum est; nam de uno tantùm antiquiores scriptores loquuntur. Opus autem quod Euhemero Cœo adscribitur ab Athenæo, ab aliis Messanensi tribuitur, ut observat Reina *cit. p.* 210. qui non sine rationis pondere suspicatur Cœum pro Atheo ex errore vocatum. Quod si Plutarchus Tegeatem protulit, hoc forsan, ut ait Reina, adjectum ad aliquod significandum, ut de Diagora scimus, quem non modo Atheum dixerunt, verùm etiam Theodorum, postquam ad rapas excoquendas à quadam Jovis statua ligna substulit: addo hoc haud improbabile, cum ipsemet Plutarchus alibi, ut dixi, Messanensem enunciet. Tandem Reina conjectare non prætermittit, forsan ab Eratostene apud Strabonem *lib.* 2. Bargæum dictum, ut tanquam mendacem insimularet, adscito Euhemero titulo, quo vocarunt Antiphanem, à mendaciis Bargæum dictum. Hinc Euhemerum Messanensem fuisse non dubitamus. Cassandro Macedonum Regi acceptissimus fuit, ex Diodoro Siculo *lib.* 6. apud Eusebium *de præp. Evang. lib.* 2. Hieronymum Columnam *cit. pag.* 484. & Vossium *de hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 70. Fuit & eodem Regi familiarissimus, ut ait Guilelmus Xylander *in ann. ad librum Plutarchi de Iside, & Osiride num.* 142. & Vossio *de Poetis Græcis cap.* 8. *pa.* 59. Ideoque ut addit Diodorus, quem sequitur Eusebius, & Columna, Rex egregiam ejus doctrinam, & in rebus agendis præstantiam plurimùm existimans, magni momenti negotia ipsius dexteritati obeunda remisit. Hinc longa itinera aggressus, usque ad australe Oceanum velificavit: felicem Arabiam attigit, & post diuturnam navigationem ad quasdam insulas appulsus est, quarum celebrior Pancheam vocabant,

cabant, omnem inanium deorum cultui addictam. Hujus etiam Euhemeri navigationis meminit Strabo *lib.* 2. & ex his ejus ætatem deducimus; Cassander etenim Rex ex Eusebio *in Chron.* Regni sui exordium attigit olympiade 115. ac usque ad olymp. 120. imperavit. Hinc olymp. 120. claruisse tradit Joannes Bapt. Ricciolius *in Chronol. Refor. tom.* 4. *ind.* 1. *pa.* 174. Vossius *de poet. cit. pag.* 59. olymp. 114. floruisse putat. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1201. olymp. 116. at rectius Reina cit. *pag.* 212. olymp. 117. Vir fuit doctrina instructissimus: & ex Laertio, Lactantio *div. instit. lib.* 1. *cap.* 11. Conrado Gesnero, aliisq; supra cit.

Res gestas Jovis, & cæterorum, qui Dii putantur collegit, historiamque contexuit ex titulis, & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximèq; in fano Jovis Triphilii, de hac etiam historia M. Minutius Felix *in Octavio*. Fabulosum in hac historia Euhemerum fuisse putavit Plutarchus *de Iside, & Osiride*, & Strabo *lib.* 1. *pa.* 102. sed aliud ex Diodoro, & Laertio cit. colligitur, scribunt enim, quòd ea sedulò scripsit, quæ adinvenit. Vide quæ in hac re adnotavit cit. Hier. Columna: apertè autem ejus historicum candorem testatur S. Augustinus *de Civ. Dei lib.* 6. *cap.* 7. ubi ait: *non fabulosa garrulitate, sed historicâ diligentiâ conscripsit.* Sanè non fabulosus, dum Gentilium Deos fabulosos fuisse censet. In hac historia, ut Ciceroni *de nat. deor. lib.* 1. Plutarcho *de placitis Philosophor. lib.* 1. *cap.* 7. Theophilo Antiocheno *lib.* 3. *sermonum*, apud Vossium *de histor. Græcis lib.* 1. *cap.* 11. *pag.* 71. placet, Atheum se prodit, dum omnem denegat deitatem. Hinc Sex. Empiricus *adversus Mathematicos lib.* 8. Plutarchus *de placitis Philosoph. lib.* 1, *cap.* 7. Callimachus in quibusdam senariis apud Plutarchum cit. Theodoretus *de curatione Græcar. affect. lib.* 3. Atheum vocarunt: ex hac etiam causa forsan Alexander ab Alexandro *dier. Gen. lib.* 6. *cap.* 26. *pag.* 745. Vossius *cit. pa.* 70. Ælianus *var. hist. lib.* 11. *cap.* 31. & Theophilus cit. impium dixerunt, Simeon Filasius apud Politianum *in mistell. cap.* 35. ejus libros iniquos renunciat. Sed quamvis ejus defensionem curet Columna cit. *in Ennii vita pag.* 25. quem sequitur Reina *cit. pag.* 215. & 216. eo argumento, quòd dum Euhemerus Jovē, aliosque Deos mortales homines fuisse evincat, innuere videtur alium fuisse verum Deum; attamen etsi rectè de fabulosa Deorum dignitate scripserit, dum eorum ortus, gesta, mortem, ac sepulchra retegit, ex Cicerone *de nat. deor. lib.* 1. Arnobio *adversus Gentes lib.* 4. Manutio Felice, Lact. Firmiano *de ira Dei cap.* 11. & S. August. *de civit. Dei lib.* 6. *cap.* 7. & *lib.* 7. *cap.* 26. attamen haud declinare poterit impii viri notam, cum rerum omnium eventus, ac vicissitudines, casu adscribat; ac veri Numinis providētiam deneget, ut Theophilus cit. observat. Hinc Ælianus inter Atheos, eosque qui divinam denegant providentiam accenset. Hanc Euhemeri historiam græcè scriptam, Ennius latinam fecit ut scribunt Lactantius *div. inst. lib.* 1. *cap.* 11. *pa.* 43; & *de ira Dei cap.* 11. S. August. *de civ. Dei lib.* 7. *cap.* 26. & *de consensu Evangelistarum lib.* 1. *cap.* 23. Arnobius *contra gentes lib.* 4. Cicero *lib.* 1. *de nat. Deorum*, Varro *de re rustica lib.* 1. *cap.* 48. & Volaterranus *anthrop. lib.* 15. aliiq: multi. Extant hodie ejus fragmenta ab Ennio versa, quæ collegit, expendit, & edidit Hieronymus Columna Neapoli ex typographia Horatii Salviani 1590. in 4. *à pag.* 479. alia etiam Euhemeri fragmenta servantur apud Eusebium *de præp. Evangelica lib.* 2. ac multa ab ejus historia mutuatus est Hyginus *in poetico astronomico*, & Lactantius *de falsa relig.* Tandem Athenæus *lib.* 14. *cap.* 22. *pag.* 658. citat: *Sacrarum præscriptionum lib.* 3. at hanc lucubrationem, eamdem esse, ac historiam Deorum putant docti. Reina cit. *pag.* 217. opinatur, alia egregiè scripsisse; ipsum enim citant Varro *de re rust. lib.* 1. *cap.* 48. Columella *de re rust. lib.* 9. *cap.* 2. Hyginus *lib.* 2. *rerum astronomicar. de Eniocho pag.* 65. Plinius *lib.* 36. *c.* 12. qui inter eos recenset, qui de Ægypti Pyramidibus scripsere, Pomponius Festus in proverbio *Sus Minervam*, Ioseph Hæbreus *lib.* 1. *contra Apionem*, qui de Judæis mentionem habuisse testatur, Politianus *in mistell. cap.* 34. Minutius Felix *in Octavio*: sed horum aliquos de Euhemero, tamquam scriptore de Deorum historia, non levi rationis pondere, meminisse suspicor. Poetam etiam Euhemerum fuisse non dubitamus; Censorinus enim *lib. de die Natali cap.* 20. veterum elegiarum scriptorem enunciat, & inter Poetas accensent Vossius *de Poetis Græcis cap.* 8. *pag.* 59. Gyraldi *de poet. hist. dial.* 3. *pag.* 119. & Lauren. Crassus *de Poetis Græcis pa.* 209. & 210. & eumdem esse, ac nostrum de Diis scriptorem censent: quamvis Hier. Columna *in Ennium pag.* 483. Euhemerum Poetam, alium ab historico putet. Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. in catalogo medicorum, Euhemerum medicum recenset, quem citat Galenus *lib.* 4. *medicamentorum localium cap.* 7. (ubi ipsius aliqua exhibet medicamenta) ac eumdem forsan putat, cujus librum tertium citat Atheneus, ut supra innui.

EUMACHUS Siculus cujus patria ignoratur, musicus fuit. Plinius inter auctores adscribit, è quibus lib. 4. 5. & 6. collegit, qui res ad Geographiam spectantes complectuntur; unde conjectare licet, librum de rebus geographicis scripsisse: at hoc clarè ex Vossio *de hist. Græcis* elucet, qui *lib.* 3. *pag.* 366. ait, quòd à Phlegonte *de rebus mirabilibus cap.* 18. Eumachus citatur *in orbis descriptione*: ex qua narrat, Carthaginenses juxta provinciam suam fossam agentes, duas ex humano corpore ossium structuras offendisse: & unius proceritas cubitorum 23. alterius 24. comperta est. Quamvis autem suspicetur Vossius hunc Eumachum forsan eumdem esse, ac Eumachum Neapolitanum, qui Hannibalis gesta consignavit; dum hic Carthaginensis Ducis res scripserit, & quæ Phlegon ex Eumacho exponit, Carthaginenses respiciant: at verisimile magis putat Vossius, intelligi Eumachum Siculum musicum à Plinio *lib.* 4. citatum: additq; non obstare musicum

voca-

vocari, nam Plinius eo libro non de musicis, sed de variis gentibus tractat: & Aristoxenus Tarentinus, cùm fuerit quoque musicus, illustrium scriptorum vitas, & variam historiam chartis consignavit. Et sanè Plinius non modò inter auctores libri quarti, ut ait Vossius, sed etiam inter scriptores, è quibus 5. & 6. librum exscerpsit, Eumachum Siculum recenset, ut supra innui. In his verò libris, Variarum Gentium descriptionem exponit: opus autem Eumachi à Phleonte citatum, Orbis descriptionem complectebatur. Hinc non ambigendum puto, nostri Eumachi Siculi fœtum esse opus hoc, à Phleonte citatum, *de Orbis descriptione*. Quo floruerit ævo incertum est: & inter incertæ ætatis historicos à Vossio relatus est. De Eumacho musico etiam meminit ex Plinio Córadus Gesnerus *in Biblioth. pag.* 224. Joannes Vigintimillius *in tabula Siculorum Poetarum*, primo suo Poetarum libro præfixa, Eumachum accenset; sed an iste de quo agimus, an alius sit, divinare non auserim, cùm conjecturæ penitus deficiant.

EUSEBIUS. De hoc mentionem habet Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catanensis pag.* 107. Ubi ait, quòd anno 449. sub Imp. Theodosio, & Valentiano, Templum Divo Philippo Argyrensi dicatum, & in Argyrensi Urbe extructum, jam collapsum, fuit instauratum, novisque ædificiis, ac Monachorum Basiliensium Cœnobio amplificatum. In hoc Monasterio floruisse testatur Pirrus B. Eusebium, qui regularem D. Basilii disciplinam professus est. Hinc ratione novi Monasterii, Philippensis, sive Divi Philippi frater dici cœpit. Addit verò, quòd iste Eusebius ex antiquo m. s. de vita, & gestis ejusdem Sancti multa exscripsit, ac miraculis denuò editis eamdem vitam locupletavit: & cœlestibus signis clarus ibidem obiit, ac sepulturæ traditus est; ejusque caput die 12. Maii singulo anno per Urbem solemni ritu circumfertur. Hæc Pirrus, qui *not. Eccl. Panor. pa.* 51. scripserat, Eusebium S. Philippi Argyrensis Comitem, ejusdem vitam scripsisse. Hæc Pirrus: ideoq: inter Siculos Scriptores, ex editis à Pirro, Eusebium accenset Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculorum p.* 119. & iterum *in Siciliæ Biblioth. veter. pag.* 117. Sed diversè apud Octavium Caetanum *tom.* 1. SS. *Siculor. pag.* 33. observo: ipse enim ait, quòd S. Eusebius incertum Syrusne, an Italus genere extiterit: illud verò incompertum est, quòd Divo Philippo Argyrensi, ab Apostolo Petro in Siciliam misso, datus est comes; additque quòd cum Philippo ab Oriẽte Romam navigavit, & Argyrium venit: & post ejus mortem Orbiani Toparchæ metu Alexandriam navigavit, ubi S. Philippi vitam ab ipso scriptam vulgavit: ac tandem Argyrum regressus in Domino sanctè quievit. Idem Caetanus iterum *in animad. pag.* 21. de actis Philippi Argyrensis ab Eusebio scriptis, ait. *Eorum auctor Eusebius dicitur, ut initio scriptum est, sed quia Philippi Socius Eusebius etiam dictus est, & ejus vitam scripsisse traditur, factum est, ut hujus narrationis auctor credatur Eusebius ille, qui fuit D. Philippi Socius, quod ad conciliandam fidem his actis faceret. Sed vel alius hac scripsit Eusebius, vel si hæc Eusebio D. Philippi Socio tribuamus alienam manum, & quidem imperitam nimis accessisse credendum est; nec enim in animum inducam à Sancti Viri Discipulo profectas esse nugas, quas modò, referam hìc contineri, & reiiciam.* Hæc Caetanus hinc incertum adhuc est, quis vitæ hujus sit auctor: & ex dictis distinguenda temporum, gestorumque ratio: nam vel hæc vita Eusebio Divi Philippi Socio adscribatur, & à Siculorum Scriptorum catalago expungendus, nec Basiliensibus dandum, cùm circa annum 46. claruerit: vel alio Eusebio recentiori tribuatur; & hic non Socius S. Philippi, etsi non levi rationum pondere Siculum putamus. Vita hæc D. Philippi, ab Eusebio scripta, extat apud Caetanum cit. *to.* 1. *SS. Siculor. pag.* 28. hoc titulo insignita

Narratio Eusebii Monachi de Vita, & Miraculis Sancti Patris Nostri Philippi Apostolici Presbyt. Dæmonum expulsoris.

EUSTACHIUS NICOSIA Catanensis, vir poesi, ac politioribus literis egregiè excultus, inter Academicos Elevatos Catanę eminuit. Cùm integritate insignis, publicum in patria Tabellionem egisset, obiit Catanæ 21. Septẽbris 1663. Edidit italicè

La Pallade Consolata Epitalamio per le Nozze delli molti Illustr. Sig. D. Pietro Moncada, e D. Beatrice Moncada de' Patritii Catanesi, con l' aggiunta d' alcuni pochi sonetti. Catanæ apud Vincentium Petronium 1660. in 8.

Edenda reliquit m. ss. hæc alia, nempè

La Genuefa.) *Il S. Eustachio.*) *I Tre SS. Fratelli.*) *Tragedie Sacre in verso.*

L' Oreste.) *La Nova Orbecche.*) *Tragedie Morali in verso.*

L'Intricati Barbugli.) *Le Caste Vedove.*) *Comedie.*

Poesie.

Hæc omnia Catanæ servantur à Felice Nicosia Auctoris filio.

EUSTACHIUS DE PERNIS Catanensis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius. Immaturâ morte decessit Catanæ anno 1554. De eo Jo: Baptista de Grossis *in Decacord. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 151. In posterorum commodum reliquit

In librum Galeni, quos purgare conveniat, quibus medicamentis, & quo tempore, Commentaria. Neapoli 1547. in 4.

FABIUS

F



ABIUS COLUMBUS Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinẽsis, natus an. 1600. à teneris unguiculis humanioribus literis summa cum diligentia, ac profectu operam dedit. At majori animi sortitâ ad pietatis studia animum appulit; piis enim operibus addictus, in virtutis via mirabiliter profecit. S. Benedicti institutum amplexus 12. Martii 1620. in Cœnobio S. Martini de Scalis: ibi nil ipsi antiquius, quàm ad virtutes insigni curâ adipiscendas incumbere; à quibus nec Philosophiæ, nec Scholasticæ, & moralis Theologiæ studia (his instructissimus fuit) ejus animi ardorem avertere valuerunt. Ad animarum utilitatem concionatoris munus suscepit, ac magno populi fructu exercuit. In eodem S. Martini Cœnobio ad Decani, Magistri tyronum, ac œconomi muneribus assumptus; in his obeundis ejus morum candor egregius semper effulsit. Sed cùm Deo tantùm vivere æstuaret, omnibus curis solutus, abdicata honorum spe, ad quorum fastigia virtutum merita virum egregium vocabant, in absolutissimo vitæ instituto adipiscendo, reliquum vitæ contrivit. Antequam extrema clausisset diuturno, acerboque morbo expolitus est: cui accessere dolorum cruciatus, qui eò deduxere, ut ne levem aliqualem corporis motum permitterent: sed cùm inconcussæ patientiæ fortitudine omnia morborum tormenta pertulisset, tandem, non sine sanctitatis opinione, decessit Panormi 26. Januarii 1675. Hujus viri gesta habes apud Petrum Antonium Tornamiram *in scriptoribus Marianis Benedictinis pag. 56. & seq.* qui ipsius etiam meminit in epistola ad lectorem libri sui *de Monialibus Oblatis pag. 6.* & Joan. Evagelista Panormitanus *in anagramm. pag. 146.* Edidit italicè

I Favoriti di Maria Vergine nell' Ordine Beneditino Centuria Prima. Panormi apud Buam, & Camagna 1668. in 8. & Mutinæ.

Elettuario di Gemme divine per conforto dell' Anima. Ibidem apud eosdem 1669. in 12. suppresso nomine.

Servantur etiam m.ss. in eodem Cœnobio

Discorsi morali sopra molti capi della sacra Genesi.

Sermoni sopra tutte le feste di Maria Vergine.

Concetti scritturali, e sentenze di Santi Padri, e Filosofi morali, ordinati per alfabeto à modo di Poliantea.

FABIUS ASCENSUS Motycensis Societatis Jesu, natus 24. Novembris ann. 1649. Societati nomen dedit 12. Junii 1665. in qua solemnia emisit vota 15. Augusti 1683. Decursis ex more studiorum spatiis, concionatoris munus aggressus est. In multis Siciliæ civitatibus ejus eloquentiæ, ac eruditionis lumina effulsere: & modò easdem Ecclesiastis eximii partes, magna cum laude, ac fructu, explere videmus. Edidit italicè

La Torre della Bolla d'oro. Panegirico della Lettera di Maria Vergine a' Messinesi. Messanæ typis Dominici Costa 1692. in 4.

La Mano in tutte le cose operaria. Panegirico di S. Rosalia Vergine Palermitana. Messanæ apud Vincentium de Amico 1692. in 4.

FABIUS BALLUS nobilis Panormitanus Jurisconsultus doctrinâ celeberrimus: causarum patrocinium egit usque ad supremam senectutem, non sine ingenii, doctrinæ, & eximiæ integritatis laude. Gravioribus studiis aliquando amœniora immiscere placuit; Musas præsertim Siculas coluit; ac omnium primus Eclogas vernaculâ linguâ cecinit. Obiit Panormi 23. Maii 1632. & in Ecclesia S. Francisci de Paula Fratrum Minorum sepultus est. Hujus cum laude meminere Joseph Galeanus *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pa.* 158. & Octavius Bellia *in epist. ad lectorem Battilli Joan. Bapt. de Judice pag.* 10. Edidit Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis tom. 1. par. 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & typis Josephi Bisagni 1662. in 12.

L'Alfesibeo Ecloga Pastorale in lingua Siciliana. m. s. multorum manibus teritur Panormi, cujus exemplar extat apud me.

FABRITIUS BERTULEUS, sive PUBLIUS FABRITIUS BERTULEUS Patritius Motycensis, Danthis Calabri oratoris facundissimi filius, claruit circa annum 1559. Ipsius meminit Placidus Carrafa *in Motuca illustrata pag.* 100. Edidit

Dialogos Grammaticæ. Panormi apud Ionnem Matthæum Maidam 1559. in 8. Scripsit etiam ex Carrafa citato

De Latini sermonis elegantia, Barbarorum flagellum, Barbaromastigem, quod opus morte præventus non absolvit.

FABRITIUS LUNA nobilis Panormitanus, Poeta egregius, Petri Gravinæ Poetæ Siculi Panormitani discipulus, ut ipsemet fatetur in libro suo infra relato. Claruit circa annum 1534. Edidit librum inscriptum:

Fabritii Luna Sylvarum, Elegiarum, & Epigrammaton libellus. Neapoli per Matthæum Canzem 1534. in 8.

FABRITIUS SPUCCES Panormitanus Societatis

tatis Jesu, Iosephi Spucces ejusdem Societatis (de quo suo loco) frater natu major. In lucem editus anno 1591. Societatem amplexus est anno 1609. in qua solemnia emisit vota. Inter celeberrimos ævi sui Ecclesiastes recensitus, in præcipuis Siciliæ urbibus magna cum laude conciones habuit eloquentissimas. Decessit Neapoli in domo Professorum 9. Decembris 1639. Ipsum laudat Joseph Galeanus *in carmin. lyricis pag.72.* Edidit italicè

Oratione funerale nell' esequie dell'Illustris. Sign. D. Giovanna d'Aragona, e Ventimiglia Marchesa di Giarratana, celebrate nella Casa Professa della Compagnia di Giesù di Palermo. Catanæ typis Joan. Rossi 1639. in 4.

Quaresimale. Servabatur apud P. Josephum Requesens Panormitanum Soc. Jesu, qui Romæ typis tradere meditabatur; sed post ejus mortem forsan m. s. servatur in Bibliotheca Collegii Romani.

FELIX Messanensis Episcopus, & ut opinor etiam civis, nam eo vixit tempore, quando jus vigebat, cùm ad Ecclesias regendas illius Urbis cives, ubi erant Ecclesiæ constitutæ, assumebātur, ut ex D. Gregorii Epistolis probant Rocchus Pirrus *de elect. Præsulum Sicil. pag.36.* & Augustinus Inveges *in Panor. sacra pag.* 302. *&* 524. Regularem S. Benedicti disciplinam professus est in Cœnobio Romano S. Andreæ, ubi unà cum Divo Gregorio Magno, illius Monasterii fundatore, claruit; ac cum ipso amicitiæ vinculis sanctè conjunctus vixit: ait enim Felix in Epistola, mox referenda: *quando unà vobiscum ab infantia nutritus, atque edoctus fui.* Eo in Cœnobio disciplinæ monasticæ observantiâ, ac D. Gregorii exemplo edoctus, virtutum ornamentis insignitus enituit. In ipso juniorum Monachorum moderator, Divi Benedicti alumnos, juxta severioris instituti leges erudivit, ut ex Arnaldo Wion *in ligno vitæ lib.2. cap.20. pag.232.* & Joanne Diacono *in vita D. Gregorii lib.2. cap.33.* patet. Ab ipso Augustinus primus Angliæ Episcopus insigniter eruditus, eo animi ardore virtutum studia amplexus est, ut vir evaserit egregius, teste D. Gregorio *epist. ultima.* Messanæ Episcopus electus, pastorali vigilantiâ creditam sibi Ecclesiam moderabatur anno 590. & Sancto Pontifici gratissimus, multas ejus epistolas accepit, quas inter D. Gregorii epistolas leges, nempè *lib.* 1. *epist.* 38. *&* 64. *lib.* 7. *epist.*43. *&* 98. *& lib.* 12. *epist.* 10. *& ultima:* sed ex hac postrema nonnullæ exortæ concertationes inter Panormitanos, & Messanenses Metropoliticum Jus in Sicilia respicientes; & productis hinc inde rationum jaculis, luculentam instituere pugnam: at ne videar extra choream saltare, ad Abb. Pirrum *not. Eccl. Messan. à pag.* 261. *& seq.* Albertum Picciolum *de antiquo Jure Ecclesiæ Siculæ*, Carolum Morabitum *tom.1. annal. Eccles. Messan.* Augustinum Inveges *tom. 3. annal. Panor. à pag.*304. aliosque lectores remitto. Sanctimoniâ clarum floruisse Felicem non ambigendum, ac usque ad annum 594. superstitem fuisse incompertum est. Scripsit

Epistolas, quarum una ad D. Gregorium extat *tom. 3. Conciliorum Generalium* antiquæ editionis, & apud Picciolum *cit. par.1. cap.18. pa.47.*

FELIX BONAFIDES (perperā Felix Bonastres à Daniele à Virgine Maria *in speculo Carmelitarum tom.2. par.5. lib.5. num.3735. pag.* 1072. vocatus, forsan ex typographi incuria) Panormitanus Ordinis Carmelitarum primi Instituti Montis Sancti, Ecclesiastes celeberrimus, eruditione, eloquii suavitate, ac facundiâ clarissimus. Ne dū Panormi in Principe Templo, verùm etiam in præcipuis Italiæ civitatibus cōciones habuit magno cum plausu exceptas. A Sacræ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, ac summis Principibus persępè honorificentissimis epistolis expetitus est, ut apud ipsos quadragesimale curriculum concionando perficeret. Hinc magnum ubiq; nomen ab eloquentiæ celebritate sibi comparavit. Gravioribus disciplinis instructissimus, in Siculo Inquisitorum Concilio Consultoris, & Censoris munere cohonestatus est. Pluries Ordinis Cœnobia rexit: præsertim Bononiensi præfuit. Dum Siculam Provinciam gubernaret, ac sedulò lustraret, decessit Panormi 27. Sept. 1681. anno ętatis suę 58. Edidit

Arcosphærianticum Salamonis, SS. Virginis Mariæ Carmelitæ, Gratiarum Matris, Encomia concinentem. Bononię typis Iosephi Longi 1674. in 4 Italicè

Le Glorie del Precursore di Cristo esposte al publico nel suo festivo Octavario solennizzato nella Metropolitana Chiesa della Città di Fiorenza con otto Prediche. Florentię apud Vincentium Evangelistam, & Petrum Martini 1677. in 4.

Il parto della Fenice avvivato nelle ceneri. Discorso Panegirico della Beata Catarina di Bologna. Bononiæ apud Josephum Longi 1674. in 4.

FELIX BRANDIMARTE Castriveteranensis Ordinis Capuccinorum, vir doctrinâ, & eloquentiâ satis instructus. Natus anno 1628. Capuccinorum institutum amplexus est Saccæ 14. Januarii 1646. Per plures annos sodales suos Rhetoricam, Philosophiam, & scholasticam Theologiam docuit, eximia cum doctrinæ laude. Conciones eruditione, & eloquentiâ refertas dixit in præcipuis Siciliæ civitatibus. Sacræ Inquisitionis Siculæ fuit Consultor, & Censor. Provinciam Panormitanam non sine prudentiæ nota gubernavit: & apud suos veneratione prosequutus inclaruit. Obiit Panormi 22. Septembris 1685. De eo Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinor. pag.*107. Edidit

Sapientiæ Tubæ scientiam, idest Tractatum scholasticum de Arte sacra concionandi. Panormi apud Dominicum Anselmum 1667. in 4. Italicè

L'Arco Trionfale. Panegirico in lode di S. Rosalia Vergine Palermitana. Ibidem typis Augustini Bossii 1659. in 4. non anno 1669. cum aliquibus concionibus de Sanctis, ut ait ex prava relatione Genuensis citatus.

Panegirici sacri di diversi Santi occorrenti nell'anno, cō l'aggiunta di quattro Prediche nel geno deliberativo. Ibid. apud Dominicū Anselmum 1677. in 4. Ineditum reliquit

Cursum Theologicum ad mentem Scoti per quatuor annos, juxta quatuor sententiarum libros, commodis lectionibus distributum, novis Recentiorum doctrinis locupletatum, & inter quatuor tomos divisum, quibus etiam superadditur quintus, in quo pro fide tuenda ipsius Sacræ Theologiæ sit usus, & praxis. Servatur Panormi m. s. in Bibliotheca Capuccinorũ.

FELIX POTESTA' Panormitanus Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, lucis usuram accepit 2. Julii an. 1649. Regularem Ordinem amplexus, in eo absolutis studiorum spatiis, sodalibus suis philosophiam Romæ, Scholasticam Theologiam Panormi, eximia cum ingenii præstantissimi laude, diu explanatam tradidit: hinc Lectoris, ut ajunt, Jubilati titulo cohonestatus, doctissimi viri opinionem assequutus est. Multis honorum ornamentis auctus effulsit. Apud S. Officii Judices in Sicilia Censoris, & Consultoris munere claruit. A Ferdinando de Bazan Archiepiscopo Panormitano (cui gratissimus fuit) Synodalis Examinator, & librorum edendorum censor electus est. Judicis Regiæ Monarchiæ Siculæ Theologus effulsit. In Provincia Septem Martyrum Commissarium, & Visitatorem, & in Sicula Vallis Mazariæ Provincia Definitorem egit; eamque etiam Provincialis rexit. Anno 1702. ad eamdam Provinciam gubernandam morum suavitas, prudentia, aliæque eximiæ animi dotes virum egregium evexere; quam dum omnium approbatione moderabatur, maximo Sodalium dolore, Panormi decessit in Cœnobio S. Mariæ Angelorum 23. Augusti 1702. Funus non sine pompa celebratum, ornatissimi viri æstimationem confirmavit. Dum Philosophiç editionem meditabatur, jussu Bonaventurç Boerii Ordinis sui Generalis, Theologiç Moralis explanationem suscepit; docuitque suos, non sine eruditionis, ac doctrinæ laude: hinc ex oblata occasione in lucem emisit

Manuale Ordinandorum duos complectens tractatus de Sacramento Ordinis, & de Sacrosancto Sacrificio Missæ. Panormi typis Anglese, & Leone 1694. in 12. & apud Thomam Aiccardum 1697. in 12.

Examen Ecclesiasticum complectens tractatum de Denunciationibus ad monita Papæ, & Episcoporum, ad edicta Inquisitorum, & pro Confessariis Solicitantibus; atque Examen Confessariorum, Prædicatorum, & Ordinandorum. Tomum Primum, & Secundum. Ibidem typis Adami 1697. in 12.

Examen Prædicatorum, in quo aptæ, atque expeditæ traduntur regulæ ad Apostolicum Sacræ concionis ministerium ritè exercẽdum. Ibidem typis Thomæ Aiccardi 1697. in 12. Prædicta omnia novis, & amplissimis accessionibus, aliisque lucubrationibus locupletata prodiere, ac tribus tomis distributa hoc titulo. *Examen Ecclesiasticum adauctum tres complectens Tomos, in quo diversæ materiæ morales, omnesque ferè excogitabiles casus conscientiæ solidè, & clarè resoluuntur, cum Denunciationibus ad Monitoria Papæ, & Episcoporum, ad edicta Inquisitorum, ac pro Confessariis solicitantibus, Instructione Sacræ Pœnitentiariæ, Propositionibus Damnatis, Examine Ordinandorum, & Arte prædicandi.* Panormi typis Michaelis Costanzo 1701. in 4.

Prælo paraverat

Philosophiæ cursum integrum.

Theologiam Mysticam.

Tractatum de Monialibus.

FELIX URSUS ex oppido Ciminnæ Diœcesis Panormitanæ, Sacerdos Sacræ Theologiæ Doctor: è patria egressus, Sardiniam petiit cum Theodoro Trivultio S. R. E. Cardinali, cujus à Sacris fuit. Inde Romam contendit, ubi Archiconfraternitatis S. Mariæ Constantinopolis nationis Siculorum Quæstoré, vulgo *Camerlégo*, fuisse scimus. Hujusce viri affines, Ciminnæ degentes, episcopali infulâ insignitum prædicant in Calabria. At Romæ decessisse incompertum est, ex quadam defunctorum tabula in ejusdem patria. Floruit anno 1660. Edidit

Prolusionem in gratiarum actionem habitam pro laurea Sacræ Theologiæ Doctoris suscepta, interventu Em. & Rev. D. Joannis Jacobi Theodori Cardinalis Trivultii, nec non Ill. & Rev. D. D. Bernardi de la Cabra Calaritani Archiepiscopi, Sardiniæ &c. Corsicæ Primatis. Calari ex typographia Doct. D. Antonii Galcerin 1650. in 4.

FERDINANDUS BALAMIUS Siculus, cujus patria ignoratur, doctor medicus, scientiâ excultissimus, Leonis X. Pontificis Maximi medicus. Gravioribus disciplinis mitiores etiã literas univit; poesi, græcisque literis egregiè instructus, Claruit Romæ circa annum 1555. inter præcipuos literatos accensitus. Hujus doctissimi viri meminere cum laude Lilius Gregorius Gyraldus *de Poetis nostrorum temporum dial.* 1. *pag.* 418. Andreas Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. *pag.* 274. Prosper Mandosius *in Theatro, in quo Maximorum Christiani Orbis Pontificum Archiatros exhibet pag.* 67. Pierius Valerianus *de literatorum infelicitate lib.* 1. *pag.* 49. & Conradus Gesnerus *in Biblioth. pag.* 231. Opinatur Leo Allatius *in epistola ad lectorem Poetarum antiquorum pag.* 37. quòd de eo intelligit Jovius in quadam epistola ad Hieronymum Scanapecum, ubi cujusdam Poetæ Siculi carmina commemorat. Vertit è græco hæc Galeni opuscula, nempè:

Cl. Galeni Pergameni librum de ossibus ad tyrones interprete Ferdinando Balamio Siculo, enarrationibus illustratum à Ludovico Collado Valentino. Valentiæ apud Joannem Mey 1555. in 8. & cum notis Gasparis Hofmanni, Francofurti ad mœnum apud Clementem Schleichium, & Petrum de Zetter 1630. in fol. extat etiam inter Galeni opera *tom.* 1. ex editione Veneta apud Juntas 1586. in fol. In eodem tomo operum Galeni habentur etiam alia duo opuscula à Balamio traducta, nempè:

De optima nostri corporis constitutione. Et

De bona habitudine.

Vertit etiam opus Galeni

De Hirundinibus, revulsione, cucurbitula, cutis concisione, sive scarificatione. Extat in operibus Galeni *tom.* 6. ex eadem editione, & seorsim Rostochii 1636. in 8. ex Vanderlinden *de scriptis medicis pag.* 273. Galeni etiam vertisse addunt Paschalis Gallus *in Biblioth. medica pag.* 94. Gesnerus,

-crus, & Vanderlinden cit. librum

De cibis boni, & mali succi. Lugduni 1555. in 12. ex Vanderlinden, vel 1560. in 12. ex indice Bibliothecæ Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 102.

Nonnulla poetica monumenta Balamii extant apud Paulum Iovium in elogiis Pandulphi Collenucci, Alberti Magni, Petri Navarri, & Alberti Pii.

FERDINANDUS DE BAZAN Nobilis Panormitanus, genere Hispanus, ex Alvaro de Bazan S. Crucis, ac Visi Marchione, dum Siculas Triremes gubernaret, 29. Aprilis 1627. felici omine natus (eodem etenim die, sed non eodem anno, Compostellanæ Ecclesiæ Canonicatu, Baccalaurei laureâ insignitus est, & Panormitanę Ecclesiæ, sibi in sponsã datæ, faciem vidit) Ab infãtia in Hispaniam translatus, ibi in Salmaticensi Academia tum humanioribus literis, tum etiam gravioribus Philosophiæ, & Theologiæ Studiis abundè instructus est. Inde Iurisprudẽtiæ operam dedit, ac ob ingenii felicitatem ita profecit, ut insigni cumulatus doctrinâ, annum agens undevigesimum, Bacalaurei gradu, mox Rectoris honore cohonestatus fuerit; & tandem doctoris insigniis ornatus. Anno ætatis suæ 14. Compostellanæ Ecclesiæ Canonicatum obtinuit, ibique etiam Ecclesiasticum Iudicem egit. Exinde in Hispalensi Ecclesia Canonicus electus est, ubi etiam Provisoris (Vicarium Generalem dicimus) munus non sine laude exercuit. Ad Sacrum S. Officii Tribunal accersitus, decennio Inquisitoris munere functus Cordubę, ac totidem Matriti in supremo S. Officii Senatu, doctrinâ, fidei zelo, ac prudentiâ longè, latèque effulsit. Literarum amore succensus, doctissimorum virorum Academiã propriis in ædibus excitavit, quam eruditione, sapientiâ, & ingenii monumentis mirabiliter fovit. Demum Archiepiscopus Panormitanus, ipso penitus inscio, electus, die 29. Aprilis 1686. in Patrię sedem immissus est. In Ecclesia regenda vigilantissimi Pastoris dotes explere curavit. Doctrinâ, prudentiâ morum suavitate, & virtutum sanctimoniâ insigniter enituit; adeo ut Patriæ Patrem amãtissimum dilexerint omnes, ac maximam venerationem Præsuli egregio referrent. Animarum zelo æstuans, earum utilitatem promovere sedulò studuit; & nunc abusus erumpentes eradicare, nunc pietatis officia fovere non prætermisit. Effrœnatam concionatorum licentiam compescere, collapsam Monialium disciplinam instaurare, pueros catechismi alimentis enutrire curavit. Excitatis in Episcopali palatio Academiis Theologiæ moralis, & mysticæ, Sacrorum Canonum, Catechismi, Concionum, & Missionum, diu ecclesiasticos erudire, ac in literario pulvere exercere contendit. Pauperum Sacerdotum Nosocomium fundavit; cui elegantissimam addidit Ecclesiam, numeris omnibus absolutam: ibique ne dum necessaria ad ægrotorum commodum, & ad salutem revocandam munificâ manu profudit, verùm etiam humilitatis singularia documenta exhibuit; flexis enim genibus singulis hebdomadis ægrotantes inservire consuevit. Erga pauperes, vel supra vires, amplissimam liberalitatem exercuit. SS. Eucharistiæ cultum amplificavit, cùm præsertim ad infirmos reficiendos circumfertur: ipse verò singulis hebdomadis ad Ecclesias, ubi successivè ob quadraginta horarum orationem solemni ritu, & magnâ populorum frequẽtiâ publicè exponitur, venerabundus accedere non cessavit. Ne instituti mei limites excederem, multa virtutum exempla, ac Sanctissimi Pastoris argumenta hìc recenserem, quæ & ego multorum testis propriis hausi oculis. At silentio obvolvere haud licet illud singulare Præsulis eximii exemplum; cùm enim 11. Ianuarii 1693. Siciliâ horrifico terremotu concussâ; & formidabilis terræ trepidatio nonnullas civitates, & oppida solo æquasset, & LX. propè millia hominum clade insulam vastasset; tunc ipse in Baidæ suburbana villa animi relaxandi gratiâ rusticabatur; ubi vix terræmotus concussiones processerant: at cognito patriæ suę discrimine, è tuto loco ad pericula novarum quassationum statim advolavit: interterriti pectoris documenta edidit; paterno amore, terrore affectos confirmavit: pietatis negotia excitavit: populos ad avertendam Numinis iram supplicationibus, ac pœnitentiæ studiis accendit: eleemosynis largè erogatis pauperes levavit: ac de liberata Urbe, Divæ Rosaliæ ope, benemerentissimæ concivi, indito peculiari festo, gratias rependit. Tandem ęgritudinum molestiis diu vexatus, sed infracto animo patientissimè toleratis, maximo omnium dolore decessit Panormi 11. Augusti 1702. & magnificè parentatus, ac funebri oratione à P. Hieronymo Jũta Soc. Jesu laudatus, in Cathedrali Ecclesia sepultus est; ubi extructo è marmore tumulo jacet, hoc epitaphio cohonestatus.

Cineres, & ossa hèic sita sunt
Ferdinandi de Bazan Civis, & Archiepiscopi Panorminani,
E Marchionibus S. Crucis Hispaniarum Magnatibus,
Compostellanæ, atque Hispalensis Ecclesiæ Canonici,
Apud Cordubenses primùm Fidei Quæsitoris,
Deinch pro summa divini, humanique juris notitia
Inter Supremi Tribunalis Judices adlecti;
Qui assidua in egenos largitate, & Academiarum fundatione,
Extructisque singulari prorsus exemplo in usum Sacerdotum Nosocomiis,
Pater Pauperum, Antistitumque Norma meruit appellari.
Cætera non finit dolor.
Ex hac vita migravit quarto idus Augusti Anno Domini CIϽ. IϽCCII.
Orbata Panormus viro incomparabili, & vitæ innocentiæ,
Non sine lacrymis B. M. P. C.

Hujusce Præsulis laudes lege apud eruditissimum Didacum Vincentium Vidaniam *in memor. familiæ Benavides cap.* 14. §. 2. *pa.* 337. Vincentium Auriam *in historia Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 199. 200. 202. & 217. & *in hist. Crucifixi Panormi pag.* 227. Ignatium de Vio in libro *Giorni d'oro di Palermo pa.* 20. & 190. Franciscum Marche-

ſum in epiſt. nuncupatoria Sacerdotis in Villa, & num.159. Stephanum Abbatem in Theologia Principis c.4. dub.15. num.12. pag. 124. & præclariſſimum Hyacinthum Gimmam in elogiis Academicis Incurioſorum Roſciani par. 1. elog. 3. pag. 35. Multa & ego de eo dixi in epiſtolis nuncupatoriis vitę S.Franciſci de Sales, & Reſolutionis Hiſtoricæ de duobus SS. Mamilianis; ſed plura dabit cultiori ſtylo eruditiſſimus Franciſcus Marcheſius ſupralaudatus in Addictionibus ad notitiam Eccleſiæ Panormitanæ Abb. D. Rocchi Pirri, quas ad prælum parat. Edidit

Literam Paſtoralem amplectentem inſtructiones ſacrorum Oratorum Verbum Dei evangelizantium. Panormi typis Petri Coppola 1692. in 12.

Italicè

Lettera Paſtorale per la veneratione delle Chieſe, e Perſone Eccleſiaſtiche. Ibidem apud eumdem 1688. in 4.

Ordinationi per le Monache Regolari della Città di Palermo, e ſua Dioceſi. Ibidem apud Joſephum Gramignanum 1700. in 4.

Hiſpanâ linguâ ſub Don Antonii Manriquez Clerici Panormitani nomine.

Erneſto Conde de Eſtahrembergh, defenſor de Viena, liberador de la Chriſtianidad. Diſcurſo Academico. In libro inſcripto: *Triunfos Chriſtianos del Mahometiſmo vencido en cinco diſcurſos Academiços.* Matriti apud Lucam Antonium de Bedmar, & Baldivia 1684. in 4. Paraverat

Synodum Panormitanam, cujus fragmenta m. ss. extant apud laudatum Franciſcum Marcheſium. Servatur apud me m.s.

Diſcurſus Academicus pro Academiis in Archiepiſcopalibus ædibus excitatis. & Hiſpanè

Diſcurſo à Sacerdoti, cujus authographum etiam apud me.

FERDINANDUS BONGIORNUS Panormitanus Juriſconſultus celebris, doctiſſimus cauſarum patronus. Doctrinâ clarus inter egregios Conſiliarios recenſitus effulſit: ac Magnæ Regiæ Curiæ Fiſci Patronum comperio ab anno 1541. ad annum 1543. ex m. s. apud me. Laudatur ab Antonio de Ballis in tract. var. lib.5. quæſt. 2. nu. 31. Hujus extant

Conſilia octo deciſiva. in Conſiliis ſelectis à Petro Luna. Panormi apud Eraſmum de Simeone 1627. in fol.

Lectura ſuper Ritu Regni Siciliæ. in Commentariis Scribentium ſuper Ritu collectis à Marcello Converſano. Ibidem apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Nicolai V. & Regiam Pragmaticam Alphonſi de Cenſibus Adnotationes. apud Petrum de Gregorio de Cenſibus. Ibidem apud Ioannem Antonium de Franciſcis 1609. in 4. & iterum apud Franciſcum Ciotti 1622. in fol.

Allegationes ſuper nullitate ſecundi decreti in cauſa Floridiæ. extant apud Joannem Franciſcum de Caſtillo in libro primo Deciſionum Tribunalis Conciſtorii Sacræ Regiæ Conſcientiæ. Ibidem typis Angeli Orlandi 1626. in fol. poſt decimam deciſionem.

Annotationes in Conſuetudines Panormi. citantur à Mario Muta in comm. Conſuetud. Panor. in proœm. n. 44. 49. & alibi ſæpius.

Addictiones ad Andream de Iſernia de Feudis. vagantur m. ss.

Sub Ferdinandi Bongiorni nomine vidi librum inſcriptum: *Meditationes circa myſteria quampluri-ma vitæ Redemptoris, & Deiparæ.* Venetiis apud Societatem 1608. in 4. & alium, cujus titulus: *Oratio quadraginta horarum ab Eccleſia frequenter haberi ſolitam ad implorandam Divinam Miſericordiam, vulgò dicta il Bongiorno.* Venetiis apud Majettum 1602. in 4. Sed hunc alium à noſtro Ferdinando cenſendum; an verò inter Siculos adſcribi debeat, conjecturæ deficiunt: certè Hippolytus Marraccius in Biblioth. Mariana par. 1. pa.384. de hoc ſcribens, natione Italum enunciat.

FERDINANDUS LETUS, & GRIMALDI Ennenſis, vir claro genere ortus 4. Decembris 1664. ex Friderico Leto, & Petroſo. Falsò Calaſcibettēſis dictus ab eo, cui demandata fuit cura, ut tragicum opus, infra notatum, in lucem emitteret: quod ipſemet Ferdinandus datis ad me literis teſtatus eſt, ac de eo errore nimiùm indoluit. Familiæ nobilitatem amœniorum literarum ſtudiis præclariorem reddidit. Muſis præſertim Etruſcis præſtantiſſimi ingenii aciem devovit: ideoque à poetica facultate clarus, literatorum venerationem ſibi conciliavit; Vivit nunc vir eximius, ingenio, & eruditione inſignis, anno quo hæc ſcribimus 1706. Edidit italicè

L'Innocenza eſaltata. Tragedia ſacra. Neapoli apud Joſephum Roſellum 1694. in 4.

L'Inimico Amante. Opera ſcenica. in 8. ſine anno, loco, & typographi nomine.

Prælo paravit hæc alia, nempè

Entuſiaſmi del Genio. Poeſie Sacre, Morali, Eroiche, Amene, Amoroſe, e Lugubri, con alcune Epiſtole Eroiche nel fine.

Epiche Fantaſie, encomj à varj perſonaggi.

FERDINANDUS PATERNIONUS nobilis Catanenſis Societatis Jeſu, Patritiâ ortus familiâ anno 1540. fuit ex Catanenſibus primus, qui Societati nomen dedit, in qua ſolemnia emiſit vota 25. Martii 1579. Editis ingenii, ac prudentiæ argumentis, à Iacobo Laynez ſecundo Societatis Præpoſito Generali, Romam accerſitus eſt, ut gravioribus diſciplinis operam navaret. Hinc à Franciſco Toledo, inde S. R. E. Cardinali, Philoſophiam, ac ſcholaſticam Theologiam accepit: & ne dum his inſtructiſſimus, verùm etiam Mathematicis diſciplinis inſigniter excultus claruit. Virtutes etiā coluit egregias: & in graviſſimis rebus agendis mirabili excelluit dexteritate. Nonnulla obivit clara Ordinis munia. Panormi Collegiū & domum Profeſſorum Rectoris, & Præpoſiti munere rexit. Siculæ Provinciæ Procurator Romam petiit anno 1587. ut magni ponderis negotia ejuſdem Provinciæ pertractaret. Nonnullas legationes felici exitu, ac ſummo honore perfecit. Siciliæ nomine ad Philippum II. Hiſpaniarū Regem Orator miſſus eſt, apud quem ejus eloquentia, ac ingenium effulſere; ideoque Regius Con-

Concionator electus, à Rege, & à Regina uxore à confessionibus suis constitutus. Ibi cum moras protraheret heroicarum virtutum odore, ac mirabilis eloquentiæ vi, B. Aloysium Gonzagam ad Societatem traxit. Ab ejusdem Regis munificentia obtinuit, ut Abbatia D. Mariæ à Crypta, olim Ordinis S. Basilii, Collegio Panormitano Soc. Iesu, cui Rector præerat, perpetuò adjùgeretur. Primarias sibi oblatas dignitates constanti pectore recusavit. Ioannes de la Cerda Medinæcœli Dux, qui Siciliam pro Rege moderabatur, ut filios suos erudiret, spe Episcopatus, Ferdinandum allicere cogitavit, sed frustra. Mulieris cujusdam insidias, quæ ad fœdandam ejus pudicitiam, confessionis prætextu, Ferdinandum advocaverat, fugâ declinavit. Monasterium mulierum Catanæ pijs civium eleemosynis excitatum promovit, in quo mulieres, è peccati cœno erutę, alerentur. Indefesso labore Ecclesiastem egit, nec à concionibus negotiorum frequentia ipsius animum semovere valuit: & tunc concionibus finem imposuit, cùm vitam meritis, ac honoribus plenam absolvit Catanæ 7. Februarii 1604. Hujus viri laudes scripsere Virgilius Ceparius *in vita B. Aloysii Gonzagæ par. 1. cap. 7.* Petrus Ribadeneira *in vita ejusdem*, Hieronymus Regius *de appetitione Episcpatus pag. 44.* Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag. 82. & 95.* Ioannes Bap. de Grossis *in decacord. Catan. tom. 1. cord. 2. modul. 13. pag. 165. & modul. 15. pag. 179. & tom. 2. cord. 9. pag. 152.* Laurentius Finichiaro *in vita P. Bernardi Colnagi lib. 1. cap. 4. pag. 28.* Ioannes Nadasi *in anno dier. memorab. 6. Febr. pag. 73. & 26. Martii pa. 169.* & Dominicus Stanslaus Albertus *in hist. Sicul. Soc. Jesu par. 1. lib. 6. cap. 9. pag. 625.* Scripsit Italicè

Vite de' Rè di Sicilia da Roggiero primo Normanno sino à Filippo II. d'Austria m. s. ex Petro Carrera *vol. 1. memor. hist. Catanæ lib. 2. cap. 7. pag. 230. vol. 2. lib. 2. pag. 333.* ubi ait, quòd à Bartholomæo Paternione servabatur. Has etiam citat *pag. 337. & 362.* De hoc opere etiam Pirrus *cit. p. 95.* de Grossis cit. *tom. 1. pag. 165. & tom. 2. pag. 55. & 117.* ubi aliqua ejus fragmenta exscribit. Nunc servantur Catanæ ab Innocentio Roccaforte Panormitano, Canonico Catanense. Scripsit etiam

De Regia Sicula Monarchia. Italicè

Vita di S. Teresa scritta dal P. Francesco Ribera tradotta dalla lingua Spagnola nell' Italiana.

FERDINANDUS POMPIANUS vulgò Firrātellus Mazarensis pictor, & poeta facundus. Floruit circa annum 1530. teste Pirro *not. Eccl. Mazar. pag. 543.* Scripsit

Plures historias amatorias, & plura SS. spectacula in Theatris. Eadem scribit Jacobus Adria *in topograph. Mazar.* qui addit has tragœdias singulis annis Mazaræ recitari solitas in cinerali jejunio. Vulgari idiomate ex cit. auctoribus scripsisse colligitur.

FILIÆ STESICHORI celeberrimi Himerensis Poetæ, de quo suo loco; harum una à Scipione Mazzella solummodo in principio *descript. Regni Neapol. pag. 3.* vocatur **Luscina**, quòd apud alios non legimus, ut observavit Petrus Carrera *vol. 1. mem. Catanæ lib. 4. pag. 405.* Himeræ ortæ sub Patris disciplina mirum in modum poeticâ gloriâ claruere, ac morum elegantia insignes floruere. Catanam unà cum Stesichoro digressæ, ibiq; earumdem doctrinâ demiratâ, Clarioni, & Tretarchio præcipuis Catanensibus, Stesichori ex sorore nepotibus, nuptui traditas, ac publico sumptu dotatas legimus, in epistolis Diodoro Siculo adscriptis apud Carreram *vol. 1. mem. Catan. pag. 461.* sed has epistolas meritò inter apocriphas rejicit oculata eruditorum prudentia. Multa scripsere poetica monumenta doricâ linguâ, quæ nimiùm demirabatur Phalaris Agrigentinorum tyrannus: ideoque defuncto Stesichoro, his ejus filiabus consolatorias Epistolas dedit; ac eo æstimationis argumento prosequutus est, ut ad earū petitionem, & ut Stesichoro, etsi defuncto, morem gereret, pretiū pro captivis Tauromenitanis solutum (qui adversus tyrannum bellum susceperant) restituit: ut ex epistolis Phalaris habemus; quod etiam scribit Carrera *cit. lib. 4. pag. 405.* Eodem Stesichori tempore floruere, nempè circa olympiadem 56. ante Christi Domini Adventum anno 552. ac Catanæ obiisse puto. De his lege Gyraldum *de Poetar. hist. dial. 9. pag. 333.* Fazellum *de reb. Sicul. dec. 1. lib. 6. cap. 1. pag. 131. & lib. 9. cap. 2. pag. 197.* Constantinum Lascarē apud Maurolycum *hist. Sicil. pag. 22.* Carrerā cit. *pag. 401. & 405.* Vincentium Solitum *in histor. Therm. to. 1. par. 1. cap. 6. p. 23.* & Joannē Tzetzem *hist. chil. 1. cap. 25.*

FLACCUS Siculus incertæ patriæ. Jurisconsultus, ac Agrimensor sedulus fuit. Etsi Gaspar Barthius *lib. 29. cap. 5. adversar.* Siculum Flaccum, Sæculum appellet, ex incuria forsan Typographi; omnes attamen Siculum prædicant. Addit idem Barthius, quòd ex hujus Siculi opere epitomen tantùm ad nos pervenit; ac rem apertissimam esse, quòd epitomator fuerit religione Christianus: sed ut observat Ioannes Albertus Fabricius *in appendice 1. Bibliothecæ latinæ pag. 138.* nihil horum Guilelmo Goësio arridet, in recentiori editione auctorum rei agrariæ: quamvis nec ipse Goësius habet, quo Ethnicum probare possit. Ex Nicolao Rigaltio *in observationibus, & glossis ad auctores rei agrariæ*, apud eumdem Fabricium, non ante Domitianum vixit, nam ejusdem edicti meminit, nec ante Nervam. Scripsit

De conditionibus Agrorum, & ut Goësius ait, inscriptio libri fuit: *de conditionibus Agrorum Italiæ*, sed ex opere ejus tantùm superest initium, idque lacerum. Rigaltius testatur apud Fabriciū se bonam Centonis illius partem, in complures divisa lacinias reperiisse inter alia fragmenta Hygino adscripta, quæ Ioseph Scaliger ex pervetusto Ioh. Arcerii Codice exscribi sibi curaverat; atque illic quoque disertè legi Siculi Flacci nomen. Quæ hujus operis extant edita sunt in volumine, cui titulus: *Rei Agrariæ Auctores, sive finium regendorum*; primùm editi Io: Tillii Maldensium Episcopi hortatu, & ad Palatinum Codicem

dicem castigati mutuâ operâ Petri Gallandii, Petri Castellani, Æmari Ranconeti, & Adriani Turnebi. Parisiis 1554. in 4. inde auctiores, emédatioresq; cum observationibus, & glossis agrimensoriis Nicolai Rigaltii. Ibidem 1613. in 4. denique cum Glossis, & observationibus Rigaltii, & cum notis, ac dupplici indice Gulielmi Goësii. Amstelodami apud Ioannem Iásoniū 1674. in 4. & Hagæ Comitum 1677. in 4. Comes Augustinus Fontana *in Bibliotheca legali pag.* 350. addit quòd scripsit etiam

Jurisprudentię summam.

FLAMINIUS GODANUS Siculus, arithmetices peritissimus, in Regii Patrimonii Siculi Tribunali Coadiutoris munere functus est. E laboravit unà cum Mario la Gatta opus italicè inscriptum

Tariffa del valore dell' argento, che si porta nella Regia Zecca di Sicilia fatta d'ordine dell'Ill. & Eccell. Sig. D. Pietro Giron Duca d' Ossuna Vicerè di Sicilia. Panormi apud Io: Baptistam Maringum 1611. in fol.

FLAMINIUS PALMULA Panormitanus Jurisconsultus doctrinâ clarus, causarum patronum doctissimè egit in supremis Siciliæ subselliis. Magnæ Regiæ Curiæ semel & iterum Judex enituit integerrimus: & à Marco Antonio Columna Siciliæ Prorege à Rationibus Regii Patrimonii Magister electus est, ut ex pragmaticis *tom.* 1. *tit.* 16. *pag.* 21. colligitur. Eloquentiâ admirabili excelluit, & florente adhuc ætate in sui amorem omnes allexit. In supremo Italiæ Senatu, ut Regentis munere fungeretur à Philippo II. Rege in Hispaniam vocatus, dum discessum meditabatur, infausti eventus deploranda calamitas, ad superos migrare coegit: cùm etenim læta Panormus D. Didacum Henrinquez Comitem Albalistensem Messana reducem exciperet, pons ligneus in littore extructus; vel quia ex diuturna extructione, & aquarum vi fundamina infirmata essent; vel quia ex magna confluentium turba pressus, onus sustinere haud valuisset; miserando lapsu statim corruit; eaque ruina supra 200. viri periere, inter quos noster Flaminius decessit 15. Decembris 1590. De eo vide Philadelphum Mugnòs *in Theatr. Geneolog. par.* 3. *pag.* 53. sepulturæ traditus in Ecclesia D. Francisci Minorum Conventualium, inde 24. Ianuarii 1595. ad Ecclesiam Monialium S. Mariæ de Pietate translatus est, ut in libris defunctorum Ecclesiæ Panormitanæ legitur: & excitato è marmore tumulo, hac sepulcrali inscriptione fuit cohonestatus.

D. O. M.

Flaminio Palmulæ bis Magnæ Regiæ Curiæ Judici, Cæsarei, Pontificiiq; Juris Professori peritissimo, omnibus Principibus dilectissimo, nulla non virtute decorato: qui cùm apud Regem Philippum Italiæ Regens accersiretur, collapsi Pontis naufragio, Panormi occubuit. Antonina mater mœstissima, heu fatis adversis, tanto filio superstes perpetua tumuli monumenta dicavit. Obiit an. ætatis XXXVIII. humanę verò salutis M. D. XC. VIII. kal. Januarii.

Errat inscriptio in designatione diei, quo decessit, fuit etenim non 25. sed 15. Decembris pontis collapsus, ut ex Matthæo Donia teste oculato habemus, *in descriptione hujusce casus pag.* 8. & infra, qui de nostro Flaminio mētionem habet *pag.* 20. & 28. Hujus viri extat

Consilium unum, in Consiliis selectis editis à Petro Luna. Panormi apud Erasmum de Simeone, 1627. in fol.

FLAMINIUS PATE' Messanensis, Leonardi Patè, de quo suo loco, frater, Benedictinus Congregationis Casinensis, natus ex Andrea Patè, & Isabella Accida nobilibus Græcis. Regularem disciplinam professus est Messanæ; ac severioribus studiis dicatus, ad egregium doctrinæ fastigium pervenit; ideoq; tum sapientiâ, tum prudentiâ in sui veneratione omnes excitavit. Scholasticis præsertim scientiis instructissimus enituit; in græcis, latinisq; literis apprimè versatus, ac omnimodâ eruditione clarissimus. Abbatis charactere insignitus rexit Monasteria S. Placidi Messanæ, & S. Caroli Panormi. Visitatorem etiam Generalem egit. Obiit tandem Messanæ 24. Decembris 1651. Hujus meminere Ab. Rocchus Pirrus *lib.* 4. *de Abbat. pag.* 205. 266. & 278. Petrus Antonius Tornamira *in histor. monastica tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 471. & 472. & Placidus Reina *in hist. Messanę par.* 2. *pag.* 511. Publici juris fecit

Ortum, & progressum Monasterii S. Placidi de Calò nerò Urbis Messanæ. Messanę typis hæredum Petri Breæ 1644. in 4.

Post mortem prodiit opusculum ejus posthumū, italicè scriptum, nempè

Censura sopra d'un scritto promulgato dall' Abbate Don Rocco Pirro contro l' antica traditione della Sacra Lettera scritta dalla SS. Vergine alla Città di Messina. Venetiis apud Guerilios 1652. in 8. & iterum apud Franciscum Babbam 1655. in 8.

Edenda reliquit

Elogia Abbatum, qui præfuerunt Monasterio S. Placidi de Calò Nerò. m. s. in 4.

FLAVIUS VOPISCUS Syracusanus celebris historicus. Balthassar Bonifacius *de Romanæ historiæ scriptoribus num.* 24. è natalium fato nomen accepisse opinatur: Vopiscum etenim veteres appellabant è geminis ad partum, legitimè in lucem emissum, altero per abortivum fluxum expulso: qua de re vide Plinium *lib.* 1. *cap.* 10. Solinum *cap.* 4. Salmasium ad hunc Solini locum, & Plutarchū *in Coriolano.* Claruit ex Gerardo Joan: Vossio *de hist. latinis l.* 2. *c.* 7. *p.* 193. & Martino Hankio *de Roman. rer. scrip. par.* 1. *cap.* 28. *art.* 1. *pag.* 146. post obitum Constantii, Constantini Magni patris; quòd ex ejusdem Vopisci verbis non obscurè deducunt. Constantius autem inter mortales esse desiit anno post Christum natum 309. ex Eusebii *Chronic. pag.* 184. ideoque post hunc annum floruisse censendum. Ex Carolo Sigonio *in judicio de historicis, qui res Romanas scripserunt, num.* 24. Antonio Possevino *in Biblioth. lib.* 16. *sect.* 3. *cap.* 31. & Hankio cit. vixit etiam sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Post mortem Cōstantini Chlori anno Christi 306. vixisse ait Jacobus Tirinus *in indice Auctor. cit. in Comm. scriptur. sac.* Ionnes Baptista Ricciolius *in Chron. Refor.*

tom.

tom.4. ind.2. pag.227. sub anno 306. ad annum 320. statuit: etsi *pag.292.* sub anno 143. mendosè collocet. Ioannes Albertus Fabricius *in Bibliotheca latina pag.* 153. ait: quòd sex Historiæ Augustæ scriptores, siuè Imperatorum, quos non attigit Suetonius, nempè Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, & Flavius Vopiscus omnes imperante Diacletiano, aut Constantio, qui ei successit, vel certè filio ejus Constantino vixere. Idem Vossius, & Bonifacius citati, etsi Vopisci eruditionem, ac historiæ ordinem commendent, deceptum ostendunt in his, quę de Apollonio Tyanæo scripsit, scriptisque mandare promisit. Hunc etenim *in vita Aureliani* scribit, celeberrimæ famæ virum fuisse, sapientem, verum Deorum amicum, sanctum; & pro Numine frequentandum prædicat: mortuos vitæ restituisse, ac multa supra naturæ vires patrasse putavit, ex Græcis voluminibus; ejusq: vitam edere meditabatur. In his deceptum non ambigendum nostrum Vopiscum, cùm fidem faciliter habuerit græcis codicibus: ac fabulis sanè librum de vita Apollonii edendum, consarcinasset: ea enim quæ Apollonius præstigiator pessimus edidit, simpliciorum oculis admiranda, omnia magicæ artis vi perpetravit. Hinc deducendum puto gentilium tenebris obuolutū fuisse Vopiscum: ac Gentilem vocat Tirinus. De Vopisci etiam est mentio apud Fazellum *de rebus Siculis dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 103. Philippum Bergomensem *in suppl. Chronol. lib.*8. Matthæum Silvagium *de trib. Peregrin. cap.* 46. *pag.* 170. qui historicum, & oratorem putat, ac Flavium Vobiscum appellat, forsan Typographi incuriâ, Hofmannum *lex. tom.* 2. *pag.* 563. Morerium *in diction. tom.*2. *pag.* 154. Gesnerum *in Biblioth. pag.* 234. aliosque scriptores præter supra allatos. Scripsit jussu Iunii Tiberiani Vrbis Præfecti ex cit. Fabricio *in Bibl.lat. pag.* 157.

Vitas Cæsarum, nempè Aureliani, & Taciti Imper. Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Bonosi, Cari, Numeriani, & Carini. & ut observat Fabricius cit. Aureliani vita perperam à Roberto Bononiensi Iulio Capitolino adscribitur. Editæ fuerunt hæ Vopisci vitæ in tomo sex scriptorum Historiæ Augustæ, primùm Mediolani 1465. quā principem editionem laudat Cl. Salmasius, ac per omnia fermè consentire testatur cum Codice præstantissimo Palatino. Secunda editio fuit Venetiis 1480. quam falsè primam existimavit Casaubonus, ut observat cit. Fabricius *in Bibliot. lat. loc. cit.* Item Venetiis ex Officina Aldi 1519. in 8. & inde cum notis Ioannis Baptistæ Egnatii, ex Officina Henrici Stephani 1568. in 8. & alibi cum Desiderii Erasmi indice, quo obscuræ voces explicantur. Habentur etiam ad has vitas notæ Fulvii Ursini seorsim excusæ cum fragmentis ab Antonio Augustino collectis. Antuerpiæ 1591. in 8. Editum est etiam opus Vopisci in Tomo secundo scriptorum Historiæ Romanæ à Friderico Sylburgio collectorum. Fracofurti 1585. & 1588. Coloniæ Allobrogum 1609. in fol. & alibi in fol. cum notis Iani Gruteri inter Historiæ Augustæ scriptores minores. Hannoviæ 1611. in fol. Item cum Cōmentario Isaaci Casauboni Parisiis 1603. in 4. cum notis ejusdem Casauboni, & Cl. Salmasii observationibus. Parisiis 1620. in fol. & Lugduni Batavorum 1670. in 8. in qua etiam editione, duobus tomis distributa, Jani quoque Gruteri notæ accesserunt. Ibidem etiam edidit easdem vitas Cornelius Schrevelius 1661. in 8. cum annotationibus non integris, sed tamen selectis è Grutero, Casaubono, & Salmasio. Prodiere etiam cum aliquibus annotationibus M. Zuverii Boxhornii illustratæ. Ibidem 1632. in 16. & tandem cum castigationibus Ulrici Obrechti. Argentorati 1677. in 8. Fazellus citat. ait scripsisse

De Thermis Aurelianis, quas hyemales in Transtyberina regione Aurelianus ædificavit. Sed hoc opus non est aliud à vita Aureliani.

FORTUNATUS FIDELIS Argyrensis, Doctor Medicus doctissimus, & æquè celeberrimus: Medicinam summa cum laude exercuit, & primus fuit, qui opera Medico-legalia scriptis mandavit, ideoque his immortalem sibi gloriam comparavit: ac Paulus Zacchias passim *in suis quæstionibus Medico-legalibus*, Fortunatum magistrum suum vocare non cessat. Octogenarius obiit in patria sua 25. Novembris 1630. & in Ecclesia Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci sepellitur. Laudatur à Roccho Pirro *not. Eccl. Catan. pag.* 109. Edidit

Bissum, sive Medicinæ Patrocinium quatuor libris distinctum. Panormi ex typographia Baptistæ Maringhi 1598. in 4.

De Relationibus Medicorum libros quatuor in quibus ea omnia, quæ in forensibus, ac publicis causis Medici referre solent, plenissimè traduntur. Ibidem apud Joannem Antonium de Franciscis 1602. in 4. Venetiis 1617. in 4. ex Bibliotheca Classica *pag.*495. & adjecto duplici indice, capitum scilicet, & rerum memorabilium; revisis, ac mendis librariis plerisque deletis, prodiere studio Pauli Ammanni. Lipsiæ apud Joannem Christianum Tornonium 1674. in 8. ex Vanderlinden *de scrip. Medicis pag.*275.

Contemplationum Medicarum libros XXII. in quibus non pauca præter communem multorum Medicorum sententiâ notatu digna explicantur. Panormi apud Io: Bap. Maringum 1621. in 4.

FRANCISCA BONONIENSIS Panormitana, solùm mihi nota ex hoc libro italicè edito,

Varie Meditationi fondate nell'autorità della Sagra Scrittura. Neapoli apud Ægidium Longum 1629. in 8.

FRANCISCA INTRIGLIOLO Catanensis, Princeps Sanctæ Flaviæ, generis nobilitatem, mirificè illustravit. Panormi ubi diu vixit, Deiparæ festum, cui nomen *la Buona Nuova*, instituit in Ecclesia S. Dominici Ordinis Prædicatorum. Sanctiss. Virgini obsequentissima, ne dum cordis religione, verùm etiam carminibus Siculis suū erga ipsā famulatū detexit. Panormi decessit mense Septembris 1687. scripto suorum bonorū hęrede Cœnobio prædicto; amplissimos reliquit legatos, qui egregiæ mulieris piissimam indolem testan-

testantur. Edidit vernaculo carmine

Affetti spirituali verso Giesù, Maria, e Santi devotamente esposti in Canzoni Siciliane. Messanæ ex typographia Vincentii Amici per Matthæum la Rocca 1680. in 8.

FRANCISCUS AGLIATA, & PARUTA Panormitanus nobili genere ortus, D. Iosephi Villæfrancæ Principis, ac Salę Ducis filius, & D. Ioan. Lanza, natus est 25. Aprilis 1629. Nonnullis elapsis annis Patris titulis hæreditario jure insignitus effulsit. Literas non sine laude coluit; eruditione præsertim, vernaculâ poesi, & amœnioribus studiis instructissimus enituit. Decessit Panormi 11. Iulii an. 1697. Ipsum laudat Ioseph Galeanus *in Musis Sicul. par. 2. tom. 1. pag.* 179. ubi extant Siculâ linguâ primæ ingenii suæ lineæ, nempè

Canzoni Siciliane. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

FRANCISCUS ALIBRANDUS Messanensis, Iuris utriusque Doctor, & aliquando Societatis Iesu alumnus. Politiores literas, præsertim eloquentiam coluit, Academicis Messanensibus Officinæ adscriptus. Anno 1676. relictâ patriâ, alibi digressus est. At anno 1702. patriam repetiit, ubi nunc vivit. Laudes accepit à Placido Reina *in notit. Messan. par. 2. pag.* 39. & 512. Edidit italicè

Discorso in memoria della sacra Lettera (scritta da M. V. à Messinesi) recitato nell'Accademia della Fucina nel 1663. In libro: *Prose degli Accademici della Fucina libro primo*. Monteleoni apud Dominicum Antonium Ferrum 1667. in 4.

L'Humanità, che muore sul nascere, per rinascere nel morire. Discorso nell' esequie degli Accademici (della Fucina) In Prosis supralaudatis *libro secundo*. Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

Termine rimessa in stato, ò pur Risposta ad un scritto del Dottor D. Vincenzo Auria. Venetiis apud Bertanos 1664. in 4. sub anagrammatico nomine Bernardini Afscalci. Sed ex edicto S. Officii dato Panormi 24. Augusti 1665. prohibetur: vide Angelicum Aprosium sub nomine Ioannis Petri Iacobi Villani in libro: *la Visiera alzata pag.* 51.

FRANCISCUS ALPHONSUS Siculus incertæ patriæ, Iurisconsultus non indoctus, cujus extant

Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ, in Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandi, & Decium Cyrillo 1614. in fol.

FRANCISCVS AMBROSIVS MAIA Panormitanus, vir variâ eruditione conspicuus: aliquando Ordinis S. Basilii alumnus, in quo Sacræ Theologiæ Magister, Abbas S. Pantaleonis, ac Cōmissarius Generalis fuit. Inde egressus, ac Presbyter sæcularis effectus, doctrinâ floruit. Non modò Philosophicis, ac Theologicis, tum scholasticis, tum moralibus literis apprimè instructus inclaruit, verùm etiam politioribus ornatus, Poesi vernaculâ, Etruscâ, & Latinâ cecinit. Inter Academicos Reaccensos Panormi recensitus, varia ingenii monumenta haud spernenda edidit. Historici Regii titulo insignitus fuit à D. Ioan. Austriaco, cui gratissimus vixit. Conciones diu habuit in quaragesimali curriculo in multis Italiæ, & Siciliæ civitatibus, ubi ejus doctrina, ac eruditio non vulgaris effulsit. Patrię amantissimus ipsius gloriam calamo, ac voce sæpius vindicavit. Decessit tandem Panormi 28. Novembris 1694. annum agens 86. & in Ecclesia Parochiali S. Jacobi sepelitur. Edidit Italicè

L'esempio contro la scandalosa esemplarità farisaica. Maceratæ apud Petrum Salvi 1649. in 4. mentito nomine Francisci Amaí.

L'Anagrammatico Presagio in lode del Serenissimo Sig. D. Gio: d'Austria secondo, ove nel zodiaco di dodeci Anagrammi, quasi splendenti stelle per la loro puritá, se gli augura proportionata grandezza per gli ottimi, e sperimentati principii ne' trionfi d' Italia. Ibidem apud Iosephum Bisagnium 1650. in 4.

Lo Scettro, e la Corona d' Alessandro Magno convertito in Baculo, e Mitra, con dodeci splendenti pietre pretiose d'altritanti Anagrammi purissimi, sotto il preggiato nome del Rev. P. Abbate D. Matteo d'Alessandro Generale di S. Basilio. Ibidem apud eumdem 1650. in 4.

Il Glorioso trionfante ritorno dall' Elba nella Città di Palermo del Ser. Sig. D. Gio: d' Austria II. *e le feste sontuose di quattro giorni antecedenti, e susseguenti la sua trionfale entrata alla reale*. Ibidem apud eumdem 1650. in 4.

Le Muse d' Oreto, che per alquanti Accademici Raccesi mostrano la loro devotione cantando in lode del M. R. P. D. Marc' Antonio Sanseverino C. R. Napolitano Predicatore insigne nella Chiesa di S. Giuseppe di Palermo l' anno 1651. Ibidem apud eumdem 1651. in 4.

Le Preggiate Ninfe d' Oreto radunate a consolare la Viceregina D. Maria Brizegno, e Ronchiglio per la perdita del morto marito nella Regia di Sicilia a 9. di Luglio 1651, descritte in brieve Poema Eroico. Ibidem apud Nicolaum Buam 1651. in 8.

La Rosalia Vergine Palermitana oratione Panegirica. Ibid. apud Buam, & Camagnam 1666. in 12.

Oratione funerale in morte del Re Filippo IV. N. S. Panormi typis Petri de Isola 1666. in 12.

S. Caterina da Siena difesa dall' imposta Revelatione contra l'Immaculata Concettione di Maria Vergine, presa dal latino del M. R. P. Hippolito Maracci, Ibidem apud Bossium 1665. in 12.

Arco Trionfale per l' entrata dell' Arcivescovo Fr. Martino de Leon Arcivescovo di Palermo Ibidem typis Iosephi Bisagni 1650. in 4.

Opus edebat inscriptum

De Bulla Cruciatæ lepidus, ferèq; Apologeticus discursus. Venetiis apud Pezzanam in 4. ad cujus integritatem pauca desiderantur folia: solummodo absolvit opusculum in ejus calce apponendũ, cui titulus

De Bulla Montis Serrati discursus in calce Bullæ Cruciatæ. Venetiis apud Nicolaum Pezzanam 1663. in 4.

Paraverat etiam alia *poetica, & oratoria: Anagrammata literaria, e Arithmetica*; præsertim, *Anagramata D. Agathæ V. e M. quæ in triumpho D. Joannis Austriaci pag.* 22. promisit, & tandem: *Chronicon D. Jo: Austriaci*; quę omnia ob ejus mortem inedita delitescunt apud hæredes.

FRAN-

FRANCISCUS DE AMORE Corleonēsis Ordinis Observantium S. Francisci. Edidit Italicè

Sermone delle vane speranze del Mondo, con l'occasione della morte di Filippo II. (Rè delle Spagne.) Panormi typis Ioannis Antonii de Franciscis 1599. in 4.

FRANCISCUS ANDALORO Messanensis Sacerdos, & Prothonotarius, natus 26. Iulii 1665. à teneris annis literarum studiis dicatus, ne dum humaniores literas, ac Rhetoricæ præcepta cum laude accepit, verùm etiam & Philosophiæ partem emensus est. Exinde paterna vestigia sectatus, pharmacis cōponendis operam dedit, & nō sine magno profectu sui sedulitatem, ac non vulgare studium detexit. At Deo impellente, ab ægrotantium corporum curâ, ad animarum medelam vocatus, præstantiorem vitæ institutum amplexus est: ideoque clericali militiæ adscriptus, & ad Philosophiæ studia regressus, Theologicis etiam studiis insigniter excultus eminuit. Sacerdotali insignitus charactere, ut aliis prodesset, sacram eloquentiam professus est. In Apostolicis missionibus, & in cineralis jejunii concionibus animi sui zelum, non sine amplissimo animarum fructu, patefecit. Nunc Messanæ vir eximius, doctrinâ, & eruditione insignis, Ecclesię S. Mariæ de Arcu, sive SS. Crucifixi de Providentia Moderator, morum integritate, verbo, & exemplo animarum commoda, ac virtutum studia promovere curat. Edidit Italicè ad pietatem fovendam

Corona di dodeci Stelle, cioè di dodeci esercitii spirituali da pratticarsi ne i dodeci Sabbati antecedenti alla solenne festività della Concezione della Vergine. Messanæ apud Vincentium de Amico 1694. in 12.

Meditationi sopra i dodeci Privilegii da Dio concessi alla Vergine nel primo istante della sua Concezione. Ibidem apud eumdem 1694. in 12.

Maniera divota di lodare la Vergine sempre Immaculata. Ibidem apud eumdem 1699. in 24.

Divozione al Sacro Cuore di Giesù cavata dall' opere del P. de la Colombiere della Compagnia di Giesù. Ibidem typis Antonini Arena 1702. in 24. suppresso nomine.

Squarci di tempo raccolti a divertimento, e diportamento del vero Savio. Ibidem typis Vincentii de Amico 1704. in 4.

Prælo parat etiam Italicè

Canestro Spirituale, o vero apparecchio festivo dell' Anime divote di Maria Vergine per l' annua solennità del suo felicissimo Natale, vero gaudio dell' Universo.

Emerologio Sacro di Messina Cattolica.

Dichiarazione delle cifre degli Arcani di Lodovico Lucatelli. Latinè

Novum Synonimorum herbarum, plantarum, lapidum thesaurum.

Antequam Ecclesiasticum institutum amplexus esset, scripsit, unà cum Angelo Andaloro ejus Patre, opus inscriptum:

Apollo scepticus, sive insignium medicamentorum thesaurus ab Angelo Andaloro Pharmacopola defossus, nunc verò ab adolescente filio suo dispositus, & ad usum communem in lucem editus. m.s. in 4. Hinc pauca de Angelo ejus patre hic subnectam.

ANGELUS ANDALORO Pharmacopola Messanensis, natus anno 1631. post humaniorum literarum studia, ad Pharmacopœam ingenii vires adjecit; & cum Galenicæ, ac Chymicæ facultati operam dedisset, inter egregios Pharmacopolas recensitus claruit. Anno ętatis suæ 62. decessit Messanæ 22. Iunii 1693 non sine pauperum dolore, ac lacrymis, quibus, pietate insignis, medicamina, & eleemosynas liberali manu erogabat. In Ecclesia Fratrum Conventualium S. Francisci sepultus jacet, hoc epitaphio cohonestatus.

Viator! Expectat hic Angeli tubam Angelus Andaloro nobilis Messanæ civis. Ad æternum vitæ aurā corde, & ope aspiravit usque dum expiravit. Egenis ęre, ore, & labore semper prestò fuit. Vixit ut inter mortuos adhuc vivat; sic vive, ut in æternum vivas. Universali decreto respondit die XXII. Junii, anno ætatis suæ LXII. nati Domini M.DC. XCIII.

FRANCISCUS ANSALONUS Messanensis Poeta; vernaculâ linguâ non contemnenda scripsit; pręsertim carmine siculo

Vita, Martirio, e Traslatione della Gloriosa Vergine, e Martire S. Agata. Venetiis apud Joannem Comenzinum 1565. in 8. & Panormi apud Rossellum 1644. in 8.

FRANCISCUS ANTONIUS ARETIUS Syracusanus, nobilissimo genere ortus, florente adhuc ætate amœnioribus literis sese addixit: à poeticis præsertim studiis laudatus, inter Academicos Reaccensos recensitus, Panormi inclaruit. Inde maturam adeptus ætatem, & Sacerdotis charactere insignitus, Mathematicas, & Philosophicas disciplinas amplexus est: doctrinâ egregiè excultus ab omnibus passim Philosophi nomine vocabatur. Obiit Syracusis 18. Julii 1672. & in Ecclesia S. Francisci conditus est. Leo Allatius *in drammaturgia indic. 6. pag. 591. & 592.* has comœdias scripsisse testatur Italicè:

L' Amurat.)
La Criseide.)
La Corinna.)
Gl' Incanti) *Comedie in prosa;*
Il Mercurio.)
L' Osteria.)
Lo Schiavo.)
La Vergine Comedia in verso.
Il Prometeo Tragedia in verso.
Le turbolenze di Cuccagna.

His addo ex relatione Michaelis Angeli Manchrusi,

Il finto Principe.
Le rovine degli Innamorati.

Hæc omnia m. ss. reliquit cùm ad Mathematicas disciplinas animum divertisset. Scripsit etiam eodem Allatio teste: *opera multa Mathematica.*

FRANCISCUS ANTONIUS BARDI Agrigētinus, vir politioribus literis excultus, inter Infuscatos, vulgò *Offuscati*, Academicos Agrigenti fuit adscriptus. Obiit mente captus circa annum 1670. Dum integra consisteret mente edidit Italicè

Norma d'Ortografia. Panormi apud Bossium 1660. in 12.

Numeri illustrati. Ibidem typis Petri de Isola 1660. in 8.

FRANCISCVS ANTONIVS COSTA nobilis Messanensis, natus anno 1571. parentibus Paduano Costa, & Matthia Columna, Jurisprudentiæ studiis dicatus, singulari doctrinâ, morumque integritate effulsit. Novies Messanæ in Straticoti Curia Judicis munere insignitus est: & Straticoti vices non semel substinuit. Quinquies etiam Judex Magnæ Regiæ Curiæ præfuit; semel etiam in Regii Concistorii Senatu Judex sedit. Bis Generalis Regni Vicarius ad ardua pertractanda negotia à Proregibus Siciliæ missus est, cum amplissima potestate. Tandem honoribus plenus obiit Messanæ octogenario major anno 1656. Hujus laudes habes apud Petrum Ansalonum *de sua familia pag.* 267. Antoninum Dianam *resol. moral. par.* 3. *tract.* 1. *resol.* 9. & Placidum Reinam *notit. histor. Messan. par.* 2. *pag.* 284. Edidit Volumen

Consiliorum, sive Responsorum Juris, cum additionibus Placidi Costa filii. Messanæ typis Petri Breæ 1619. in fol.

FRANCISCVS APARES Leontinus Sacerdos, Philosophiæ, & Theologiæ Doctor, Abbas S. Viti, Carolentini Archipresbyter, & Vicarius Foraneus. Vir non minus gravioribus scientiis egregiè imbutus enituit, quàm humanis literis excultissimus, ac virtutibus clarus. Obiit Carolentini 15. Augusti 1682. annum agens 71. Ipsum laudat Placidus Reina *not. hist. Messan. par.* 2. *pag.* 66. In lucem emisit

De in universa Calabria Terræmotu, ejus causis, signis, effectibus, temporibus, & locis. Messanæ apud Viduam Jo. Francisci Bianco 1639. in 8.

Siculum Triumphum, pro Carolo II. Rege admirandam Siculorum Acclamationem. Panormi ex typographia Petri de Isola 1667. in 4.

FRANCISCVS ARENA Messanensis Ordinis Capuccinorum, natus anno 1646. cùm ex aliorum calamitate virtutum documenta collegisset, ad regularis instituti asylum advolavit. Eloquentiæ studia amplexus, eximia cum laude, & fructu in cinerali jejunio conciones habuit Romæ, Panormi, Drepani, Neapoli, & alibi. Pluries Ordinis Cœnobia rexit. Vivit nunc Drepani dum hæc scribimus morum integritate conspicuus. Evulgavit Italicè

Il Roveto fiammeggiante del Tebro nel candidissimo Neri infuocato à fiamme di Pentecoste. Panegirico del Gl. Patriarca S. Filippo Neri. Drepani apud Francum 1700. in 4.

Alia scripsit edenda ad Concionatorum utilitatem.

FRANCISCUS AVELLINUS Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius: pluries ob doctrinæ promerita, in Messanensi Medicorum Collegio Priorem, ut vocant, egit cum laude. Claruit annò 1637. quo edidit

Expostulationem contra chymicos, quâ eorum paradoxa, seu rationis umbræ (si quæ sunt) enucleantur, ejectantur, expelluntur. Messanæ apud viduam hæredem Ioannis Francisci Bianco 1637. in 4.

FRANCISCUS AVOLA Calatafimi natus 11. Septembris 1667. à teneris annis literis egregias ingenii vires addixit. Absolutis humaniorum litterarum studiis, in Scotisticæ philosophiæ palestra sedulò insudavit. Inde sub Nicolao Barone eximio medicinæ Doctore experimentalis Philosophiæ facultati operam navavit, juxta recentiorum placita; puta Cartesii, Gassendi, aliorumq; eaque solùm amplexus est, quę rationi consona sunt, ac experientiâ firmantur. Inde ab eodem medicinam audivit, & Panormi, Francisco Zambara duce, medicâ praxi instructus, demum Salerni 23. Aprilis 1690. Philosophiæ, & Medicinę laureâ insignitus est. Gravioribus hisce studiis, genio indulgens, politiores literas innexuit. Musas præsertim Etruscas sequutus, nonnulla protulit ingenii monumenta cum literatorum laude. Doctrinâ, & eruditione insignis apud suos in patria, salutarem ægrotorum curam suscepit, non sine permaximo ipsorum profectu: ibique, ut naturæ arcana penetraret, chymicæ arti etiam operam dedit. Sed dum vehementius in scientias adipiscendas incumberet, oculorum lumine captus est anno 1702. cum summo amicorum, ac literatorum dolore. In patria nunc vivit anno quo hæc scribimus 1706. & cæcitatis molestias sustinet. Utinam vir eximius optatissimæ luci restitutus, studia intermissa resumeret. Edidit Italicè

Ode Epitalamica nelle nozze di D. Blasco Ventimiglia, Conte di Ventimiglia, e Marchese di Geraci, e D. Felice Ventimiglia de' Marchesi di Geraci. Panormi apud Thomam Romolum 1691. in 4.

Scripsit etiam edenda hæc alia;

Observationes Medicinales.

Consultationes Medicinales.

Epistolam Philosophicam ad Amicum Peripateticum, in qua Aristotelicorum sententia de forma substantialis materialis eductione, ac de virtuali elementorum in mixtò existentia tum rationibus, tum experimentis exploditur: cui accessit apologia physico-epistolaris, per quam ne dum vindicantur prædictæ conclusiones, verùm etiam, & quædam alia theoremata philosophica enodantur pro fulcienda experimentalium Neotericorum doctrina.

Italicè verò

Poesie liriche, dialoghi, e compositioni sceniche.

L' Ester Trionfante drama. anno 1700. Calatafimi magno cum plausu recitata.

Apologia in difesa dell' ode Epitalamica.

Canzoni Siciliane.

FRANCISCUS AURIA v. Ioannes Franciscus Auria

FRACISCVS BAELI nobilis Mylensis natus 15. Decembris 1639. à teneris annis literis admotus, è gravioribus studiis, præsertim ex Mathematicis disciplinis, Astronomicis, & Geographicis, quibus ingenii felicitatem devovit, haud vulgarem hausit eruditionem. Ex naturali verò propensione, magno animi ardore amœniores literas adamavit: hinc historica, variaque eruditione locupletatus, tum poesi, tum oratoriâ claruit,

variai-

variasque Academias illustravit. Viginti annos extra Siciliam insumpsit; ephebus enim relictâ patriâ anno 1660. ad ipsam regressus est recurrente anno 1680. Septennio moras protraxit Parisiis, ubi majorem studiorum partem confecit; septennio etiam Matriti: reliquam annorum seriem in itineribus, variisque regionibus lustrandis traduxit: Italiam enim Germaniam, Belgium, Bataviam, Hiberniam, Britanniam, Norvegiam, Daniam, Pomeraniam, Poloniam, Pannoniam, aliasque Provincias peragravit: ac harum nonnullas tertiùm circumspexit. In Regis Catholici aula, ac Cæsarea, æstimationem eximiam promeruit; Principibus, Dynastis, ac Magnatibus gratissimus. Cùm autem ad patriam remeasset anno 1695. à Francisco Paceco, Duce Vzedæ, Siciliæ Prorege, ipso inscio, patræ dux electus est; pluraque promeritis exigentibus, accepisset, ni Prorex regnum aliis gubernandum cessisset. Vivit nunc ab honoribus penitus alienus, & Musarum otiis gaudet. Edidit italicè

Lo Statista ristretto. Venetiis typis Io: Bonfantis 1676. in 12.

La Polisena. Comedia in verso. Ibid. apud Brigoncium 1676. in 12.

La Corona, o vero il giuoco degli Asili, nuova inventione. Ibidem apud Miloccum 1676. in 12. hanc opellam, quæ novum ludi adinventum complectitur, secundis curis expolitam, & auctâ recudere curat.

Il Siciliano veridico, o vero Risposta, e vera demostratione del presente, e susseguente stato della Città di Messina. Francofurti apud Marianum Karlett 1676. in 12. suppresso nomine.

Prælo parata habet hęc alia:

Tempe Panajo, o vero la Ninfa linfata, o vero il Talamo Alterato. Tragicomedia pastorale in 4.

Tratti lirici, che comprendono odi, e sonetti.

FRANCISCVS BALDVCCIUS Panormitanus, inter Etruscos Poetas celeberrimus, tum carminum elegantiâ, tum argutiarum lepore conspicuus. Poetico, magnoque ingenio egregiè dotatus, fervido naturæ impetu abreptus, à teneris unguiculis venustissima protulit carmina, ac politiores literas coluit. Ad eum Poesis fastigium evexere egregium virum nitidissimi ingenii dotes, ut inter præstantiores meritò fuerit adscriptus, & inter Reaccensos Panormi Academicos recensitus. At adversæ fortunæ injuriis compulsus, relictâ patriâ, alibi feliciorem vitæ rationem exquisivit. Neapolim appulsus, ibi aliquandiu vixit: mox Romam digressus, paulò post militiæ nomen dedit, & cum militaribus copiis, à Clemente VIII. in Pannoniam missis, Ioanne Francisco Aldobrandino supremo exercitus moderatore, transvectus, Martis studia sequutus est; ut ipsemet Balduccius ait *par.2. carminum pag.* 584. *&* 637. Romam regressus cultiora literarum studia resũpsit; & cùm ibidẽ magnâ apud omnes opinione tunc floreret celeberrima Humoristarum Academia, in ipsam ab Henrico Falconio Literatorum protectore introductus est: ibiq: statim ac auditus, plausibus fuit exceptus. Erat ipsi ingenium magnum, vividumque, adeout, etsi non multùm literis operam navasset, attamen in poetica facultate ad eum perfectionis gradum facili negotio pervenit, quò alii omnibus scientiis instructissimi, græcis, latinisque literis edocti, post diuturnum laborem, ac maximam industriam vix adspirare potuere, ex poetici ingenii inopia. Hinc ab ornatissimis viris poetica Balduccii monumenta magna cum laude semper demirata sunt: ipsa etenim prȩclarissima constituebant styli elegantia, ac sublimitas, dictionis magnificentia; genus dicendi dilucidum, argutum, sententiarum gravitate facundum, venustissimum, acutum. In cantiunculis suis lyrica dulcedine, leporibusque summo artificio refertis, ad Anacreontis elegantiam proprius accessisse fatentur omnes; ac illius Poetæ gloriam ne dum coæquasse compertum est, verùm etiam Italicis rythmis superasse, non sine solidæ rationis fundamento, putat acris judicii vir Ioannes Marius de Crescimbene *in histor. poes. vulgar. lib.2. pag.* 161. ideoque in hoc suavissimo poesis metro, Balduccio Principis palma deferenda. Illud poesis genus, quod Romæ *Oratorii*, vel *Cantate*, alibi Dialogos vocant, musicis modulis in Ecclesiis decantari solitum, omninm primus invenit, ac edidit. Hinc ipso duce, & pręceptore, nonnulli ab ipso edocti, celeberrimam Poetarum famam assequti sunt; inter quos recensendus Simon Raus Panormitanus, Episcopus Pactensis, de quo suo loco. Romȩ ergo cùm noster Balduccius carminibus suis Principum virorum S. R. E. Cardinalium laudes extulisset; & in primis Vrbani VIII. Pont. Max. eorumque singularem ȩstimationem promeruisset; non modò egregios plausus, verùm etiam à celebratorum munificentia, ingentes obtinuit opes, quibus rei familiaris subsidia abundè accepit: vitam ideoque traducere commodè potuisset, si prudentis œconomię regulis, futuris temporibus consuluisset: & ni effrœnata profusione omnia dissipasset. Hinc inopię fluctibus sępè jactatus, epistolis conscribendis operam dedit, & à secretis fuit multorum Dynastarum, ac Principum virorum, prȩsertim Virginii Cȩsarini, Ioannis Antonii Vrsini S. Gemini Ducis, Scipionis Borghesii S. R. E. Cardinalis, Comitis Novellarȩ, Ducis Bracciani, aliorum S. R. Cardinalium, Romanorumq; Procerum, quibus ejus opera gratissima fuit. Sed ignea, quâ dominabatur naturȩ vi (vividissimos enim, magnosque animi sensus in exigua corporis mole servabat) vel ex animi nobilitate, quâ nimiùm molestè aliis obsequebatur, vel tandem, quia ab Aulicorum artificiis, laqueisque abhorrebat Balduccii animus, morumque candor ingenuus; sæpius inconstantiâ exagitatus, excusso servitutis jugo, ab uno ad alium confugiebat Dominum: adeout non rarò deficiẽtibus vitæ præsidiis, egestatis angustiâ, multùm gloriæ nomini suo detraxit. Sed non eò devenit, ut despectus apud literatos delitesceret: ipsorum enim amorem, ac venerationem promeritus, ab eisdem omnibus benevolentiæ officiis complexus est; ac sæpius rebus suis peramanter provi-

dere curarunt. Tandem Clericali militiæ ascriptus, ac Sacerdotali charactere insignitus, ut vitæ consuleret in Xenodochio S. Xisti Capellanum egit. Inde Paulo Sfortiæ gratissimus fuit: demum à Gallicani Principe summâ æstimatione exceptus. In hujus palatio gravissimo affectus morbo: etsi ex ipsius Principis liberalitate omnibus fuisset procuratus;attamen ad Nosocomium Basilicæ Lateranensis se transtulit. Læthali corporis fluxu enervatus; inde febri correptus, invalescente morbo post 22. diem vivere desiit, magno Literatorum dolore anno 1642. Antequam Balduccii laudatores proferam, non prætermittendum de eo Jani Nicii Erythręi, sive potius Joan. Victorii Roscii judicium: hic etenim *in Pinacotheca Imaginum illustrium Virorum tom. 2. num. 4. pag. 18.* quamvis Balduccii ingenium, ac ejusdem carmina eximiis laudibus extollat; attamen ineptias nonnullas, ac vilia quędam literato viro indigna, Balduccio appingit: ac tanti Poetę famam obnubilare attentat. At animadvertendum cum eruditissimo viro Prospero Mandosio *in Theatro, quod Max. Christiani Orbis Pontificum Archiatros exhibet pag. 21. Parum Erythręo credendum; facilè namque in omnes invehitur, omniumque ferè famam post nonnullas laudes vehementer lædere studuit; & in Bibliotheca Romana vol. 2. cent. 9. num. 57. pag. 252.* ubi de Roscio, ait: *Quia ad maledicendum pronus fuit, à multis contumeliis laceratur, nam de singulis ferè, quos suis in Pinacothecis nominavit, maledicè, atque contumeliosè scripsit.* Hinc sub anagrammatico nomine Jani Nicii Erythręi amarulentum animum cœlare curavit. Addo quod Roscius Jo: Baptistę Marini celeberrimi Vatis fuit amatissimus; & sicut ejus propugnatores unicè dilexit, ita Thomę Stigliani Marino infensi inimicus fuit, cui Balduccius amicitię vinculis diu adstrictus vixit; ut ex prefationibus ejusdem Balduccii, operibus Stigliani præfixis, & ex Stigliani epistolis *pag. 142. & 231.* ut etiam ex Scipione Henrico *in Bellis Parnasi lib. 2. pag. 148.* patet. Ideoque Balduccius odium innumerę turbę, quæ Marinum sequebatur, & in primis memorati Roscii, aliquando in se concitavit. Hinc ex amicorum benevolentia admonitus Balduccius, ne Stigliani amore ulterius Marini studiosos, contra se ipsum excitaret, tandem ab ejus amicitia declinavit, ut ex epistolis ejusdem Stigliani *p. 141.* proditum est. Jano opposita scribit Aloysius Ficinus, qui in epistola ad Philippum Marchesellum inter Balduccii carmina, post ejus mortem edita, *pag. 461.* nepote Balduccii familiaris, ipsius virtutes conspexit, & emeritis laudibus extollit: & Vincentius Auria in elogiis m. ss. Panormitanorum Literatorum, ex relationibus fide dignis, testatur, Balduccium ingenuis moribus ornatum claruisse; quibus in sui amorem excitavit omnes: additque, quòd pauperum ęrumnas compatiētis animi sensu inspicere consuevit: ideoque in illos nedum liberalis, verùm etiam profusus, se ipsum bonis, quibus affluenter fuerat à Principibus cumulatus, sępius spoliavit, ut aliorum inopię consuleret: ac se ipsum paupertate oppressit, ut paupertatis angoribus affectos levaret. Nunc Romę in prȩclarissima Humoristarum Academia ejus effigies graphycè expressa, in virtutis, & venerationis testimonium servatur. Balduccium celebrant Leo Allatius in libro *Apes Urbanæ pag. 104.* Simon Raus *in carminib. pa. 40.* Scipio Henricus *in Bellis Parnasi pag. 139.* Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag. 174.* Ioseph de Flores *in carmin. pag. 56.* Angelicus Aprosius Vigintimillius, sub Scipionis Glareani nomine, in libro: *l'occhiale stritolato pag. 205.* & in libro: *la Grillaja, Grill. 13. pag. 159.* & sub nomine Caroli Galistoni in libro inscripto: *il Buratto pag. 144.* Joannes Franciscus Lauredanus *in epistolis par. 1. pag. 37. & 87.* Antonius Muscettola in libro: *Gabinetto delle Muse pag. 33.* Hieronymus Genuinus *in anagramm. pag. 126. & 201.* Thomas de Leva *in Gemmis poeticis* in epistola ad Dominicum Benignum, Joann. Franc. Maja *in epist. par. 2. pag. 124.* Julius Cæsar Benedictus *in consult. medicinal. pag. 140.* Dominicus Berti *in Apolline Pythio pa. 222.* Ludov. Morerius *in diction. tom. 1. pag. 427.* Franciscus Fulvius Frugonus in libro: *Cane di Diogene latr. 5. racc. 10. pag. 302.* Joseph Malatesta Garuffi *in Italia Academica pag. 15.* Joannes Marius de Crescimbene *in hist. poes. vulg. lib. 2. pag. 161.* qui circa annum 1649. decessisse ait: *& in comment. vol. 1. lib. 3. cap. 18. pag. 166. & lib. 4. cap. 15. pag. 256. & 257.* ubi ipsũ circa annum 1645. constituit, Vincentius Coronelli *in Biblioth. to. 5. n. 604.* aliiq: Joannes Baptista Spada *in viridario epit.* ejus carmina cum præstantiorũ Poetarũ monumentis sæpè adducit. Edidit Italicè

Tributo di Parnasso alla Maestà Cesarea di Ferdinando III. d'Austria. Romæ 1638. in 4. Ex indice Bibliothecæ Barberinæ *tom. 1. pag. 103.*

La Pace Urbana. Canzone. Neapoli 1632. in 4. ex eodem indice.

Poesie, in libro: *Poesie degli Accademici Fantastici di Roma.* Romæ 1637.

Rime Parte Prima. Romæ apud Gulielmum Franciottum 1630. in 12. & iterum ibidem apud Franciscum Monetam 1645. in 12.

Rime. Parte Seconda. Ibidem apud Manolfum 1646. in 12.

Extat & in ejus calce discursus Academicus de Vesuvii incendijs, ibique eius prosæ promittuntur, sed vel periere, vel apud aliquem adhuc delitescunt. Utraque pars carminum, ubi omnia poetica Balduccii monumenta etrusca habes, prodiit Venetiis apud Franciscum Baba 1655. & iterum 1663. in 12.

Vernaculâ lingua scripsit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis par. 2. tom. 1. Panormi typis Decii Cyrilli 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Extant demum nostri Balducii præfationes ad Thomæ Stigliani lucubrationes, nempè in libris italicè scriptis *l'Occhiale.* Venetiis apud Petrum Carapellum 1627. in 12. *Il Canzoniero.* Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1623. in 12. *Il Nuovo Mondo.* Ibid. typis Jacobi Mascardi 1628. in 8.

FRAN-

FRANCISCUS BALISTRERI Messanensis Poeta, ut vidi apud Julium Cæsarem Capaccium *in Elogiis pag.* 81. ubi ejus *Epigramma* extat *in Massilinam.* Ipsius etiam meminit Joannes Vigintimillius in indice Poetarum Siculorum, quem suo de Poetis Bucolicis libro præfixit. Illum esse puto, qui ex indice Bibliothecæ Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 106. opusculum edidit inscriptum

Periocha de Accentibus. Neapoli 1557. in 8. ubi Franciscus Belistherius vocatur.

FRANCISCUS BARBERINUS BENICI Alicatensis Sacerdos, natus 3. Decembris 1642. ac literis addictus Jurisprudentiæ lauream accepit. Arithmetices peritissimus fuit, nullique secundus. Astronomię, & Geometriæ facultates insigniter calluit. Ab ingenio, morumque integritate pręclarus, æstimationem promeruit non vulgarem. Obiit Panormi, ubi diu vixit, 26. Septembris 1702. & in Ecclesia S. Josephi Clericorum Regularium sepultus est. Edidit Italicè

L'Aritmetica Prattica libro primo. Panormi apud Ignatium Calatro 1697. in 4.

Prælo paraverat

Aritmetica Prattica in diverse tariffe, ed operationi à memoria, con ruote curiose della fatta della Luna, e delle feste mobili da comprendersi con i punti di due dadi. m. s. in 4.

Aritmetica scholastica per insegnare con facilità l'Aritmetica in tutte l'operazioni. m. s. in fol. servatur Panormi in Bibliotheca D. Francisci Marchesii Canonici Panormitani.

L'Agricoltura Pratticabile in tutte le azzioni della Villa, con regole Geometriche di misurar terre, fabriche, corpi cubi, e vacui, e ogn'altro che spetta all'Architettura.

Il Lunario perpetuo secondo il moto medio della Luna, con feste mobili perpetui.

Del vero giorno della Passione, e Morte di Christo Nostro Redentore, con prove evidenti, e puntuali. m. s. servatur apud laudatum Marchesium.

FRANCISCUS BARDI Panormitanus Societatis Iesu: vir clarissimo genere exortus, avitæ nobilitatis splendores, singulari doctrinâ amplificavit. Natus ex Nicolao Bardi Sambucę Marchione, & Elisabetha Bononia anno 1583. literarum studiis ingenii sublimitatem mancipavit: & exacto Philosophiæ, ac Theologiæ curriculo, annum agens 27. Societati nomen dedit anno 1610. in qua sollemni quatuor votorum Sacramento se adstrinxit. Cùm autem doctrinæ fastigium superasset, eâ qua pollebat ingenii felicitate, eximia cum laude Philosophiam docuit novennio, Theologiam scholasticam quinquennio, ac moralem duodecim annis. Studiorum præfectura cohonestatus in Panormitano Collegio, per annos sexdecim eo in munere floruit, non sine sui acutissimi ingenii plausu. Ne dum magnam doctrinæ conciliavit opinionem, verùm etiam ad sui venerationem concitavit omnes: ideoque ad ipsum veluti ad delphicum tripodem in difficillimis controversiis confugiebant, ut sapiētiæ suæ oracula consulerent. In Sacræ Inquisitionis Siciliæ Tribunali claruit Cōsultor, & Cēsor: ac in Diœcesi Panormitana, & Agrigentina Synodalis examinator. Inter honores, doctrinâ assequutos, religiosissimæ vitæ regulam servavit, ac mirificam animi demissionem coluit. Hinc, fervescente aliquando disputationum ardore, si fortè aliquē offendisse putabat, statim eumdem omnibus benevolentiæ officiis prosequebatur; ac ubicumque occurreret peramanter complectabatur. Omnibus prodesse libentissimè curabat, humanitate, ac prudentiâ instructissimus. Tandem fractis ex assiduo studio viribus, cùm annum ageret 78. decessit in eodem Panormitano Collegio 28. Martii 1661. Quæ typis dedit hæc sunt.

Bulla Cruciatæ explicata, & illustrata tractatibus locupletissimis. Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanova 1648. in fol. & iterum illustrata addictionibus, & vindicationibus contra P. Andream Mendo. Panormi apud Iosephum Bisagnum 1656. in fol.

Selectæ quæstiones ex universa Morali Theologia, in quibus plura pro utroq; foro exactè perpenduntur undecim libris comprehensæ. Ibidem apud eumdem 1653. in fol.

In Regulas Juris Canonici in sexto luculentissima Commentaria. Panormi apud Iosephum Bisagnum 1661. in fol.

Disceptationes Morales de conscientia in communi, recta, erronea, probabili, dubia, & scrupulosa. Panormi apud Cyrillum 1650. in fol. & Francofurti apud Ioannem Godefridum 1653. in fol.

Opusculum. De appositione Sancti in Kalendario Siculo. Panormi ex typographia Nicolai Bua 1653. in 4,

Servantur in Bibliotheca Collegii Panormitani hæc aliæ ipsius lucubrationes m. ss.

Judicium privatum de controversiis inter Cardinalem de Torres, & PP. Benedictinos.

Consilia.

In primam partem D. Thomæ.

In Decalogum.

De Censuris.

Logica.

Physica.

De Scientia Media.

FRANCISCUS BARONE Panormitanus natus 11. Novembris 1622. Vix humanis literis tinctus, ex desiderio videndi pręclariora Urbium, relictâ patriâ magnam Italiæ partem perlustravit; ibique politioribus literis ingenium addixit. Ex naturali propensione poesim coluit; & è Poetarum, ac historicorum lectione eruditionis ornamenta consequutus, tum etrusco, tum vernaculo idiomate multa haud spernenda, numerisq; alligata cecinit; & inter Reaccensos Panormi fuit adscriptus. Ad levandum rei familiaris onus telas acu pingere studuit. Octogenatio major decessit Panormi anno 1705. Scripsit italicè

Glorie di Palermo Panegirico in sesta rima. Panormi apud Michaelem Costantium 1701. in 8.

Vernaculâ linguâ

Canzuni Siciliani supra lu funerali di lu Re N. S. lu Catolicu D. Filippu IV. d'Austria celebratu in Palermu

lermu a 13. di Febraru 1666. Ibidem apud Buam, & Camagna 1666. in 8.

La Porta d'Austria, o veru Porta nova rinovata. Ibidem apud eosdem 1669. in 8.

Martiriu di S. Agata V. e M. Palermitana Poema Epicu. Ibidem typis Anglese, & Leonis 1692. in 8. Italicè versum hoc poema prælo parabat.

L'Inondatione di Palermo. Ibidem 1668. in 8.

Le Fontane di Palermo. Ibidem.

Hæc etiam edenda scripserat, nempè italicè

Lazaro Mendico canzonette.

La nascita di Christo N.S. con la sua vita sino alli 12. anni.

Siculâ linguâ

Le Grandezze di Napoli, e di Palermo.

Contro il Givoco terza rima.

L'Ernesto in terza rima.

La Vita humana in terza rima.

La Pazzia d' Amore in terza rima.

I lamenti del Corteggiano per non havere fatto profitto in Corte: con la risposta.

FRANCISCUS BARONIUS, ET MANFREDI Monteregalensis Sacerdos: à prima ætate Panormum delatus, in Clericorum Seminario literas hausit humanas. Inde cum Societati Iesu nomen dedisset, graviores disciplinas accepit: Philosophicis, ac Theologis studiis nulli secundus. Sed è Societate egressus amœnioribus literis egregiã navavit operam: à linguæ latinæ cultu, carminũ elegantiâ, oratoriâ, ac historicâ facultate emeritis laudibus commendatus. Eruditionis tum antiquæ, tum recentioris ornamentis abundè locupletatus enituit. Ideoque in sui amorem, ac venerationem literatos Siculos, exterosque præsertim Romæ degentes, excitavit. Senatus Panormitani aliquandiu à secretis fuit. De Panormitana Urbe benemerentissimus, ipsius maestatem calamo propugnavit; librisq; editis permagno studio exornare curavit. Hinc nunquam otiosus novũ semper aliquod meditabatur, ut Panormitanæ Urbis gloria latius elucesceret. Anno 1647. cum Panormitana plebs, ex frumenti inopiâ debaccharetur, ab invidentibus falsò (ut fama prædicat) insimulatus, quòd popularibus aurem præbuisset, primùm carceribus S. Officii mancipatus, ut scribit Andreas Pocili, seu verius Placidus Reina *in Tumultuationibus Panormi par.* 1. *pag.* 153. e 154. (qui ejus famam immeritò proscindere contendit) inde anno 1648. in Insulam Cosyræ, vulgò *Pantellaria*, missus, ut idem habet *par.* 2. *pag.* 40. tandem in Castro Caetæ reclusus fuit. Ibi totus ad pietatis, charitatisq: studia animum appulit; eximias enim animi sui dotes in concionibus ad milites habendis, in aliis illius castri viris, ad meliorem frugem revocandis, in confessionibus excipiendis, aliisq; piis operibus sese addixit. Ibiq: tandem editis pietatis argumentis, vitam absolvit circa annum 1654. quæ omnia mihi fide dignissimus testatus est. Ipsius meminit Philippus Labbe *in Bibl. Bibliothecar. p.* 52. & Vincentius Coronelli *in Biblioth. to.* 5. *n.* 1372. Quæ evulgavit hæc sunt.

De Maestate Panormitana libros quatuor. Panormi apud Alphonsum de Isola 1630. in fol.

Siculæ Nobilitatis Amphiteatrum Sacris Pontificiis, promiscuis insignitum, ac nostratibus Imaginibus exornatum. Panormi apud Antonium Martarellum 1639. in 4.

Judicium in Historiam Antonini de Amico. Panormi apud Alphonsum de Isola 1641. in 4.

De S. Rosalia Carmen. Panormi ex typographia Decii Cyrilli 1630. in 4.

Vindicata Veritas Panormitana. Venetiis ad Candentis Salamandrę insigne 1629. in 4.

Ad Illustr. D. Franciscum Spatafora Roccellæ Marchionem, & Malettæ Principem flores Itali. Neapoli ex typographia Ioan: Dominici Ranchalioli 1634. in 8.

Ad Sp. D. Franciscum Mutium Senatus Panormitani M. Notarium Iurisprudentiæ Doctorem Carmen. Panormi apud Decium Cyrillum 1633. in 8.

Cœlia Antonii Venetiani latinè reddita. Panormi apud Alphonsum de Isola 1637. in 16. & iterum apud eumdem 1645. in 8.

Smilacis Idyllium à Hieronymo Preti Etruscis versibus conscriptum, astrictis pedibus latinitate donatum. Panormi apud Petrũ Coppola 1642. in 8.

Vesuvii Montis Incendium. Neapoli ex Jndice Biblioth. Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 114. & *tom.* 2. *pag.* 16. Italicè

Palermo Glorioso. Panormi typis Alphonsi de Isola 1645. in 4.

L' Historico Avveduto. Ibidem apud Decium Cyrillum 1641. in 12.

Vita del B. Pietro Geremia Religioso de' Rev. Padri Domenicani. Ibidem typis Alphonsi de Isola 1644. in 4.

Vita del B. Gerardo Cagnuolo Religioso de' Minori Conventuali. Ibidem apud eumdem 1643. in 4.

Vita di S. Antonio di Padova. Ibidem apud eumdem 1643. in 4.

Ristretto de' Processi nel publico Spettacolo della Fede divulgati, ed espediti à 9. di Settembre 1640. dalla S. Inquisitione di Sicilia nella piazza della Madrice Chiesa di Palermo. Ibidem apud Antonium Martarellum 1640. in 4.

Della Cronica di Palermo Parte prima. Ibidem apud Petrum de Isola 1646. in fol. hoc opus etsi ex magna parte editum, attamen non absolvit. Scripsit etiam Italicè

Palermo Glorioso Parte seconda. m. s. authographum extat apud me, ac multas Sanctorum, ac Beatorum vitas complectitur.

Giuditio, o censura del Vespro Siciliano composto da D. Filadelfo Mugnòs.

Prediche sopra gli Evangelj dell'Anno.

Orazione funerale in morte della Sig. D. Elena Ventimiglia. Latinè verò

Fasciculum myrrhæ.

Epigrammata, Elegias, & alia carmina.

Orationem de Cutoniorum familia.

Vitam S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ.

Dynastiam Siculam, quæ Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, Equitesque complectebatur.

Defensionem libri de Maestate Panormitana. servatur in Bibliotheca Sancti Martini Monachorum

rum Casinensium juxta Panormum.
Ejus curâ prodiere nonnulla Antonii Venetiani opera, edita Panormi apud Alphonsum de Isola 1646. in 4. quibus Vitam ipsius Venetiani à se scriptam præfixit.

FRANCISCUS BARONIUS Panormitanus Jurisconsultus doctissimus, in legalibus studiis consumatissimus. Aliquandiu Jura civilia explanavit Panormi magna cum auditorum utilitate. Causarum patrocinium non sine eximia doctrinę laude peregit: ideoque meritò æstimatione prosequutus, ac honoribus fuit cohonestatus. Bis in Panormitano Prętorio Judex sedit, semel in Concistorii S. R. Conscientiæ Senatu. Regii Consiliarii munere etiam insignitus, ac etiam Advocatorum Examinator claruit. Obiit Panormi die 13. Decembris anno 1679. & in Ecclesia S. Dominici sepulturæ traditus est. Ejus laudes servantur apud D. Franciscum Strada in libro: *Quietationes p.*14. & Coronelli me citato *Bibl. t.*5. *n.*1373. Edidit

De Citatione Tomum Primum. Panormi apud Nicolaum Buam 1645. in fol.

Tomum Secundum. Ibidem apud Cyrillos 1650. in fol.

Tomum Tertium. Ibidem apud Nicolaum Buam 1654. in fol.

Addictiones ad Tractatum de Citatione. Ibidem apud Cyrillos 1654. in fol.

De Effectibus Inimicitiæ Tomum Primum. Ibidem apud Petrum de Isola 1656. in fol.

Tomum Secundum. Ibidem ex typographia Petri Coppola 1658. in fol.

Racemationes ad Tertium librum de Citatione, & ad Tractatum de Effectibus Inimicitiæ. Ibidem ex typographia Petri de Isola 1656. in fol.

Consilia diversorum Siculorum super Privilegium Fel. Urbis Panormi, quod Fiscus non possit principaliter agere contra cives, cum addictionibus D. Francisci Baronii. Ibidem apud Maringum 1656. in 4.

De Effectibus minoris ætatis circa Judicialia. Ibidem apud Bossium 1658. in fol.

De Effectibus minoris ætatis circa Contractus, ultimas voluntates, & spiritualia. Ibidem apud eumdem 1661. in fol.

De Corpore, ejusque partibus. Tomum Primum. Ibidem apud Bossium 1664. in fol.

Tomum Secundum. Ibid. apud eumdem 1668. in fol.

Allegationes in causa revendicationis feudorum Joancaxi, & Rakalturco. Ibidem apud Nicolaum Buã, & Michaelem Portamnovam 1644. in fol. & iterum apud Cyrillos 1651. in fol.

Hunc scriptorem cum Francisco Baronio supra notato, homonymiæ fraude deceptus, confundit auctor Indicis Bibliothecę Collegii Panormitani Soc. Jesu *pag.* 203. & 204.

FRANCISCUS BELLUS Saccensis Tertii Ordinis S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister, ac Concionator celebris tum in Sicilia, tũ in Gallia Subalpina. Floruit circa annum 1600. De eo vide Bordonum *in Chron. Tertii Ordin. S. Francisci cap.*38. *pag.*556. & Ab. Pirrum *not. Eccl. Agrigent. pag.*337. Scripsit Italicè

Libro della Verità Christiana, nel quale s'apportano molte figure dell' antico Testamento intorno à i misterii della nostra Fede. Ticini apud Petrum Bertolum 1601. in 12.

Addit Bordonus: *ferunt opus edidisse valdè eruditum super Decalogum, quod non dum ad manus nostras pervenit*.

FRANCISCUS BERTOLUS Thermitanus Jurisconsultus doctrinâ insigniter clarus, Messanæ, ubi uxorem duxit, domicilium transtulit suum, & diu causarũ patrociniũ, cum sui laude feliciter egit. Straticotialis Curię Judex sedit an. 1665. 1668. 1669. Obiit Messanæ anno 1701. De eo Vincentius Solitus *in hist. Thermar. tom.* 2. *par.*6. *cap.* 3. *pag.* 134. Antonius Ferrarottus *in addit. ad librum de præeminen. Straticoti pag.* 139. Edidit

Allegationes pro Ill. & Rev. Domino D. Placido de Joanne Archimandrita Messanæ contra Reverendos Deputatos operis quondam Vincentii Justiniani. Messanę typis Vincentii de Amico 1687. in fol.

Allegationes pro D. Anna Stitia, & Spadafora Marchionissa Mottæ. Messanæ in fol.

FRANCISCUS BETRUCIUS, sive BERTUCCIUS Menensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis; Theologus doctissimus, concionator insignis, ac eximię pietatis vir; ut testatur Franciscus Lanovius *in Chron. Minimorum pag.* 592. Ab. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 243. Hippolytus Maraccius *in Biblioth. Mariana par.* 1. *p.* 400. & Coronelli *in Bibl. to.*5. *n.*4041. Scripsit

De Creatura supernaturali.

De Conceptione B. Mariæ Virginis.

Addit Lanovius: *& alia, quæ mihi non innotuerunt*.

FRANCISCUS BISAGNI Messanensis Eques Hierosolymitanus. Vir eruditione, & prudentiâ pręclarus. Edidit Italicè

Trattato della Pittura fondato nell' autorità di molti eccellenti in questa professione, fatto a comune beneficio de' virtuosi. Venetiis apud Juntas 1642. in 8.

FRANCISCUS BISSUS Panormitanus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius: vir doctrinâ excultissimus: non modò in Sicilia, verùm etiam in Italia, ac alibi celeberrimus. Magnâ valuit doctrinæ opinione; ingentemque sui æstimationem apud Principes, ac Siciliæ Dynastas excitavit. Acceptissimus præsertim fuit Francisco Ferdinãdo de Avalos Piscariæ Marchioni Siciliæ Moderatori, cujus ægritudines curavit. Eâ floruit medicæ sapientiæ celebritate, ut post ejus mortem vixerit superstes ejus fama; & mos Panormi invaluit, ut quoties quisque medici alicujus excellentiam exaltare intenderet, hoc exponeret modo. *Est alter Bissus*. Meritò ideoque anno 1580. à Marco Antonio Columna Siciliæ Prorege electus est Siciliæ, Insularumque adjunctarum Archiater: exinde anno 1581. à Philippo II. Catholico Rege amplissimo diplomate confirmatus, magna cum pompa Panormum ingressus est 29. Novembris an. 1581. & longo nobilium virorum cœtu, Urbisque Magistratu, equestri ordine dispositis, per Urbem deductus est. Hanc supremam medicę artis dignitatem, ad quam virum eximium doctrinæ

ctrinæ promerita evexere, magna cum laude usque ad vitæ extrema retinuit. Ingenii elegantiã amœnioribus etiam studiis addixit: ideoque eloquentissimi Oratoris, & egregii Poetæ laudes obtinuit: ejusque ingenii monumenta etrusca, & latina, tum soluta, tum pedibus, adstricta in Accensorum Academia Panormitana (cui nomen dedit) non sine plausu sæpius excepta sunt. Hinc publicis Urbis expensis quædam ejus comœdia anno 1573. pro baccanalium tempore Senatus jussu recitata est, ut in quodam libro m. s. apud me legi. Eruditione, omnique doctrinæ genere excelluit; & ut omnia verbo absolvam, inter Siculos ævi sui literatos primas tenuit. Vivere desiit Panormi 20. Ianuarii 1598. & in Ecclesia S. Mariæ de Iesu Strictioris Observantiæ S. Francisci sepulturæ traditus est. Laudibus nostrum Franciscum extollunt Baronius *de maest. Panormitana lib. 3. cap. 4. pag.* 117. Matthæus Donia in poemate inscripto, *Formica pag.* 3. ipsi nuncupato, & in opusculo, cui nomen *Polysticon pag.* 21. Antonius Alfanus, & Leonardus Orlandinus *in carminibus Accensorum lib.* 1. *pag.* 6. *&* 155. & ab eodem Alfano, & Bartholomæo Bonanno *lib.* 2. *eorumdem Carminum pag.* 2. *&* 6. Vincentius de Ioanne *in Panormo Triumphante lib.* 12. *pa.* 124. Aurelius Risaliti *in Epistola nuncupatoria precum pro quadraginta horis*, Fortunatus Fidelis in libro inscripto: *Bissus, sive medicinæ patrocinium*, Ioseph Galeanus *in epist. nuncupat. Rosaliæ Triumphantis pag.* 14. Leonardus Orlandinus *Var. Imaginum pag.* 27. Franciscus Flaccomius *in Sicelide sect.* 3. *pag.* 38. Sebastianus Bagolinus *lib. Carminum pag.* 98. Edidit

Apologiam in curatione ægritudinis Ill. Francisci Ferdinandi Avalos Piscariæ Marchionis, & Siciliæ Proregis munificentissimi. Panormi apud Io: Matthæum Maidam 1571. in 4.

Epistolam medicam Paulo Restifæ de Erysipelate. Extat in libro edito Messanæ apud Faustum Bufalinum 1589. in 8. inscripto: *Responsiones Apologeticæ Pauli Crinò in Apologiam Gerardi Columbæ*, ubi habes hujus epistolæ censuram, ac defensionẽ.

Orationem in obitu Marchionis Piscariæ Siciliæ Proregis. ex Baronio *de Maest. Panorm. l.* 3. *p.* 117. In libro cui titulus: *Rime degli Accademici Accesi di Palermo libro secondo pag.* 21. extant tantummodo aliqua ejus carmina etrusca.

FRANCISCUS BISSUS Panormitanus Sacerdos, Francisci Bissi supra laudati filius, Theologus Doctissimus; in humanis, divinisq; literis apprimè versatus; & eruditione quà sacra, quà profana abundè refertus. Divini verbi declamator celeberrimus, à singulari eloquentię vi, ac dicendi suavitate, aliisq; dotibus, quibus concionando mirificè refulsit, tum in Sicilia, tum in multis Italiæ Urbibus celeberrimum sibi nomen comparavit: semper magno auditorum concursu & non vulgari plausu auditus. Quæ præstantissimum Ecclesiastem constituere valent, omnia in eo insigniter cumulata elucebant. Facundia leporibus respersa, vox resona, & alta, corporis moles gratissima, doctrina, ac eruditio præclarissima. Ideoque quoties è suggestu auditus omnium corda ad se attrahere, & veluti Gallicus Hercules, vinculis alligare videbatur. In Dei amorem præsertim animos incendere consuevit: & cùm de Christi Domini cruciatibus concionabatur, ab auditorum oculis uberes lacrymarum fontes eliciebat. Ex eo conjectare licebit exageratæ ejus eloquentiæ celebritatem, quòd cùm Panormi in principe Templo coram Siciliæ Moderatoribus conciones habebat, ita ad ipsum confluebat cujusque ordinis concursus, ut opus esset, quòd statim ac advenisset Prorex, Templi fores occluderentur, ac Proregis custodes ad januas invigilarent, ne populi catervatim ad Templum irruentes, concionatorem, ac auditores exturbarent. Messanam accersitus ex famæ celebritate, ut in cinerali jejunio conciones haberet; cùm nonnulli id egrè ferrent, & ne exciperetur validissimè obstarent; demum precibus emolliti, ut saltem unam tantummodo concionem audirent, obtinuit. Dixit tandem vir egregius concionem, & hac unâ ita animos in sui amorem devinxit, ut tantùm abfuit Francisci concionibus privari, ut ipsum toto quadragesimę curriculo laudibus eximiis cumulaverint. Neapoli eo auditorum plausu conciones habuit, ut amplissimam sui opinionem excitaverit. Egregiâ, qua effulgebat doctrinâ, ad nonnullos honorum gradus evectus est; fuit etenim Prothonotarius Apostolicus; anno 1586. Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus; inde in eadem Ecclesia Archidiaconi, & tandem Cantoris dignitate cohonestatus. Magnâ valuit æstimatione apud Panormitanæ Urbis Archipręsules: ideoque Didacus de Haedo, & Joannettinus Doria S. R. E. Cardinalis Vicarium Generalem sibi delegere: apud quos etiam Judex, & Synodalis Examinator fuit. Siciliæ pro Rege Moderatoribus gratissimus fuit, illorumque æstimationem promeruit; ideoque quinquies ab ipsis electus, ut vocant, Regni Deputatus, Regius œconomus; nonnullorum Proregum à sacris Cęremoniis. A Comite Albalistense anno 1587. Judex Regiæ Monarchiæ Siculæ constitutus est, quo in munere claruit usque ad annum 1589. & iterum anno 1597. à Joanne Vigintimillio, cùm pro Rege Siciliam Præsidis munere gubernaret, ad easdem dignitates evectus est. Anno 1604. à Rege Philippo III. Sanctiss. Trinitatis Delię Prior fuit electus: apud quem Panormitanæ Urbis Senatus institit, ut ad Episcopalem Ecclesiæ Pactensis infulam designaret. His in muneribus, ac dignitatibus eximiam semper detexit prudentiã, comitatem, morumque elegantiam; adeout nil illi suavius, quam ut omnes mira benignitate beneficiis afficeret: ideoque nemo vel inopię angustiis pressus, vel re quacumque urgeretur ad ipsum confugit, qui vel ejus liberalitate levatus, vel perhumaniter exceptus, ac refectus non discesserit. A justitiæ juribus coactus, ut reis pœnas infligeret, ita supplicia benignitate temperabat, ut etiam supplicio affecti gratias rependerent. Tandem omnibus gratissimus, ubique celeberrimus, in oppido Careni vitam absolvit 24.

Au-

Augusti 1623. & Panormum delatus, in Ecclesia S. Mariæ de Iesu extra Urbis mœnia sepulturæ traditus est. Tantum virum laudat Abb. Pirrus *not. Eccl. Panor. pag.* 205. *&* 206. *lib.* 2. *pag.* 457. *& lib.* 3. *not. Eccl. Mazar. pa.* 573. Baronius de *Maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 112. Vincentius de Ioanne *in Panorm. triumph. lib.* 12. *pag.* 127. Argistus Juffredi *in poes. Accensorum lib.* 1. *pag.* 41. Petrus Carrera *in epigramm. lib.* 2. *pag.* 110. Petrus Cannizzaro *in m. s. de Relig. Panorm. pag.* 89. Ioseph Bonfilius *in sua Messana lib.* 6. *pag.* 49. Vincentius Auria *in hist. Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 72. aliique. Edidit Italicè

Sermone nell'esequie generali del Regno di Sicilia celebrate nella Cattedrale della Città di Messina in morte del Re Cattolico Filippo II. composto, e recitato d'ordine, ed in presenza dell' Eccell. Sign. Duca di Macheda, Viceré nell'anno 1598. *il dì* 21. *di Novembre.* Panormi apud Ioannem Bapt. Mariugum 1598. in 4.

Sermone recitato nell' esequie dell' Eccell. Sign. D. Bernardino de Cardines Duca di Macheda &c. Viceré di Sicilia. Ibidem apud eundem 1602. in 4.

Oratione nell'esequie generali del Regno di Sicilia per la morte della Serenissima D. Margarita d'Austria Regina di Spagna, composta, e recitata nella Cattedrale di Palermo alli 16. *di Febraro* 1612. Ibidem apud eundem 1612. in 4.

Reliquit m.ss. *Cōcionum Quadragesimalium Volumina duo. Sermonum volumen, aliaq; opera.*

FRANCISCUS BLANDITIUS Catanensis Societatis Iesu, à literis, ac virtutum ornamentis laudatus. Catanę vivebat anno 1656. ex Joanne Baptista de Grossis *in sua Agatha Catanensi cap.* 30. *excur.* 2. *pag.* 243. Latinam fecit

Funebrem orationem in S. Athanasium Methones Episcopum Petri Siculi. Extat apud Bollandum *in Actis SS. Januarii tom.* 2. *sub die* 31. *Januarii à pag.* 1125. qui à Blanditio versam è græco, & ipsi transmissam fatetur. Sed P. Petrus Salernus Soc. Iesu in quadam additione *ad tom.* 2. *SS. Siculorum Octavii Caetani in animad. pag.* 19. interpretationem hanc Augustino Florito Soc. Iesu adscribit, & à Blanditio tantummodo expolitam tradit: quòd si conferas illam apud Bollandum cit. & apud Petrum Carreram *vol.* 2. *memor. Catanæ pag.* 38. cum eadem apud Caetanum *cit. pa.* 52. facilè animadvertes: sed à Blanditio corruptam, ubi de patria D. Agathæ notant Salernus cit. & D. Augustinus Inveges *in Panor. Sacra pag.* 209.

FRANCISCUS BONUS Siclensis Sacerdos, vir doctrinâ, eruditione, & eloquentiâ clarus, Vixit circa annum 1652. quo in lucem emisit

Panegirico della Vita, Morte, & Attioni illustri di S. Guglielmo Eremita. Panormi apud Bisagnium 1652. in 4.

FRANCISCUS DE BOSCO Panormitanus, cujus familia longo Procerum ordine deducta, vetustam nobilitatis gloriā, titulis præclarissimā, servat. Patrem habuit Vincētium de Bosco Catholicæ Principem; eoque adhuc superstite, Misilmeris Ducis titulo insignitus est, ac eques ordinis militaris Alcantarę à Filippo IV. Catholico Rege enunciatus. Defuncto patre, hæreditario Iure, amplissima bona, unà cum titulis Principis Catholicæ, & Comitis Vicaris accepit; ac familiæ splendorem non modò servavit, verùm etiam & literis illustravit: nam gentilitio stipiti doctrinæ insignia ipsi inserere placuit. Hinc studiis ingeniū dicavit; ac ex omnibus scientiis, eruditis præclaris literarum ornamentis, mirificè animum erudivit. Amœniores literas præsertim, ac Musas egregiè coluit; ideoque etruscâ, vernaculâ, ac hispanâ linguâ cecinit, multaq; vividissima elucubravit monumenta. Academiæ Reaccensorum Princeps electus, Academica studia fovit, & se literatorum Mœcenatem præbuit. Editis tandem eximię prudentię, & equestris virtutis exemplis, obiit Panormi 5. Iulii 1668. cujus corpus in oppidum Misilmeris, inde Drepanum translatum, in celeberrimo D. Marię Drepanitanę sacello sepellitur. Hunc virum laudant Baronius *in amphiteatro Sic. Nobil. pag.* 5. Inveges *in appar. Panor. Nobil. pag.* 44. & Ioseph Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 187. ubi ipsius extant Siculo idiomate

Canzoni Siciliane. Panormi apud Deciū Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

FRANCISCUS BRANCIFORTE Militelli natus, vetustissimam generis gloriam tum equestri virtute, tum etiam doctrinæ splendoribus longè, latèque diffusis, amplificavit. Titulis Principis Petræpertiæ, & Marchionis Militelli insignitus effulsit. Humanis, divinisque literis instructissimus claruit. Philosophicis, Theologicis, ac Mathematicis disciplinis abundè cumulatus, literatorum amorem, ac laudem promeruit. Bibliothecam supra decem millia voluminum refertam sibi congesserat, in qua ne dum se ipsum eruditione, & doctrinâ locupletavit, verùm etiam doctissimi viri ad eamdem confluentes, ab ea scientiarum opes collegere. Hanc Bibliothecam laudat Petrus Carrera *in epigramm. lib.* 1. *pag.* 16. & Vincentius Auria *in veritate historica contra Mugnôs num.* 4. *pag.* 7. Joannam Austriacam, ex Joanne Austriaco, Caroli V. Imp. filio, natam, uxorem duxit, quæ anno 1604. Panormum appulsa, ac regio more Urbem ingressa, nuptias magnificentissimè celebravit, ex Pirro *in Chronol. Regum Sicil. pag.* 105. Josepho Bonfilio *in hist. Sicil. par.* 3. *lib.* 2. *pag.* 39. & Auria cit. *in histor. Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 73. Franciscus, unà cum uxore Joanna, S. Benedicti Cœnobium Militelli conditum anno 1615. aureis 500. annuis ditavit: ibique circa annum 1622. fato cedens, sepultus est, teste Pirro *notit. Eccles. Syracus. pag.* 250. Edidit Italicè

Trattato dell'Amore Onesto, Militelli.

Scripsit etiam *Comœdias duas*, & antequā estrema clausisset, opus Italicè aggressus fuerat: *Della Ragion di Stato.*

FRANCISCUS LA BRUNA Panormitanus, publicumTabellionem cum magna integritatis laude egit in patria ab adolescentia, usque ad Senec-

autem. Sexagenario major decessit Panormi 8. Septembris 1691. Typis tradidit Italicè

L' Asmonda impudica Comedia. Venetiis apud Ioannem Iacobum Hertz 1664. in 12.

FRANCISCUS BRUNUS Alcarensis Musices peritissimus, claruit anno 1590. Edidit Italicè

Primo libro de' Madrigali à 5. voci. Messanę apud Faustum Bufalinum 1589. in 4.

In libro inscripto: *Infidi lumi Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi apud Ioannem Baptistam Maringum 1603. in 4. nonnulla hujusce scriptoris extant.

FRANCISCUS BUSCELLUS Panormitanus, Iuris Vtriusque Doctor. Vivebat anno 1614. ut ex ejus conjugis epitaphio Panormi in Ecclesia S. Josephi Clericorum Regularium patet, in quo ita legitur.

D. O. M.

D. Joannę Buscello, & Morso conjugi amantissimæ, ac nunquam satis exoptatæ, Franciscus Buscellus V. J. D. mœstissimus, quod sibi proposuerat inaspectatè P. M. DC. XIIII.

Edidit

Allegationes pro Porsia de Regio contra Sp. Jacobum Siracusa, & consortes. Panormi 1610. in fol. suppresso typographi nomine.

FRANCISCUS CAFFARELLUS Mylensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, nobili genere ortus; Theologus, & Concionator eximius: astronomicis, & mathematicis disciplinis excultissimus. Iussu Gregorii XIII. unà cum celeberrimo Francisco Maurolyco pro anni correctione operam navavit. Obiit Venetiis an. 1584. dum ibi aliqua opera Mathematica typis traderet, quæ ob mortem vel non dum absoluta, periere, vel post mortem suppressa desiderantur. Extat tantummodo edita *Tabula quædam ad anni correctionem necessaria.*

FRANCISCUS CAGNUS Platiensis Philosophus, ac Medicus in Italia celebris: Theologus, etiam, ac Poeta clarissimus. Vivebat anno 1571. Hujus meminere Abb. Pirrus *notit. Eccles. Catan. pag.* 105. Joannes Paulus Chiarandanus *in histor, Platiæ lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 263. qui ex Pirro in Patavina Academia professorem fuisse ait: quod apud Pirrum non video; nec Jacobus Philippus Thomasinus *in Gymnasio Patavino*, ubi summâ scripsit diligentiâ de Professoribus celeberrimi illius lycei, Franciscum nominat. Edidit.

Theoremata Physicorum Aristotelis. Venetiis 1571. in 4.

Italicè scripsit, sed non edidit

Historia della Città di Piazza., quam Chiarandanus citat *lib.* 3. *cap.* 6. *pag.* 176. *& cap.* 8. *pag.* 292. *& lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 5. ubi ejus fragmentum exscribit.

FRANCISCUS CALONA Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci, vir apud suos celebris, tum ob doctrinæ præstantiam, tum ob nonnullos honorum gradus, ad quos evexit scientia, morumque elegantia: fuit etenim Sacræ Theologiæ Magister doctissimus: Cœnobii Panormitani S. Marię de Misericordia, ut vocant Prior: Provinciæ Siculę Definitor, ac tandem in eadem Provincialis: extra ordinem etiam librorum Censor; ut etiam apud S. Officii Quæsitores Censoris munere inclaruit. Dum Siculam Provinciam eximiâ prudentiâ moderabatur, obiit Panormi 31. Octobris 1651. De eo vide Bordonum *in Chronic. Tertii Ord. S. Francisci cap.* 38. *pag.* 556. Edidit Italicè

Lucerna secreta della conscienza, cioè interrogatorio generale, e speciale per confessioni Generali, e Particolari. Panormi apud Alphonsum de Isola 1643. in 12.

Divoto modo di dire le nuove Ave Marie per tutti li giorni della settimana distintamente ad honore della celeste Matrona S. Anna. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1645. in 12. & iterum Panormi apud Dominicum Anselmum 1654. in 12.

FRANCISCUS CAPUANUS Menensis Societatis Jesu. Natus anno 1608. Societatem amplexus est anno 1625. Tū in amœnioribus literis, tū in gravioribus Theologiæ, & Philosophiæ studiis singulare ingenium patefecit. Absoluto studiorum curriculo, ad tradenda Rhetoricæ documenta designatus, ex triduano labore in exaranda, & dicenda oratione, mox referenda, summisque laudibus excepta, mortem sibi acceleravit, quam non sine magno dolore evenisse tradunt; multa enim ejus ingenii felicitas præclarissima promittebat. Obiit in Panormitano Collegio 30. Novembris 1637. Edidit

In solemni studiorum lustratione Orationem apud Illustrissimum Panormitanæ Vrbis Senatum extemporaneam. Panormi apud Decium Cyrillum 1637. in 4.

FRANCISCUS DE CARRETTO Agrigentinus natus primo Iunii 1633. ab ineunte ætate Jurisprudentiæ operam dedit, & Doctoris Laureâ donatus, non sine laude causarum patronum egit. Pluries in Agrigentino foro sedit Judex: pluries etiam apud Agrigenti Senatores Consultoris munere functus est. Nec minorem obtinuit doctrinæ laudem dum Consultor in oppidis Catholicæ, Sicilianæ Racalmuti, Rephandalis, S. Elisabethæ, Fabariæ, Aragoniæ, Palmæ, & Comitini præfuit, Sæviente etiam in Sicilia bello inter Hispanos, & Gallos, apud Generales Vicarios Agrigenti degentes, eodem munere claruit: nempè apud D. Balthassarē Nasellum Aragoniæ Principem, D. Petrum Morsum Podiirealis Principem, & D. Hieronymum de Carretto Comitem Rachalmuti. Quinquennio tandem Episcopalis Agrigentinę Curiæ, ut vocant, Assessor fuit, dum Agrigentinam Ecclesiam Franciscus Maria Riui moderaretur. Poeticum ingenium à natura accepit; ideoque multa scripsit Siculis, Italicisque numeris alligata, quæ si edidisset, magnam eximio viro æstimationem peperissent. Literis, eruditione, ac rythmicis ingenii monumentis Agrigentinas Academias illustravit. Obiit Agrigenti 19. Ianuarii 1701. & in Ecclesia Congregationis Oratorii sepultus est. Edidit Italicè suppresso nomine

Com-

Compositione da recitarsi in musica nella Traslazione del sacro corpo, e sangue del Gl. S. Traspadano Martire in Palma data in luce dal D. D. Felice Focolaro Arciprete di Palma, e

Apparecchio drammatico per musica disposto per la solenne Traslazione delle Sacre Reliquie di S. Traspadano nella Terra di Palma. Composizione dell' Academico Astratto tra i Mutabili, Mutabile tra gli Offuscati, ed Offuscato tra i nuovi Rischiarati di Agrigento. Panormi apud Bossium 1667. in 4.

Scripsit etiam carmine

Il Calogero Penitente.)
La S. Anna.) *Tragedie.*
L'Ore del Calvario.)

Hæc non sine plausu Agrigenti audita. Scripsit etiam

L' Amorina Zanglea.)
Le Nozze combattute.)
Il Trionfo di Jojele.)
La Concezione di M. V.)
L' Incedio d' Aci.)
L' Agata Martire.) *Dramme.*
La Stella di Giacobbe.)
Le Vittorie Normanne negli acquisti de' Saraceni in Girgenti per la solennità di S. Gerlando Vescovo, e Patrono di detta Città.)

Il Curcut Muy.)
Li Fugaci costanti.)
Le gradite sciagure.) *Comedie.*
Li Schiavi d' Amore.)

Et alia non pauca. Hujus filius Augustinus nunc Canonicus Agrigentinus floret. Ipsius Gentilis fuit, ut puto

FRIDERICUS DE CARRETTO Agrigentinus historicus, qui circa annum 1516. claruit. Scripsit historicam narrationem inscriptam:

Expulsio Vgonis de Moncada Siciliæ Proregis. Plurimorum manibus teritur m. s. Panormi, cujus exemplar extat apud me: & ne ejus memoria temporis lapsu pereat, hic adnotare operę pretium duxi.

FRANCISCUS CARRERA Siclensis Societatis Jesu, natus anno 1629. Societatem amplexus est anno 1644. in qua quatuor solemnia emisit vota. Humaniores literas publicè docuit sexennio: sodalibus verò suis Rhetoricę pręcepta tradidit per annos septemdecim magna cũ ingenii laude, & discipulorũ profectu. Poesim latinã mirificè coluit: virtutes verò tanto viro ornamentum addidere egregium. Charitas illi fuit tum erga majores, tum erga infimos insignis; ideoque nemo erat, cui consolationis lenimenta non extenderet. Discipulos auxilio egentes, quibus aditus ad præceptores haud faciliter patebat, mirabili dexteritate in scholasticis exercitamentis levabat. Tenerrimos conscientiæ sensus, eximiam morum integritatem, illibatam vitæ innocentiã, & insignem erga Deum amorem servavit. In regulari disciplina observanda exactissimus, & in laboribus patienter perferendis infractus. Discipulis erudiendis nimio labore insudabat; ideoque in vitæ extremo suadentibus; ut voto se adstringeret ad eumdem vitæ ordinem resumendum, si Deus vitæ spatia protrahere dignaretur, respondit, haud posse iterum oneri tam gravi humeros subjicere, eiq; mortem præferendam censebat. Editis tandem egregiis pietatis, ac religionis excplis, obiit in Panormitano Collegio 17. Februarii 1683. ubi in ejus laudem plura publicè dicta poetica encomia. De eo *Bibliot. Soc. Jesu pag.* 219. Edidit.

Lyricorum libros quatuor, & Epodon librum unũ. Lugduni ex Officina Anisseriana 1674. in 12.

Pantheon Siculum, sive Sanctorum Siculorum Elogia. Genuæ ex Officina Marci Antonii Ferri 1679. in 4.

Pyramidem elegiacam divino Amori dicatam, sive Elegiarum libros quinque: opus posthumum. Panormi typis Thomę Rummolo 1684. in 8.

Molem triumphalem poema. Panormi apud Petrum de Isola 1663. in 4. quod Italicis carminibus expressit Hyacinthus Maria Fortunius, ac eodem anno prodiit Panormi.

Elaboravit etiam

Poemata multa, & Orationes sacras. Italicè
Vite de' Santi Siciliani.

FRANCISCUS CATANIA Panormitanus Doctor Medicus clarissimus, natus ex D. Gabriele Catania, & D. Lutia Anselmo. Cùm medicę facultati operam navasset, Doctoris laureâ insignitus, Panormi ęgrotorum curam suscepit, non sine doctrinę laude. Ad oppidum Vicaris translatus, honesto constituto ab oppidi Domino stipẽdio, salutarem operam in ęgrotantes contulit. Inde ad oppidum Ciminnę digressus, ibi uxorem duxit Magdalenam de Vrso Ciminnensem anno 1627. & ex ea, pręter alios, filium suscepit nomine Gabrielem, qui Vicaris, inde Ciminnæ Archipresbyter fuit; quâ oblatâ occasione noster Franciscus in utroque oppido longas protraxit moras; ex quo perperam aliqui Ciminnensem, alii Vicarensem putarunt. Defunctâ uxore, cùm filius vitam etiam absolvisset, noster Franciscus Panormum regressus est: Clericali militiæ se adscripsit, & Sacerdotio pietatem fovit: sed non multo post nonagenarius obiit Panormi anno circiter 1688. & in Ecclesia domus Professorum Societatis Jesu sepelitur. Laudatur à P. Bernardo Maria de Jesu *in Vita Joannæ Mariæ à Sanctiss. Trinitate par. 3. cap. 16. pag. 278.* In posterorum beneficium protulit

Quæstionem de Medicamento purgante. Panormi apud Petrum Isola 1648. in 4.

FRANCISCUS CATENA in oppido Raccudiæ exortus, à teneris unguiculis Panormum trãslatus, literarum studiis operam navavit in Collegio Panormitano Soc. Jesu; ex quo humaniores literas, ac Philosophiam hausit. Inde Jurisprudentiæ addictus, Doctoris lauream accepit: sed apud Magnæ Regiæ Curiæ subsellia aliorum negotia procuravit: ideoque magnam sui æstimationem excitavit tum ob morum integritatem, tum etiam ob eximiam in quæstionibus enodandis dexteritatem, quas acutè, doctèq; tractavit.

Hinc à D. Petro Faxardo Marchione de los Velez Siciliæ Prorege Fisci Procurator Magnæ Regiæ Curiæ electus est. Sed cùm Hispaniarum Rex alium ad hoc munus evexisset, Joannes Austriacus, ut ab eodem Rege Fisci Procurator extraordinarius deligeretur, curavit. Inerat enim ipsi eximia in rebus agendis industria, ad hoc munus rectè obeundum apprimè opportuna: illudque magna cum prudentia, ac laude exercuit. Florente adhuc ætate poesim coluit, & vernaculâ linguâ multa protulit ingenii monumenta plausibus excepta. Messanæ decessit anno 1673. contra animi sui vota; sepulchrum etenim sibi paraverat Panormi in Ecclesia Monialium S. Mariæ omnium Gratiarum, quam S. Viti vulgò appellāt, cum hac inscriptione,

V. J. D. D. Franciscus Catena R. Procurator Fiscalis M. R. C. superbos veneratus Reginæ Mortis triumphos, hic sibi, suisque vivens sepulchrum statuit, ut postremo Mundi pereuntis die, sponsarum Christi Judicis patrocinio fultus, ex triumphatrice triumphans se sistat Deo.

Hunc laudibus ornavit Joseph Galeanus *in Musis Siculis par.* 4. *pag.* 85. Edidit Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane Sacre. In Musis Siculis *par.* 4. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1653. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In eisdem Musis *par.* 3. Ibidem apud eumdem 1651. in 12.

FRANCISCUS CAVALLUS Agrigētinus, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, optimo exortus genere, doctrinâ claruit: at in dementiam prolapsus, in Civitate Nari obiisse tradunt circa annum 1660. Hujus extant

Opusculum de objecto Physicæ. Panormi apud Alphonsum de Isola 1638. in 8.

De insito morborum medicum opus, & novum. Catanæ apud Vincentium Petronium 1658. in 8.

FRANCISCUS CAVANNA Panormitanus, amœniorum literarū peritus, claruit anno 1620. Edidit italicè

La Morte Innamorata, Comedia, Panormi apud Decium Cyrillum 1622. in 12. primùm verò hāc Comœdiam elaboravit Fabius Glissenti, ac Venetiis in lucem emisit apud Ioannem Albertum 1608. in 12. inde noster Cavanna in meliorem formam redegit, ex Leone Allatio *in drammaturgia pag.* 220. *&* 221.

Gli Amorosi Ritratti Comedia, Panormi apud Angelum Orlandum 1613. in 12. & apud Deciū Cyrillum 1626. & 1632. in 12.

Gli Sposi Ingannati Comedia. Ibidem apud eumdem 1637. in 12.

La Servitù d'Amore Comedia, Ibid. apud eumdē 1637. in 12. & apud Petrum Coppolā 1646. in 12.

FRANCISCVS CAVATORE Messanensis Iuris Vtriusque Doctor, amœniores literas dilexit. Fuit librorum edendorum pro Regia jurisdictione Messanæ Censor. Anno 1625. in Straticoti Messanensis Foro Iudex sedit: & iterum anno 1644. ad eamdem dignitatem evectus, eodem anno cū adhuc judicia exerceret, Messanę decessit, ex Vincentio Ferrarotto *de Officio Straticoti pag.* 137. Adhuc ephebus edidit

Trionfo, e Pompe solenni che fece la Nob. Città di Messina per l'Inventione de' Santi Martiri Placido, e Compagni, composta con stanze Siciliane. Messanæ apud Faustum Bufalinum 1590. in 8.

La Sfera del Sacrobosco in ottava rima. Ibidem.

FRANCISCVS CENTELLES Panormitanus, nobili familia ortus, generis nitorem literis illustriorem reddidit. Latina carmina magna cum sui laude, ac fama cecinit. Romam digressus, ob egregias ingenii dotes inter Romanos cives adscriptus est: ibiq: florebat temporibus Lilii Gregorii Gyraldi, ut ipse testatur in libro *de poetis suorum temporum dial.* 1. *pag.* 396. cùm autem hic decessisset anno 1559. ut ex epitaphio apud Frāciscum Scotum *Itiner. Italię par.* 1. *pag.* 241. hoc tempore vixisse censendum. Addit & Gyraldus, quòd non solùm summa cum laude carmina pangebat, verùm etiam progressus egregios promittere videbatur; ac *jam nonnulla protulisse* ait. De eo etiam Gesnerus *in Bibliotheca pag.* 237. Honorius Dominicus Caramella *in Musęo Ill. Poet. pag.* 90. & Michael Foscarenus *in notis, ad eumdem* qui, *ejus opera in Anglia existere* scribit.

FRANCISCVS CHISARI ex oppido Ispicefundi, vulgò *Spaccafurno*. Claruit anno 1630. Musis addictus. Edidit italicè

Atto sacro della Necessaria Incarnatione del Verbo. Neapoli apud Octaviū Beltranum 1639. in 8.

FRANCISCVS COSTA v. Franciscus Antonius, Costa.

FRANCISCVS COMITVS Panormitanus, publicus in patria Tabellio. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis Siculis *p.* 3. Panormi apud Bisagnium 1651. in 12.

FRANCISCVS CRESCENTIVS Panormitanus, Doctor medicus celebris, doctrinâ instructissimus, floruit anno 1575. Inter clarissimos Panormitanos medicos recensetur à Francisco Baronio *de maest. Panor. lib.* 3. *pag.* 117. ipsius etiam meminit Matthæus Donia *in Polystic.* Prodiit ejus liber posthumus inscriptus

De morbis Epidemicis, qui Panormi vagabantur anno M. D. LXXV. seu de peste, ejusq; natura, & præcautione tractatus. Panormi apud Baptistam Maringum 1624. in 4.

FRANCISCVS CRISTAVDVS Panormitanus, cujus meminit Allatius in *Dragmmaturgia indice* 6. *p.* 592. ubi scripsisse comœdiam adhuc ineditam testatur, cujus titulus Italicè

L'Avventurosi Intrichi.

FRANCISCVS CVPANI ex oppido Myrthi Tertii Ordinis S. Francisci, natus 21. Ianuarii 1657. ineunte ætate literarum disciplinas amplexus, medicinæ operam dedit, ac botanicis studiis apprimè addictus, in perscrutandis variis herbarum generibus mirum in modum æstuare cœpit. Inde relictis sæculi curis, regularem institutum amplexus est 22. Maii 1681. Exactis Philosophiæ, ac Theologiæ studiis eâ, quâ munitus est ingenii præstantiâ, Doctoris, ac Magistri lauream obtinuit. Veronæ sodales suos Philosophiam, ac Panormi scholasticam Theologiam docuit non sine laude: interpositâ subcessivis horis ex naturali propensione botanicæ cognitione. Sed cùm gra-

gravioribus disciplinis explanandis colophonem imposuisset, omnes ingenii sui vires naturali philosophiæ impensè admovit: & examinandis præsertim plantarum qualitatibus, speciebus, viribus toto pectore incubuit: ideoque in omnibus anni spatiis aliquando nive, imbreque obrutus, solis æstu perustus, aliisque peregrinationis incommodis, Siciliam, rariores herbas germinantem, diuturno labore perlustravit, innumera plantarum genera sedulò perscrutavit, & egregiam harum cognitionem assequutus, in multis deceptos Seplasiarios ostendit: novas indigitavit plãtas, novasque ipsarum virtutes detexit. Lapides etiam, fossilia, animalia, aliaque scitu digna insigni diligentiâ observavit; ideoque eximiis Physiologis meritò accensendus. His præcipuè studiis ejus nominis fama longè, lateque digressa inclaruit: ac literatorum animos sibi conciliavit: cum celeberrimis ideoque Europæ Medicis, ac botonicæ studiosis amicitiam contraxit, quam epistolarum usu fovit. Inter hos recensendi (ut Siculos ultrò prætéream) Gaspar Commelin Medicinæ Doctor, Horti Amstelodamensis Præfectus, Ioseph Pitton Tournefort in Academia Regia Parisiensi Professor, Ioannes Baptista Triumphetti Horti Medici in Romana Sapientiæ Academia Præfectus, Petrus Horton Medicinæ & Botanices in Academia Lugd. Batava Professor, Gulielmus Scherard, & Jacobus Petiver Londinenses, Ioannes Georgius Volkamerus Horti botanici Norimbergensis Præfectus, Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Collega, Felix Abbas Vialis in Patavino Lyceo Horti botanici Præfectus, aliique. His ideoque præsidiis munita, nunquam nostri Francisci fama ex hominum memoria decidet. Ipsum laudant Silvius Bocconus *in Musæo Plantar. pag. 7. 161. 162. & 163.* Gaspar Comallinus *in hortu Amstelodamensi par. 2. pagina* 159. Ioseph Pitton Tournefort *in instit. rei herbariæ. tom. 1. pag. 46. & 65.* Ioannes Baptista Triumphetti *in prælusione ad publicas herbar. ostensiones pag. 63.* & Iacobus Borbartus *par. 3. hist. Plantar. Oxoniens. in vita Roberti Morisoni.* Vivit nunc Panormi vir egregius, anno quo hæc scribimus 1706. his in studiis pertinaciter defixus. Edidit

Catalogum plantarum Sicularum noviter adinventarum. Panormi apud Petrum Coppolam, & Carolum Adamum 1692. in folio expanso, quem expurgatum, & auctum, hoc titulo iterum in lucem emisit:

Syllabus plantarum Siciliæ nuper detectarum. Ibidem apud Ioannem Adamum 1694. in 16. Evulgavit etiam

Hortum Catholicum, seu Illustrissimi, & Excellentissimi Principis Catholicæ, Ducis Misilmeris, Comitis Vicaris, Baronis Prizis, nec non Magni Baronis Sicilianæ. Neapoli apud Franciscum Benzi 1696. in 4. cum supplemento in fine.

Supplemen Alterum ad Hortum Catholicum, continens plantarum paucarum quorumdam, Sicularum, sive Siciliensium, in quas ipse præcipuè, aliique nunc usque irrepsere, emendationem, nec non Synonymiam, easque, quæ noviter ad præfatum Hortum accesserunt, atque illas, quas in eodem per oblivionem reliquerat, cum lapidum pauxillo, quos Sicania sufficit. Panormi ex typographia Iosephi Gramignani 1697. in 4. Typis quamprimùm tradet opus inscriptum

Historiam Naturalem Siculam: de Animalibus nimirùm, Stirpibus, Lapidibus, Fossilibus, quæ in Sicilia, vel in circuitu ejus sunt Insulis, offeruntur, cũ autochthona, tum Siciliensia, sive ab aliis prius memorata, sive quæ meâ unius operâ sunt assecuta (quorum certè ingens numerus) singula castigatè describuntur, & tabulis æreis circiter mille, imaginibus è vero tractis, graphicè inciduntur. &c. Pars Prima, & Secunda in 4.

FRANCISCUS DISPENZA Cammaratensis Iurisconsultus, amœniores literas coluit: carmine tum latio, tum etrusco multa cecinit. Neapolim profectus ibi non vulgarem æstimationem promeruit; & apud Franciscum Buoncompagnum S.R.E. Cardinalem, Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, Rhetorici titulo insignitus claruit. Vivebat anno 1636. Edidit italicè

Rime, e Versi a diverse Signore. Neapoli typis Octavii Beltrani 1635. in 8.

Santa Caterina Vergine, e Martire, Tragedia. Ibid. apud Nuccum 1636. in 12.

FRANCISCUS FLACCOMIUS Mylensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ, & Iuris utriusque doctor, patritiâ exortus familiâ, à Petro Angelo Bargæo celeberrimo literarum professore eruditus est, ut idem Flaccomius in quadam elegia ad Nicolaũ Colossum fatetur. Doctrinâ, eruditione, & amœnioribus literis apprimè ornatus enituit: latinas præsertim Musas mirificè dilexit. Messanæ Parochus primùm Ecclesiæ S. Iuliani, mox Ecclesiæ Messanensis Canonicus electus est. Apud Mamertinos Præsules magnâ æstimatione valuit; ideoq; Petri Ruiz, ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi vicarias gessit curas. Obiit Messanæ anno 1622. Hujusce laudes recenset Placidus Samperius *in Iconologia Mariæ Virginis lib. 1. pag. 37.* & Placidus Reina *in hist. Messanæ par. 2. pag. 513.* qui perperam Messanensem enunciant, cùm ipsemet Flaccomius in libris suis Messanæ editis, se Mylensem fateatur: ni ex diuturno domicilio Samperius, & Reina Messanensem intelligant. De eo etiam Rocchus Pirrus *not. Eccl. Messan. pag. 379.* Quæ edidit hæc sunt:

Sicelis. Messanæ ex officina Petri Breæ 1609. in 8. in hoc opere Siciliæ laudes heroico carmine descripsit.

De Adventu Turcharum classis ad Rhegii littora, Ecloga. Lycus. Ibidem apud eumdem 1602. in 8.

Eclogæ, quibus subjunctæ sunt, *Ludicra, & Epistolæ.* Ibidem apud eumdem 1603. in 8.

Elisium Cirneum. Quæriloquium, & Variloquiũ, sed hæc nondum vidi.

FRANCISCUS FRANGIMORE ex oppido Montismellis, vulgò *Mussomeli*. Iuris utriusque Doctor. Severioribus Jurisprudentiæ studiis, amœniores inseruit literas. Etruscas, ac Siculas Musas insigniter coluit, & eximia cum ingenii laude cecinit. Decessit paulò ante annum 1666. Ipsius

Ipsius laudes exhibet Ioseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag. 221.* ubi vernaculâ linguâ extant

Canzoni Siciliane. Panormi typis Decii Cyrilli 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

L'Antichissima Marsala *fulminata in ottava rima.* Ibidem apud Dominicum de Anselmo 1666. in 8. opus posthumum.

Rime m. s.

FRANCISCVS GALLETTI Mazarensis Iurisconsultus, Poëta, & humaniorum literarum professor eruditissimus. Annum agens 63. decessit anno 1626. teste Pirro *not. Eccl. Mazar. pag.* 543. qui scripsisse testatur,

Grammatices lib. I. Synonima verborum, & nominum Tom. II. Commentum ad Emblemata Hippolyti ab Hippolyto. Carmina.

FRANCISCVS GARSIA Panormitanus teste Iosepho Galeano locis infra citandis: Paternionensem putat Gregorius Alexius Paternionensis, Nicolai Garsię Panormitani filius, in relatione mihi transmissa. Natus anno 1590. & literarum studia amplexus, Iuris utriusque laureâ insignitus est, ac doctrinâ & ingenio conspicuus eminuit. Politiores literas egregiè coluit, inter Academicos Reaccensos Panormi, Renovatos Paternionis, Intrepidos Acis, & Claros Catanæ recensitus effulsit. E facundissimo ingenii penu innumera protulit latinâ, etruscâ, ac vernaculâ linguâ, tum carmine, tum prosâ, quibus laudem non vulgarem, ac literatorum amorem promeruit. In Paternionis foro Iudicem egit integerrimum. Tandem anno ętatis suę 80. vitam absolvit Paternioni anno 1670. Hujus laudes retulit Ioseph Galeanus *tom. 1. par. 2. Musarum Sicularum pag.* 238. & *par. 4. pag.* 96. Edidit italicè.

La caduta di Lucifero Poemetto, con gli argomenti di D. Pietro lo Squiglio Baron di Galati. Panormi apud Decium Cyrillum 1638. in 8.

Il Tempio di Cerere Catanea, & i Vaticinii di Simento per la venuta in questo Regno dell' Em. Signor Card. Astalli Vescovo di Catania. Poemetti Eroici. Catanæ apud Iosephum Bisagnium 1665. in 4.

Teria festante Epitalamio nelle nozze dell' Eccellentiss. Signori D. Luigi Moncada, e D. Maria Ribera Principi di Paternò, e Duchi di Montalto. Panormi typis Decii Cyrilli 1628. in 8.

La Pira Austriaca, nella morte del Serenissimo Infante D. Baldassare Prencipe delle Spagne. Catanæ typis Ioannis Rossi 1646. in 12.

Oda nella quale s'incoraggian gli Austriaci al racquisto di Portogallo. Monteleoni apud Dominicum Antonium Ferrum 1667. in 4.

Il Viaggio di Mongibello Poema Eroico.

Hispanicè.

S. Ana en quatro cantos, con los argumentos del Señor D. Prosper Paternò, y Lança Varon de Piraino. Hæc duo postrema ejus opera edidisse incompertum est, sed ea non vidi. Vernaculâ linguâ scripsit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *tom. 1. par. 2.* Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Sacre Siciliane. In Musis Siculis *par. 4.* Ibidem typis Iosephi Bisagni 1653. in 12.

Scripsit etiam, sed non edidit, hæc alia, Italicè

L' Ester Tragedia; teste Leone Allatio *in drammaturgia indic. 6.*

Il S. Vincenzo Martire Tragedia sacra.

Apologetico sentimento intorno à i discorsi di Antonino Mirello, e Mora sopra le Glorie di Messina. authographũ extat Panormi apud Vincẽtiũ Auriã.

La S. Anna Poema drammatico.

Discorso encomiastico di S. Anna.

Franciscus Alexius Paternionensis, servat hæc alia nostri Francisci m. s. nempè

Catania combattuta da Federico Barbarossa Poema Eroico.

Lucifero Vaneggiante Poemetto Eroico.

L' Armida componimento drammatico.

Rime Tomi due.

L'Innocenza difesa per l'Immacolata Concezione di Maria Vergine, discorso encomiastico.

L'antica età dell'Oro Poemetto Eroico.

Discorsi Accademici.

Idea del buon governo, discorsi Politici in lode dell' Eccell. Sign. Duca di Montalto, con Prologo contenente la descendenza della casa Moncada.

Alius est, à nostro Francisco diversus, Franciscus Garsia, qui Tabulas Alphonsinas motuum cœlestium edidit: cum nostro Siculo ex homonymia perperam confusus ab auctore Indicis Bibliothecæ Collegii Panormitani Soc. Jesu *pag.* 206.

FRANCISCVS GASTONE Patritius Catanẽsis, Regiusq: Consiliarius, Ignatii Gastone I. C. celeberrimi, Sacræ Reg. Consciẽtiæ Præsidis (de quo suo loco) filius. Natus 20. Iunii 1670. à teneris unguiculis literarum studiis admotus, Jurisprudentiæ lauream accepit. Permaxima cum doctrinæ laude in supremis Siciliæ subselliis causarum patrocinium egit: magni etenim momenti negotia cum egregia clientum utilitate feliciter propugnavit. Elegantissimo instructus ingenio politiores etiam literas, Musasq; præsertim latinas subcessivis horis coluit. Omnigenâ eruditione, morumque comitate ornatissimus floret, ac omnibus gratus sui æstimationem in dies adauget. Apud Magnæ Regiæ Curiæ Senatum semel, & iterum fuit Pauperum Advocatus. In Gentis Bellicæ foro Fisci Patronus, & bis Proauditor Generalis, pluries per Regnum Commissarius Generalis. Anno 1706. Magnæ Regiæ Curiæ Judex electus, dum hæc scribimus, ab integritate, & doctrina laudatus, judicia non sine plausu exercet. Ipsum laudat Franciscus Maria Cirinus *in nexu rerum Eccles. Jurisdict. cap. 7. sect. 1. num. 32.* & ego *in addict. ad Siciliam Inventricem Vincentii Auria cap. 45. pa.* 272. Multa in jure scripsit, at solùm edidit

Allegationes in causa Præcedẽtiæ. Panormi apud Petrum Coppolam 1697. in fol.

De spatio Asyli Ecclesiastici Canonicam dissertationem in causa Immunitatis. Ibidem ex typographia Augustini Epiri 1699. in fol.

Multa prælo parat, & præcipuè eximium opus *de re criminali.*

FRAN-

FRANCISCUS GEMMA ex oppido Blancevillæ Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius. Edidit etrusco carmine

L'Incendio di Mongibello Poema. Catanæ apud Bonaventuram la Rocca 1674. in 8.

FRANCISCUS GENTILIS Panormitanus Juris utriusque Doctor: Musis amicus claruit anno 1640. Scripsit

Le Nove Lettioni di Giob tradotte in Rime Toscane. Panormi apud Antonium Martarellum 1641. in 4.

FRANCISCUS GRAUINA nobilissimus Panormitanus, Fabritii, & Contissæ Gravinæ filius. Vir ab egregiis animi dotibus in equestri ordine clarissimus. Historica eruditione, & antiquitatum cognitione satis ornatus enituit: literarum, ac literatorum æquè amantissimus effulsit. Obiit Monteregali annum agens 35. die 30. Augusti 1645. & in Ecclesia Collegii Soc. Jesu sepultus est. Ipsum laudat Franciscus Baronius *in Siculæ Nobilitatis Amphiteatro pag.* 14. Edidit italicè

Vita di S. Venera da latini detta Veneranda, da Greci Parasceve, Vergine, e Martire, e Predicatrice di Cristo. Panormi ex typographia Alphonsi de Isola 1645. in 4.

FRANCISCUS GUELI Panormitanus patre Leonardo Gueli Platiensi natus: hic enim cùm Panormi ingenuam Panormitanam duxisset uxorem, ex ea nostrum Franciscum accepit, qui vix lucem aspexerat cùm Platiam translatus est; hinc ex puerili ætate ibi traducta, Platiensis existimatus: sed verè Panormitanum fuisse, ex multorum relatione, & præsertim P. Francisci Saetta Platiensis Soc. Jesu ejus nepotis, compertum est. Adultâ jam ætate Iurisprudentiæ addictus, Iuris utriusque lauream accepit, cui amœniorum literarum, & præcipuè Poesis studium singulare sociavit. Ingenii elegantiam haud obscurè patefecit Panormi, & Messanæ in Academiis Reaccensorum, Officinæ, & Radicatorum, quibus nomen dedit: in ipsis enim ab ingenii monumentis literatis gratissimus, sæpè cũ plausu auditus est, & sui opinionem excitavit. Decessit Panormi 20. Augusti 1661. & in Ecclesia S. Augustini sepultus est. Reaccensorum Academia sodali suo benemerenti justa persolvit: funebri oratione à P. Raphaele Bileci Panormitano ex Clericis Minoribus laudatus, & ab aliis emeritis encomiis ornatus, 14. Decembris 1661. Ipsum laudant Joannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiensi lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 263. Joseph Galeanus *in Musis Siculis par.* 2. *tom.* 1. *pa.* 234. Ioannes Baptista Vallegius *in carmin.* 42. Placidus Reina *in hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 69. & Angelicus Aprosius, in libro edito sub Pauli Genari nomine, cui titulus: *Vigilie del Capricorno pag.* 292. Edidit italicè

Cariddi placata Panegirico per l'Altezza del Serenissimo Prencipe Eiliberto di Savoja. Messanæ apud Ioannem Franciscum Biancum 1622. in 8.

Poesie. in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina parte prima*. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1656. in 12.

Poesie, in tertia parte eorumdem carminum. Neapoli apud Ægidium Longum 1659. in 12.

Poesie, in quarta parte eorumdem carminum. Ibidem apud Sebastianum de Alecce 1660. in 12.

Poesie, in libro: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina parte terza*. Ibidem apud eumdem 1661. in 12.

Poesie, in libro: *Festosi presagj dell'Accademia degli Abbarbicati per la nascita felice del Prencipe delle Spagne*. Venetiis apud Bodium 1659. in 4. Vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. in Musis Siculis *par.* 2. *tom.* 1. Panormi typis Decii Cyrilli 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnum 1662. in 12. Prælo paraverat

Poesie Liriche.

Galleria. Hoc opus, juxta Ioannis Baptistæ Marini ideam, numeris omnibus absolutum, post ejus mortem obtinuit Abbas Antonius Agraz, qui cum Neapoli decessisset, ad Marchionem del Carpio pervenit: in Hispaniam mox translatum, ibi delitescit, ut ex epistolis Francisco Saetta supra laudato datis patet: hic enim omnia nostri Francisci poemata colligere curabat, ut typis traderet, ac hujus operis exemplum, sibi transmittendum ab Hispania, expectabat: sed cũ Panormo discessisset Saetta, omnia adhuc inedita jacent: abiit enim ad Indicam expeditionem Missionarius pro Catholicæ Fidei amplificatione, ubi in odium Fidei sagittis confossus, brevi temporis lapsu, apostolicos labores gloriosa morte conclusit 2. Aprilis 1694.

FRANCISCVS LA GVZZA Randatiensis Sacerdos, morum integritate, ac doctrinâ conspicuus. In pertractandis animarum negotiis semper adidictus, eximio æstuavit zelo. Messanæ Sodalitii primarii sub Iesu, Mariæque nomine in planitie S. Ioannis diu ferventissimus Moderator, fidelium animos hortationibus suis, ac cœlestibus æternæ vitæ documentis instruxit, & incendit. Apostolica etiam divini verbi prædicatione ad rectè vivendum populos excitavit. Inde Congregationem Oratorii Messanensis ingressus, eamdem Præpositi munere rexit. Ex librorum suorum lectione, mirificam redolentium pietatem, permota Marchionissa Savelli, Romam vocavit Franciscum. Sed cùm ire renuisset, ab Emin. N. Savelli S. R. E. Cardinali iterum accersitur, ibique magnâ æstimatione exceptus est. Romæ nunc inter S. Hieronymi de Charitate Sacerdotes degit, virtutum ornamentis clarus, & in dirigendis ad absolutissimæ perfectionis fastigiũ animabus, impigrè laborat. Quæ ad pietatem fovendam edidit, hæc sunt:

Cor in ore Laudantis, Pœnitentis, Postulantis. In salutatione Angelica, in oratione Dominica, & Confiteor. Opus Latinum, & Italicum. Romæ ex typographia Cameræ Apostolicæ 1698. in 12.

Salve Regina contemplata ad excitandos filiales, confidentialesque affectus erga Virginem, Angelorum Dominam, Hominumque Matrem. Ibidem typis Lucæ Antonii Chracas 1698. in 12. Italicò

Affetti à Gesù, e Maria. Parte prima, e seconda. Messanæ apud Bisagnium 1671. in 4. Cô-

Compendioso Ritratto d' una perfetta Religiosa interna, ed esterna così d'ogn' Anima, che aspira agli avanzi di se. Ibidem typis Vincentii de Amico, operâ Matthæi la Rocca 1682. in 16.

Trionfo della Carità solennizzato dal Crocifisso Amore: esposto à publica utilità di Peccatori, Giusti, Guide, e Predicatori. Con l'aggiunta d'una bella, e nuova forma di Meditatione, e di un potentissimo motivo per impetrare da Dio ogni Gratia. Messanæ ex typographia Vincentii de Amico 1690. in 12. & Romæ apud Mascardum 1692. in 12.

Vergini Angeli Terreni, somiglianze divine &c. come dal Cielo Protettore, così degne d' essere dalla Terra ajutate. Romæ apud Barnabò 1699. in 12.

FRANCISCUS A JESU MARIA Panormitanus ex familia Philippi, Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Anno ætatis suæ 18. ad Ordinis institutū accessit Panormi. Decursis studiorum spatiis scholasticam Theologiā docuit, & apud Fidei Judices Sāctiss. Inquisitionis fuit Consultor. Multa exercuit Ordinis munia: præsertim nonnulla rexit Cœnobia: apud Ordinis Generalem à secretis fuit, ac Siciliæ Provincialis. Obiit Cephaludi an. 1702. Edidit Italicè

Vita del Venerabile servo di Dio Fr. Giuseppe di S. Paulo.

FRANCISCUS INGVARDIOLA Platiensis. Theologus doctissimus, & celebris Ecclesiastes. Pontificia Jura insigniter calluit; ab eruditione, & doctrinâ apprimè laudatus. In Platiensi Ecclesia Præpositi dignitate cohonestatus claruit. Apud Catanenses Episcopos Joannem Torres, & Innocentium Maximum magnâ valuit æstimatione; qui Ecclesiæ Catanēsis Vicarium Generalem, Judicem, & Examinatorem Synodalem delegerunt; ac nonnullis Ecclesiasticis muneribus, & beneficiis cumulatum voluere. Insigni doctrinæ, egregias addidit virtutes, quarum præstantiâ omnium amorem sibi conciliavit. Panormi decessit 11. Novembris 1638. & in Ecclesia Capuccinorum sepultus est. Hujus meminit Ioannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiensi lib. 4. cap. 2. pag. 261.* Edidit Italicè

Predica delle lodi di S. Agata. Catanæ apud Jo: Rossi, & Franciscum Petrone 1624. in 4.

Alia scripsit multa, sed inedita latent.

FRANCISCVS INTORCETTA Platiensis Societatis Jesu, natus anno 1623. Societati adscriptus est anno 1639. in qua solemnia quatuor vota nuncupavit. Magna cum ingenii laude in Panormitano Collegio Rhetoricam docuit; Philosophiam verò Drepani, eâ discipulorum utilitate, ut ne dum doctrinâ informaverit; verùm etiam ad virtutes amplectendas mirum in modum excitaverit: ideoque ex ejus schola plusquam quinquaginta ad illustrandam regularem disciplinā, variorum Ordinum instituta sint amplexi. Theologiam etiam tum scholasticam, tum moralem per plures annos doctissimè tradidit: & in Catanensi Principe Tēplo septennio præbendæ Theologalis lectiones, singulis hebdomadis publicè docuit. Ob doctrinæ præstantiam, quâ insignitus claruit, nonnullis Præsulibus gratissimus fuit. Camillus Astallus S. R. E. Cardinalis, & Catanensis Episcopus Theologum sibi delegit: & ipsius etiam à confessionibus fuit. Apud Michaelem Angelum Bonadies ejusdem Vrbis Episcopum undecim annis Theologi munere effulsit. Archiepiscopus Panormitanus Joannes Lozanus eodem honore cohonestatum voluit Panormi, ubi diu magna cum discipulorum frequentiâ, ac plausu Theologiam moralem explanavit. In S. Officii Senatu Censorem, & Consultorem egit. Demum morum integritate clarus, & à doctrina laudatus obiit Panormi 28. Aprilis 1682. Hujus meminit Bibliotheca Soc. Iesu *pag.* 232. Edidit.

Synodum Catanensem, & Instructionem ad reformandos Ecclesiasticorum mores juxta Concilii Tridentini, & novissimè Sacrarum Congregationum, Pontificumque præscripta. Catanæ typis Iosephi Bisagni 1668. in 4.

Inscriptiones, & Emblemata pro triumphali S. Rosaliæ festo Panormi celebrato annis 1653. 1655. & 1656. editas cum Relatione solemnitatū, quarū primā typis tradidit Hyacinthus Maria Fortunius. Panormi apud Buam 1653. in 4. Secundam Nicolaus Delphinus. Ibidem apud eumdem 1655. in 4. Tertiam Alphonsus Salvus. Ibidem apud Petrum de Isola 1656. in 4.

Italicè suppresso nomine

Brieve Ragguaglio della Vita di S. Aniano Scarpinaro Vescovo, e poi Patriarca di Alessandria. Messanæ 1648. & Panormi apud Augustinum Epirum 1696. in 8.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Societatis Iesu hæc ejus opera m. s. servantur.

Logica. Physica. Mathaphysica. de Incarnatione. de Deo. Italicè

Vita di Suor Remigia Maria Parisi, è Scammacca.

FRANCISCUS IOANNELLUS Messanensis Grammatices professor clarissimus: à Constantino Lascari græcis literis eruditus, & humanioribus studiis apprimè instructus; Messanæ Grammaticæ præcepta docuit magnâ discipulorum frequentiâ: Hinc haud exiguam assequutus est laudem. Floruit propè annum 1470. Hujus meminit Placidus Reina *tom. 2. hist. Messan. pag.* 47. Scripsit

Grammaticæ Præcepta.

Extat ejus

Epistola apud citatū Reinā *ad Bernardū Riccium.* Hic Messanensis Grammaticus alius est à Francisco Joannello Calabro Terranovano, qui *Silvam Satyricam Leoni X. inscripsit de conquestione temporum Christianæ Religionis: & alia:* de eo Petrus Angelus Spera *de nobilit. Professor. Gramm. lib. 4. pag.* 341.

FRANCISCUS JOJVSIENSIS Ord. Strictoris Observantiæ S. Francisci, vir doctrinâ, & eruditione insignis. Scholasticam Theologiam sodales suos docuit Romæ, ubi à secretis fuit Generalis Ordinis sui. In Generalibus Ordinis Comitiis Romæ coactis 10. Iunii 1628. Definitor Generalis electus, sui æstimationem excitavit. De eo Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 572. & cap. 2. pag.* 481. qui scripsisse testatur Italicè Vo-

Vocabulario de' Nomi, e Verbi assai più copioso del Calepino. in fol.

FRANCISCVS ITALIA Panormitanus Musicæ artis peritissimus. Claruit anno 1610. Scripsit musicis modulis concinenda

Responsoria Feria Quinta, Sexta, & Sabbato Sancto Majoris Hebdomadæ. Panormi typis Angeli Orlandi, & Decii Cyrilli 1614. in 4.

FRANCISCVS LATIVS Alcamensis Sacerdos, vir pietate, ac vitę innocentiâ præclarus. Eximiâ liberalitate Alcami Ecclesiam cultui Angelorum Custodum dicatam excitavit. Honestarum etiam mulierum gynęceum, sub Divę Franciscæ Romanæ disciplina militantium fundavit. Virtutum ornamentis insigniter instructus effulsit circa annum 1670. Hujus meminit Petrus Antonius Tornamira *de Monialibus Oblatis cap. 2. pag.* 121. Edidit Italicè

Fiori Spirituali in honore del SS. Sacramento, Santi Angeli Custodi, e S. Benedetto. Panormi apud Buam, & Camagnam 1667. in 12.

FRANCISCVS LEONTINUS Syracusanus, primùm Sacerdos, ac Sacrę Theologię Doctor floruit, doctrinâ, & eruditione conspicuus. Musas impensè coluit, multaque cum literatorum laude cecinit in Reaccensorum Academia adscriptus. Panormũ diu coluit, & capellani munere Societatis Deiparæ in Cœlum Assumptæ cohonestatus fuit. Inde Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis institutum amplexus, inter ipsos doctrinâ, morumq: integritate ornatissimus inclaruit. Domum Scillę, ac Professorum Romæ non sine prudẽtiæ nota gubernavit. Obiit tandem Messanę 20. Decẽbris anno 1685. Edidit

Opusculum manuale de Privilegio suscipiendi Sacros ordines extra tempora Religioni Cler. Reg. Ministr. Infirmis concesso, omnibus Religionibus communicantibus valdè plausibile. Messanę ex typographia Vincentii de Amico 1682. in 12.

Italicè

Il Christo condennato Tragedia. Messanæ typis Pauli Bisagni 1673. in 8.

Et dum in sęculo degebat etiam

L' Endoro Tragedia Sacra Pastorale, con un trattato prattico dell' uso di rapresentarsi sul palco qualsivoglia dramma. Panormi apud Nicolaum Buam 1656. in 12.

FRANCISCVS LONDRES Panormitanus, ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci: aliquando Regularium more dictus à Castronovo; nam Panormi ortus, in oppido Castrinovi ordinis institutum amplexus est, à quo cognomine accepto, aliquando vocatus est; ut ipsemet fatetur in epistola ad lectorem libri inscripti: *Mensa Sacra.* Vir doctrinâ & eloquentiâ insignis, Philosophiam, ac Theologiam sodales suos docuit, primum Lectoris Generalis, inde Lectoris Jubilati titulo cohonestatus. Conciones habuit eruditione refertas non sine ingenii laude. In Provincia Vallis Mazariæ Definitorem egit. Panormitanum Cœnobium S. Antonini rexit: ac Provinciam Septem Martyrum Visitatoris munere perlustravit. Obiit tandem Panormi in eodem Cœnobio S. Antonini anno 1675. De eo vidè Petrum Tognolettum *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 572. cap. 7. pag. 590. & cap. 12. pag. 594.* Edidit

Magnum humanæ conscientiæ Theatrum ad hominum cujusque status conscientiam pertinens, serie alphabetica dispositum. Tomi primi comprehendentis literam A. Partem primam. Panormi ex typographia Bossii 1669. in fol. Italicè

Avvento sacro, e feste occorrenti. Ibidem apud Petrum de Isola 1652. in 4.

Mensa sacra, Ottava del Santiss. Sacramento dell' Altare. Ibidem apud hæredes Iacobi Maringo 1656. in 4.

Sacro Paradiso Mariale per l'espettatione del Parto della Santiss. Vergine Maria, con il sermone della Natività del Signore. Ibidem apud Petrum de Isola 1653. in 4.

Delle Prediche Quaresimali Parte prima. Ibidem apud Augustinum Bossium 1664. in 4.

Secundæ partis majorem partem excusam jam habemus; sed auctor morte præventus absolvere haud potuit.

Edenda reliquit:

Dell' Arbore, & habito Francescano Ragguagli due. ms. s. in 4. & alia.

FRANCISCUS MAGIUS Castriveteranensis: Musicę studiosus, ita modulationibus suis aurium voluptatem expandit, ut nominis sui fama in præcipuis Italiæ civitatibus excitaverit. Claruit anno 1670. Edidit Italicè

Sacra Armonia, e musicali concenti à due, tre, quatro, e cinque voci, con una Messa à cinque concertata. Mediolani ex typographia Fratrum Camagni 1670. in 4.

FRANCISCUS MAGRETTI Pactensis, privilegio Panormitanus: ab adolescentia ingenii excellentiam Iurisprudentiæ dicavit; ac Doctoris laureâ insignitus, ob egregiam, quâ abundè excelluit, doctrinam, in supremis Siciliæ subselliis primarius causarũ patronus evasit: ac amplissimũ sibi nomen comparavit: ideoque ad emeritas dignitates evectus est. In Panormitano Prætorio Judex, justitiæ partes summâ integritate exercuit. Exinde immediatè Concistorii Sac: Reg. Conscięntiæ Judex, Regiusq: Consiliarius effulsit. A Siciliæ Proregibus pluries armorum Dux, ad omnes causas cognoscendas, cum omnimoda potestate in gravissimis Regni negotiis electus est. Cùm autem ad alia dignitatum fastigia properaret, vivere desiit Panormi 20. Augusti anno 1672. & in Ecclesia S. Mariæ Agonizantiũ sepulturæ traditus est. Ipsius meminit Franciscus Strada in libro *quietationum pag.* 18. Edidit

Juridicas Controversias in causa taxationis dotium de paragio, unicâ decisione resolutas per Regiam Curiam Prætor. Felicis Urbis Panormi. Panormi typis Didaci Bua 1665. in fol.

Observationes illustratas Decisionibus ad Constitutiones Pragmaticales Ill. D. D. Francisci Cajetani Ducis Sermonetæ. Ibidem apud Buam, & Camagna 1668. in fol.

FRANCISCVS MAJORANA Panormitanus, vir

vir poesi, & amœnioribus literis satis excultus. Obiit Panormi circa annum 1647. In publicam lucem protulit Italicè

Brieve discorso, e divote Rime sopra il nome di S. Rosalia. Panormi apud Ioannem Antonium de Franciscis 1625. in 4.

La Moglie odiata Comedia. Ibidem typis Decii Cyrilli 1617. & 1637. in 12.

Della SS. Passione di N. S. Giesù Christo Rappresentatione in verso. Ibidem apud Petrum Coppola 1644. in 12. & apud Andream Colicchia 1662. in 12.

L'Huomo ostinato, e suo infelice fine. Ibidem apud Petrum Coppola 1647. in 12. opus posthumum.

FRANCISCUS MANNELLI Panormitanus Sacerdos, natus 9. Decembris 1664. florentissimas ingenii dotes literarum studiis apprimè addixit: ideoque non vulgari doctrinâ, & eruditione se ipsum locupletavit. Eloquentiam præsertim coluit: pluries è suggestu auditus Panormi, non sine literatorum plausu. Astronomicis etiam disciplinis operam dedit, quibus sui æstimationem excitavit. Vivit Panormi dum hæc scribimus anno 1706. Edidit Italicè suppresso nomine

L'Aquila d' Oreto alla nuova Stella del Vaticano S. Gio: di Dio. Trionfi festivi nella Chiesa de' RR. Padri Fate ben Fratelli di Palermo sotto titolo di S. Pietro in Vinculis à 8. di Marzo 1691. Panormi typis Iacobi Epiro 1691. in 8.

FRANCISCUS MARCHESIUS Panormitanus Sacerdos, lucis usuram accepit 19. Maii 1656. Ingenii elegantiâ insigniter munitus, ab ineunte ætate literarum studia eo animi ardore amplexus est, ut exactis Philosophiæ, ac Theologiæ spatiis, egregiâ doctrinâ abundè ditatus effulserit. Inde ad Jurisprudentiæ facultatem se vertit, ac Doctoris laureâ donatus, summis doctrinæ, & eruditionis ornamentis se cumulatè insignitũ detexit. Sed ferventius morali Theologiæ, ac Pontificiis Juribus operã dedit: tantâq; animi cõtentione ad hæc studia se contulit, ut in evolvẽdis libris integras persæpè noctes insomnes contriverit. Anno 1684. vix sacris initiatus à Ferdinando Bazan Archiepiscopo Panormitano nonnullis muneribus fuit cohonestatus; nam primùm Promotor Fiscalis ad processus extruendos pro beatificatione Venerab. Vrsulæ Santini monialis in Monasterio Panormitano S. Juliani, & Venerab. D. Hieronymi Palermo Panormitani, Ecclesiæ Panormitanæ Canonici, electus fuit. Nonnullarum etiam Ecclesiarum curam ipsi demandavit, ut in illis Deputati, ut ajunt, munere præesset. Inde idem Archiepiscopus in suum eleemosynarium, & intimi cubiculi à secretis cooptavit: annò verò 1690. meritis, exigentibus, ut Canonicus Ecclesiæ Panormitanæ, & Abbas Commendatarius S. Joannis de Eremitis eligeretur impensè curavit. Experimentis ab eodem Antistite probatis eximii viri doctrinâ, singulari prudentiâ, consilii maturitate, & in rebus agendis dexteritate, ad graviora ipsius negotia peragenda fuit advocatus, quæ summâ felicitate semper absolvit: ideoque meritò Præsulis oculatissimi benevolentiam, ac singularem æstimationem sibi cõparavit: eamq; honorificentissimis muniis subsequẽtibus nõ obscurè Antistes detexit. Anno 1696. in Archiepiscopali foro Fisci Patronum delegit: Judicem, & Examinatorem Synodalem constituit, & Visitatoris munere cohonestatum voluit. Anno 1697. Romam misit, ut nomine suo sacra limina visitaret: ibique magnis æstimationis argumentis à Præsulibus, S. R. E. Cardinalibus, præsertim à Thoma Maria Ferrari, & ab ipsomet Põtifice Innocentio XII. exceptus est. Defuncto Præsule in memorato Fisci Patroni munere confirmatus claruit. Francisco de Iudice S.R.E. Cardinali, Siciliæ Moderatori, & Archiepiscopo Mõtisregalis, gratissimus fuit, qui conceptam nostri Francisci prçclaram opinionem, honorificentissimè cõfirmavit: ab eo enim Diœcesis suç Visitator electus est: eiq: Vicarias Sedis suç curas commisit. Hinc eamdem sibi demãdatam provinciam peregregiè excolere videmus: & animarum commodis, amplissimç dignitatis splendori, insigni curâ invigilans; in promovendis, fovendisque literis, virtutibus excitandis, vitiis eradicandis, singularc ipsius studium elucet, quo mirificè omnium oculos in sui obsequium attrahit. Panormi etiam & alibi à literatis, Prçsulibus, Dynastis, ac primariis Regis Catholici Ministris, magnâ semper çstimatione prosequutus est. Inter Academicos Pigros Barii, & Incuriosos Rosciani recensitus effulget: & in Academia Iuris Canonici, quam laudatus Archiepiscopus Panormitanus in proprii palatii çdibus excitaverat, adscriptus; eruditionem, doctrinamque eximiam patefecit. Viros literis, & optimarum artium studiis excultos unicè dilexit, ac benevolentiç officiis semper complexus est: ideoque sçpius ad hanc Siculam Bibliothecam adornandam, & numeris omnibus absolvendam, torporem persçpè meum excussit, ac fractos nimio labore vires hortationibus suis instauravit, ne amplius Siculorum Scriptorum virtus silentio involuta delitesceret. Nunc superstes vir insignis, doctrinâ, ingenio, virtute, aliisque egregiis animi dotibus effulget. Ipsum laudant Stephanus Abbas *in Theologia Principis cap. 17. dub. 5. n. 1. pag. 362.* Andreas Perruccius *in diario de Gestis Philippi V. Catholici Regis, in epist. nuncupatoria*, Auctor operis inscripti: *Galleria di Minerva tom. 4. par. 11. pag. 223.* Felix Potestà *in Examine Ordinandorum n. 328.* Vincentius Auria *in Chronolog. Archiep. Panormi in calce hist. Crucifixi Panormit. pag. 231.* sed omnino videndus vir omni laudum præconio major Hyacinthus Gimma *in Elogiis Academicis Societatis Incuriosorum Rosciani p. 2. elog. 44. à pag. 183.* Edidit librum inscriptum

Sacerdos in Villa. Enchiridion Theologiæ Moralis, includens Resolutiones casuum conscientiæ, qui præsertim Sacerdotibus in Villis cùm Missionum causâ, tum ad animi oblectamentum, tum denique pro animarum cura gerenda occurrere possunt, circa tractatus de Sacrificio Missæ, & mirabili Eucharistiæ Sacramento. Panormi typis Iosephi Gramignani 1698. in 12. & iterum cum Addictionibus ibid.

apud

apud Dominicum Cortesium 1706. in 12.
Quæ evulganda scripsit, hæc sunt:
Sacerdos in Villa Pars Secunda.
Sacerdos in Sacro Lyceo, sive discursus Academici, quos habuit in Academia Sacrorum Canonum Ill. D. Ferdinandi Bazan Archiepiscopi Panormitani.
Praxis Curiæ Archiepiscopalis, & Ecclesiæ Panormitanæ.
Addictiones ad Notitiam Ecclesiæ Panormitanæ Abb. D. Rocchi Pirri.
Addictiones ad Hierolexicon Dominici Macri.

FRANCISCUS MARIA ARENA Messanensis, Patritio exortus genere, emenso studiorum curriculo, ingenium ab elegantia conspicuum Poesi dicavit, & nonnulla cum laude cecinit. Ipsum laudat Placidus Reina *in not. histor. Messinæ par. 2. pag.* 513. ex quo anno 1668. jam defunctum colligimus. Edidit Italicè
Diceria Sacra di Alberto Picciolo. Messanæ apud Petrum Bream 1632. in 4.

FRANCISCVS MARIA BILLECI Panormitanus, utriusq; Juris Doctor, qui gravioribus studiis, ad animi oblectamentum, Musarum delicias sociavit. De eo Ioseph Galeanus *in Musis Sicnlis par. 2. tom. 1. pag.* 243. ibique habes vernaculâ linguâ
Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12, & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

FRANCISCVS MARIA CIRINVS nobilis Messanensis ex antiquissimis S. Basilii, & oppidi S. Stephani Dynastis, natus Patre D. Thoma Cirino oppidi S. Stephani Barone, & D. Maria Marullo 11. Novembris anno 1646. Cùm literis strenuè operam navasset, ob eximias ingenii dotes, inter doctissimos est adnumeratus, ac Jurisprudentiæ lauream obtinuit Messanæ. Causarum Patronum non sine laude egit: & ad emeritos honores in Regnis Siculo, & Neapolitano evectus est. Messanæ bis Iudicis dignitatem accepit. Neapoli septennio in Magna Curia Vicariæ Iudex claruit: exinde semel in Siculo Tribunali Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & bis in supremo Magnæ Regiæ Curiæ itidem Iudex, Regiusq; Consiliarius præfuit. Pluries ab oculatissimis Siciliæ Proregibus Commissarii Generalis titulo insignitus cum omnimoda potestate delegationem contra sontes, & excursores exercuit. Laudabiliter etiam jus dixit in Regiis Panormi Teloniis, vulgò *dogane*, ex regio privilegio perpetuus Iudex. His in muneribus semper mirificè effulsit ejus ingenii sublimitas, prudentia, utriusq: juris doctrina, ac non vulgaris eruditio: demirata doctissima consilia, in rebus agendis solertia, intemeratus justitiæ cultus. Dum hæc scribimus anno 1706. Messanæ vivit. Inter gravissimas tribunalium curas calamo non pepercit, edidítq;
Nexum rerum ecclesiasticarum Jurisdictionalium, in quo quamplurimæ absolvuntur hæsitationes, quæ crebrò excitari assolent inter sæculare, & Ecclesiasticum Imperium, ac inter ipsas Ecclesiasticas Potestates. Panormi typis Ignatii Calatro 1700. in fol.

Allegationes pro D. Josepho Romano. Messanæ in fol.
Prælo parat
De Clericatu quandoq: amittendo.
Disquisitiones Criminales.

FRANCISCUS MARIA GRAPHEUS Pactensis: ex Stephano Mauro *in sua Messana cap. 9. pag.* 69. edidit
Orationem de S. Febronia Cive, & Protectrice Civitatis Pactarum.

FRANCISCUS MARIA JOANGRANDIS MVSARRA Messanensis Doctor, vir politioribus literis excultus, Officinæ Academicus. Edidit Italicè.
Il Sole in Vergine discorso Accademico sopra la Sacra Lettera di Maria Vergine scritta a' Messinesi. In libro: *Prose degli Accademici della Fucina libro secondo.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

FRANCISCUS MARIA DE LEONE Messanensis Societatis Iesu, natus anno 1623. Societatem amplexus est 11. Octobris 1637. in qua sollemnia vota emisit 6. Augusti 1656. Philosophiã, docuit, doctrinâ, ac virtute clarus. Venetiis summa æstimatione prosequutus, ipsum tamquam doctrinæ oraculum consulabant. Obiit Spoleti circa annum 1680. Hujus cum laude meminit Placidus Reina *in not. histor. Messana par. 2. pag.* 514. Edidit Italicè.
La Carta di Navigare. discorso nella solenne festa della lettera scritta da Maria Vergine a' Messinesi fatto nel Duomo di Messina l' anno 1658. Messanæ apud hæredes Petri Brea 1658. in 4.

FRANCISCUS MARIA MAGIUS Panormitanus Ordinis Clericorum Regularium decus, & ornamentum, à doctrinæ splendore, vitæ sanctimoniâ, ac egregiis editis facinoribus undique venerabilis. Preclariora ejus gesta in pauca contrahã, ac cursim delibabo, cuncta enim laudabiliter patrata justam volumen explerent. In lucem editus Panormi anno 1612. natus ex Bartholo Magio Jurisconsulto satis docto, qui omnes doctrinæ suæ vires in pauperes propugnandos impendit, ac non sine sanctimoniæ fama decessit; & ex Vincentia Iveglia, eximiæ probitatis muliere, celeberrimi Hieronymi Iveglia (de quo suo loco) filia. A teneris adhuc annis sanctè educatus, inde præclaram ingenii indolem humanioribus literis admovit. Divino impellente spiritu Ordini Clericorum Regularium nomen dedit Panormi in æde D. Iosephi, 15. Iunii 1631. ubi solemnia emisit vota 17. Octobris 1632. Cùm in regulari observantia, & virtutibus egregiè profecisset, sub eximia Venerab. P. D. Petri Giardina Panormitani, viri sanè apostolici, disciplina; exactis cum ingenii præstantissimi laude philosophicis, ac theologicis spatiis, in animarũ salute promovenda mirificè exarsit: ac ut omnes animi sui vires hoc in negotio admoveret, ferventissimis precibus enixè petiit, ut ad Missionem Orientalis Iberiæ admitteretur, ac obtinuit: à sacra enim Congregatione de Propaganda Fide, unà cum aliis electus anno 1636. ut Provinciam illam Clericis

Regularibus non multò antea demandatam excoleret. Hinc ex Italia solvens in illa apostolica expeditione, per immensos itinerum labores, cum nivium sævitia, cæli inclementia, viarum incommodis, ac barbarorum vexationibus colluctando, tandem in Orientales plagas, nempè Iberiam, Syriam, Arabiam, Persidem, Armeniam, Colchidem, aliasq; remotissimas regiones, usq; ad inhospitas Caucasi rupes infractâ animi constantiâ penetravit. Ut omnibus prodesset, linguarum orientalium leges, quæ in Georgiæ regionibus, & apud Turchas, Arabesque audiuntur, magno labore didicit, ac perfecit. Ibi diu, noctuque immensis exantlatis laboribus, uberrimam animarum messem collegit: innumeros enim in fide Evangelii prædicatione roboravit, instruxit: multos baptismatis aquis regeneravit: multorum errores detexit: doctissimis disputationibus multorum hæreses expugnavit. Goridem præsertim, Colchidem, Gurielem, ac omnes Georgiæ Provincias excurrendo, Evangelii face incolas, ignorantiæ tenebris involutas, illustravit: ac integram quandoque Provinciam ad catholicam veritatem perduxit. At quæ Apostolicus fanè vir in difficillima Missione ad animarum profectum, & veri Numinis gloriam, sæpè cum magno vitæ discrimine perpatravit, ne instituti mei limites excedã prætereo: hæc leges apud Josephum Silos *in hist. Cl. Reg. par. 3. lib. 5. pa. 150. & seq. l. 6. pa. 175. & seq.* Archangelũ Lambertũ in libro: *Colchide Sacra cap. 37. pag. 317. & seq. & cap. 42. pag. 344. & seq.* & præcipuè apud Bartholomæum Ferrum, eruditione, & doctrinâ eximium, *in hist, Missionũ Cleric. Regularium* nuper edita, qui latè omnes Magii labores enarrat, præsertim *tom. 1. lib. 2. cap. 24. pag. 265. cap. 26. à pag. 283. & seq. cap. 27. à pag. 288. & seq. cap. 28. à pag. 302. & seq. lib. 2. cap. 6. pag. 384. & seq. & 389. & seq.* Sed cùm ibi quinquennio moram protraxisset ad animarum lucra ferventissimè intentus, superiorum jussu Theodosiam missus, ut ea in urbe Clericorum Regularium domicilium excitaret; hac ex causa Constantinopolim digressus est, ubi ab Ordinis Generali, & à Sacra Congregatione de Propaganda Fide jussus est, ut se sisteret, & domum pro Clericis Regularibus vel ibi degentibus, vel eò transeuntibus, fundaret unà cum Angelo Verricello Cler. Reg. viro celeberrimo. Ibi ab Aloysio Contareno præclarissimo, piissimoq; viro, pro Veneta Republica ad Turcharum Imperatorem Oratore, honorificè pertractatus est: cui cùm novus successisset Orator Religiosorum hominũ minimè studiosus, non modò domũ quã excitandam curabant, non permisit, verùm etiam Magium, & Vercicellum Italiam repetere coegit. Hæc vera causa, quòd in Italiam magno animi dolore Magius regressus sit; non ex diuturno morbo ibi contracto, ut ex falsa relatione literis mandavit Ioseph Silos *in histor. Cleric. Regul. par. 3. lib. 12. pag. 566.* (quem sequitur Ferrus citatus *lib. 2. cap. 6. pag. 389.*) nam hujus lapsum ipsemet Magius notavit *in epist. ad lectorem*, quam in opere *de sacr. Caremoniis præfixit num. 7.* & P. D. Franciscus Maria Lucchesius in calce Calatei Religiosi ipsius Magii *pag. 497.* Hinc Messanam cùm pervenisset, Romam à Sacra Congregatione accersitus, ejusdem jussu volumen linguarum Orientalium (in quarum studio egregiè profecerat) ad Evãgelii præconum utilitatem typis tradidit, magnâ nominis sui celebritate. Inde totus fuit in promovendis Ven. Ursulæ Benincasæ Cœnobiis, eaque impigrè omnibus animi sui nervis excitare curavit. Hinc immenso labore, & non rarò multis adversantibus oppugnationibus, ejus operâ fundatum est Panormi Monasterium S. Juliani Monialium Teatinarum anno 1651. & Neapoli etiam Eremum Virginum Teatinarum: idque ipsius precibus, ac studio regiâ ædificiorum magnificentiâ omnibus numeris absolvit anno 1669. D. Petrus Aragona Segorbæ Dux Neapolitani Regni Prorex; cujus noster Magius Theologus fuit, ac à sacris confessionibus, & ab eo singulari æstimatione prosequutus. Secessui etiam duodecim Patrum Clericorum Regularium, qui ipsum monialium Eremum moderantur, supremam imposuit manum: ibique omnibus sæculi curis solutus diu vixit, in cœlestium rerum contemplatione defixus; & ad angelicam vitæ perfectionem Cœnobium direxit. Monteregali in Sicilia etiam ejus industria domum Virginum Teatinarum exordium obtinuit. In oppido etiam Siculo Palmæ Monasterium sub instituto D. Benedicti fundatum, prudentissimis editis constitutionibus instruxit, eximiis perfectionis regulis erudivit, ac ad virtutum omnium studium incendit. Egregiis, sanctissimisque virtutibus animum instruxit, quibus ad absolutissimum perfectæ vitæ fastigium ascendit. Humillimos præsertim animi sensus enutrivit, ideoque ab omni dignitate mirificè abhorruit: & nonnisi obedientiæ vi coactus Visitatoris munus, & Syracusanæ domus Præpositum egit, ubi sodalitium divini Amoris excitavit. Cæterum Superiorum jussu tyronibus, ac Ordinis junioribus instituendis Panormi, Neapoli, & Romæ ferè semper incubuit. Etsi meritis exigentibus ad sublimiora vocatus, omnia constantissimè recusavit. Petrum Aloysiũ Carafa S. R. E. Cardinalem, qui ut ad aliquam dignitatem promoveretur strenuè adnitebatur, à proposito dimovere instantissimis precibus curavit. Consultoris Generalis honori in Ordine suo, ac Episcopali Infulæ in Regno Neapolitano, nuncium remisit. Nil illi antiquius, quàm studium dilatandi divini Numinis gloriam: charitatis enim igne semel succensus, cœlesti semper æstuavit amore. In proximorum salute promovenda mirificè exarsit, & formandis hominum moribus omnes ingenii vires addixit: ad virtutes in fidelium pectoribus excitandas, ac fovendas, libros cœlesti sapientiâ, sacrâ eruditione, & asceticis documentis instructissimos edidit. Divini verbi prædicatione animarum negotia promovere curavit. Hæc autem eâ animi contentione protraxit, ut nec senio gravatus à sacrorum librorum scriptione, & à Divini verbi prædicatione cessaverit: & tunc scriptionis, ac prædicationis finem fece-

fecerit, cùm paucis ante obitum diebus, lethali morbo affectus est. In Virginem Deiparam obsequentissimus fuit, eamque suam Magnam Dominam, frequenti appellatione vocabat. De ea multa scripsit, multaque ad ejus gloriam amplificandam patravit. Ab editis libris, à virtutibus præclarissimis quibus longè, latèque refulsit celeberrimus, in sui venerationem omnes excitavit, tum inter Barbaros, tum etiam Panormi, Neapoli, & Romæ, ubi majorem vitæ spatium traduxit. Summâ enim doctrinæ, & sanctimoniæ opinione valuit apud Præsules, Principes, Dynastas, Regnorum Moderatores, Ordinis sui Generales, ac nonnullos S. R. E. Cardinales, apud quos magno æstimationis pondere valuit; ejusque consuetudinem adamare, consilia exquirere, ac amicitię ipsius vincula expetere studiosissimè curarunt. Tandem cùm Panormum remeasset; in Divi Josephi templo singulis festis diebus magnâ populi frequentiâ, conciones habuit: ac licèt instarent multi, ut de more, sacras literas explanaret, attamen de Propositis ad mortem sanctè obeundam semper verba dixit. Idque eo consilio, ut seipsum ad mortem pararet, quam semper sibi proximam proponebat: & non sine rationis pondere conjectare licet, superno lumine de morte vicina pręmonitum fuisse. Hinc statim ac D. Ferdinandus de Bazan ad Ecclesiam Panormitanam regendam venit, nostrum Franciscum accersivit, ut ejus consilio gubernii sui exordia rectę institueret; at ipse cùm gratias optimo Pręsuli egisset, humillimè, ut excusationem admitteret, petiit; non enim ad opportuna suggerenda tempus adesse, ait: ac paucis elapsis diebus cùm graviter ęgrotasset, sanctè ut vixit, vitam absolvit Panormi 12. Junii 1686. Ejus sanctimonię fama magnum populi concursû evocavit; ac triduo insepultus jacuit, ut omnium vota expleret. Cùm autem ejus imaginem pictor exprimeret, admirabili sudore faciem perfusam animadvertit, & illico Urbem terręmotus, non sine omnium metu, concussit. Scriptores permulti emeritis laudibus nostrum Magium exornant, quorum catalogum digessit P. D. Franciscus Maria Lucchesius, & in calce Calatei Religiosi edidit, ad quem lectorem remitto: solùm hic illos addam ibi haud annotatos, vel loca ibi non relata: hi sunt Joseph Silos *in histor. Cler. Regul. par.* 2. *lib.* 13. *pag.* 633. Vincentius Auria *in hist. Crucifixi Cathedr. Eccl. Panor. pag.* 19. 36. & 53. P. Don Petrus Antonius Tornamira *in Juditha Panormitana pag.* 231. P. D. Carolus de Thomasiis *in Passion. Domini tom.* 12. *pag.* 327. P. Petrus Tognolettus *in vita Innocentii Clusensis pag.* 402. Blasius à Purificatione *in vita D. Julii Mariæ de Thomasiis lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 88. & 89. Antoninus Magri *in not: Monast. Basiliani Panor. pag.* 30. Franciscus Marchese *in Sacerdote in Villa cap.* 1. *sect.* 1. *subsect.* 2. *num.* 23. *sect.* 3. *n.* 223. & 310. Antonius Natalis *de calesti conversat. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 648. & *par.* 4. *cap.* 1. *num.* 944. Angelicus Aprosius, sub nomine Joan. Petri Jacobi Villani *in libro: Visiera alzata pag.* 54. Joan. Bonifacius Bagatta *in vita Caroli Thomasii par.* 1. *cap.* 20. *pag.* 132. *cap.* 21. *pag.* 141. & alibi. Quę scripsit fecundissimus Magii calamus hęc sunt, nempè

Syntagmata linguarum Orientalium, quæ in Georgiæ Regionibus audiuntur. Liber primus, complectens Georgianæ, seu Ibericæ vulgaris linguæ Institutiones Grammaticales. Romę typis Sacr. Congr. de Propaganda Fide 1643. in fol.

Syntagmata linguarum Orientalium. Liber secundus, complectens Arabum, & Turcharum Ortographiam, & Turciæ linguæ institutiones. Ibid. 1643. in fol. & iterum ex eadem typographia 1670. in fol. ut habemus ex diario literatorum Romę edito anno 1670. ubi *pag.* 59. haud parum opus celebratur.

De Sacris Cæremoniis circa domus Dei decorem, Salutationem Angelicam, & Ecclesiasticam honestatem, Disquisitiones Rituales, Morales, Asceticæ, & ut plurimùm novæ, Panormi typis Andreæ Colicchia 1665. in fol.

De Sacris Cæremoniis obiri solitis in Dei Templis, ac Monasteriis, præsertim in divino Officio, & Choro, Disquisitiones Rituales, Asceticę, & ut plurimùm novæ. Ibidem typis Augustini Bossii 1666. in fol.

De SS. Pontificis Pauli IV. inculpata vita disquisitiones Historicæ, clarorum scriptorum è Societate Jesu testimoniis explicatæ. Tomus primus. Neapoli typis Novelli de Bonis 1672. in fol.

De Ritibus incolendæ solitudinis, sive secessus ad exercitia spiritualia quot annis semel, aut frequentius ineundis, Disquisitiones Asceticæ. Tomus primus. Ibidem apud eumdem 1675. in fol.

De Praxi incolendæ solitudinis, sive recollectionis in ea ad dies aliquot spiritualibus exercitiis obeundæ, Disquisitiones Asceticæ, Tomus alter. Ibidem apud eumdem 1675. in fol.

Calateus Religiosus, actus dedecentes, & indecoros enumerans, ab omni sacro Deo Homine procul eliminandos. Panormi apud Coppolam 1684. in fol.

De iis, quæ Religiosis Ordinibus, Eremitici, sive arctioris Cænobii constructionem suadent, Disquisitiones Parænetica. Pars prima. Romæ typis Ignatii de Lazaro 1661. in fol. Hujus operis Pars secunda Apologetica, in qua omnia à tepidis Religiosis contra hæc Cœnobia objecta, vana esse demonstrantur, servatur m. s. cum aliis Auctoris operibus etiam m. ss. Panormi apud Clericos Regulares.

Rosarium B. Mariæ Virginis, juxta Sanctorum Evageliorum Historias, & alia sacrarum scripturarum loca, egregiè olim concinnatum, atque dispositum, nunc verò Parergis aliquot, & Animadversionibus auctum. Quibus ut plurimùm quicquid in eo de Deipara astruitur, ad ejus Immaculatæ Conceptionis fidem firmandam, & singulare adeò privilegium extollendum, Sanctor. Patrum graviumq: Doctorum, præsertim PP. Prædicatorum calculis explicatur. Panormi apud Andream Colicchia 1665. in 4. & Neapoli apud Novellum de Bonis 1676. in 4.

Præsagia, & insigniora aliquot Gesta Pontificum Romanorum, qui XVI. & XVII. sæculo floruerunt. Neapoli typis Novelli de Bonis 1677. in 4.

Duodecim Stellæ B. Mariæ Virginis, sive duodecim Privilegia ejus Immaculatæ Conceptionis, Sanctor, Pa-

Patrum, graviorumque Doctorum calculis explicata. Neapoli apud eumdem 1676. in 4.

Specialis, ac propria S.Cajetani, & ab eo conditi Ordinis Clericorum Regularium laus. Neapoli apud eumdem 1674. in 4.

Corona Stellarum duodecim, sive duodecim prærogativæ ferè insigniores, ac singulares, quæ S.Caetani Caput, ejusque Ordinem mirificè decorant, & illustrant. Neapoli apud eumdem 1674. in 4.

Rituale Theatinum sanctimonialium, ac Virginum in Eremo, & Congregatione degentium sub titulo Immaculatæ Conceptionis. Antuerpiæ apud Jacobum Maursium 1650. in 4.

De Cœnobio Neapolitano Monialium S. Andreæ à Paulinæ domus Clericis Regularibus condito. Panormi typis Alphonsi, & Petri de Isola 1646. in 8.

Carmelus Marianus, sive Carmelitana, & Eliana Religio, à Deipara Maria Virgine quammaximis beneficiis illustrata. Neapoli apud Novellum de Bonis 1677. in 8.

Societas Jesu Mariana, sive à Deipara Maria Virgine insignioribus aliquot beneficiis mirificè præstitis, illustrata. Neapoli apud eumdem 1677. in 8.

Nomina, & Elogia, quibus Viri clarissimi ex omni genere Societatum Jesu honorificè appellant. Neapoli apud eumdem 1677. in 8.

De Memorabilibus aliquot gestis D. Aloysii de S. Severino Bisignani Principis. Neapoli ex typographia Ægidii Longo 1679. in 8. sub anagrammatico nomine Jo: Franc. Amagrima.

Apparatus, & Hebdomada B. Mariæ Virginis Deiparæ sacra. Sive modus, quo homo quidam Religiosus, sub B. Mariæ Virginis auspicio, & cum participatione cunctorum Ordinum tam vivere, quàm mori desideravit. Neapoli apud eumdem 1679. in 8.

De Vitæ gestis Ven. servi Dei P. D. Josephi à Matre Dei Aragonensis, Mariani Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei scholarum piarum Institutoris. Neapoli ex typographia Franc. Benii 1680. in 8.

Ad Reverendiss. P. D. Stephanum Medices Congregationis Cleric. Regul. Præpositum Generalem, de P. D. Jacobo de Stephano Cler. Regul. Relatio. Coloniæ 1643. & Romæ apud Cavallum 1643. in 12.

Recessus ad exercitia spiritualia. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1654. in 12.

Praxis exercitiorum spiritualium. Romę apud eũdem 1656. in 12. hæc duo opera nempè Recessus: & Praxis recognita, & magna accessione locupletata, recusa sunt in libro *de Ritibus incolendæ solitudinis*, supra recensito.

Centum disquisitiones Asceticæ, vel Morales de Religiosorum Hominum Mensa. Romæ apud eumdem 1656. in 12.

Vita Ven. Matris Dei Ursulæ Benincasa Virginis Neapolitanæ ex Ordine B. Caetani clarorum virorum Elogiis intexta. Panormi apud Decium Cyrillũ 1645. in 8. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1654. in 12. & Bruxellis typis Martini de Bossua 1658. in 8.

Eminentiss. Principi F. D. Gregorio Carafæ, in Magnum Hierosolymitani Ordinis Equitum Magistrũ electo; Patrum Clericorum Regularium Gratulatio. Neapoli typis Franc. Benii 1680. in 12.

Eminentiss. Principi F. Vincentio Mariæ Ursino S. R. E. Cardinali Neapolim adventanti Patrum Cler. Regularium Gratulatio. Neapoli apud Ægidium Longum 1680. in 12.

Oratio ad Patres in Generali Capitulo congregatos. Neapoli apud Novellum de Bonis 1677. in 12.

Testamentum spirituale. Neapoli per Jo: Franc. Paci 1678. in 16.

S.Maria de Providentia multorum scriptorum elogiis illustrata. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1654. in 12.& Neapoli apud Novellum de Bonis 1675. in fol.

Ad quid Sacrista Major Regii Sacelli Neapolitani teneatur erga Capellanum Majorem. Neapoli typis Novelli de Bonis in 12.

An Religiosorum Hominum Cœmeterium Cœmeterio sanctimonialium possit esse contiguum, & solo muro in medio constructo divisum. Neapoli apud eumdem in 12.

Informatio de secessu Neapolitano. Neapoli apud eumdem in 12.

Forma tradendi scapulare cœruleum. Neapoli typis Novelli de Bonis 1671. in 12.

Relatio de Monasteriis, & Regulis Virginum Theatinarum. Messanę apud Dominicũ Costa 1682. in 12.

Proposita bene moriendi juxta D. N. Jesu Christi sanctissimam disciplinam, ac mortem, sacrarum scripturarum oraculis, ac piorum doctorum monitis, explicata. Panormi typis Petri Coppola 1686. in 4.

Devotus, & supplex ad Sancti Caetani pedes. Neapoli apud Novellum de Bonis 1672. in 4. & Romæ apud Iacobum Dragondellum 1674. in 12.

De fundatione Eremi Sanctimonialium Theatinarum. Neapoli apud Io: Franciscũ Paci 1669. in 4. Italicè verò

Vita della Ven. Madre Orsola Benincasa Neapolitana originale da Siena dell' Ordine del B. Gaetano, Fondatrice delle Vergini della Congregatione, e dell' Eremo dell' Immaculata Concettione. Panormi apud Decium Cyrillum 1646. in fol. sub nomine Didaci Garcia de Trasimera, & Romæ typis Ignatii de Lazaris 1654. in fol. cujus vitæ Partẽ Secundã cũ Panormi typis Andreæ Colicchia anno 1666. in fol. ederet, ob ejus discessum haud absolutam remansit.

Vita, e Morte del Ven. Padre F. Alipio di S. Giuseppe Scalzo di S. Agostino Palermitano della Congregatione d' Italia. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1657. in 4.

Sermoni sopra la vita, e morte di S. Gaetano recitati dall' Autore in S. Paulo Maggiore (di Napoli) *nella Canonizzatione del medesimo Santo.* Neapoli apud Novellum de Bonis 1672. in 4.

Sermoni detti nella Novena di S. Gaetano celebrata in S. Paulo Maggiore, & in altre Chiese, e sollennità della Città di Napoli. Neapoli apud eumdem 1676. in 4.

S. Gaetano a piedi dell' Immacolata Signora: o vero Corona di dodeci Stelle, ò raggioni chiare, e risplendenti à gli occhi di tutti, con le quali si dimostra, che la

la Religion Teatina nella Città, e Regno di Napoli hà segnalatamente in molte maniere promosso il culto dell'Immacolata Concettione. Neapoli apud eumdem 1672. in 4.

Il luogo di Ritiramento unico mezzo per provedere la Chiesa, e tutti gli Ordini d'huomini Apostolici, e Santi, e far rifiorire in essi con facilità la primiera osservanza: overo difesa di tutti i Religiosi che desiderano comodità di Ritiri, Eremi, solitudini, ò più stretti Conventi da viver col dovuto rigore nelle loro Provincie. Neapoli apud eumdem 1674. in 4.

Vita della Ven. Madre Suor Maria Carafa, sorella del Santiss. Pontefice Paulo IV. Fondatrice del Sacro Monistero di S. Maria della Sapienza. Neapoli apud eumdem 1670. in 4.

Vita del Ven. P. D. Giuseppe Caracciolo figlio del Marchese di Casalalbero C. R. Neapoli apud eumdem 1670. in 4.

Componimenti dell' apparato per la solenne fondazione del Monistero delle Teatine Romite. Neapoli apud Jo: Franciscum Paci 1669. in 4.

Fascetto di fiori di affettuose dimostrazioni à onor d' Iddio, del Santiss. Sacramento dell' Altare, e dell' Immacolata Signora. Neapoli apud Novellum de Bonis 1673. in 4.

S. Gaetano ristoratore della Vita Apostolica nel suo Ordine de' Chierici Regolari, celebrato con elogii da gravissimi personaggi, e scrittori degli Ordini più nobili della Chiesa. Neapoli apud eumdem 1676. in 4.

Relatione delle feste celebrate nel 1661. à onore del B. Gaetano Tiene glorioso Patriarca de' Chierici Regolari. Neapoli apud Josephũ Passarum, & Hieronymum Fagioli 1661. in 12.

Relatione delle feste celebrate nel 1662. à onore del detto Santo. Neapoli apud Novellum de Bonis 1662. in 12.

Il Santiss. Crocifisso del Duomo della Città di Palermo portato in processione, ed esposto per le publiche calamità nelle Chiese de' Reu. Padri Chierici Regolari. Panormi apud Decium Cyrillo 1648. in 4. & apud Petrum de Isola 1668. in 8.

La miracolosa Madonna della Providenza, con l'acqua, che scaturisce sotto il suo Altare, e la divozione degli schiavi di Giesù, e di Maria nell'Oratorio della Sciabica dentro al Cimiterio della Chiesa di S. Giuseppe de' Padri Chierici Regolari. Panormi apud Didacum Bua, & Petrum Camagna 1668. in 8. & apud Petrum Coppola 1685. in 8. cum aliquibus addictionibus sub Jo: Franc. Amagrimæ nomine.

Tre Maestri del Mondo, e gloriosissimi Patriarchi di tre segnalate Religioni S. Ignatio, S. Gaetano, e S. Elia, descritti con orationi, e discorsi. Panormi apud Petrum Coppola 1685. in 8. sed concionem S. Eliæ ediderat primùm Neapoli apud Antonium Gramignani 1680. in 12.

La Colomba con l'Ulivo, overo discorsi predicabili, e Accademici in lode dello Spirito Santo, di Cristo, del Santiss. Sacramento, di M. V. del B. Gaetano, e di tutti gl' Instituti della Compagnia del divino Amore de' Cavalieri della Colomba. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1657. in 12.

Relatione all'Illustrissimo Senato della Città di Palermo intorno ad un meraviglioso Monistero Reale di Teatine Romite dell'Immacolata Concezione. Panormi apud Buam, & Camagna 1668. in 8. sub nomine P. Angelici Rampulla Generalis Ordinis S. Joannis de Deo.

Voto, e Giuramento de' Padri Chierici Regolari della Città di Palermo, e devotione de' fedeli à onore del Santiss. Sacramento, e della gran Madre di Giesù Maria V. concetta senza peccato originale. Panormi apud Petrum de Isola 1667. in 8. sub nomine Jo: Franc. Amagrimæ.

Sermone recitato nell' Oratorio della Sciabica nel Cimiterio della Chiesa di S. Giuseppe della Città di Palermo celebrandosi la festa della miracolosa Imagine della Madonna di Providenza, come piamente si crede, portata per mano di S. Giuseppe. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1657. in 12.

Sermoni di S. Maria della Sapienza. Neapoli apud Novellum de Bonis 1675. in 4.

Relazione della miracolosa Imagine della Santiss. Trinità per il cui ajuto promosse la fede nella Georgia Giacomo di Stefano. Messanæ apud Bream 1641. in 16.

Catalogo de' scrittori, che fan mentione di Giacomo di Stefano Messanæ apud hæredes Petri Breę 1655. in 16.

Novena da farsi a onore del B. Gaetano glorioso Patriarca de' Chierici Regolari, con un brieve sommario della sua vita. Panormi apud Jo: Antonium Mandracchia 1655. in 24. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1654. in 16. Mediolani, & alibi.

Rito nell'ingresso, ed abito delle Vergini Teatine nella Congregatione d'Orsola Benincasa. Neapoli apud Novellum de Bonis 1662. in 8.

Considerationi sopra la vita della Ven. Madre Orsola Benincasa dell'Ordine del B. Gaetano. Neapoli apud eumdem 1662. in 8. & Panormi typis Bua, & Camagna 1668. in 8.

Brieve notitia dell' Abitino, ò scapulare dell' Immacolata Concezione, benedetto da' Padri Chierici Regolari. Neapoli apud Novellum de Bonis 1672. in fol.

La festa del sacro Monistero di S. Maria della Sapienza fondato in Napoli dalla Ven. Madre D. Maria Carafa sorella del Santiss. Pontefice Paulo IV. sotto l'abito delli Padri Predicatori. Neapoli apud eumdem 1675. in 4.

Compendioso ragguaglio della vita, morte, e Monisteri della Ven. Madre D. Orsola Benincasa Napoletana, Fondatrice della Congregazion Teatina di 63. Vergini, dell'Eremo Teatino di 33. Monache, e di 7. Converse, e del ritiramento di 12. Sacerdoti de' Padri Chierici Regolari, sotto titolo della Immacolata Concezione. Neapoli apud Joannem Franciscum Paci 1669. in 4. hunc librum prohibuit Sacra Indicis Congregatio, ut ex Indice edito Romæ 1683. pag. 57.

Difesa del gloriosissimo Pontefice Paulo IV. dalle false calunnie d'un moderno scrittore (cioè Sforza Pallavicino) *data in luce da Francesco Velli Napolitano.* Taurini apud Franciscum Ferrofinum in fol. &

Difesa del gloriosissimo Pontefice Paulo IV. dalle nuove

nuove calunnie del moderno scrittore; overo sommario d'una più lunga Risposta all'autore della lettera scritta al Sign. Gianluca Durazzo, data in luce da Francesco Velli Napolitano. Ibidem apud eumdem in fol. larvam detraxit P. Angelicus Aprosius in libro: *Visiera alzata pag.* 54.

Alia etiam scripsit, quæ vel partim edita, sed non dum absoluta, partim m.ss. servantur apud Patres Clericos Regulares Panormi, nempè ex parte impressa hæc sunt:

De Miris gestis, & Institutis, Disquisitiones Historicæ. Panormi typis Petri de Isola 1661. in fol. ad cujus perfectionem aliqua solummodo folia desiderantur.

De Immaculatæ Virginis Conceptione Disquisitiones variæ. Panormi apud Colicchiam 1668. in 4. hoc opus Neapolim evocatus prætermisit ex parte editum, ac multis Disquisitionibus, ac Tractatibus auctum recudere curabat in fol.

Disquisitiones Historicæ de Beata Maria Virgine. Panormi typis Petri Isola 1668. in fol.

Italicè.

Sermoni della Santiss. Vergine. Neapoli apud Novellum de Bonis 1677. in 4.

Opera verò omnia m.ss. jam absoluta, quorum nonnulla à Superioribus approbata sunt, addo, nempè

Acta Ordinis Cler. Regul. Conditorum, Præpositorum, Generalium, & Præsidum.

Epitome Historicum, sive Elenchus clarorum Virorum omnium Ordinis Clericorum Regularium, qui aut luci dedere aliquid, aut primi omnium præclarum edidere aliquod facinus, aut novum, aut laude aliquid dignum adinvenere.

De Sanctiss. Pontificis Pauli IV. inculpata vita. Disquisitiones historicæ clarorum scriptorum è Societate Jesu testimoniis, ac elogiis explicatæ. Tomus Secundus.

Sanctissimus Paulus IV. defensus, & illustratus ab aliis.

In Constitutiones Ordinis Clericorum Regularium Notæ.

Notæ in Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Cleric. Regul.

Ordo Cleric. Regul. Marianus.

Congressiones Sanctiss. Pontificis Pauli IV. cum Viris illustribus ejus sæculi.

Reflexiones de Augustiss. & Sanctiss. Nomine Mariæ.

Argumenta pro Immaculata Conceptione, deducta è totius Quadragesimæ concionibus. Opus absolutum, & novum.

Schola Turcica, quâ unusquisque facilè Turcharum sermonem legere, scribere, & loqui discere possit. Opus Hierapoli scriptum an. 1637.

Vita Scipionis de Anno.

Idea omnibus numeris absoluti Jurisperiti, sive Vita Hieronymi Jvegliæ.

Marianus Ordo Minorum S. Francisci.

Duo volumina omnium, quæ eidem P. D. Francisco Mariæ Magio in suis præsertim itineribus, & Missionibus evenerunt.

Regula Venerab. Matris Vrsulæ Benincasa pro Virginibus Theatinis ordinata, & dilucidor reddita.

Regula pro Theatinis Sanctimonialibus Eremicolis ordinata, dilucidior reddita, ac multis declarationibus aucta.

Relatio de eo, quod Clerici Regulares Panormi strenuè peregerunt in sedandis popularibus turbis anno 1647.

Duodecim mira divinæ Providentiæ signa, quæ addictum Theatinæ Eremo Cæmeterium monstrant, Patrum olim usui destinandum, & in eo sanctum Christi Domini Sepulchrum extructum iri.

De Clericorum Regularium Institutis dissertationes.

Animadversiones ad Josephi Silos Historias, quibus multa, quæ leviter ille attigit, aut omisit, ab exteris scriptoribus enarrantur.

De sacris Cæremoniis, quæ in præparatione ad Missam, & in tremendo ipso Missæ sacrificio obiri debeant.

Castaldina Praxis Sacrorum Rituum, mendis expurgata, & multis annotationibus aucta.

De Clericorum Regularium Conditoribus, Disquisitiones Historicæ clarorum scriptorum testimoniis explicatæ.

De S. Joanne dilecto Christi Domini discipulo, & Evangelista, Disquisitiones Historicæ.

Italicè

Vita del Santiss. Pontefice Paulo IV.

Sermoni, e Prediche per le Domeniche, e feste di tutto l'anno in tre volumi.

Prediche Quaresimali in due volumi.

Vita, e meraviglie del Ven. servo di Dio Giacomo di Stefano Cl. Reg.

Vita di S. Gaetano Tiene glorioso Fondatore della prima Religione de' Preti, detta de' Padri Chierici Regolari.

Vita, e storie della Ven. Madre Orsola Benincasa Parte Seconda, e Terza.

Vita del Ven. servo di Dio Fr. Innocenzo di Chiusa dell'Ordine de' Minori Reformati di S. Francesco.

Vita del Ven. servo di Dio P. D. Pietro Giardina già Marchese di S. Ninfa, Cl. Regolare, huomo Apostolico, e meraviglioso fondatore di molte opere pie nella Città di Palermo.

Meravigliosa fondatione, e progressi della Casa, e Chiesa di S. Giuseppe de' Padri Chierici Regol. nella Città di Palermo: e vita di molti huomini illustri, che han fiorito in essa per lo spatio di sessant'anni.

Vita del Ven. Padre Don Carlo di Tomaso Chierico Regolare.

Vita del Padre Don Matteo Santomagio Chierico Regolare.

Vita del Ven. Padre D. Matteo Avitabile Chierico Regolare.

Scripsit etiam alia multa historica, apologetica, ascetica, quæ unà cum aliis humanis lucubrationibus, orationibus, epistolis, elogiis, epigrammatibus ibidem fasceatim collecta servantur.

Tandem addam scripsisse opus, cui titulus:

Ordo Patrum Prædicatorum Marianus. in 8.

Quod cùm P. Dominico Jamæo Soc. Jesu approbandum detulisset, casu amissum, nunquam inveniri potuit, etsi diligentissimè perquisitum.

ERAN-

FRANCISCUS MARIA DE MONACO Drepanitanus Clericus Regularis natus anno 1593. Ordini nomen dedit 4. Maii 1606. ac solemnia nuncupavit vota Panormi 8. Maii 1608. in qua omnibus facultatibus excultus, philosophicis, ac Theologicis disciplinis mirum in modum enituit. Eminentissimum enim ingenium, quo præditus fuit, studio, ac locupletissima eruditione illustravit. Hinc rectè ambigitur, an apud Clericos Regulares unquam fuerit, qui ingenii præstantiâ, latini idiomatis puritate, styli facultate, omnigenâ eruditione, doctrinâq; Franciscum superaverit. Humaniores literas ita colere visus est, ac si à gravioribus disciplinis longè alienus distaret: has verò ita tradidit, velut ab alia quacumq; facultate abhorreret. Poesi ita præstantissimus fuit, ut nullus metri genus fuerit, cui mirabili facilitate Musarum studia non inflexerit; eximiâ eruditione tum antiquâ, tum recentiori, græcâ, latinâq; sacrâ, ac profanâ locupletissimus claruit; nullum enim librum sedulò non percurrit. Latinâ, græcam, hebraicam linguam egregiè calluit. Philosophiam Vicentiæ, Theologiam Patavii, & alibi magno cum plausu docuit, è cujus schola viri doctrinâ excultissimi prodiere, qui easdem disciplinas aliis cum laude explanarunt. Ad nonnullos evexere honores virum ornatissimum sapientiæ promerita; nam Visitatoris munere apud suos in Sicilia, Consultor Generalis Romæ, Consultor, & Censor apud S. Officii Siciliæ Iudices latè effulsit. Cùm autem Ordinis sui Generalis Institutum Clericorum Regularium in Galliâ inducere cogitaret, ad nostrum Franciscum hęc Provincia demandata est anno 1644. quem doctrinâ sanè profundissimâ, præclarissimis animi dotibus, morumq; comitate instructissimum optimè noverat. Hinc noster Franciscus cùm ad Galliæ Regnum velificasset, magna cum nominis sui celebritate Parisiis pedem fixit; nam cùm primùm Iulius Mazarinus S. R. E. Cardinalis, tunc Gallicarum rerum Administer supremus (cui Romæ familiaris fuerat) perhumaniter excepisset, ac veterem consuetudinem instaurasset; inde à suis confessionibus delegit. Hinc ab Anna Austriaca Regina, apud quam erat rerum summa, benignè complexus est: & ipsius, ac Mazarini studium in Ordinis institutum Franciscus accendit: & Aulicos omnes in sui amorem facilè traxit. Accessit maxima viri æstimatio ex eloquentiæ vi, quâ è suggestu conciones habuit primùm in Adventus Dominici festis diebus; inde in cinerali curriculo in Reginæ Templo, magnâ populorum frequentiâ; confluentibus enim ad ipsum etiam viris principibus, Apostolicæ Sedis Nuncio, Veneti Senatus, & Sabaudiæ Ducis Oratoribus, ac innumera penè nobilium multitudo, ingentem sibi famam comparavit. Intereà urgere fundationem statuit, eâq; dexteritate negotium pertractavit, ut Ecclesiam D. Annæ sacram, ac Domum pro Clericis Regularibus excitaverit. Eâ solemnitate institutum fundationis exordium die 26. Iulii 1648. ut majori magnificentiâ dedicari nequierit: nam Monachum, ac ædis primordia regiâ magnificentiâ Regina fovit: celebritati adfuit cum nobilium comitatu. Apostolicus Nuntius Nicolaus è Comitibus Balnei, inde S. R. E. Cardinalis, solemni ritu Templum dedicavit magno cum multitudinis confluentis plausu. Cardinalis Mazarinus multis benevolentiæ, liberalitatis, ac singularis amoris argumentis novam Ecclesiam, ac domum firmavit, munivit. Et non multo post ipsemet Rex Ludovicus XIV. cum Andegauensi Duce ejus fratre, in S. Caetani solemniis, magnâ cum benevolentiæ significatione erga Monachum, invisit: ac virorum Principum, Matronarum, Reginęq; frequentatione imposterum cohonestata sacra ædes. Hoc totum ob industriam, doctrinam, virtutesq; Monachi feliciter obtigisse incompertum est. Ea in Urbe Philosophiam, ac Theologiam iterum cum singularis ingenii laude tradidit. Virtutibus clarus eminuit, & disciplinę regularis tenacissimus refulsit, quibus ingentem venerationem sibi conciliavit. Tandem Archiepiscopus Rhemēsis electus, ab editis rebus celeberrimus, Parisiis vitam absolvit anno 1651. ętatis suæ 58. & defuncti imaginem è marmore juxta excitatam Clericorum Regularium domum Ludovicus cum magno viri honore posuit. Laudibus celebratur à P. D. Iosepho Silos *in hist. Cleric. Reg. par. 3. lib. 8. pag. 293. & seq. lib. 12. pag. 568. & in Analectis ep. 37. pag. 86. & ep. 40. pag. 94.* Ab. Pirro *not. Eccl. Mazar. pag. 555.* Aloysio Novarino *opuscul. tom. 1. pag. 37.* Leone Allatio *in libro: Apes Vrbanæ, sive de Viris Illustr. pag. 108.* Antonino Collurasi *in Epist. p. 2. pag. 113.* Vinc. Nobili *in Thes. Abscon. c. 23. pa. 785.* Philip. Labbè *Bibl. Biblioth. p. 55.* Franc. Maria Magio *de vita Vrsulæ Benincasæ, & Eremo Theatino p. 165.* aliisque. Ejus ingenii extant

In universam Aristotelis Philosophiam commentaria. Parisiis ex typographia Regia 1652. in fol.

Horæ subcesivæ, hoc est, honores publici B. Andreæ Avellino Cl. Reg. decreti. Patavii apud Impressores Camerales 1625. in 4.

In Actores, & Spectatores, Comœdiarum nostri tēporis Parænensis. Patavii typis Laurentii Pasquati 1621. in 4.

Quatuordecim Patrum *Clericorum Regul. Elogia.* Ibid. in 8. & iterum Mediolani apud Impressores Archiepiscopales 1621. in 8.

De Paupertate Evāgelica. Romę typis Mascardi 1644. in fol. sed hoc opus ob discessum in Gallia n abruptum, adhuc non est absolutum.

De Fidei Vnitate libri tres ad Carolum Britanniarum Regem. Lutetiæ Parisiorum ex typographia Regia 1648. in fol. opus insigne ob auctoris mortem imperfectum. Authographum servatur m.s. in fol. in Biblioth. Cler. Regul. Panormi. Italicè etiam edidit

La Penna Panegirico nella solennità della dottrina di S. Tomaso d'Aquino fatto all' Vniversità di Padova, nella Chiesa di S. Agostino de' PP. Predicatori. Vicentiæ apud Franciscum Grossum 1620. in 4.

Il Sole, Panegirico nella pompa funerale dell' Ill. e Rev. Monsig. Coriolano Gorzadoro Vescovo di Cherso, e di Ossero, e Nūtio di sua Santità nella Germania. Vicentiæ apud eumdem 1618. in 4. & Patavii apud Pasquatū 1618. in 4. Prēlo paraverat: *In Cont. Cantic. facultas, sive ad literam Notas. Romani Pontificis* Chara-

Charactères. m. s. in fol. extat in laudata Bibliot. *De lusibus Naturæ libros quinque. In usuras diras. Amænitates, in quibus collegerat quicquid cuderat eruditæ, argutæq; scriptionis.* Authographum servatur Panormi in eadē Bibliot. m. s. in fol. *De Usuris in mutuo emptore, & venditore libros VIII. Pauli Consiliarium, sive de Virginitate Aulica.* m. s. in fol. servatur in eadem Bibliot. *Evangelicæ paupertatis charačteres, sive Caetani paupertas Evangelica.* m. s. in eadem Biblioth.

FRANCISCUS MARIA PISANUS Mylensis natus 20. Ianuarii 1653. cùm Jurisprudentiæ operam strenuè navasset, Iuris utriusq; laureâ insignitus est. Doctrinâ, & eruditione ornatissimus, decies in patria Judex præfuit. Iuratorum (ita vocant Patritios, Urbis gubernium moderantes) pluries Consultor; ut etiam bis apud Regii Castri Præfectos, & quinquies apud Vrbis Gubernatores in rebus militaribus per annos duodecim fuit Consultor. Unus ex Patritiis Consultoribus perpetuis in ejusdem Urbis consilio constitutus enituit. Pluries à Regni Siciliæ Proregibus delegatus ad nōnulla magni pōderis negotia pertractanda; ut etiā à Regiæ Monarchiæ Iudice. Nunc Panormi degit, & in supremis Siciliæ subselliis doctissimum causarum Patronum agit. Edidit

Animadversiones Juris decisionibus illustratas. Librū primū. Panor. typis Iacobi Epiro 1689. in 4.

Columnam nubis humanas dirigentem actiones in viam salutis contra nonnullas Moralistarum opiniones. Panormi apud Iosephum Barbera 1697. in 4. Alia molitur.

FRANCISCUS MARIA SPINELLUS Platiensis, ut testantur Ioseph Silos *in hist. Cler. Reg. par. 3. lib. 12. pag.* 569. & Leo Allatius *in libro Apes Urbanæ pag.* 108. non Neapolitanus, ut perperam absq; ullo auctoritatis fulcimento scribit Nicolaus Toppius *in Bibliotheca Neapol. pag.* 100. Natus an. 1594. Clericis Regularibus aggregatus 10. Iunii 1609. solemnia emisit vota Panormi 17. Octobris 1610. Ingenio præstantissimo instructus, tum severioribus disciplinis, tum politioribus literis claruit. Philosophiam summa cū laude sodales suos docuit. Sed abrupto scholasticarum disciplinarum cursu, ad eloquentiæ studia omnes vertit ingenii vires, ad quæ virum eximium pertrahebant quædam natura propensio, ac dotes ad declamandum peropportunæ. Ecclesiastem ideoque egit egregiè, ac inter primarios divini verbi præcones locum sibi comparasset, nisi Ordinis præfecturæ, & immatura mors ab incœpto oratoris munere abstulissent: dum enim Domum Panormitanam D. Iosephi moderabatur Præpositus, fato cessit die 26. Novembris 1633. æt. 39. magno cum omnium dolore; in eo enim ea refulgebāt animi, morumq; præstātia, ut facili negotio omnium benevolētiam sibi conciliabat. De eo consule cit. Silos. Edidit Italicè

La Fenice rinovata, oratione detta in S. Paulo Maggiore di Napoli il dì 8. d' Agosto 1626. nella sollennità del B. Gaetano Tiene Fondatore de' Cl. Reg. Neapoli apud Lazarum Scorigium 1626. in 4.

FRANCISCUS MAUROLYCUS Nobilis Messanensis Mathemathicus celeberrimus (perperam dictus Syracusanus ab auctore libri: *dies emortuales,* apud Io: Gualterium *in Chr. Chron. tom.* 2. *pag.* 1186.) lucis usuram accepit 16. Septembris anno 1494. natus ex Antonio, & Penuccia Maurolyco. Antequam nasceretur, matri per quietem videbatur, vividissimam flammam in lucem emittere, quæ usq; ad astra se extollebat; eoq; præsagio fœtum suum, sedulū astrorū scrutatorem futurū Deus ostendit. A teneris adhuc annis humanioribus literis excultus à Frācisco Pharaonio Messanensi; inde Rhetoricæ præceptis à Iacobo Netino eruditus, præstantissimi ingenii dotes patefecit; tunc enim grammaticæ edidit præcepta. Cùm autem à quadam naturæ vi ad Ecclesiasticum institutum raperetur, clericali militiæ nomen dedit; & anno 1521. ordinibus sacris initiatus fuit ab Antonio de Lignamine Archiepiscopo Messanensi, cui in grati animi significationem Officium quoddam Dñi Nostri, & aliud Deiparæ Virginis ab ipso, hymnis, carminibusq; ingeniosè concinnatum, nuncupavit. Inde sub doctissimi genitoris disciplinâ græcis literis, ac astrologicis studiis ingenium addixit, eo animi oblectamento, ut defuncto patre, ne domesticis curis aggressa jam studia torperent, Iacobo fratri natu minori, rerum familiarium curam cesserit; ipse verò Mathematicis, ac Astronomicis disciplinis die, noctuq; eā animi contentione intendit, ut breviter in morbum dilapsus sit; ac frequenti vertiginis molestiâ effectus: hinc licèt ex medicorum consilio studia aliquando intermiserit, numquam ad pristinum valetudinis statum regressus est. At licèt fracta valetudine studia non neglexit: immò excurso vix anno ab ægritudine, ferventiori ingenii vi memoratis disciplinis toto conatu animum intendit, ac in evolvendis harū disciplinarum scriptoribus totus fuit: ideoque præstantissimâ doctrinâ mirum in modum locupletatus resulsit. Multos ex antiquis auctoribus exposuit, nonnullos expurgavit, alios ad saniorem methodum ordinavit, omnesq: mathematicas disciplinas instauravit: cùm enim ab Euclidis scriptis exordium posuisset, inde Teodosii, Autholici, Iordani, Archimedis, Apollonii, Sereni, Rogerii, Bacconis, Ioannis Petsan, Boetii aliorumque opera vel restituit, vel expurgavit, vel illustrare curavit. Multa & ipse doctissimè scripsit, ac ingenii acumine nonnulla adinvenit. Iaculatorium artificium exploravit, quod timpanum, duobus mansionibus distinctum, complectabatur, & ex una in aliam mansionem humorem transfundens, hunc sine alio exteriori adjumento, sed propriæ virtutis vi, per horæ medietatem, contra naturæ ordinem in aerem reiiciebat. Centrum gravitatis in solidis corporibus primus excogitavit. Calculum triangulorum sphæricorum perfecit: intersectiones, quas lineæ horariæ inter se producunt ab ortu scrutatus est primus, teste Christophoro Clavio *in Gnomonic.* ac commensurandi circulum terrei globi modum adinvenit, ex Sylvio Bello *in lib. de mensur. prop.* 12. & Clavio *in prologomenis sphæræ de inventoribus astronomiæ.* Secantium tabulas reperit, ex Ioanne Antonio Magino *in præf. ad opus de primo mobili,* aliaque adinvenit, ut leges *in Sicilia Inventrice* Vincentii Auriæ, & *in meis ad ipsam observationibus,* nempè, *cap.* 7. §. 1. *pag.* 12. 119. *cap.* 12. §. 3. *pag.* 53. 176. & in addict. *cap.* 15. *pag.* 235. *cap.* 16. &

17. *pag.* 236. Hinc magnâ apud omnes doctrinæ opinione valuit, ac civium suorū precibus sphæræ præcepta, ac Euclidis elementa publicè explanavit, magno cū doctrinæ plausu: ideoq; ejus nominis famâ undiq; diffusâ, Principū, & literatorum amorem sibi conciliavit; inter quos non ultimus recensendus doctissimus Petrus Bembus S. R. E. Cardinalis, cui Cosmographiam suam nuncupavit; ac etiam Marcellus Cervinus Cardinalis, tit. S. Crucis in Hierusalem, qui Pontifex creatus sub nomine Marcelli II. cum brevi temporis tractu pontificatum absolvisset, amici virtutem honoribus, ut meditabatur, exornare non valuit. Cùm Carolus V. Cæsar devictâ Africâ Messanam adventaret, Maurolycus triumphales moles, quibus ea in urbe fuit honorificè exceptus, adinvenit. Imperatori verò gratissimum accidit virum hunc egregium videre, quem benignè cōplexus est: eiq; in æstimationis eximiæ argumentum indulsit, ut unà cum Ferramolino Regio Architecto, Messanæ propugnacula perficeret. Hieronymo Barresi Petræpertiæ Marchioni, aliisq; Siciliæ Dynastis; sed in primis Ioanni Vigintimillio Hieracis Marchioni, qui Mathematicas disciplinas unicè diligebat, acceptissimus fuit. Hic enim in Maurolycum singularia protulit honorū argumenta: ejusque precibus Franciscus devictus, ut ipsi morem gereret, secum vivere statuit: hinc vel apud Castrumbonum moras protraxit, vel secum Panormum, Neapolim, & Romam digressus est, perpetuus ejus comes: ac ubique summâ veneratione prosequutus est. Romæ præsertim Alexander Cardinalis Farnesius, munerum spe haud vulgari, Maurolycum suadere contendebat, ut palatii sui ædes inhabitaret, ibique permanens, aulæ suæ splendorem augeret: ac veluti in munificentiæ suæ arrham 500. aureis numeravit: sed patriæ, & Marchionis amor prævaluit: immò & Marchio ipse timore amittendi Maurolycum affectus, regressum in Siciliam maturavit. A Joanne de Vega, Siciliam pro Rege moderante Panormum accersitus, ut Geometriæ præcepta Alexandro ejus primogenito filio exponeret, non sine maximi honoris significatione usque ad annum 1550. effecit, ejusque doctrinam non modò venerabatur Prorex, verùm etiam, & eximiis laudibus celebrare consuevit. Catanam petiturus, Maurolyci societatem efflagitavit; & cùm egrotare intelligeret, non sine omnium admiratione discessum distulit, usque dum Maurolycus sanitatem instauraret. Secum inde Catanam adduxit, ac mensæ socium sæpè voluit; sed cùm è Sicilia discessisset Prorex, Maurolycus ad Mœcenatem suum Marchionem Hieracis regressus est: à quo Abbatia S. Mariæ de Partu donatus est: (non S. Mariæ de Messana dictæ de Partu, ut perperam Ludovicus Morerius *in dict. tom.* 2. *pag.* 542. sed S. Mariæ de Partu propè oppidum Castriboni.) ibique secedens religiosè vixit, ac multa pietatis argumenta reliquit. At Messanæ Straticotus electus Marchio, secum Maurolycum in patriam reduxit, ubi mathematicas disciplinas publicè explanavit, aureis cc. annuis cohonestatus. Plurimùm æstimatione valuit apud Joannem Lacerdam Ducem Medinæceli, & D. Garsiam de Toledo Siciliæ Proreges, qui ob Astrologicas quasdam prædictiones, tamquam oraculum habuerunt. Joannes Austriacus, cùm coacto fœdere inter Pontificem, Hispaniarum Regem, ac Venetos Messanam appulisset, ut ingenti classi præesset; antequam ad expeditionem contra Turchas velificaret, Francisci doctrinam consulere placuit. Inde cùm juxta Maurolyci prædictionem res accidissent; victor Messanam regressus, egregii viri sapientiam, nunquam ad satietatem extollere videbatur. Multis etiam prædictionibus editis mirum in modum doctrinæ suæ venerationem conciliavit: horum unam detulit Samperius *Iconolog. lib.* 4. *pag.* 485. Eâ undique famâ claruit, ut innumeri vel cognoscendi, vel consulendi studio, à longinquis etiam regionibus ad ipsum cōfluebant; inter quos non ultimus Magnus Britaniæ Prior, ac P. Clavius Mathematicus celeberrimus, qui amicitiæ vinculis fuit Maurolyco devinctus. Fridericus etiam Comandinus Mathematicarum rerum doctissimus, cum ex quibusdam Archimedis difficultatibus, ac solutionibus, Maurolyci doctrinam intellexisset, datis ad ipsum literis sæpius Mathematicorum Principem vocavit, & ad doctrinæ suæ facem confugiebat in obscurioribus Mathesis dubiis. Quamvis autem ferventiori ingenii contentione mathematicas disciplinas adamasset, mitioribus etiam studiis animum quandoque addixit: ideoque Historici, Poetæ, & Oratoris gloriam sibi comparavit. Præstantissimæ etiam doctrinæ, morum integritatem, ac animi candorem sociavit. Ingravescente ætate, dum Hieracis Marchio omnes Maurolyci lucubrationes typis tradere meditabatur, extrema clausit, ac summo mœrore Maurolycum affecit. Hinc paulò post in morbum dilapsus, in paternam villam juxta Messanam secessit, ut pestem, quæ Messanæ grassabatur declinaret: at invalescēte morbo, anno ætatis suæ 80. ibi decessit 21. Julii ann. 1575. Dum animam ageret, proximæ villæ Cupressus miro portento usque ad terram inflexa, elapsis octo diebus, iterum se extollere visa est: ac triduo ante ipsius obitum super eamdem villam cometa apparuit, quæ cùm expirasset, evanuit. Cadaver primùm in Ecclesiâ S. Francisci Paulensis propè Urbis Messanæ mœnia; inde extinctâ lue, ad Ecclesiâ S. Ioannis Baptistæ delatum fuit, in cujus sepulchro è marmore hoc legitur epitaphium.

D. O. M.

D. Francisco Maurolyco Patritio Messanensi, ex clarissima Maurulorum familia, Abbati Divæ Mariæ à Partu, Viro Christianæ pietatis zelo, & rerum occultarum scientiâ, veteribus Patribus, & Philosophis comparando, Mathematicorum omnium Doctorum consensu facilè Principi; qui ea studia penè extincta in lucem revocavit, scriptorum suorum multitudine illustravit, auxit, propagavit, vitæque innocentiâ exornavit; adeout ejus, tamquam oraculi visendi, consulendique studio undique etiam à remotissimis regionibus conflueretur. D. Franciscus Floresta,

& S. Georgii Baro, & D. Sylvester Doct. Theolog. Abbas Roccæamatoris Maruli fratres, patruo benemerentissimo sepulchrum pro tempore angustum PP. donec aliud augustius dignum virtute, & meritis ejus erigatur. Vixit Ann. LXXX. Mens. X. D. V. Obiit XI. Kal. Augusti M.D.LXXV.

Te quoque Zangli tulit, Maurolyce, ne sit in uno
Clara Syracosio Sicelis ora sene.

Et infra.

Te Pietas, Te Religio, te dia Mathesis,
Extinctum, Sophiæ te quoque flevit Amor.
Parnassi, & divæ desertis fontibus, udis
Hic oculis, scissis hìc gemuere comis.

De Maurolyco emeritis laudibus scripsere Petrus Bembus *in epist. famil. lib.6.* Fridericus Commandinus *in libro de Conoidibus, & Sphæroidibus Archimedis, & in epist. nuncupat. libri Archimedis de circuli dimensione,* Fridericus Urbinas *in epist. nuncup. libri de centro gravitatis solidorum*, Christophorus Clavius *in Gnomonica; in prologomenis sphæræ, in astrolabii epist. nuncup. & alibi,* Joseph Auria *in epist. ad lect. libri Euclidis Phænom.* Sylvius Belli *in lib. de mensuratione oculorum operâ prop. 12.* Petrus Calzolarius *in hist. monast. die 4.* & alii, quos delegit Franciscus Maurolycus Baro Floresttæ nostri Abbatis nepos, in vita edita Messanæ anno 1613. quibus addo Caetanum *tom. 2. Sanctor. Sicular. in animad. pag. 67.* Bonfilium *in sua Messina lib. 4. pag. 31. & lib. 7. pag. 54.* Placidum Reinam *par. 1. not. Messanæ pag. 103.* Petrum Ansalonium *de sua famil. pag. 317.* Franciscum Flaccomium *in sicelide sect. 3. pag. 37.* Possevinum *in Appar. sacro tom. 1. pag. 730.* Gerardum Joannem Vossium *de quatuor artib. popularibus de Philologia, & scientiis Mathematicis cap. 10. num. 11. pag. 41. cap. 41. §. 7. pag. 231. cap. 44. §. 16. pag. 255. cap. 49. §. 12. pag. 300. cap. 52. §. 13. pag. 317. & cap. 57. §. 10. pag. 334.* Hugonem Scotum *de Mathem. discipl. in indice,* Josephum Biancanum *in Chronol. Mathemat. pag. 61.* Placidum Samperiū *Iconolog. M. V. lib. 1. pag. 34. & lib. 2. pag. 171.* Joannem Baptistam Ricciolium *in Almagesto in Chron. astronomor. par. 2. pag. 34. & in Chronolog. Refor. tom. 4. ind. 2. pag. 228.* Joan. Bapt. Nicolosium *in Hercule Siculo pag. 110.* Claud. Franciscum Millier *in cursu mathem. tom. 1. tract. proœm. de ill. mathem. pag. 14.* Laurentium Crassum *in elog. par. 2. pag. 5. & seq.* Ludov. Morerium *in dict. tom. 2. pa. 542.* Josephum Ambrosium *in descrip. festi epistolæ Marianæ pag. 68. & 112.* Aub. Miræum *Bibliot. tom. 2. cap. 101. pag. 104.* qui Ord. Cisterciensis primùm fuisse falsò tradit, inde Abbatis dignitate insignitum. Opera tum aliorum à Maurolyco emendata, vel illustrata; tum ab ipsomet Maurolyco scripta, hæc sunt.

Theodosii Sphæricorum libri tres ex traditione Maurolyci. Menelai Sphæricorū libri tres ex traditione ejusdem. Maurolyci Sphæricorum libri duo. Maurolyci de Sphæra, quæ movetur liber. Theodosii de Habitationibus. Euclidis Phænomena brevissimè demonstrata. Demonstratio, & Praxis trium tabellarum, scilicet, sinus recti, Fœcundæ, & Beneficæ ad sphæralia triangula pertinentium. Compendium Mathematicæ mirá brevitate ex clarissimis Auctoribus. De Sphæra sermo. Messanæ apud Petrum Spiram 1558. in fol. P. Mersennus Ord. Minorum, teste Millier cit. pag. 23. edidit anno 1644. *Universæ Geometriæ, mixtæque Matheseos synopsim, & inter alia, Titulos propositionum Theodosii, Menelai, & Maurolyci.*

Cosmographia de forma, situ, numeroque Cœlorum, & Elementorum, aliisque ad Astronomica rudimenta spectantibus. Venetiis apud hæredes Antonii Juntæ 1543. in 4. Parisiis apud Guilelmum Cavellat 1558. in 8. Venetiis 1575. in 4. & Basileæ apud Joannem Oporinum, ex Gesnero *in Bibliot. pag. 241. Theoria nova Planetarum* (quòd opus modò adnotatum puto) prodiit cum Georgio Parbachio. Coloniæ 1681. in 8. ex Indice Bibliot. Card. Slusii pag. 383.

De Sphæra. Compotus Ecclesiasticus. Tractatus Instrumentorum Astronomicorum. De lineis horariis Euclidis propositiones Elementorum lib. 13. Solidorum tertii, Regularium corporum primi. Musicæ traditiones. De lineis horariis libri tres. Venetiis apud Frāciscum Franciscium 1575. in 4. & 1580. ex Gesnero cit. *Compotum Ecclesiasticum* prodiit etiam Coloniæ Agrippinæ 1575. in 8. ex Millier citato *pag. 90.*

Arithmeticorum libri duo. Venetiis apud Franciscum Franciscium 1575. & 1580. in 4.

Photismi de Lumine; & Umbra ad prospectivam radiorum incidentium facientes. Venetiis 1575. in 4. & Messanæ apud Petrum Bream 1613. in 4.

Problematica Mechanica cum appendice, & ad Magnetem, & ad Pixidem nauticam pertinentia. Messanæ apud eumdem 1613. in 4.

Emendatio, & Restitutio Conicorum Apollonii Pergæi. Ibidem apud hæredes Petri Breæ 1654. in fol.

Admirandi Archimedis Syracusani monumenta omnia, quæ extant ex traditione Francisci Maurolyci. Panormi apud Cyllenium Hesperium 1685. in fol.

Euclidis Phænomena post Zamberti, & Maurolyci editionem, nunc tandem de Vaticana Bibliotheca deprompta, scholiis antiquis, & figuris optimis illustrata, & de Græca lingua in latinam conversa à Josepho Auria Neapolitano. His additæ sunt Maurolyci breves annotationes. Romæ apud Joannem Martinellum 1591. in 4.

Martyrologium, multo quàm antea purgatum, & locupletatum, in quo additæ sunt Civitatum, ac locorum nomina, in quibus Sancti Martyres passi sunt, atque eorum corpora in præsentiarum requiescunt. Venetiis apud Juntas 1564. & 1568. in 4. & tertiò apud eumdem 1570. in 16.

Sicanicarum Rerum Compendium. Messanæ apud Petrum Spira 1562. in 4. Nonnullæ ad hanc historiam sive addictiones, sive paginæ, quæ exciderunt, edidit Stephanus Balurius in libro: *Miscellaneorum Tomus Secundus, hoc est collectio veterum monumentorum, quæ hactenus latuerant in variis Codicibus, & Bibliothecis.* Parisiis excudebat Franciscus Muguet 1679. in 8.

Grammaticorum Rudimentorum libelli sex. Messanæ apud Petrutium Spiram 1528. in 4.

Vita

Vita S. Cononis Monaci, quam vertit è Græco. extat apud Octavium Caetanum *tom.2. Sanctor. Siculor. à pag.*200. de quo etiam *in animad. pag. 67.* & apud Bollandum *in Actis Sanctor.* Martii 28. *Martii tom.*3. *à pag.*734.

Vita B. Eustochiæ Abbatissæ Cœnobii Montis *Virginum.* apud eumdem Caetanum *tom.* 2. *Sanctor. Siculor. à pag.*258.

Italicè

Rime. Messanæ apud Petrum Spiram 1552. in 8.

Multa alia elaboravit, nempè

Sereni Cylindrica lib.II.

Jordani Arithmetica, & Data.

Theonis Data Geometrica.

Rogerii Bocchonis, & Joannis Pestan Prospectivæ breviatæ, cum annotationibus errorum.

Ptolomæi specula, & de speculo ustorio libellus.

Prologi, sive sermones quidā de divisione artium. de quantitate. de proportione. de mathematicæ auctoribus. de sphæra. de cosmographia. de conicis. de solidis regularibus. de operibus Archimedis. de quadratura circuli. de instrumentis. de calculo. de prospectiva. de musica. de divinatione.

Arithmetica data libellis quatuor demonstrata.

Positionum, & rei demonstrationes ad quatuor præcepta, vel capita redactæ.

Sphæra mobilis in octo capita pro circuli primi motu.

Conicorum elementorū quintus, & sextus post quatuor Apollonii libros locandi.

De compaginatione solidorum regularium.

Quæ figuræ tam planæ, quam solidæ locum impleant. Ubi Auctores Geometriam ignorasse indicatur.

De momentis æqualibus libri quatuor, in quorum postremo de centris solidorum ab Archimede omissis agitur, & de centro solidi parabolyci.

De Quadrati Geometrici quadrantis, & Astrolabii speculatione, fabrica, usuque.

Diaphana in tres libros divisa.

Quæstionum Arithmeticorum libri tres, Geometricarum libelli duo, Astronomicorum problematum tres.

Adnotationes omnimodæ in diversos mathematicæ locos.

Canones tabularum Alphonsi Blanchini eclypsium, directionum primi mobilis.

Elementorum Euclidis Epitome cum novis, & artificiosissimis in quintum Arithmeticæ, in decimum, & in solidorum libros demonstrationibus.

Conicorum Apollonii Breviarium libris tribus facilius, & directè demonstratum.

Tabula sinus recti.

Compendium magnæ constructionis Ptolomaicę omnium observantiarum astronomicarum seriem paucis comprehendens ex Breviario Joannis Regiomontani.

Annotationes in sphæram Joannis Sacrobusti, & in theoricas planetarum.

Quadrati, Quadrantis, Astrolabii, Instrumenti armillaris, & sphæræ solidæ demonstratio fabrica, & usus.

Hymnorum Ecclesiasticorum liber unus.

Carminum, & Epigrammatum libelli duo.

Poemata Phocylidis, & Pythagoræ moralia latino metro.

Geneologia Deorū Joannis Boccacii adaucta, cum multis illustrium Virorum, & Principum carptim collectis prosapiis, ad poesim, & historiam necessariis.

Rithmi vulgares, seu vernaculo sermone in laudem S. Crucis.

Chronologia ab Adamo Protoplasto, Christi, Principum, Præsulum, & notabilium rerum brevissima. Itinerarium Syriacum cum historiis ad loca sacra pertinentibus.

Breviarium (*Ad Petrum Bembum de Ætnæ incendio.*
(*Platinæ de Vitis Pontificum.*
(*Sex librorum de Vitis Patrum.*
(*Decem lib. Laertii de Vitis Philosophorū.*
(*Petri Criniti de Vitis Poetarum.*
(*Octo librorū Polydori de invētoribus rerū.*
(*Conciliorum Synodalium.*
(*Sex librorum Diodori Siculi.*
(*Grammaticarum institutionum.*

Compendium Judiciariæ.

De Piscibus Siculis brevis tractatus.

Palephati de non credendis historiis epitome.

Fulgentii Mytologiarum epitome.

Ciceronis de natura Deorum, & de divinatione epitome.

Scholia in Asinum Lucii Apulei.

Epitome de Grammaticis Suetonii.

Tractatus de Placitis Philosophorum.

Epistolæ.

Vitæ plurimorum Sanctorum, videlicet S. *Pancratii Tauromenitanorum Episcopi, Alphii, Philadelphii, & Cirini: Agathonis Liparitani*: S. *Angeli Carmelitæ*: S. *Alberti Carmelitæ*: S. *Calogeri*; B. *Guilelmi*: S. *Philippi Argyritæ*: S. *Conradi Placentini*: S. *Laurentii, qui floruit in villa Frazanò*: S. *Veneræ Siculæ*: S. *Nicandri Eremitæ, & Sociorum.*

FRANCISCUS MAUROLYCUS Messanensis Patritius prædicti nepos, Forestæ, & Sancti Georgii Baro, vir poeti, & politioribus literis instructus. Floruit anno 1613. Hunc Antonius Teisserius *in catalogo Auctorum* in ipso libri sui exordio *pag.*1. nendosè vocat *Aron della Foresta*: & ex eo Vincentius Coroncllus *in sua Bibliotheca tom.* 1. *n.* 275. *pag.* 66. Edidit italicè

Vita dell' Abbate del Parto D. Francesco Maurolico. Messanæ apud Petrum Bream 1613. in 4.

FRANCISCUS MAZARENSIS Capuccinus ex nobili familia Bianco exortus, primùm Ordini Minorum Conventualium S. Francisci nomen dedit, in quo Doctissimus Philosophus, ac Theologus claruit; ac magna cum ingenii præstantissimi laude Theologiam docuit Panormi, & Bononiæ, ubi studiorum Lycea moderatus est. Eximius etiam Concionator, ac in canonicis juribus apprimè versatus amplissimam promeruit ęstimationem. Inde severioris vitæ desiderio æstuans, ad Capuccinos transiit anno 1562. inter quos ita profecit, ut regularem observantiam, ac vitę innocentiam, quā in primo Ordinis instituto floruit, omnium virtutum splendore mirificè exornaverit. Ad obedientiæ nutum per annos tredecim Theologiam, ac sacras literas doctissimè explanavit: primusque fuit, qui in Capucinorum Ordinem Theologica studia invexit. Eru-

ditio-

ditione, ac doctrinâ, sed præstantius vitæ sanctissimæ exemplo, innumeros in Panormitana Provincia erudivit. Messanensi Provinciæ præfuit, & dum Cœnobium Drepanitanum moderabatur, anno ætatis suæ 51. sanctè vitam absolvit 28. Augusti 1588. Patrata post obitum miracula sanctimoniæ suæ opinionem confirmarunt. De eo consule Hippolytum ab Hippolyto *in emblemat.* Zachariam Boverium annal. Capuccinorum *tom.* 2. *an.* 1588. *n.* 25. *pag.* 558, Abb. Pirrum *not. Eccl. Mazar. pag.* 537. P. Fortunatum Hueberum *in Menologio Ord. S. Franc.* 30. *Ianuar. pag.* 482. & P. Dionysium Genuensem *in Bibliotheca Cappucinor. pag.* 119. qui multa scripsisse testatur, temporis injuriâ deperdita, ac solummodo servari m. ss.

Prælectiones in libros Aristotelis Tom. III. in 4.

Prælectiones Theologicæ secundum doctrinam Scoti Tom. IV.

FRANCISCUS MAZARENSIS alius à prædicto, etiam Capuccinus, vir morum integritate, ac virtutum exemplo præclarus, qui tyronibus informandis addictus regularem observantiam propagavit, Panormitanam Provinciam rexit, & in Messanensi Provincia Generalem Visitatorem egit, Obiit Panormi anno 1679. Prodiit ejus opus posthumum italicè scriptum, nempè

Direttorio Spirituale, o Instruttione de' Novitii, e Giovani Capuccini. Panormi apud Dominicum Anselmum 1679. in 12.

FRANCISCUS MELLAURUS Agyrensis Sacerdos Sacræ Theologiæ Doctor, historicus, ac poeta dissertissimus. Poeticas delicias sequutus, latino carmine multa cum sui laude scripsit. Obiit in patria 26. Augusti 1624. Hujus meminit Abb. Pirri *not. Eccl. Catanen. pag.* 110. Edidit

S. Philippi Cacodemonum exterminatoris, Argyraeque assertoris inclyti vitam carminibus descriptam. Messanæ ex officina Petri Brea, & Laurentii Vallæ 1605. in 4. Italicè

Vita Morte, e Miracoli del Gl. Confessore S. Filippo d' Argirone. Messanæ apud Petrũ Breã 1605. in 4.

FRANCISCUS MILANENSIS Catenẽsis Vincentii Milanensis, ac Agathæ Campixiano Filius, Juris utriusq; Doctor: magna cum doctrinæ fama claruit, quam indefesso studiorum labore sibi comparavit, Fuit Prætorii Panormitani Iudex an. 1581. & pluries in Magnæ Regiæ Curiæ Senatu præfuit etiam Judex, Regiusq; Consiliarius: ac tandem Regii Patrimonii Fisci Patronus. Obiit Panormi 27. Augusti 1595. & in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Fratrum Observantium S. Francisci sepelitur. Hujus cum laude meminere Pirrus *not. Eccl.* Catan. *pag.* 94. Joannes Bap. de Grossis *in decac. Catanensi tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 147. Garsias Mastrilli *in addict. ad Petrum de Gregorio de dote de parag. quæst.* 3, *v. allodialibus*, Edidit

Aureas Decisiones Regiæ Curiæ Regni Siciliæ, in quibus varii casus diversis temporibus discussi, atque decisi in dicto Regio Tribunali continentur, duabus partibus distinctas, Venetiis apud Robertum Molettum 1596. in fol. & iterum apud eumdem 1602. in fol. & Francofurti apud Franciscum Schenwett 1600. in fol.

FRANCISCUS MIROLDUS Panormitanus Jurisconsultus doctissimus, & egregius causarum Patronus. Claruit anno 1650. Edidit

Allegationes, unà cum Benedicto Fernandez, & Blasio Draco apud Paulũ Franciscum Parramutum *in conflictu Jureconsul. par.* 3. *tom.* 1. *à p.* 392.

FRANCISCUS MONACHUS Catanensis Sacerdos, doctrinâ, morumque integritate conspicuus vixit. Amœniores literas amplexus non sine laude apud suos claruit circa annum 1669. quo edidit

Cataclysmus Ætnæus, sive Inundatio ignea Ætnæ montis anni 1669. Venetiis ex typographia Joannis Jacobi Hertz 1669. in 4.

FRANCISCUS MONSLEO Calatajeronensis, scripsit libellum inscriptum.

Artificium memoriæ. Neapoli apud Joannem de Boy 1567. in 8.

FRANCISCUS MORABITUS Catanensis Sacerdos natus ex D. Horatio Morabito Patritio Catanensi, omnem ingenii vim amænioribus literis addixit, à poeticis studiis, eruditione, ac florentissimo scribendi genere cõmendatus. Inter Claros Academiæ Catanensis adscriptus, non sine plausu sæpius auditus. Obiit Catanæ circa annum 1690. Edidit Italicè.

Catania liberata Poema. Catanæ apud Bonaventuram la Rocca 1669. in 8.

L' Albira Tragedia Polititico-Morale, Catanæ apud Bisagnium 1684. in 4.

Scripsit etiam, sed m. ss. reliquit hæc alia:

Canzoni Siciliane Tomi II.

Prima, e' Seconda Centuria di Sonetti, Canzoni, Odi, e Madrigali,

L' Erindina Comedia.

Teatro delle Glorie Catanesi, dove in stile laconico si discorre de' fatti gloriosi degli Antichi Eroi della Città di Catania.

L' Areovella Romanzo.

Giardino di fiori contenente varie descritioni.

Tesoro di sentenze politiche, e morali.

Lettere di complimenti.

Il Roggiero Trionfante Pòema Eroico. Hujus fragmentum edidit Rogerius Vigintimillius in libro: *Confutatione della Genealogia de' Conti di Geraci addotta dal Pirri pag.* 12. & alibi. Authographum servatur apud Marchiones Hieracis

Lo Statista Regnante, el Politico privato, o vero la verità consigliante a Prencipi Regnanti, ed a Sudditi Politici.

Lo Rossindora, ò vero la Fedeltà infedele dramma per musica.

L' Arimondo dramma morale.

L' Anima assediata dal senso dramma per musica.

Panegirici di S. Agata.

Flores Moralis Theologiæ.

Hæc omnia sub ruderibus ob terremotum anni 1693. periere.

FRANCISCUS MUGNOS in oppido Licodiæ, Diœcesis Syracusanæ, natus, unus ex præcipuis illius loci accolis fuit: vir morum gravitate conspicuus.

ſpicuus. Literis græcis, & amœnioribus, & præſertim Poeſi Etruſcâ, ac vernaculâ apprimè inſtructus enituit: à literatorum cœtu meritò magno honore proſequutus. Inter Academicos Reaccenſos Panormi, & Officinæ Meſſanæ fuit adſcriptus. Obiit in patrio oppido anno 1662. Ejus laudes habes apud Ioſephum Galeanum *in Muſis Siculis par. 2. tom. 1. pag. 247.* Edidit

Poeſie, in libro: *Le Poeſie volgari degli Accademici della Fucina. Parte ſeconda.* Meſſanæ 1658. in 12.

Canzoni Siciliane. In Muſis Siculis *par. 2. tom. 1.* Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Ioſephum Biſagnium 1662. in 12.

Gli Epinici Canzone Pindarica per la Pace d'Italia. Panormi apud Petrum Coppola 1657. in 8. Hęc fuit una ex 67. Cantionibus Pindaricis, quas prę-lo paraverat. Etſi in hoc poeſis genere inter prę-cipuos poetas locum obtinuerit; attamen editum carmen cenſorem habuit Vincentium Mōtanam Syracuſanum, qui edito libello inſcripto: *Giuditio Poetico*, ſub nomine anagrammatico Antonii Zancume, in noſtrum Franciſcum cenſoria virgula ſęvire auſus eſt. Sed Angelus Maria Bonfante Panormitanus Franciſcum egregiè propugnavit; nam librum edidit, cui titulus: *Il Cigno provocato di Meſſier Friano Forbotta*, quo Montani cenſuram ſummâ eruditione latè retundit.

FRANCISCVS NEAPOLIS Mylenſis Ordinis Minimorum S. Franciſci Paulenſis, ut teſtatur Antonius de Amico *in diſſert. epiſtol. p. 26.* ſcripſit

De Antiquitate Civitatis Mylarum. quod opus etiam citat Philippus Amicus *in Reflex. hiſt. Mylar. pag. 9. 15. & alibi.*

FRANCISCVS NIGER Platienſis Philoſophus, Doctiſſimus, ac medicâ facultate, quam egregiè callebat, clarus; ſed longè celebrior à mortis genere: nam anno 1536. vel 1537. ut aliis placet, cùm Ætna mons igneos torrentes evomeret, ipſe ut naturæ ſecreta ſcrutaretur, & proprius ignis miracula expenderet, à Civitate Leontina, quam incolebat, ad Ætnam digreſſus eſt, uſq; ad montis crateres aſcendens, è quibus incendia effluebant: & dum nimis curioſè, ſed incautè, ignem philoſophando examinare curabat, unus ex ingentibus lapidibus, quos mons in Cœlum emittebat, in caput ſuum dilapſus, Franciſcum miſerè conſumpſit. De eo Fazellus *de rebus Siculis dec. 1. lib. 2. cap. 4. pag. 61.* Antonius Philotheus *in topographia Ætnæ pag.* 18. qui ait primùm fumo ſuffocatum, inde flammis combuſtum obiiſſe; Petrus Carrera *in hiſt. Ætnæ lib. 2. cap. 19. pag. 123. in hiſt. Catanæ vol. 1. lib. 2. cap. 2. pag. 160. & in Epigram. lib. 2. pag.* 74. Jo: Paulus Chiarandanus *in hiſt. Platiæ lib. 4. cap. 3. pag. 262. & 263.* Marcus Alegambe *in hiſt. Platiæ* apud ipſum Chiarandanū *lib. 2. cap. 10. p.* 140. qui eumdem Aſtrologum præſtantiſſimum vocat. Scripſit Italicè, ſed non edidit

Hiſtoria della Città di Piazza, quam citat ſæpius Chiarandanus, ac nō pauca tranſcribit fragmenta præſertim *lib. primo cap. 2. pag. 12. lib. 2. cap. 10. pag. 140. lib. 1. cap. 4. pag. 28. lib. 2. cap. 1. pag. 79. cap. 7. pag. 121. cap. 8. pag. 123. lib. 3. cap. 3. pag. 158. cap. 4. pag. 162. cap. 5. pag. 172. cap. 6. pag. 175. & 181.*

FRANCISCVS NIGER Panormitanus, patre Calatajeronenſe natus, vir mathematicis facultatibus inſtructiſſimus. Geometriam præſertim, ac aſtronomiam mirificè calluit, quibus & mechanicas artes ſociavit. In rebus ęre graphicè ſculpē-dis excelluit. Siciliam omnem unà cum Carolo Maria Vigintimillio mathematico celeberrimo Proregis juſſu perluſtravit, ac deſcripſit. Magnâ æſtimatione à literatis proſequutus claruit Panormi, ubi obiit primo Novēbris anno 1653. Ejus Imago ad vivum ære ſculpit Petrus Aquila Panormitanus, ac typis edidit, hac adjectâ inſcriptione.

Franciſco Nigro Geometricæ diſciplinæ, Mechanicarum artium, ſculpturæq; Profeſſori, Petrus Aquila hanc ejus effigiem à ſe delineatam, & inciſam D.D.D. An. 1653.

Multa delineavit, & eleganter inſculpſit; ac aliqua habentur in deſcriptione ſolemnitatis D. Roſaliæ, quam Panormus celebravit anno 1624. ac typis tradidit Honuphrius Paruta. Panormi apud Petrum Coppola 1651. in 4. Edidit etiam

Siciliæ delineationem, ad deſcriptionem.

FRANCISCVS OLIVERIVS Monteycenſis Societatis Ieſu, in Braſilienſi Provincia diu Apoſtolicus Miſſionarius, animarum lucris addictus, magno Religionis incremento deſudavit. Theologiam in Collegio Bayhenſi docuit, ibiq; ſtudiis præfuit, ut habemus ex Hieronymo Raguſa *in Elogiis Siculorum pag.* 91. qui tum hìc, tum *in Siciliæ Bibliotheca vet. pag.* 73. ſcripſiſſe teſtatur

Hiſtoriam Braſilienſem, quę ſervatur m. s. in Bibliotheca Collegii Motycenſis Soc. Ieſu.

FRANCISCVS PACTENSIS Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci; ex Roccho Pirro *not. Eccl. Pactenſis pag.* 421. & Philippo Cagliola *in manif. Provin. Sicil. Ord. Min. Conv. explor. 3. manif. 1. pag.* 82. Edidit librum

De Situ Orbis, & deſcriptionem ejuſdem. Antuerpiæ. Lucas Wadignus *de ſcript. Minorum pag.* 139. dubitat an alius ſit à Franciſco Vita Polyntio etiam Pactenſi ejuſdem Inſtituti: ſed ego ab hoc diſtinctum puto; ideoque de hoc ſecundo infra ſuo loco.

FRANCISCVS PALMA Nobilis Erycinus, natus 22. Ianuarii an. 1618. ex Andrea Palma, & Antonia Curatulo, gravioribus diſciplinis animum erudivit Panormi, quibus ob ingenii ſublimitatem egregiè refulſit, & eximiam æſtimationem, laudemq; aſſequutus eſt. Poeſi etiam, & amœnioribus literis mirificè claruit. Defunctâ uxore, quam ex nobili familia Aurea duxerat, Clericali militiæ nomen dedit, ac Sacerdotio inſignitus, vitam traduxit morum integritate celebratam. Obiit tandem Drepani 29. Iunii 1690. edidit Italicè

Trionfo di Caſtità Tragedia Sacra per l'ingreſſo alla Religione Carmelitana di S. Alberto Ericino. Panormi apud Dominicū Anſelmum 1683. in 4. Vernaculâ linguâ, & ſuppreſſo nomine

La-

La Storia di S. Nicolò di Bari trasportata in Canzoni Siciliane. Panormi 1684. & iterum apud Josephum la Barbera 1693. in 8. & Drepani 1687. Servatur apud Antonium Palmã ejus nepotem volumen m. s. in 4. in quo habentur,

Poesie, e Prose in più lingue.

FRANCISCUS PANARELLUS Messanensis, ut ex infra notandis ejus operibus satis compertum est; nam in iisdem *F. Franciscus à Messana*, vel Hispano idiomate, *F. Francisco de Mecina* vocatur: hinc lapsum Nicolai Antonii *in Bibliotheca Hispana tom.* 1. *pag.* 342. animadvertimus; nam cum aliqua opuscula nostrum Franciscum Hispanã linguã exarasse cognovisset, Hispanum putavit, & inter suos loco citato recensuit. Vtriusque Juris laureâ insignitus; inde severioribus Theologiæ studiis ingenium admovit, ac ad vitæ spiritualis leges explendas animi vires dicavit: ideoque Matriti Divi Hieronymi institutum amplexus est, ibique ad animarum profectum sedulam adhibuit curam; & in expendendis Divinis literis totus fuit. Ob nitidissimos mores, ac virtutes egregias, quibus exornatus refulsit, summam æstimationem in sui venerationem concitavit; ideoque Philippi II. Hispaniarum Regis, ejusque Reginę uxoris à Confessionibus fuit. At cùm sæpius ad primarias Ecclesiæ dignitates extollere curarent, omnia constantissimè recusavit. Non rarò ipsum in proprio Cœnobio commorantem conveniebat Rex; ut in suprema ejus ægritudine effecit, cujus preces in sui beneficiũ enixè efflagitavit. Claruit anno 1590. Hæc ex Andrea Panarello in epistola nuncupatoria opusculi inscripti *Dispositione per incaminare l' anima al Cielo.* Ipsius meminit Ant. Fonevinus *in appar. sacro to.* 1. *pag.* 502. Edidit

Explicationem difficillimam locorum in D. Hieronymi operibus occurrentium. Lecturam in Zacchariam, cum paraphrasi in omnes duodecim Prophetas Antverpiæ apud Martinum Nutium 1597. in 4. Hieronymi Difficillima prodiere etiã cum operibus D. Hieronymi Parisiis 1623. ex Philippo l'abbè *de script. Eccl. tom.* 1. *pag.* 447.

Hispanâ etiam linguâ.

Explicacion de las ceremonias de la Missa segun el nuovo rezado.

Directorio del Anima Christiana Ecclesiastica, y Religiosa,

Discurso de como an de andar juntos la singularidad, y la comunidad, sobre quello de S. Juan: Vnus de duodecim non erat cum eis. Compluti simul apud Joannem Iñiguez 1593. in 8.

FRANCISCVS PANCALDVS Messanensis Iuris utriusq; Doctor celebris, cujus extant

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Prag. Alphonsi de Censibus Addictiones. apud Petrum de Gregorio de Censibus. Panormi typis Jo. Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterum Panormi apud Franciscum Ciottum 1622. in fol.

Hunc Franciscum Pancaldum alium puto à M. Francisco Pancaldo Catanensi, cujus extant pauca carmina etrusca in libro Carminum, ac Prosarum Antonii Minturni, edito Venetiis 1559. quo Minturnum laudat in calce indicis, eisq; aliis carminibus respondit Minturnus *pag.* 74.

FRANCISCVS PARVTA Panormitanus celeberrimi Philippi Parutæ (de quo suo loco) filius. Jurisconsultus doctrinâ clarus fuit, ac meritò Auditorem egit legionis militum Siculorum, quæ Duce D. Petro Valdina Roccæ Marchione, Panormo Mediolanum missa est anno 1630. pro bello contra Gallos tunc in Italia inferendo. A secretis etiam fuit Senatus Panormitani; ac variâ eruditione ornatus, poesi, amænioribusq: literis eximiè instructus floruit. In historicis tum veterum, tum recensiorum monumentis versatissimus claruit circa annum 1630. Hujus meminit Vincentius Auria *in hist. Chronolog. Proreg. Sicil. pag.* 94. *&* 95. Edidit Italicè

Arco dell' Eccellenza del Sig. Duca d' Alburquerque Vicerè, e Capitan Generale per Sua Maestà venendo in Palermo l'anno 1627. descritto. Panormi apud Hieronymum Rosselli 1627. in 4. quem aliqui Philippo Parutæ patri adscribunt.

Memoriale della Deputatione del Regno di Sicilia, e della Città di Palermo intorno alla divisione di quel Regno, che tenta la Città di Messina tradotto dalla Spagnola nella Italiana favella. Panormi apud Alphonsum de Isola 1630. in 4.

Panormi *Annales* moliebatur, sed morte adveniente opus abrupit.

FRANCISCVS PASSALACQVA Salemitanus Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci. Natus 17. Ianuarii 1638. literis addictus clericali militiæ nomen dedit, ac Sacerdotali charactere initiatus fuit. Sed spiritus fervore concepto laudatum Ordinem S. Francisci amplexus est. In hac regulari palestra gravioribus disciplinis abũdè instructus, severioris disciplinæ tenacissimus fuit, & ad absolutissimum perfectionis gradum propetavit: ideoq; & inculpatis moribus, & virtutum splendore refulsit. Ad nonnulla Religionis munia meritò vocatus, tyronibus regendis admotus est, & Cœnobio Panormitano S. Marię de Jesu præfuit, Custodis munere. In Provincia Sicula Vallis Mazariæ Definitorem egit: ac virtutibus egregiis conciliatâ sibi omnium benevolentiâ, à D. Petro Colon Duce Veraguæ Siciliæ Prorege magnâ æstimatione prosequutus est; qui à suis cõfessionibus voluit. Sed cũ pro animarũ salute mirum in modum æstuaret, ut in Barbarorum terras divini verbi prædicationem disseminaret, facultatem enixè petiit, ac obtinuit: ideoq: Commissarius Apostolicus, ac Præfectus Missionis Ægypti, & Æthiopiæ electus, ad easdem regiones transiit, ubi ad animarum lucra, ad Religionem Catholicam amplificandam, magno animi ardore intentus, hodie sexagenario major impigrè desudat. Edidit

Acta Concilii Calcedonensis in Arabicum idioma translata ad erudiendos Oriẽtales, & maximè Ægyptios ad Catholicam Fidem instruendos. Romæ typis Sac. Congregationis de Propaganda Fide 1694 in fol.

FRANCISCVS PERDICHIZZI Mylensis Ordinis Capuccinorum, conspicuâ familiâ ortus anno

anno 1641. ordinis institutum amplexus est anno 1660. Rexit cœnobia oppidi S. Luciæ, ac Mylarum. Adhuc superstes sexagenario major vivit in patria, morum integritate, & virtutibus clarus. Edidit Italicè

Il Milazzo Sacro. Messanæ apud Vincentium de Amico 1696. Sed hoc opus vel invidiæ vi, vel alia ex causa non est adhuc publici juris: ipsumque citat Philippus Amicus *in refl.hist.Mylar. pag.* 14. 15. 16. & alibi.

FRANCISCUS PETRONIUS dictus à S. Anna Agrigentinus Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci. Lucem aspexit anno 1643. ac Ordinem ingressus, tum Philosophiam, tum Scolasticam Theologiam sodales suos docuit. Ad tyrones formandos aliquandiu adhibitus est. Definitorem in Provincia Vallis Mazariæ egit; ac SS. Inquisitionis Siciliæ fuit librorum censor. Eruditione claruit, & in Sanctorum Patrum voluminibus versatissimus, laudem promeruit non vulgarem. Obiit in patrio Cœnobio S. Viti 24. Octobris 1697. Typis dedit librum inscriptum:

Arbor Decora, & Fulgida Genologiæ Sanctorum Ioachim, & Annæ, Davidicæ stirpis gemino virente stipite Nathan, & Salomonis exornata, quinque efferens Parentum Christi ramos, totidem ætatibus Incarnationem præcedentibus respondentes. Tomus Primus, & Secundus. Drepani typis Iosephi la Barbera 1686. in fol.

FRANCISCUS PHARAONIUS Messanensis Sacerdos, vir etsi humili loco natus, humanioribus literis apprimè excultus claruit. Ita propriâ virtute profecit, linguæ latinæ auctores pertinaci labore evolvens, ut inter peritissimos sit meritò cooptatus. Ephebos Messanenses primis latinæ linguæ elementis diu erudivit: & non modò ingenia expolire curavit, verùm etiam ad virtutē, ac animi religionem discipulos suos excitavit. Musas etiam coluit, ac non injucunda cecinit. Literas quoq; græcas hausit, seu verius attigit, quas à Constātino Lascari, Messanæ docente, accepit. A dignitatibus penitus abhorruit, christianæ pietati insigniter addictus. Floruit circa annum 1513. quod conjectare licet *ex tractatu suo de epistolis in lib. 3. suarum institutionum*, ubi hunc annum cuidam epistolæ apposuit: annum verò ætatis suæ attigit nonagesimum. Ipsius vitam scriptis tradidit Marcus Plancarenus Basilius ejus concivis, & discipulus, quam ejusdem institutionibus præfixit. Hujus meminere Placidus Reina *par. 2. hist. Messanæ pag.* 47. Paulus Bellus *in Gloria Messanensium pag.* 155. Placidus Samperius *lib.1.Iconolog. M. V. pag.* 37. qui etiam mathematicum illustrem prædicat, Ioseph Bonfilius *in sua Messina lib. 7. pag.* 54. & Petrus Angelus *Spera de nobilitate profess. Grammaticæ lib.* 4. *pag.* 232. Edidit

Institutiones Grammaticæ, & libellum metricæ artis. Messanæ pluries, Venetiis apud Floravantes 1531. in 8. Panormi apud Hieronymum de Rossellis 1639. in 8. & alibi sæpè recusas: easq; celebres, in Siculis scholis passim docent.

FRANCISCUS PISANUS Panormitanus adolescens Tertii Ordinis S. Francisci Religionem amplexus, in ea gravioribus disciplinis eruditus, Magistri lauream obtinuit, ac Ecclesiastem egit non sine eloquentiæ laude. Sed ex Ordine, nescio qua de causa, egressus, Archipresbyter, & Canonicus oppidi Ciminnæ, Diœcesis Panormitanæ, eligitur à Cardinale Ioannettino Doria Archiepiscopo Panormitano 10. Septembris 1630. Sed anno 1651. cùm hanc animarum curam renunciasset, iterum ad Religionem regressus est: sed secundò etiam relicto regulari instituto ad Archipresbyteratum, non sine litium jurgiis iterum rediit anno 1654. Hanc autem Ciminensem Ecclesiam doctrinâ, ac animarum zelo munitus laudabiliter gubernavit. Prothonotarii Apostolici titulo fuit etiam insignitus, ac SS. Inquisitionis Siciliæ Commissarium egit. Obiit tandem in eodem Ciminnæ oppido 13. Januarii 1663. & in majori Ecclesia sepelitur. Edidit

Considerationes de excellentia, & Religiosa sobole eximii Doctoris Maximi Augustini, ex elogiis & prolusionibus SS. Patrum, & Doctorum in epitomen decerptas. Panormi ex typographia Petri de Isola 1650. in 4.

Scripsit etiam, sed non edidit opus

De Administratione Sacramentorum.

FRANCISCUS PLATAMONIUS nobilis Panormitanus, generis claritatem severioribus disciplinis, eruditione, eloquentiâ, politioribus literis, & insigni memoriæ vi exornavit. Hinc magno cum plausu elegātissimi ingenii dotes in Panormitana Reaccensorum Academia detexit. Musas tum Etruscas, tum Siculas coluit eximia cum sui laude. Literatis gratissimus, obiit Panormi 8. Junii 1654. ætatis suæ anno circiter 80. & in Ecclesia S. Petri in Vincula Fratrum curantium Infirmis sepultus est: eique Reaccensorum Academia justa persolvit 9. Julii eodem anno, & in ejus laudem funebrem dixit orationem Vincentius Auria, cujus authographum extat apud me. Hūc laudibus extollit Petrus Carrera *in epigram. lib. 2. pag.* 61. & Joseph Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag.* 251. *& par.* 4. *pag.* 105. Vernaculâ linguâ scripsit

Canzoni Siciliane In Musis Siculis *par. 2. tom. 1.* Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In eisdem Musis *par.* 3. Ibidem apud Bisagnium 1651. in 12.

Canzoni Siciliane Sacre. In eisdem Musis. *par.* 4. Ibidem apud eumdem 1653. in 12.

Multa etiam Italicis numeris alligata scripsit, sed inedita reliquit.

FRANCISCUS DE PODIO Siculus Jurisconsultus, sed incertæ patriæ, cujus extant

Addictiones super Ritu Regni Siciliæ. In commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

FRANCISCUS POLYNTIUS v. Franciscus Vita Polyntius.

FRANCISCUS POLITIUS v. Petrus Ansalonius.

FRANCISCUS PODIUS Panormitanus Musicus egregius. Claruit anno 1604. quo in lucem emisit Italicè

Primo libro di Ricercate. Panormi typis Joannis Antonii de Franciscis 1604. in 4.

In libro inscripto : *Infidi lumi. Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi apud Joannem Baptistam Maringum 1603. in 4. extant aliqua nostri Francisci.

FRANCISCUS POTENZANUS Panormitanus, Pictor, & Poeta egregius. Etsi non multâ imbutus doctrinâ, attamen naturæ bonis abundè locupletatus, doctissimos ævi sui viros æmulabatur. Præstantissimo enim ingenio, & singulari ad poesim, & ad oratoriam indole munitus, inter eximios oratores extemporaneas persæpè orationes proferebat, omnibus Rhetoricæ ornamentis refertissimas; adeout in sui admirationem trahebat omnes. Poetico instructus ingenio magno mentis impetu ad carmina concinnanda ferebatur. Hinc Marco Antonio Columnæ, Siciliam Regis nomine moderanti, gratissimus fuit: qui edita publica solemnitate, Vatum more, Panormi laureâ coronâ donari permisit. Hoc autem in festo permagnâ pompâ condito, multa scripta in sui laudem à Poetis Panormi degentibus accepit: & cum omnium admiratione, ac plausu, plusquam quinquaginta carminum monumentis, quæ vulgò vocant *Sonetti, Canzoni, Madrigali*, sine ulla hæsitatione, æqualibus rythmis, ac carminum generibus, promptè respondit. Non minori celebritate tamquam Pictor præclarissimus iterum florum coronâ redimitum voluit laudatus Prorex, magna cum urbis acclamatione; & cùm Marcus Antonius, Virum Magnum vocasset, eodem nomine exinde passim appellabant; ut exactè, latèque exponit Vincentius de Joanne *in Panormo Restaur. m. s. lib.* 3. cujus narrationem nuper edidit P. Joannes Maria Amatus *in notis ad orat.* 1. *pro studiis Collegii Panorm. à pag.* 128. Numisma etiam in sui gloriam cusum fuisse compertum est, in cujus antica parte ipsius effigies demirabatur lauro præcinta; in postica verò mulieres duæ, quæ sese mutuò amplectebantur: nempè Poesis & Pictura, duas exhibentes coronas: quo ad sæculorum memoriam indicare voluere, Franciscum utraque facultate singularem. Aliud etiam vidi numisma extra Siciliam editum, in quo imago eodem modo lauro exornata spectabatur, cum hac inscriptione: *Franciscus Potenzanus Magnus Siculus.* Ex alia parte Sol nubium nexu adumbratus, addito lemmate: *Nubila solvit.* In Hispaniam profectus celeberrimum Escurialense Templum penicilli operâ illustravit. Barcinonæ, Romæ, Melitæ, Neapoli, & alibi multa depinxit, multaque cecinit summa cum laude. Demum Neapoli lethali morbo correptus, cùm mortem sibi instare intelligeret, patriam repetere voluit, ut in patrio solo mortalitatem deponeret: ideoque Panormum appulsus, condito testamento, disposuit, ut fratres sui hæredes, Poema suum de Hierosolyma destructa, post ejus mortem typis traderent: ac paulò post magno literatorum dolore decessit anno 1599. Hujus cum laude meminere Franciscus Baronius *de majestate Panorm. lib.* 3. *cap.* 116. Vincentius de Joanne *in Panorm. triumph. lib.* 12. *pag.* 125. Octavius Potenzanus *in poemate decem mil. Mar. can.* 5. *pag.* 72. & Vincentius Auria *in Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 62. Edidit Italicè

Epitafi fatti in morte del Sig. Capitano Oratio Acquaviva nell'onorate esequie fatte in Barcellona. Romæ.

La destruttione di Gerusaléme dall'Imper. Tito Vespesiano. Poema Heroico diviso in otto canti. Neapoli apud Antoniũ Pacem 1600. in 8. opus posthumũ.

Rime di diversi eccellenti Autori in lingua Siciliana, all'illustre Vittore, e Poeta Sign. Francesco Potenzano Palermitano, con le risposte meravigliose del medesimo. Ibidem apud Horatium Salvianum, Cæsarem Cæsaris, & fratres 1582. in 12.

FRANCISCUS DE PUTEO Nobilis Messanensis Sacræ Theologiæ, ac utriusque Juris Doctor: gravioribus disciplinis amœniores literas, ac poesim præsertim addidit. Ob egregiam doctrinam, eximiamque prudentiam, quibus excelluit, ad multa fuit meritò evectus: nam in Hispaniam delatus, ibi à sacello fuit Philippi II. Hispaniarum Regis, qui anno 1580. in Siciliam ablegavit, ut Regii Visitatoris munus obiret, ideoque Siculas omnes Ecclesias juris patronatus Regii sedulò, ac singulari vigilantiâ perlustravit. Hinc in laborum præmium anno 1585. Archimandrita Messanensis eligitur, & octo millia aureorum in auxilium accepit. Anno verò 1590. Episcopali Infula Agrigentinæ Ecclesiæ fuit cohonestatus. In Ecclesia regenda vigilantissimi Pastoris partes explevit: nam cùm Cathedralem sacris ornamentis denudatam invenisset, ac ruinam minantem, Apostolica facultate obtinuit, ut è mensa Episcopali singulis annis perpetuò unciæ 150. expenderentur ad Ecclesiæ ornamenta conficienda, & ad ædificia instauranda. Animarum zelo flagravit; pauperes liberalissimè levare curavit; omnia enim in Pauperes erogabat, & semel propria veste pauperis cujusdam nuditatem operuit. Decessit, relicto absolutissimi Præsulis exemplo, 7. Martii 1593. Consule Abb. Pirrum *Sicil. Sacr. lib.* 2. *pag.* 459. *not. Eccl. Agrig. pag.* 314. & *lib.* 4. *pag.* 38. Placidum Samperiũ *in Iconolog. M. V. lib.* 1. *pag.* 101. Josephum Bonfilium in sua Messana *lib.* 8. *pag.* 59. & 60. Stephanum Maurum *in Messana cap.* 15. *pag.* 116. & *cap.* 28. *pag.* 265. Josephum Ambrosium *in relatione solemnitatis Epistolæ Marianæ pag.* 417. & Coronelli *Biblioth. univer. tom.* 4. *num.* 841. *pag.* 175. Edidit Italicè

Rime Spirituali Messanæ apud Faustum Bufalinum 1590. in 4.

Poema di S. Placido, e Compagni Martiri diviso in più canti. Messanæ in 4.

Relationem Visitationis omnium Ecclesiarum Siciliæ Juris patronatus Regis. servatur m. s. Panormi in Tabulario Regii Siciliæ Conservatoris.

FRANCISCUS PREUI Platiensis Societatis Jesu, florente adhuc ætate Societatem amplexus est, in qua solemnia quatuor emisit vota. Absoluto magna cum præstantissimi ingenii laude, ac virtutis egregiæ fama studiorum curriculo, Rhetori-

toricę præcepta sodalibus suis tradidit. Philosophiam etiam, ac scholasticam Theologiam Messanæ docuit non sine plausu. Rexit Collegium Netinum eâ utilitate, ac suavitate, ut in sui admirationem traxerit omnes, & magnam æstimationem sibi comparaverit. Eluxit in eximio viro morum sanctimonia, ingenium serium, impigrum, eruditio præclara, in regendo prudentia singularis, modestia conspicua, cum comitate conjuncta. Severioribus pœnitentiæ legibus seipsum edomuit; at alios mansuetudinis regulis regere curavit. Nil illi antiquius, quam humilitatis studium, & flagrantissimum charitatis ardorem sovere. Absolutissimi viri virtutes omnes in ipso mirabiliter refulsisse omnes testantur. Supra cætera in ipso eminebat animi, morumq: candor admirabilis, quo omnes in sui amorem facilè excitavit. Vix graviores tradiderat disciplinas, cùm reluctante modestiâ, ad tyrocinium Messanense regendum evocatus est, ut Societatis tyrones expoliret, ac formaret; sed trimestri elapso, vitam numeris omnibus absolutam, magno cum omniū dolore ibidem reliquit 6. Februarii 1670. Ejus meminit Paulus Giunta *in Vita P. Placidi Giunta cap. 11. pag. 114. & seq.* Edidit Italicè suppresso nomine

Vita della B. Lucia V. Caltagironesa Religiosa dell'Ordine di S. Francesco. Messanæ ex typographia Ill. Senatus, per Bonacotam 1664. in 12.

FRANCISCUS PRINCIPATUS Panormitanus Societatis Jesu Concionator disertissimus, ac magni nominis; eloquentiâ, & eruditione præclarus. Inter primos, qui magno cum plausu conciones ad populum habuere, meritò recensendus. Amœnioribus etiam literis ingenium expolivit. De Collegio Panormitano benemerentissimus, in illud magnam pecuniarum summam detulit. Non minus doctrinâ, quàm vitę integritate, moribusque inculpatis claruit. Ætate gravis obiit in domo Professorum Panormi 24. Decẽbris 1666. Ipsum laudat Jo: Bap. de Judice *in suis carmin. par. 1. pag. 394.* Edidit Italicè

Oratione funerale nella morte del Ven. P. Fr. Bernardo della Favara Minore Oss. Rif. Messanæ apud Jacobum Matthęi 1659 in 12.

Predica detta nella festa dell' Immacolata Concettione della Beatissima Vergine Maria Madre di Dio con pompa regia, e magnifica spesa, celebrata per ordine dell'Illustriss. Senato della felice Città di Palermo nel Ven. Convento di S. Francesco con l'occasione del nuovo Decreto di Alessandro VII. Pontefice Massimo. Panormi apud Petrum de Isola 1663. in 4.

La Boscareccia, ò sacra Pastorale della Natività di Cristo in rima. Messanæ apud Iacobum Matthæi 1661. in 12. & iterum Panormi apud Petrum de Isola 1664. in 12.

FRANCISCUS PRIUITERA Catanensis Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, natus 8. Augusti 1631. regulari militiæ nomen dedit in oppido Petraliæ Superioris 19. Octobris 1647. Emensis studiorum spatiis Philosophiā, ac Theologiam sodales suos ter docuit Messanæ, ac Catanæ per annos tresdecim eximia cum doctrinæ laude: hinc meritò ad Lectoris Generalis gradum evectus est. Conciones etiam tum in cinerali jejunio, tum Dominici Adventus tempore pluries habuit cum animarum fructu. Præclara viri promerita ad nonnullos honorum gradus evexere. Neapoli enim triennio confessiones Monialium Monasterii S. Claræ excepit: ac etiam ibidem Monialium in S. Mariæ Magdalenæ Monasterio degentium conscientias expolivit. Decies in variis Ordinis Cœnobiis præfuit Custos. Bis in Messanensi Provincia Definitor claruit; in eaque anno 1682. Provincialis electus est, quam eximiâ prudentiâ gubernavit. Visitatorem egit, in alia Sicula Provincia Vallis Neti, & Sanctorū Martyrum in Calabria. Nec inter Ordinis sui limites tantummodo honoribus cohonestatus, sed etiam extra; nam Sanctiss. Inquisitionis Siciliæ Consultor, & Censor electus est. In Catanensi Diœcesi Synodalis Examinator: & ab ipsa Catanensi Urbe Orator ablegatus fuit in Hispaniam anno 1678. pro gravissimis rebus, quas sedulâ pertractavit prudentiâ. Tandem doctrinâ, & eruditione clarus septuagenario major Catanæ decessit 18. Januarii 1702. Ipsius meminit Pater Petrus Tognoletto *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 572.* & Franciscus Petronius *in epist. nuncup. Geneolog. D. Annæ.* Edidit

Manuale Antistitum, seu de dextera, & sinistra Episcoporum, in quo quid potest, quidve non potest Episcopus ferè qualibet in materia, ordine abecedario disposita, juxta probabiliora DD. beneplacita, dilucidè resolvuntur. Catanæ typis Bisagni 1683. in fol.

Italicè

Elogio di S. Euplio Martire Catanese. Ibidem apud eumdem 1691. in 4.

Epitome della Vita, Martirio, e Miracoli dell'Invitta, Nobilissima, e Generosa Sposa di Giesù S. Agata V. e M. con l'aggiunta dell'Annuario Catanese per le notitie sacre, e anco profane della Città di Catania. Ibidem apud eumdem 1690. in 4.

Dolorosa Tragedia rappresentata nel Regno di Sicilia nella Città di Catania, in cui il venenoso serpe Terremoto con varie stratagemme demostra le funeste sciagure della caduta Città; come anco d'alcune altre Città, e Terre nel Regno, con la morte dell' oppressi viventi, e danni inreparabili, e deplorabili. Ibidem apud eumdem 1695. in 4:

Prælo paraverat hæc alia, nempè

Elogio di S. Giuseppe.

Il Venerdì Santo.

Calendario Romano, in cui si mette l'anno, giorno, Pontefice, Imperadore, età del Santo, la Religione, il luogo dove riposa, e l'autore, che lo dice.

FRANCISCUS PROUENZALIS Catanensis Juris utriusque Doctor celeberrimus. Doctrinâ instructissimus Jura Civilia publicè docuit in famigeratis studiorū Lyceis magna cum doctrinæ laude, ac plausu: in Academiis enim Catanensi, Salmaticensi, Ilerdensi, Patavino, Bononiensi, & Pisano jus Cæsareum explanavit, ac in sui æstimatio-

mationem omnes excitavit. Ad honores meritò vocatus, pluries in Sicilia Magnæ Regiæ Curiæ Judex præfuit; ac in eodem Tribunali Fisci Patronus, ut etiam Regius Consiliarius effulsit. Demum in Hispaniam à Carolo V. Imperatore accersitus est, ut in supremo Aragoniæ Concilio Regentis munere præesset. Honoribus plenus obiit Gandavi anno 1558. ut inscriptio in ejus ædium fronte Catanæ incisa, ante Terremotum anni 1693. his carminibus testabatur.

Francisci, cui cognomen Provincia donat,
Nobilis ista domus, stemmate celsa fuit.
Curia Magna duos illi largita triumphos,
Judice sub tanto . . bina tulit.
Heu Catinæ genus, Gandavi conditur urna,
Fiscalis Judex, Dux, & in arma, Regens,
Vixit lustra decem: moritur regnante Philippo,
Quem Pater ut regnet Carolus ipse jubet.
Anno M. D. LVIII.
E. P.

Hujus laudes leges apud Joannem Baptistam de Grossis *in Decacord. Catan. tom.2. cord.9. pag.*147 Petrum Ansalonium *de sua familia pag.* 358. qui Joannem Franciscum Provenzalem vocat, Mariū Cutellum *de donationib. tract.* 1. *disc.* 2. *partic.* 11. *num.*80. Anton. Ballum *tract. var. lib.* 5. *quæst.*2. *num.*31. Marium Mutam *in Capit. Regni Sicil. tom.* 4. *cap.*112. *num.* 56. aliosque. Scripsit

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Regiam Pragmaticam Alphonsi de Censibus, Annotationes. Extant apud Petrum de Gregorio *de Censibus.* Panormi typis Joannis Antonii de Franciscis 1609.in 4.& iterū apud Franc.Ciotti 1622. in fol.

Consilium. Apud Ioannem Franciscum de Castillo *in libro primo Decisionum Tribunalis Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, post septimam Decisionem.* Panormi apud Angelum Orlandum 1626. in fol.

Addictiones ad Bertach. Has citat Ioseph Cumia *in Rit. M. R. C. cap.*91. *pag.*360.

Adnotationes ad l. si non ibi rem ff. de cond.indeb. citantur à Muta *in Cap.Regni Sicil. tom.*4. *cap.*112. *num.*56.

In tit.de Acquirenda Possessione lecturá, ex Grosso cit. *in m.s. de scrip. Catan.*

FRANCISCUS RAJATUS Panormitanus Soc. Jesu, natus anno 1578. Societati nomen dedit 21. Novembris 1593. In severioribus Philosophiæ, ac Theologiæ studiis instructissimus: tum græcâ, tum latinâ eruditione claruit. Rhetoricam Societatis Jesu juniores, exterosque docuit. Virtutes coluit egregias, quas diu morborum, ac dolorum cruciatibus expolivit. In his enim animi tranquillitatem, vultumque ne dum serenum, verùm etiam insigni lætitiâ perfusum servabat, non sine omnium admiratione. Virtutum exemplo, ac morum suavitate mirificè omnium animos sibi conciliabat; quos dum morborum vi colluctabat, colloquiis undique dulcedinem effluentibus, rapiebat. Indignati veri Numinis maestatem, flagella minantem meditari gaudebat, dum ex rebus naturalibus nullam magis Domini magnitudinem exprimere intelligebat. Magno omnium dolore decessit Panormi 29. Februarii 1636. Ipsum laudat Bibliotheca Soc. Jesu *pag.*246. Philippus Labbè *in Chronol. Pinacoth. scrip. Soc. Jesu pag.*384. & Michael Frazzetta *in Vita Aloysii la Nusa lib.*2. *cap.* 4. *pag.*162. Edidit Italicè

Instruttioni per alcuni esercitii spirituali. Parte prima, e seconda. Panormi apud Io: Bapt. Maringum 1622. in 12.

Latinè

Symbola, & Inscriptiones adornatas honori Sanct. Ignatii, & Xaverii. Prodiere cum relatione solemnitatis eorumdem Sanctorum, edita à Thoma de Afflictis. Panormi typis Ioannis Baptistæ Maringi 1622. in 4.

E Græco latinas fecit has Sanctorum vitas, nēpè

Petri Episcopi Narrationem de vita S. Fantini. Extat apud Octavium Caetanum *tom.* 1. *Sanct. Siculor. à pag.* 152.

De Vita, & Miraculis S. Gregorii Agrigentini Episcopi, Auctore Leontio presbytero. apud eumdē Caetanum *tom.* 1. *à pag.* 188. A nostro Francisco versas testatur idem Caetanus *in animad. pag.* 139. & 167.

Scripsit etiam Italicè

Vita di F. Serafino Fardella Palermitano dell' Ordine della Stretta Osservanza di S.Francesco, quam tamen ineditam reliquit; sed ipsam citat, ac ex ea nonnulla exscribit fragmenta Petrus Tognolettus in hujus vita edita *in Paradiso Seraphico par.* 2.*lib.* 6. *cap.*153.& *seq.* & seorsim edita Panormi apud Bisagnium 1659. in 4.

FRANCISCVS RICCIUS Jurisconsultus Siculus: hujus *Allegationes in materia feudali,* citat Ioseph Cannetius *in extravag. pag.* 334. & Camerarius Beneventanus, in quadam responsione ad Cannetium in ejus operis calce *pag.* 369. ubi recensetur cum aliis celeberrimis Jurisconsultis Siculis, qui de rebus feudalibus doctissimè scripsere.

FRANCISCVS RISICATUS ex oppido Roccellæ, Agyrensis incola, & Utriusque Juris Doctor. Eximias ingenii dotes gravioribus disciplinis, ac mitioribus studiis æquè addixit; & ex omnibus eruditionem, ac doctrinam sibi eruit amplissimam. In supremis Siciliæ subselliis causarum patronum egit; & apud Agyrenses Patritii, & Ducis munere præfuit. Omnigenâ eruditione, literatorum amore sibi conciliato, obiit Agyrę 10. Octobris an. 1678. & in Ecclesia Fratrum Strictioris Observantiæ S.Francisci sepulturę traditus est. Etsi domesticis curis, ac podagræ doloribus diu vexatus, attamen scripsit, edid itque

De Statu Hominum in Republica Tomum Primū, & Secundum, Panormi typis Petri Camagna 1673. in fol.

Prælo paraverat

De Hominum Statu Ecclesiastica in Republica.

De Hominū Statu, qui à Republica ejci debent.

Commentaria circa merum, mixtumque Agyræ Imperium.

FRANCISCVS ROMANVS Catanensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ,& utriusque Juris Doctor Ecclesiastem egit magna cum doctrinę, & eloquen-

quentiæ laude. Anno 1637. Panormitanę Ecclesię Canonicus electus, apud ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopos eximiâ effloruit æstimatione, qui Judicem, & Synodalem Examinatorem delegere. Ex regia munificentia Prioratum S. Mariæ de Burgitabùs etiam accepit. Obiit Panormi 13. Septembris an. 1661. & in Ecclesia S. Mariæ Novę sepultus est. Hujus cum laude meminere Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 435. Franciscus Scorsus *in proœmio primo ad homilias Theophanis Ceramei* §.3. Theophilus Raynaudus *de varia christiana hist. cap.* 39. ubi Drepanitanum prodigium enarrat; ait enim, quòd cùm Franciscus anno 1641. Drepani in Ecclesia Congregationis Oratorii conciones haberet, & prævia invitatione omnes ad concionem de inimicorum dilectione primæ feriæ sextæ Quadragesimæ advocasset; nocte, quæ concionem antecessit, animo revoluit comparationem; nimirum, quòd sicut Templi fornix si super coactam in Templo turbam rueret, ita ei noceret, ut tamen seipsam destrueret; ita inimicus, damna inimico inferendo, seipsum perdit. Mane in magna confluentium multitudine cùm ad conceptam comparationem advenisset, mirùm dictu! Templi fornix statim corruit, & quingentas propè mulieres contrivit, viros etiam nonnullos oppressit, plures luxavit, inter quos & ipse Franciscus concionator; urbem verò luctu, & terrore simul implevit. Vide etiā Michaelē Frazzettam *in vita Hieronymi Palermo lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 112. Scripsit

Miracula Imaginis B. Mariæ Virginis non manufactæ Tauromenii.

FRANCISCVS ROMANVS Messanensis Soc. Iesu, Ordini nomen dedit anno 1594. in quo quatuor votorum professionem emisit. Humaniores literas, ac Rhetoricæ præcepta quinquennio docuit: Philosophiam verò triennio. Sacras etiam literas summa cum laude explanavit. Pietate, eruditione, ac doctrinâ insignis fato cessit Messanæ 9. Augusti anno 1625. Ipsius meminere Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 515. Philipus Labbè in *Chronolog. Pinacoth. Scriptor. Soc. Iesu p.* 351. & Ioannes Mollerus *de Scriptoribus Homonymis sect.* 1. *cap.* 3. *n.* 18. *pag.* 75. Edidit

De Sacro Ecclesiaste, sive de Arte dicendi in sacris Concionibus libros tres. Coloniæ per Bernardum Gualterum 1622. in 4.

Alias scripsit in aliquot sacrę scripturæ libros lucubrationes, quæ Messanæ in Bibliotheca domus Professorum Soc. Iesu m. ss. servantur.

FRANCISCVS RUBBAUS Messanensis Doctor, vir ab amœnioribus literis commendatus, inter Officinę Messanensis Academicos floruit, circa annum 1656. Sub nomine Academico, nempe *lo Scaltro*, laudatur à Fulgentio Arminio *in Prosis Officinæ lib.* 1. *pag.* 70. Hujus extant Italicè

Poesie. in libro: *Stravaganze Liriche degli Accademici della Fucina. Parte prima.* Bononiæ apud Jo: Bap. Ferronium 1642. in 4.

Poesie. in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucinà. Parte prima.* Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1656. in 12.

FRANCISCUS SACCENSIS Ordinis Capuccinorum. Primùm Minorum Observantium S. Francisci institutum professus, inter ipsos Theologus clarissimus fuit. In Scoti doctrinâ ita versatus enituit, ut acutissimi Doctoris nomen sibi comparaverit. Inde arctioris vitæ desiderio æstuans, ad Capuccinos transiit anno 1552. inter quos, doctrinæ sanctimoniam adnectens, ad eminentiorem sanctæ vitæ gradum sedulò properavit. Hinc egregias virtutes assequutus humilitate, patientiâ, mansuetudine, charitate, aliisque virtutibus refulsit; ideoque non modò inter sodales suos, verùm etiam & apud sæculi viros celebris vixit, ac maximâ veneratione prosequutus est. Ipsius præsertim abstinentia admirabilis fuit; nam bis in hebdomada vescebatur, pane, & aquâ tantùm adhibitis: hanc autem vitæ rationē per triginta annos constantissimè protraxit. In majori hebdomada ad famem expellendam, duos, vel tres panis bolos sumere consuevit: aliquandiu à Dominica Passionis, usque ad Resurrectionis diem ter frustulum panis, ac parum aquæ suscepit; & non rarò; ut ferventius orationis studio vacaret, cui se totum dicaverat, decē integros dies sine aliquo prorsus cibo perduravit. Durissimis pœnitentiæ legibus corpus cruciabat: hinc septies singulis diebus in se ipsum asperrimis verberationibus sæviebat, & præsertim die Veneris spineis virgis plagas ingeminabat, è quibus magna sanguinis copia effluebat. His tria addidit cilicia, nunquam deposita. Dominicæ Passioni, ac Deiparæ Virgini mirificè addictus fuit; eique multoties se spectabilem fecit benignissima Clementię Mater. Animarum zelum, ac flagrantissimam charitatem in declamationibus ad populum patefecit, eâque auditorum frequentiâ conciones habebat, ut sæpius ob innumeras populorum turbas ad ipsum audiendum confluentes, in plateis è suggestu detonare coactus sit. Vnum non prætercam, quod in oppido Buccheri accidisse referunt; cùm enim obduratos peccatores urgeret, ut ad meliorem frugem revocaret, ad Dominum cruci affixum reversus ait: ni ad pœnitentiæ tramitem sese redigerent, Christi Domini manus tunc cruci affixas, ejectis clavibus, fulmina accepturas. Mirùm dictu! vix hæc protulerat, cùm Christi dextera è cruce avulsa in altum sese levavit, ac si fulgura vibrare vellet: quo omnes terrore affecti contremiscentes, in doloris lacrymas abiere, Domini misericordiam inclamantes. Hinc ad populorum lacrymas, quasi vindicem indignationem Dominus temperaret, iterum ad crucem dexteram retraxit: & auditorum nonnulli hoc prodigio commoti declinantes sæculi illecebras, ad Religionis asylum convolarunt. Pluries ob singularem prudentiam Guardianum, ac Definitorem egit: ac tandem annum agens 70. cùm ægrotaret Panormi, & jam morti proximum se intelligeret, voluit, ut super nudum solum prosternerent, è quo ad Cœlum evolavit anno 1575. relictâ in toto Siciliæ Regno sanctimoniæ præclarissimæ famâ. Ejus vitam describit Boverius *in annal. Capuccin.*

tom.

tom.1. ann.1575. à num.22. vide etiam Josephum Cammaratensem *in monile centum decem Rosarum pag.*516. Lyreum *de imitatione Jesu patientis lib.*5. *cap.*8. *pag.*319.& Dionysiũ Genuensem *in Bibliot. Capuccinorum pag.* 124. qui scripsisse testatur

Lecturas Philosophicas, & Theologicas secundùm mentem Scoti. servantur Panormi m. ss. in Bibliotheca Obseru. S. Francisci.

FRANCISCUS SALAFIA Syracusanus Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologię Magister doctissimus. Tum graviores Philosophię, ac scholasticę Theologię disciplinas docuit, tum etiam moralem Theologiam, magno cum Syracusanorũ fructu, & plausu. Obiit Syracusis 21. Februarii 1662. Edidit

Speculum Archimedis, in quo reflexis radiis Solaribus illustrium disquisitionum moralium R. P. Fr. Vincentii Candidi Sacri Palatii Magistri Ord. Prædicatorum, omnes Casus Conscientiæ practicabiles summariè digesti resolvuntur. Messanę apud hęredes Petri Breę 1655. in 4.

FRANCISCUS SALERNUS Biccarẽsis Sacerdos, Sacrę Theologię, & utriusque Juris Doctor, ac Prothonotarius Apostolicus. Natus 21. Novembris 1597. Panormi Clericorum Seminarium ingressus, in eo tum humanas, tum etiam graviores disciplinas accepit eximia cum ingenii laude; ac Theologicâ Doctoris laureâ non immeritò donatus est. E Seminario egressus Jurisprudentię studiis ingenii pręstantissimi dotes devovit; eâque animi contentione, ut eruditione apprimè ditatus, inter doctissimos fuerit recensitus. His munitus præsidiis in Hispaniam abiit, ibique apud supremos Hispanię Judices causarũ patrocinium exercuit, & ob egregiam doctrinam permaximam sui ęstimationem, laudemq; nõ vulgarem excitavit. Hinc cùm eâ tempestate quęstio effervesceret, an matrimonia apud Gallos ab iis inita, qui Regio sanguine progeniti (Principes sanguinis appellant) & Jure legis Salicę, ad Regni successionem animum intendere possunt, sint valida; si sine Regis consensu, vel ipso reluctante sint contracta; jussu Philippi IV. Hispaniarum Regis, in hac re eruditionis suę vim contulit, & opusculum scripsit, quod typis traditum, magno cum plausu exceptũ est: & ad Summũ Pontificem Urbanum VIII. delatum, magna cum sui nominis celebritate affirmant. Doctrinę pręstantia, aliaque virtutis promerita ad multos honorum gradus nostrum Franciscum evexere; nam à laudato Catholico Rege Canonicus Panormitanę Ecclesię primùm electus ex numero decem & octo, inde anno 1633. unus ex sex Canonicis, quos S. Joannis de Eremitis in eadem Ecclesia vocant, & unus ex Abbatibus Commendatariis Abbatię ejusdem Sancti renunciatus est: ut etiam Prior Sanctor. Laurentii, & Philippi Agyrensis. Apud Panormitanę Ecclesię Præsules magnâ valuit ęstimatione; ideoque ad multa honorificè promotus refulsit; Judex etenim, & Examinator Synodalis fuit constitutus: Seminarii Clericorum Rector, Fabricę Prefectus, Monasteriorum Deputatus: inde etiam Vicarius Generalis Archiepiscopi Ferdinandi de Andrada anno 1644. ac post ejusdem translationem in Hispaniam iterum Vicarius Generalis à Capitulo electus, sede vacante, anno 1649. ac tertiò eodem munere insignitus est à Martino de Leon Archiepiscopo successore anno 1650. In Ecclesia etiam Montisregalis anno 1643. post obitum Cardinalis Cosmę Torres Archiepiscopi, Vicarias gessit curas. Bis Regni Sicilię fuit, ut vocant Deputatus, ut etiam Vectigalium Panormi. In his omnibus, singulari prudentiâ, ac doctrinâ obitis muneribus, venerationem, amoremque omnium sibi conciliavit: in præclaro enim viro egregiè effulgebant virtutes, morum suavitas, animi candor eximius, in rebus agendis dexteritas insignis. Demum omnibus gratus, dum Vicarius Generalis memorati Archiepiscopi Martini de Leon judicia laudabiliter exercebat, decessit Panormi 14. Junii anno 1654. & in Ecclesia Sanctor. Cosmę, & Damiani sepultus est. Ipsum laudat Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrigent. pag.*362. *& lib.*4. *de Abbatiis pag.* 211. *&* 228. Marcus Serius *in Bullam Clem. VIII. pro Parochiis Panorm. diffic.* 3. *quær.* 19. *pag.* 252. & P. D. Michael de Judice *in hist. Eccl. Montisregalis par.*2. *pag.* 107. Quę scripsit hęc sunt.

Matrimonii Valor à Francorum oppugnationibus vindicatus. Matriti apud Viduam Ildelphonsi Martin 1636. in 4.

Consiliorum, sive Responsorum Juris Liber Primus. Panormi typis Petri Coppola 1640. in fol.

Allegationes pro Canonicis Regiis Ecclesiæ Cathedralis Panormitanæ perpetuis Commendatariis Abbatiæ S. Joannis Eremitarum Regii Juris Patronatus contra V. J. D. D. Joseph Sammaniati, & Moraschino, & consortes, super nullitate assertæ confirmationis Apostolicæ concessionis emphitheuticæ feudi, seu territorii S. Mariæ de Sabucis de membris, & pertinentiis Abbatiæ S. Joannis de Eremitis. Ibidem apud Josephum Bisagnium 1647. in fol.

Epitome Allegationum pro Regiis Canonicis contra illos de Sammaniati, & Consortes, in quo enucleantur responsiones ad Allegationes partis adversæ. Ibid. apud eumdem 1650. in fol.

Allegationes pro Clericorum Seminario Panormitano ad ostendendam libertatem Prioratus S. Nicolai ac Beneficii S. Mariæ la Nova de Nemore sitorum in territorio Caccabensi. Ibidem 1639. in fol.

Hispanâ linguâ

Por D. Vincente, y Doña Maria Alagon, Barones de Ribino Grande, y Casal Gerardo, contra D. Pablo Abal, y consortes. Sobre la Reivendicacion de la Baronia de Ribino Grande, y sus membros, y pertinencias en el Reino de Sicilia. Ibid. 1631. in fol. Has Allegationes elaboravit unà cum V.I.D. Nicolao Lavagi.

FRANCISCUS SCLAFANI Panormitanus Sacerdos nobili genere natus, Sacrę Theologię Doctor, & operi Puerorum Dispersorum Panormi perpetuus Rector. Gravioribus disciplinis abundè instructus inclaruit. Vir fuit eximię eruditionis, & benignissimus literatorum Mœcenas. Studiorum amantissimus, ut animum omnigenâ eruditione locupletaret, ac aliis opitularetur, om-

omnes patrimonii sui opes in librariam supellectilem profudit, emitque supra sex millia volumina selectissima; sacrâ, profanâque eruditione refertissima: ac ut literarum amantibus morem gereret, hanc Bibliothecam magno labore, ac sumptu perquisitam, Congregationi Panormitani Oratorii S. Philippi Nerei legavit, adjecta conditione, ut singulis diebus per duas horas matutinas, at totidem vespertinas pateret omnibus, qui studiis operam dare exoptassent: quòd si ejus voluntatem non impleverint, in eadem Bibliotheca substituit cum eodem onere Cœnobiũ S. Dominici, ac secundò domum Professorum Societatis Jesu, ut ex ejus testamento in tabulis Petri Levantini Panormitani 30. Decemb. 1647. liquidò constat. Vitæ integritate, prudentiâ, ac virtutibus insignitus claruit. In dirigendis fidelium animabus ad Christianam perfectionem nimiùm valuit: ac demum ab omnibus veneratus Panormi decessit 10. Januarii 1648. & in Ecclesia S. Ignatii ejusdem Congregationis Oratorii sepulturæ traditus est. Ipsum laudat Augustinus Inveges *in appar. Panor. antiq. pag. 63. & in Panor. sacra pag. 54.* Joannes Marcianus *in histor. Congreg. Oratorii tom. 2. lib. 5. cap. 23. pag.* 401. & Joannes Maria Amatus *in ejus elogio*, quod Vitæ Ven. Sor: Elisabethæ Mariæ à Passione præfixit. Hujus prodiit opus posthumum Italicè scriptum, nempè

Vita della Veneranda Madre Suor Elisabetta Maria della Passione (già Marchesa della Gibellina) del Terz'Ordine di S. Francesco nel Monistero di S. Maria di Tutte le Grazie della Città Felicissima di Palermo. Panormi typis Joannis Baptistæ Aiccardi 1706. in 4.

Scripsit etiam

Annalium ab Orbe condito Tomos duos. m.ss. in fol. servantur apud Patres Congregationis Oratorii prædicti.

Addictiones locupletissimas ad Bibliothecam Ecclesiasticam Auberti Miræi m. ss. in fol. apud eosdem.

Tabulas duas Chronologicas ob annorum computationem ab exordio Mundi, usque ad ortum Abrahami, apud citatum Inveges *in Panorm. antiqu. pag.* 6.

FRANCISCUS SCORSUS Panormitanus Societatis Jesu, natus anno 1593. Societatem amplexus est anno 1606. in qua solemne quatuor votorum sacramentũ dixit. Ab ingressu Ordinis futuræ virtutis præsagia edidit. Vitæ innocentiam ab ipso salutari baptismatis lavacro acceptam, intemeratam servavit, & morum candore insignis, velut alter B. Aloysius Gonzaga demirabatur; hinc in ipso Societatis tyrocinio in morbum lapsus, cùm nonnulli ad paternam domum remittendum opinarentur, ut sanitatem instauraret. P. Hieronymus Tagliavia Panormitanus, tunc tyrocinii moderator, eximiæ prudentiæ vir, ut remaneret intercessit; ajebat enim Frãciscum Societatem illustraturum si convalesceret, at si decedere contingerit, corporis exuviis exornaturum. Sed depulsa ægritudine, ac studiis admotus inter doctissimos meritò adnumeratus est: nam humanioribus literis instructissimus, etsi Philosophiæ docendæ destinatus, Rhetoricam sodalibus suis quindecim annis tradidit, eo discipulorum progressu, ut ad Siciliam illustrandam ex ejus schola eximii Oratores, ac Poetæ egregii prodierint. Eadem felicitate Philosophiam moralem docuit, ac annis 14. linguam Hebraicam, & Græcam, in quibus versatissimus fuit. Decennio sacras literas explanavit, eo doctrinæ plausu, ac eruditionis ubertate; ut ab omnibus linguarũ Thesaurus, ac vivens Bibliotheca proclamaretur. Doctrinam nunquam ab inculpatæ vitæ ratione separavit; immò egregiis claruit virtutibus, præsertim in rerum cœlestium contemplatione, ac humilitate fuit insignis. Usque ad sepulchrum innocentiæ candorem servavit, ac suæ charitatis ardor admirabilis, nunquam tepescere visus. Deiparæ studiosissimus fuit, cujus sodalitium extremis 16. vitæ suæ annis eximio fervore rexit, ac incendit: & in sodales Virgineum amorem mirificè propagavit. Tandem cùm ad extremam vitę lineam accederet, animo infracto inter divina colloquia, ac æternæ felicitatis desideria, sanctè vitã absolvit in Collegio Panormitano 19. Octobris anno 1656. Hujus laudes habes *in Bibliotheca Soc. Jesu p.* 252. apud Rocchũ Pirrum *lib. 2. Siciliæ sacræ pag.* 443. Hippolytum Marraccium *in Bibl. Mariana par. 1. pag.* 436. De eo etiam Philippus Labbè *in Chronolog. Pinacotheca Script. Soc. Jesu pag.* 412. qui obiisse ait 19. Decembris 1656. Edidit

Sapientissimi, & Eloquentissimi Theophanis Ceramei Archiepiscopi Tauromenitani Homilias in Evangelia Dominicalia, & festa totius anni Græcè, & Latinè, nunc primùm editas, & notis illustratas. Lutetię Parisiorum typis Sebastiani Cramoisy 1644. in fol.

Latium Christianum, sive latinæ eloqnutionis vocabula, & phrases ad res Ecclesiæ explicandas accommodata, opusculum latinè scribendi studiosis perutile. Panormi apud Decium Cyrillum 1648. in 12. & iterum recognitum, & auctum ibidem apud Petrum de Isola 1655. in 12.

Vitam S. Agathonis Papæ Panormi Civis, & Patroni. Ibidem typis Antonii Martarelli 1640. in 4. suppresso nomine: ut etiam prodiere

Poesis Amandata Ode I. Mors Victa Ode II. Fames Expulsa Ode III. Bellum Propulsatum Ode IV. Ibidem typis Decii Cyrilli 1629. in 4.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Societatis Jesu servantur m.ss. hæc alia, nempè

Prophetia Davidis illustrata. Tomi duo. in fol. opus numeris omnibus absolutum, ac eruditissimum.

Carminum Tomi duo.

FRANCISCUS SCOLARUS Panormitanus, Edidit Italicè

Relatione della miracolosa Inventione delle Reliquie di S. Anna Madre della Beatissima Vergine, trascritta dall'originale latino. Panormi apud Decium Cyrillum 1640. in 8.

FRANCISCUS SCUDERIUS, & de S. STEPHANO

PHANO ex oppido Salæ Parthenici Tertii Ordinis S. Francisci, Sacræ Theologię Magister, vir sanctimoniæ famâ clarissimus. Natus anno 1617. regulare institutum amplexus est Panormi anno 1638. Emensis studiorum spatiis Messanæ Sacræ Theologiæ lauream accepit. Ad nonnullos in ordine honorum gradus, non immeritò evectus est. Siculam Provinciam semel, & iterum rexit: & Definitoris Generalis munere effulsit. Virtutum studio ampliorem sui æstimationem promeruit. Charitate, obedientiâ, puritate, ac arctissimâ paupertate eminuit. Durissimas penitentiæ leges custodivit:immitissima cilicia numquam deposuit: flagella frequentavit; in cujus uno plumbea palla pendebat, sevissimis circumsepta aculeis, quod sæpissimè in sui corporis macerationem adhibuit. Iejunia, etsi supremam senectutem ingressus, non pretermisit. Solitudinis amantissimus, omnium oculos declinare curabat, ac multum temporis in rerum divinarum contemplatione impendebat. Dominicos cruciatus ardentissimo cordis affectu recoluit, quos persæpe mente revolvebat. Instituti tenacissimus omnibus exemplo erat: nec per unguem latum à regulari observantia discedebat; ideoque per annos 26. Romæ tyrones, ac Ordinis juniores instituēs, ad absolutissimum perfectionis fastigium, magno cum Ordinis bono, direxit. A propria voluntate nimiùm abhorruit: nec in prosperis elatus, nec in adversis dejectus, admirabilem animi æquitatem semper detexit. Infractam animi patientiam, ac uniformem divinæ voluntati mentem, etsi in omnibus vitæ momentis servare curavit, in suprema attamen ægritudine mirabiliter patefecit; inter acutissimos enim dolores serenus, hilarisque, in divinas laudes, ac gratiarum actiones sese effundebat. Demum editis egregiarum virtutum exemplis, præsertim heroicę humilitatis, magnâ sanctitatis opinione decessit Romæ in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam primo Aprilis 1701. anno ętatis suæ 84. Religionis verò 65. Ad viri probatissimi cadaver magnus, ac penè incredibilis concursus advolavit: quòd non sine divini Numinis stimulo evenisse putant: per annos etenim 26. omnibus ferè ignotus vixerat. Per tresdecim dies (raro in urbe exemplo) insepultus, Principum, Dynastarum, Episcoporum, Matronarum, ac cujusq: ordinis oscula excepit; qui certatim demortui reliquias exquirebāt. Ne dum ipsius vestes in frusta pluries discissæ sunt ab irruente populo, verùm etiam, & sedes, ex qua fidelium confessiones audiebat. S. R. E. Cardinales Henricus Arquin de la Grance, & Gaspar Carpineus Clementis XI. Pont. Max. Vicarius, Maria Casimira Sobieski Poloniæ Regina magno pietatis sensu Francisci exuvias venerati sunt. Jussu Cardinalis Carpinei res supra naturæ vires in ejus corpore pluries recognitę, doctissimis attestantibus Medicis, in publico instrumento descriptæ sunt: demiratum præsertim cadaver post decimumtertiū diem incorruptum, ac flexibile, vividum sanguinem emittens. Alia etiam mira narrantur, quæ aliis describenda relinquo. Hunc ex fide dignis accepi, præsertim ex relatione viri eximii P. Salvatoris Russi Tertii Ordinis S. Francisci. Ad perennem Francisci memoriam servandam; ejus imago Romæ ęre insculpta fuit, hac adjecta inscriptione. *Vera effigies Servi Dei P. F. Francisci Scuderi, Siculi à Sala Tertii Ordinis S. Francisci S. T. M. olim Definitoris Generalis, & Siculæ Provinciæ bis Ministri Provincialis, qui regularis disciplinæ cultu, assidua Crucis, & rerum cælestium meditatione, carnis maceratione, morum innocentiâ, mundi, ac sui contemptu, cæterisque religiosi hominis virtutibus, ad supremum usque vitæ spiritum exhibitis, eximiâ sanctimoniæ famam consequutus, obiit Romæ in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam anno 1701. post mediam noctem kalend. Aprilis, die Veneris, ætatis suæ 84. Relig. 65. Ejus corpus post tresdecim dies incorruptum, ac tractabile, non sine magna confluentium admiratione sepelitur.*

Quæ scripsit propè diem edenda hæc sunt:

Testamentum Spirituale.

Horologium Passionis Christi Domini Salvatoris

Opuscula ascetica.

FRANCISCUS SICLENSIS Ordinis Observantium S. Francisci, qui ex Placido Samperio *in Iconologia M. V. lib. 2. pag.* 152. & Stephano Mauro *in sua Messanæ cap. 21. pag.* 194. Edidit

Opusculum, quod non vidi.

FRANCISCUS SICLENSIS alter Ordinis Capucinòrum ex familia Cavallo. Primùm Doctor Medicus doctissimus, exinde in Ordine Capuccinorum exceptus, medicamentorum tum naturalium, tum arte conditorum perscrutator fuit eximius; ac chymicæ artis peritissimus. Ad eam doctrinæ excellentiam pervenisse tradunt, ut illustrium virorum famam in Italia, & extra æquaverit. Singulari æstimatione prosequutus est à Mantuæ Duce; à Maria Anna Hispaniarum Regina Philippi IV. Catholici Regis uxore, ac Caroli II. matre, & à Leopoldo Imperatore, quem lætali morbo laborantem, sanitati restituit. Conciones etiam habuit non sine animarum fructu. Tandem ætate confectus cùm oculorum lumen amisisset, ad Patrios lares remeavit, ubi decessit circa annum 1690. Ipsum laudant Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinorum pag.* 126. & Antonius de Sghobbatis *in Theatro Pharmaceutico* apud eumdem. Edidit eodem Dionysio teste

Volumen de Rebus Medicis, quæ sunt in quotidiano usu, & quas perfectè callere debent Medici, & Pharmacopæi. Venetiis 1675.

Reliquit.

De Herbis Vol. III. in quibus de earum virtute, & preparatione, Servantur m. ss. in Cœnobio Siclensi.

FRANCISCUS SOLITUS Thermitanus Societatis Iesu, natus 30. Novembris 1613. Societatē amplexus, in ea humaniores literas, ac Rhetoricam docuit. Eruditione, ac doctrinâ claruit. Obiit Panormi in domo Professorum 19. Decēbris anno 1673. ætatis suæ 60. Edidit orationem inscriptam:

Panormus Regium Siciliæ caput Sapientiæ, atque forti-

fortitudinis lacte Imperii nutrit æternitatem . Oratio ad Illustrissimum Senatum Panormitanum ipsis anni literarii renascentis incunabulis. Panormi typis Decii Cyrilli 1646. in 4.

Huic adscribunt Historiam Thermitanam editã sub nomine Vincentii Soliti, Italicè scriptam, cujus titulus est:

Termini Himerese Città della Sicilia posta in Theatro; cioè l'Historia della splendidissima Città di Termini Himerese nella Sicilia. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 4.

Tomo Secondo. Messanæ typis Pauli Bisagni 1671. in 4.

FRANCISCUS SPARACINUS Panormitanus Societatis Iesu, cui adolescens nomen dedit anno 1600. Decursis studiorum spatiis Evangelici Oratoris munus suscepit, ac supra triginta annos magno cum animi ardore, ac uberrimo animarum fructu, conciones habuit in præcipuis Siciliæ Civitatibus. Vir numeris omnibus absolutus, egregias virtutes coluit. In his virginalis puritas eminuit, quam inter frequentes dæmonum insidias illibatam servavit. Deiparæ Virgini à teneris annis obsequentissimus, amorem, quo in ipsam mirabiliter æstuavit, nunquam tepescentem agnovit. Tum in familiaribus colloquiis, tum in concionibus ad populum habitis, nunquam amplificare ipsius cultum prætermisit: eoque fervore de ea eloquebatur, ut audientium corda in Deiparæ amorem mirificè incenderet. Hinc, acsi ad virgineum cultum propagandum solummodo natus esset, in promovenda Virginis obsequia, omnia oris, laborum, ac cogitationum religiosissima officia collimabant: ideoque singularem Deiparę patrocinium expertus est, à qua multa insignia accepit beneficia; ac se illi spectabilem pluries fecit. Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramēto, etiam addictissimus fuit, in cujus sumptione cœlestes delicias degustabat, ac Seraphicis ardoribus incendebatur. Morum, verborumque suorum censor severissimus fuit; & expletis muniis, proximorum salutem spectantibus, ad orationis studium in secessum confugiebat, ut Deo arctius vacaret. Tandem cùm vitam, undiq; sanctimoniam spirantem, traduxisset, magno omniũ dolore obiit Panormi 21. Decembris 1649. Si plura Francisci cupis, consule Bibliothecam Soc. Iesu *pag.* 255. P. Carolum Lombardum *in vita P. Antonii Bellavia par.* 1. *cap.* 3. Silvium Tornamiram *in Prodigiis Eucharistiæ cap.* 9. *pag.* 184. & *Prodigiis Sanct. Angelorum cap.* 5. *pag.* 89. Marraccium *in Bibliotheca Mariana par.* 1. *pag.* 439. De Virgine Deipara opus amplissimum scripsit in sex partes divisum, quod morte prӕventus expolire non potuit, horum tituli

Pars prima. De Gloria Virginis complectens excellentiam, & facilitatatem, seu incrementum, & progressum cognitionis scientiæ divinæ de Virgine.

Pars secunda. De Persona Virginis, quæ divinam maternitatem, aliasque illius annexas potestates continet.

Pars tertia. De Anima Virginis, quæ Immaculatam puritatem, & gratiam, cęteraq; dona, quæ ex ea promanant complectitur.

Pars quarta. De Corpore Virginis, cujus attributa, & proprietates naturales, & supernaturales profert.

Pars quinta. De Tota Virgine, atque adeo de Vita, Morte, e Gloria.

Pars sexta. De Cultu, & pietate totius Ecclesiæ, & Sanctorum in Virginem.

Scripsit etiam ex relatione Sororis Mariæ Roccaforte Bibonensis, cujus confessiones excipiebat, Vitam D. Rosaliæ, quam edidit D. Franciscus Forte hoc titulo.

Vita della Gloriosa S. Rosalia Vergine Palermitana. Panormi apud Iosephũ Bisagnium 1650. in 8.

FRANCISCUS SPINOLA parentibus ex patritio sanguine Genuensibus in Sicilia natus; qua verò in urbe incertum. Poesim coluit. Vivebat anno 1500. de eo vide Ab. Michaelem Justinianum *de Scriptoribus Liguris pag.* 248. & Augustinum Oldoinum *in Athenæo Ligustico pag.* 203. Scripsit ex Justiniano:

Diarium itineris Reginæ Hispaniarum, m. s. servatur Romæ in Bibliotheca S. Sylvestri Clericorum Regularium Cod. 50. n. 17.

Poemata plura m. s. Extant in Bibliotheca Regia Gallica ex Philippo Labbè *in Bibliotheca m. ss.* relato ab Oldoino citato.

FRANCISCUS DE STEPHANO Assorensis Sacerdos. Edidit

Missale Gallicanum juxta usum Messanensis Ecclesiæ novissimè reformatum, in quo reformando nonnulla superflua amota fuerunt: & quamplurima necessaria addita; sine quibus nullus Sacerdos ritè celebrare potest, excerpta ex libris diversorum Sacræ Scripturæ Doctorum. Venetiis in Officina Lucæ Antonii Junctæ 1534. in fol.

FRANCISCUS TEDESCHIUS nobilis Catanensis, Casalis, & Bucialchæ Baro, vir equestri disciplinâ instructus. Pluries inter Catanenses Patritios enumeratus claruit. Annum agens 63. erysipelate aggressus, post decimũ quartum ægritudinis diem, decessit Catanæ 9. Martii 1650. Ipsum laudat Ioseph Munerbia *in Musa excitata par.* 2. *pag.* 259. Edidit Italicè

Il Cavalier della Lancia. Catanæ typis Vincentii Petronii 1649. in 4.

Le caccie del Regno di Sicilia: m. s. servabantur apud ejus filium Franciscum Tedeschium.

FRANCISCUS TORNESIUS Messanensis Iuris utriusque Doctor, vir amœnioribus literis excultus. Cum præstantissimo excelleret ingenio, & annum vix attigeret vigesimum, à secretis D. Francisci Marchesii Scalettæ Principis fuit, qui experimento perpendens egregiam ejus indolem, & eximias animi dotes, omnem rerum suarum molem regendam commisit; in quarum administratione tum prudentiâ, tum integritate refulsit: ideoque ejusdem Principis æstimationem sibi comparavit: quo defuncto iisdem muneribus insignitum voluit Principis frater, qui eidem successerat, & apud ipsum in eodem æstimationis gradu claruit. Musices etiam peritissimus fuit, cui & poesis studium copulavit: ideoq. inter Offici-

næ Messanensis Academicos, & Reacensos Panormi recensitus, non ultimum obtinuit locum. Florebat anno 1642. Edidit Italicè.

Poësie. Messanæ apud Petrum Brea 1630. in 12.

Rime, in libro *Poesie volgari degli Accademici della Fucina par.* 3. Neapoli apud Ægidium Longum 1659. in 12.

Rime, in libro: *Stravaganze Liriche degli Accademici della Fucina parte prima* Bononiæ apud Io: Baptistam Farrone 1642. in 4.

Concerti Musicali.

FRANCISCUS TORRES Poeta Siculus, cujus solummodo extat nomen apud Octavium Caetanum *in Animad. ad tom. 2. Sanct. Siculorum pag.* 89. qui scripsisse testatur, carminibus Siculis

Vita di S. Guglielmo Eremita

FRANCISCUS TRAHINA Nobilis Panormitanus, cùm doctrinâ, animiq; dotibus prælucerer, in Hispaniam delatus, apud Philippum III. & Philippum IV. Hispaniarum Reges à Sacello electus, iisdem fuit gratissimus: hinc primùm mille aureorum pensione ex Syracusana mensa donatus; inde ad Episcopalem Infulam Agrigentinæ Ecclesiæ evectus est anno 1627. addita facultate retinendi eamdem pensionem. In Ecclesiæ possessionem immissus, ab ipso gubernationis exordio multa laude digna patravit. Ecclesiam Cathedralem magna ex parte perfecit, & exornavit; in qua tria sacella magnificentissimè extruxit ad SS. Eucharistiæ Sacramentum, D. Fràcisci, & D. Gerlandi venerationem. Montem Pietatis in pauperum beneficium fundavit, ac abundè pecuniis munivit: argenteis, candelabris Ecclesiam ditavit, in quæ sex aureorum millia insumpsit: in arca etiam argentea sacras D. Gerlandi exuvias occlusit. Episcopales ædes instauravit, quibus, & viridarium, ad animi oblectamentum, addidit. Canonicis suis Rocchetti, & Mozzettæ, ut vocant, insignia impetravit. Clericorum Seminarium amplificavit, dotavitque; cui & Bibliothecam codicibus refertissimam tradidit: ac eò redegit, ut si prius vix duos alebat, exinde quadraginta educaret adolescentes. In pauperes profusus: in propugnanda Ecclesiastica libertate intrepidus: in compescendo nobilium licentia impavidus; in promovendo divino cultu, ac christiana pietate fervidus, sui opinionē longè, latèque profudit. Multa tum vivens, tum post mortem ex testamēto, ad Ecclesiæ, & Vrbis beneficium disposuit, quæ ipsius pietatem testantur. Obiit demum Agrigēti 4. Octobris 1651. & in Divi Gerlandi sacello conditus est, in cujus magnificētissimo è marmore sepulchro hæc legitur inscriptio.

D. O. M.
Don Franciscus Trahina
E pervetusto Senatorio Ordine
Panormitanus,
Morum cultu, vitæ innocentiâ
Doctrinarum præsidiis
Inter paucos spectatus,
Philippi Tertii, & Quarti Hispaniarum
Regum Invictissimorum
Annos omnino decem, & septem à sacris
Agrigentinæ Ecclesiæ admotus,
Illam singulari prudentiâ, incredibili
Animarum zelo,
Peracri Ecclesiasticæ libertatis
Studio administravit.
Princeps Templum argentea supellectili,
Sacroque instrumento auxit.
Ejus titulum igne absumptum,
Odeum, Absidem senio laborantem
Suo magnificentissimè instauravit.
Erectis insuper, ornatisque suptuosissimè
Sacellis tribus,
Canonicos ob augustiorem sacrorum
Dignitatem, & cultum,
Episcopalibus insignibus cohonestandos
Curavit.
Argenteam Divi Gerlandi arcam
Elegantiorem in formam
Perquam splendidè redegit.
Seminarium formandæ Juniorum
Indoli constabilivit, adauxitque.
Comunem Cathedralis Ecclesiæ censum,
Legatis triginta aureorum millibus
Amplificavit.
Episcopales Ædes
Addita etiam hortorum amœnitate
Restituit, laxavit, instruxit.
Ne Civium fortunam adroderet fœnus
In primis cavit.
Excitato munifica manu
Pietatis Monte.
Delatum Agrigentinum Principatum
Sibi dumtaxat, non suis acquisivit,
Insigni cum laude modestię;
Egitque in eo dominatu Patrem
Non Dominum.
Divo Gregorio ejus Vrbis Episcopo
Par, aut major,
Cui Is, idem Principatus, non
Integer olim contigit,
Sed dimidius.
Denique hoc sibi sacello, ac
Monumento extructo
Meritis, quàm ævo maturior,
Mortalitatem exuit,
Christi Anno
Millesimo Sexcentesimo
Quinquagesimo Primo,
Die verò
Quarto Octobris.

Franciscum laudant Rocchus Pirrus *not. Eccles. Agrigent. pag.* 317. *& in epist. nuncup. ejusdem notitiæ*, Franciscus Baronius *in Siculę Nobilitatis amphitheatro*. Edidit

Constitutiones Diœcesanas Synodales. Panormi apud Decium Cyrillum 1632. in 4.

FRANCISCUS TRAMONTANA Messanensis Sacerdos, lucis usuram accepit 4. Novembris an. 1666. Cùm literarum studiis ingenium devovisset, humaniores literas, Philosophiam, Theologiam, ac Pontificias leges summa cum laude accepit, ac egregiam adeptus doctrinam, amplissimam sui æstimationem excitavit. Inde sacri Oratoris

toris

toris munus suscepit, & eruditione, ac eloquentiâ insigniter instructus, conciones habuit magno cum plausu. Persæpè apostolico zelo incensus tū ad vitia eliminanda, tum ad virtutes excitandas declamavit, non sine animarum fructu. In Messanensi Clitiæ Academia recensitus, poetica etiam studia excoluit. Dum hæc scribimus anno 1706. Messanæ floret, ob doctrinam, eruditionem, pietatem, moresque integerrimos omnibus gratus; ac Moralem Theologiam in aliorum beneficium doctissimè explanat. Edidit Italicè

La Rosa svelta dal Giardino, e distillata dalla Penitenza, e dall'Amore. Orazione Panegirica per le Glorie della Reale Vergine, e Romita Palermitana S. Rosalia. Messanæ apud Vincentium de Amico 1690. in 4.

Vita della Ven. Suor Giovanna della Croce del Terz'Ordine di S. Francesco. Panormi typis Petri Coppola 1695. in 8.

La seconda Ambasceria spedita in Cielo alla gran Vergine Madre dalla Città di Messina in ringraziamento, e in risposta del sacro Foglio scrittole di sua mano. Orazione Panegirica recitata nel Duomo di Messina à 3. di Luglio nell'anno 1696. Messanæ apud Vincentium de Amico 1696. in 4.

La dignità, e l'obligo del Sacerdozio esposti in sette considerazioni distribuite per ciascun giorno della settimana. Ibidem apud eumdem 1700. in 12.

Italicè nunc scribit, ut in lucem emittat opus, cui titulus

Cronologia degli Arcivescovi di Messina, colle Notizie de' lor fatti illustri, e cose memorabili accadute circa i lor tempi nello stato Ecclesiastico, in fol.

FRANCISCUS TURANUS ex oppido Burgii Sacerdos, natus anno 1641. Saccæ, & mox Panormi graviores disciplinas didicit, ac Theologica Doctoris insignia accepit. Inde etiam Cæsareis, Pontificiisque juribus ingenium addixit; ac laureâ etiam donatus claruit. Astrologicam facultatem egregiè calluit: & ingenio, ac doctrinâ ornatissimus floruit. Hinc meritò electus Abbas Condacensis; & Canonicus Ecclesiæ Agrigentinæ, summâ cum laude vixit. Obiit Agrigenti 21. Septembris 1691. Edidit librum

De præcedentia, & Habilitate Doctorum. Venetiis apud Guerilios 1665. in 4.

Italicè vero sub nomine Joannis Francisci Turani,

Nuovo, e peregrino raggionamento, e meteorico discorso sopra l'imperecttibile, e incomprensibile mostro del Vento. Panormi apud Dominicum Anselmum 1662. in 8.

FRANCISCUS VALCASSAR Drepanitanus Doctor Medicus, doctrinâ, eloquentiâ, & eruditione clarus. Obiit Drepani anno 1691. Edidit Italicè

La fama impegnata per gli Enconii della Virtù, Oratione funebre in morte del famosissimo Medico D. Antonio Crispo. Drepani apud Bartholomæum Francum 1689. in 4.

FRANCISCUS UELEZ, & BONANNUS Panormitanus Subdiaconus; origine Hispanus. Vir gravioribus disciplinis excultus, græcis, latinisque literis eruditus, ac poesi addictus. Obiit Panormi 14. Octobris 1671. æt. annorum 50. & in Ecclesia S. Joannis de Eremitis sepultus est. Hunc laudat P. D. Paulus Monsregalensis in *epistola nucupatoria libri inscripti: Motti Siciliani tom. 7.* eodem dicati. Edidit Italicè

L'Iliade d'Homero tradotta in verso Italiano. Panormi apud Bisagnium 1661. in 12.

FRANCISCUS VETRANUS Panormitanus Sacerdos, à literis, ac muneribus præclarè obitis laudatus. A teneris annis literis addictus, ingenii præstantiam in Philosophicis, ac Theologicis studiis detexit; nam in Collegii Panormitani Soc. Iesu Academia Principem locum obtinuit; ac cum doctrinam hausisset egregiam, Doctoris insigniis donatus est. Legalem etiam lauream obtinuit excursis Jurisprudentiæ studiis, ac Prothonotarii Apostolici titulo fuit insignitus. Concionibus ingenii vires admovit, & eloquentiâ, ac eruditione instructus, non sine laude auditus est. Panormitanæ etiam Reaccensorum Academiæ nomen dedit, amœnioribus literis expolitus. Anno 1648. ad Thermensis Archipresbyteri gradū promotus, hoc munus, pensionis onere gravatum, respuit. Anno verò 1651. Parochus, ac Beneficialis Ecclesię Panormitanæ S. Nicolai de Calcia electus est, quam nonnullis perpolitam ornamētis, ad elegantiorē formam redegit. Apud Panormitanos Archiepiscopos magnam promeruit æstimationem; ideoq; variis honorum argumentis affectus est sub prudenti F. Martini de Leon, & D. Petri Martinez Rubio Archipræsulum regimine: nam fuit Examinator, Tribunalis Visitationis ac Monasteriorum Deputatus, Archiepiscopalis Curiæ Fisci Patronus, ac Visitator Generalis, Triennio etiam novorum Vectigalium Panormi Deputatus, quo in munere semel, & iterum confirmatus est. Nonnullorum Ordinum Regularium, Nosocomii Magni, & S. Bartholomæi in eadem Urbe, Judex Conservator renunciatus est: & à Joanne Austriaco Judex Ordinarius Abbatiæ Panormitanę, quam Mansionem vocant, constitutus. S. Officii Siciliæ Consultor, ac Episcopi Pactensis D. Simonis Rao Vicarius Generalis effulsit. His, aliisq; in muneribus eximiam prudentiam, & in rebus agendis dexteritatem omnibus aperuit; ideoq; à Siciliæ Deputatione, ac Panormitana Urbe, Regni totius, ac Urbis ejusdem nomine, in Hispaniâ Orator missus ad Philippum IV. Catholicum Regem, ad pertractanda magni momenti negotia, quæ in Regia Curia, eâ prudentiâ, doctrinâ, ac solertiâ peregit, ut infracto animi vigore, ac imperterrito pectore, omnia ex voto feliciter obtinuerit, ad patrię tuitionem, ac Regni totius commodum. Nec modò in Regia Philippi Aula refulsit, verùm etiam in Romana honoribus fuit cumulatus, ac inter Referendarios Apostolicos utriusq; Signaturæ cooptatus est. Tandem ad Cantoris dignitatem in Ecclesia Panormitana, & Abbatiam S. Nicolai lo Reale evectus fuit anno 1669. at vix triennio excurso, decessit Panormi 27. Februarii 1672. & in Ecclesia S. Nicolai de Calcia tumulatus

latus est; ejusq; sepulchro hoc insculptum epitaphium legitur.

D. O. M.

Admodum Illustri, e Rev. Domino D. Francisco Vetrano S. T. & V. I. D. Abbati S. Nicolai lo Reale Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ Primæ dignitati, & Cantori, Romanæ Curiæ Prælato, Utriusque Signaturæ Referendario Apostolico, ad Philippum IV. Magnum Regem Catholicum hujus felicis Urbis, totiusq; Regni Oratori efficacissimo, qui Ecclesiæ S. Nicolai de Kalsa olim per XV. annos Parochialé curam exercuit. D. Andreas Vetrano ejusdem Ecclesiæ Parochus, ac Beneficialis fratri amantissimo, qui è vivis excessit XXVII. Feb. Anno M.DC.LXXII. hic hoc monumentum honoris posuit, suosq; contumulari disposuit.

Hujus cum laude meminit Vinc. Auria *in histor. Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 135. Edidit Italicè

Brieve Ragguaglio del nuovo abbellimẽto nella facciata esteriore dell' antichissima Chiesa Parochiale di S. Nicolò la Calsa, in honore dell' Immaculata Concettione della Vergine N. S. Panormi apud Augustinum Bossium 1660. in 4.

Hispanâ verò linguâ

Compendio Breve de las nulidades prejuizios, y lesiones del Real Patrimonio, y de todo el Reyno de Sicilia, que contienen las concesiones subrepticiamente impetradas por la Ciudad de Mecina, en particular, que la extraccion de la seda sea solamente por su puorto. Matriti apud Iosephum Fernandez de Buendia 1664. in fol.

Defensa Ecclesiastica propuesta a la Catolica, y Real Mageestad del Rey N. S. D. Filipe IV. el Grande. Ibidem apud eumdem 1664. in fol.

Exemplar sin exemplo en las pretensiones vanas de Mecina paliadas con la sombra de la defensa de sus Privilegios; Nulidades que contienen; y prejuizios que resultan de ellos en los servicios de su Mageestad. Matriti 1667. in fol.

Memorial presentado en nombre de la Ciudad de Palermo Cabeza del Reyno de Sicilia a la Mageestad de la Reyna Nostra Señora D. Maria Ana Governadora de la Monarquia por la Catolica y Real Mageestad del Rey Nostro Señor D. Carlos II. Rey de las Españas &c. Matriti in fol. sine anno, & typographi nomine.

FRANCISCUS VITA Augustanus parentibus Nicolao, & Philippa Vita nobilibus Augustanis natus, literas coluit, ac utriusq; Juris lauream obtinuit: eruditione, ac poesi etiam claruit. Florente adhuc ætate vix vigesimum octavum annum egressus, decessit in Patria 30. Novembris anno 1663. & in Ecclesia S. Dominici sepulturæ traditus est. In lucem emisit Italicè

Incesto Istorico della Città d' Agosta negli Annali de' Regi di Sicilia. Venetiis apud Gueriliũ 1653. in 4.

FRANCISCUS VITA POLYNTIUS Pactensis ex Philippo Cagliola *in manif. Provinc. Siciliæ Ord. Minor. Convent. explor. 3. manif. 1. pag.* 82. Roccho Pirro *not. Eccl. Pact. pag.* 421. & Wadigno *de Scrip. Minor. pag.* 139. sed Panormitanus ex Francisco Baronio *de Maest. Panorm. lib. 3. pag.* 128. Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. Claruit in Concilio Tridentino apud Petrũ Aragonium S. R. E. Cardinalem, & Archiepiscopum Panormitanum, cujus fuit Theologus. Baronius cit. eâ doctrinæ præstantiâ brevi temporis tractu se instruxisse testatur, ut Philosophiam, ac Theologiam tum publicè, tum privatim explanaverit, maximâ cum laude, & nominis celebritate. Scoti Sectatorem egregium prædicat: summâ doctrinâ, ac virtute præclarum floruisse, ac tandem ad Cephaludẽsem Infulam evectum scribit. Sed in episcopali cathedra effulsisse negat, & meritò Pirrus citatus. Tres Pactenses Ordinis Minorum Francisci nomine insignitos afferre videtur Cagliola *loc. cit.* Unus hic est, de quo loquimur: alter, qui Orbis descriptionem edidit, de quo vide hic *pag.* 231. Tertius agnomine Musca, ita dictus ob ingenii acumen, & inquietam in scholasticis speculationibus indolem: sed ex Tossignano *in histor. Seraph.* eumdem esse deducimus Franciscum Polyntium, & Franciscũ Muscam; ait enim Tossignanus *lib. 2. pag.* 280. ubi de Cœnobio Pactensi: *Floruerunt hoc in loco illustres viri, Mag. Franciscus cognomento Musca; dicebatur autem Musca propter acrimoniam ingenii sui in disputando, qui floruit in Concilio Tridentino, & scripsit quædam opuscula, ut infra.* At infra alium non adducit Pactensem, qui aliqua scripserit, nisi Franciscum Polyntium *lib. 3. pag.* 315. ubi infrascripta opuscula edidisse, ac in Concilio Tridentino claruisse testatur. De eo etiam Henricus Willot *de script. Minor.* Possevinus *in apparatu sacro tom. 1. pag.* 505. & Michael Justinianus *in Archiepiscopis, Episcopis, & Theologis Concilii Tridentini ind. 1. pag.* 351. Edidit

De Justificatione librum unum, de confessionis vetustate codicillum, & de Eucharistica veritate contra Hæreticos, & Hæreses hujus temporis. Venetiis ad signum spei 1548. in 8.

Addit Cagliola edidisse, alia plura.

FRIDERICUS AGRIGENTINUS Ordinis Prædicatorum, vir pietate insignis. Scripsit Italicè,

Dell' origine, Regola, Indulgenze, e Privilegi delli Fratelli, e Sorelle della Penitenza di S. Domenico con molte altre aggiunte. Panormi apud Petrum Spiram, & Antoninum Amay 1550. in 8.

FRIDERICUS AURIA nobilis Panormitanus, origine Genuensis, Vincentii, de quo suo loco, Pater, ac Ioannis Francisci frater. Juris utriusq; Doctor egregius. Græcâ, & Hæbraicâ linguâ instructissimus; & in latinis, ac etruscis literis apprimè versatus claruit. Gravioribus studiis, amœniores literas innexuit: ideoq; Poesi, & omnigenâ eruditione ornatissimus enituit. Sicularum Triremium Auditorem, ac Panormitani Prætorii Iudicem egit integerrimum. Dum ad alios honorum gradus, juxta promerita, properabat, obiit Panormi anno 1625. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus est. De eo Marius Italia *in epistola* in calce tractatus *de Immunitate Ecclesiastica*, & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico p.* 547. qui hæc scripsisse testatur apud Vincentium ejus filiũ asservata, nempè

Aureum Repertorium in septem volumina distributum in fol. Tractatus etiam varios, nempè

De Verbo Regio, seu de Jure superioritatis. in 4.

De Reintegratione amissi Juris in pristinum statum.

De

De ambiguo rerum eventu, vel de præsenti rerum statu.

De Adagiis, seu Proverbiis vulgaribus.

Indicem legalem. in 4.

Protheum legalem, sive de varia Hominum fortuna, in quo de multiplici, & varia Hominum status, qualitatis, & conditionis mutatione tractatur. in fol.

Addictiones ad consilia famosissima J. C. Guilelmi de Perno Syracusani. in fol. Addictiones ad sex Consilia edidit Paulus Franciscus Perramutus *in Conflictu Jurisconsultorum par.2. tom. 2.* Panormi apud Petrum de Isola 1662. in fol. *à pag.* 154. *ad* 217. sub nomine Iacobi Cacioppi: ubi Perramutus advertit, has Addictiones in m. ss. ejusdem Cacioppi soceri sui reperisse: sed an ipse easdem elucubraverit, se ignorasse ingenuè fassus est: attamen sub ejusdem Iacobi nomine evulgavit, nulli injuriam se facturum arbitratus, dum alium has scripsisse non eluceret. Sed nostri Friderici esse incompertum est: ex collatione enim harum addictionum m. ss. penes Vincentium Auriam ejus filium, cum editis à Perramuto, easdem esse, liquidò constat.

De Adjuncto, & connexo, eorumque Juribus, privilegiis, prærogativis, & effectibus, tam circa personam, quàm circa res. in 4.

Quæstiones legales. in fol.

Responsa varia. in fol.

Allegationum, & Consiliorum Tomos duos. in fol.

Institutiones linguæ Hæbraicæ. in 8.

Opusculum de Mundi duratione.

Opusculum contra Hæbreos.

Notitias Historicas.

Prodiere sub nomine Bernardi Rivalora Genuensis

Allegationes in causa Angeli Mariæ Rivalora ejus consanguinei. Panormi in fol. quæ ex relatione laudati Vincentii Auria scriptæ fuerant ab Antonio Bononio, studio, & labore Friderici Auria, & Jo: Franc. Auria fratris.

FRIDERICUS CAMPIXIANUS Patritius Catanensis Iurisconsultus doctrinâ instructissimus, inter primarios Iurisprudentiæ candidatos, ac causarum patronos, qui Italiam illustrarunt, non immeritò recensitus est. Iura civilia in Catanensi Academia docuit. Ter in Magnæ Regiæ Curiæ Foro Iudex, Regiusque Consiliarius sedit, nempè anno 1546. 1548. & 1569. Decessit Panormi 16. Aprilis anno 1583. & in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Fratrum Observantium S. Francisci sepulturæ demandatus est. Hujus meminere cum laude Rocchus Pirrus *notit. Eccl. Catan. pag.* 94. Ioannes Bap. de Grossis *in decacor. Cat. t.2. cord.9. pag.* 146. Marius Cutelli *de donationib. tract.1. disc. 2. partic.11. num.* 80. Marius Muta *in Pragm. tit. 4. n.36.* & Ioann: Castagna *in tract. deducto ne egeat par. 1. num.* 65. Multa scripsit, at solùm extant

Consilia Tria. In selectis consiliis collectis à Petro Luna. Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmaticam Alphonsi de censibus. Adnotationes. apud Petrum de Gregorio *de censibus.* Panormi typis Io: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterum ibidem apud Franc. Ciotti 1622. in fol.

Scripsit etiam *Allegationes,* quarum nonnullas citat Marius Muta, præsertim

Allegationes pro Barone Resuttanæ, contra Baronem S. Philippi. citantur à Muta *tom.1. in Pragm. cap.35. n.15.*

Allegationes pro Universitate Ramettæ contra Baronem Terræ Bavusi. citantur ab eodem *tom.2. cap. 28. n.128.*

Allegationes pro D. Cesare Lanza contra D. Ioannem del Campo. ex eodem *tom.4. cap.* 101.

Allegationes pro Monasterio S. Dominici contra Monasterium S. Catharinæ de Cassaro. ex eodem *in consuetud. Panor. cap. 1. n.98.*

Allegationes pro Ill. Duce Bisbonę contra D. Ioseph Agliata Baronem Villæ Franchæ. ex eodem loc. cit. *cap.16. n.62.*

Allegationes pro D. Laurea, & Catharina de Oriolis contra D. Fridericum del Carretto. ex eodem loc. cit. *n.67.*

Allegationes pro Fr. D. Paulo Equite S. Ioannis contra Ioannem de Guiglielmo. ex eodem *cap. 14. num. 3.*

Allegationes in causa Veriæ. citantur ab Antonino Amato *resol.1. n. 71.* & ab Octavio Corsetto *Consil.* 22.

FRIDERICUS GRAPHEUS Panormitanus Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, severiores Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinas docuit cum ingenii laude. Lectoris, ut vocant, Jubilati titulo insignitus, & in Panormitano Collegio S. Olivæ Studiorum Præfectus claruit. Oratoris Evangelici munere Panormi in principe Templo, & in præcipuis Siciliæ Civitatibus, ut etiam extra conciones habuit. In Sicula Provincia Definitoris, & Provincialis honore præfuit. Vivit nunc Panormi dum hæc scribimus anno 1706. Edidit Italicè

La Bella Maga Isolana Panegirico di S. Rosalia. Panormi apud Augustinum Epiram 1701. in 4.

L' Aborto del dolore ne contrasegni della disfatta del Mondo, ponderati nella morte del M. R. P. M. Domenico Gallo, Diffinitore Generale de' PP. Predicatori sortita nel giorno della prima Domenica dell' Avvento. Oratione Funebre. Ibidem apud Felicem Marinum 1704. in 4.

FRIDERICUS II. IMPERATOR, ET SICILIÆ REX. Hujus gesta justum complerent volumen: at ne instituti mei leges perfringam multa prætermeam. Qui omnia ipsius facinora percurrere exoptat, adeat Carolum Sigonium *de Regno Italiæ lib. 12. per totum*, Ricardum à S. Germano *in chronica*, edita à Ferdinando Ughello *in tom. 3. Italiæ Sacræ*, Gordonium *in Chronologia*, Bzovium *in Annal. Eccles. tom.* 13. Fazellum *de rebus Siculis dec. 2. lib. 8. cap. 2.* Joannem Antonium Summontem *hist. Neapol. par. 2. lib. 2. cap.* 8. Augustinum Inveges *in Panormo Nobil. à pag.* 493. *& seq.* Rocchum Pirrum *in Chronol. Regum Siciliæ pag.*43. Ioannem Palatium *in Aquila Sueva lib.*26. Laurentium Patarol *in serie Augustorum* §.103. *à pag.* 186. Michaelem Hertzium *in Bibliotheca Germanica par.3. n.* 753. Monachum S. Iustinę Paduæ *de rebus Insubribus, & Euganeis*, apud Christ. Urstisium *in Illustr. Germaniæ Historicis tom.1. pag.* 581. L. Ellies Du-Pin *in Biblioth. Script. Eccles.*

tom.

tom. 10. *à pag.* 2. & alios, præsertim vide eos, qui Imperatorum vitas edidere: & illius temporis historias digessere. Ex horum traditis, aliisque nonnulla seligam. Parentibus Henrico VI. Imperatore, ex Suevo sanguine, & Constantiâ, Rogerii Regis filiâ, natus est Fridericus Panormi 26. Decembris; sed quo ad annum non una est scriptorum sententia; alii enim anno 1190. alii 1191. vel 1193. vel 1194. vel 1195. vel tandem 1196. natum volunt. Ut ostenderet, Panormi lucis usuram accepisse, multos congessit auctores Inveges *in Panor. nobil. pag.* 494. *&* 495. quos apud ipsũ leges, quibus addo Albertum Kranzium *in chron. Norvergiæ lib.* 6. *cap.* 1. *pag.* 417. Amatum Masirullum *in Monte Virgine sacro pag.* 319. Carolum Calà *in histor. Suevor. lib.* 1. *par.* 3. *pag.* 59. Ioannem Palatium *in Aquila Sueva lib.* 23. *c.* 2. *p.* 222. *& lib.* 26. *cap.* 2. *pag.* 308. Benvenutum de Rambaldo *in libro Augustali* edito unà cum operibus Francisci Petrarchæ, Gilbertum Genebrardum *in chronolog. Mundi*, ubi de Friderico Henrici VI. Patre, Thomam Costum *in annot. ad hist. Neapol. Collennucii*, Laurentium Patarol *in serie Augustorum* §. 101. *pag.* 182. Goltzium *in hist. post. Siciliæ pag.* 21. Gregorium de Lauro *in apolog. pro Vaticiniis Abb. Joachim pag.* 81. & Ricordanum Malaspinam *in antiq. histor. Florent. cap.* 86. *pag.* 81. Siculos innumeros lubens prætereo. At non reticeam quòd incõcussa est apud Panormitanos ducta per manus fama, Fridericum in ipsa Panormitanæ Ecclesiæ area, ad amovendam suspicionis notã, publicè natum. Ab incunabulis, vel à pueritia, ut aliis placet, defuncto patre, Siculi Regni insigniis, more Majorum, donatus est. Exinde matre orbatus, cùm Panormitani ejus coronã nutantem vidissent, infantulum Regem contra aliorũ ambitionem summâ fidelitate tutati sunt: quibus accessit Innocentii III. Pontif. Max. curâ, qui contra Marcovaldi vires, Regnum invadere contendentis, Friderici Iura sedulò propugnavit. Anno verò 1210. dejecto ex imperiali fastigio Othone, & excommunicationis gladio percussus, nôster Fridericus, Pontificis consensu Imperii fasces obtinuit. Vir fuit Fridericus animi robore instructissimus, in bellis disponendis, ac periculis declinandis magni consilii: ideoque nimiùm formidabilis. Laborum patiens, magnarumque rerum capacissimus. Italiam bellis exagitavit, & aliquando ancipiti Marte pugnavit; horum fomenta, progressus, exitus, Historicorum paginæ passim narrant, ad quas lectores remitto. Ædificia, Propugnacula, Vrbes, Oppida, ac Templa innumera extruxit, tum in Italia, tum extra, in quibus adhuc Friderici nomen, ac fama constantissimè vivit. Adeò præclarè effulsit ejus munificentia, ut non modò omnes ævi sui Principes superaverit, verùm etiam quotquot imperiali diademate insignitos à Carolo Magno usque ad ipsius ætatem recoluit Orbis. Aureas monetas, quas Augustales vocavit, primus invenit. Venationi indulsit, ac omnium primus aucupio, Accipitrum, & Falconum artes adhibuit. Animalia, monstraque omnia, quæ in orientalibus plagis progignuntur, à Cæsaris Augusti ævo in Italia invisa, ad majestatis amplificationem aluit: ac quidquid pretiosum in Asia gemmare conspicitur, in suas ædes abundè asportatum refulsit. Sex ipsi fuere successivè uxores, quarum secunda Jole fuit, Regis Hierosolymitani Joannis de Brenna filia, ex qua ipse, & Siculi Reges jus, & titulum Hierosolymitani Regis accepere. Hinc sacram expeditionem, multoties Pontificibus promissam, ac procrastinatam, aggressus; trajecto mari, cùm nonnullas superasset Urbes, firmatis cum Sultano minus honestis pactionibus, Hierosolymitani Regni coronam sibi imposuit anno 1229. De ejus sapientia, ob quam in hac Bibliotheca, non ultimum sibi vindicat locum, multa passim ab auctoribus enarrantur. Ingenio præstantissimo apprimè instructus, ac Salomone quodam magistro, Salomonis Regis sapientiam æmulatus est: nam Cæsarum omnium, immò literatorum omnium ævi sui sapientissimus, multas scientias egregiè didicit. Idioma Latinum, Italicum, Gallicum, Græcum, Saracenicum, Arabicu, Germanicũ, aliaq; perfectè calluit. Mechanicis rebus aliquando animũ adjecit, earumq: artifex eximius fuit. Eruditione excelluit: in historiis verissimus claruit. Literarum amantissimus, studia non modò fovit, verùm etiam mirũ in modũ excitavit. Lycea Patavinum, & Neapolitanum aperuit, quæ amplissimis privilegiis firmavit, ac insigni liberalitate dotavit. Primarios viros doctrina instructissimos ad ipsa advocavit, ac largissimis stipendiis ditavit: quos & ipse ut audiret, non rarò pedester adiit. Viennensis quoque Academiæ fundamenta posuit, quam privilegiis munivit. Salernitanum etiam Gymnasium beneficiis affecit. Aristotelis opera, ut latinitate donarẽtur, attentè curavit. Plurium Philosophorum, ac Medicorum tum Arabicorum, tum Græcorum libros, inter Saracenos delitescentes, adhibitis peritissimis viris, in latinam linguam trãsferri mandavit, ac Bononiensi Academiæ transmisit. Ptolomæi Almagestum Arabico idiomate scriptum, ut latiis auribus daretur sedulò peregit; quo Mathematicas disciplinas ex Europa diu exules, eidem restituit; teste post alios Vossio *de scient. mathemat. cap.* 35. §. 28. *pag.* 179. Milliet *in cursu mathem. tom.* 1. *tract. proœm. pag.* 83. & Blancano *in Chronolog. mathem. pag.* 58. qui addit Fridericum Astronomiam omnem excoluisse. Omnes etiam Astronomicos libros fecit, ut latinitate donatos à doctis viris fruerentur, ex Simone Majolo *dier. canicular. par.* 2. *coll.* 4. *pag.* 513. ubi Fridericũ III. vocat. Poesim calluit latinã, ut etiam Etruscam, ac unus fuit ex primis, qui Italicè carmina cecinere: immò sub ejus auspiciis Panormi in ipsa Friderici aula, Italicã linguã, ac Musas Etruscas primùm natas, multis ostendi cum Vincentio Auria *in Sicilia Inventrice cap.* 9. §. 5. *pag.* 31. *& in observationibus à pag.* 146. *& seq.* quòd ne dum ex Majorum traditione, verùm etiam ex Auctorum testimoniis proditum est. In Sicilia adinventa Italica carmina sub Friderico nonnulli scribunt, nempè Franciscus Petrarca in

in præf. ad epistolas, famil. & in Triumpho Amoris cap. 4. ejusque expositores Andreas Gesualdus, Alexander Vellutellus, Ludovicus Castelvetrus, & Bernard. Danielis, Dantes *de vulgar. eloquent. lib.* 1. *cap.* 12. Ioannes Georgius Trissinus *in Castellano pag.* 67. Hieronymus Claritius *in Apologia propè finem*, Franciscus Giambullari *in origine linguę Florent. pag.* 132. *&* 137. Matthæus Comes S. Martini *in obser. Grammatic. & Poeticis in epist. nuncup.* Franciscus Fortunius *in Regulis Grammaticalibus pag.* 26. Sebastianus Minturnus *in epist. lib.* 2. *pag.* 28. Ferdinandus de Diano *de origine linguæ Ital. & Lat. pag.* 74. Nicolaus Villanus sub Academico Aldeani nomine *in disc. de Poesi ludicra pag.* 54. Thomas Stiglianus *de arte Carm. Italici cap.* 16. *pag.* 157. Ludovicus Castelvetrus tum *in comm. ad Petrarcham in triumpho Amoris cap.* 4. tum etiam *in addict. ad Bembum lib.* 1. *pag.* 113. *& seq.* Leo Allatius *in epist. nuncup. Poetar. Antiq.* & Marius Equicola *in instit. ad Carmina componẽda* apud ipsum, Gilbertus Genebrardus *in Chronograph. anno* 1227. *pag.* 379. Ioannes Bap. Strozius *in lection. pag.* 167. Duardus Nonnius *de vera Genealogia Regum Portugalliæ, in Hispania Illustr. tom.* 2. *pag.* 1260. ex nostris etiam Marius Aretius *in observationibus ad linguam Siculam*, Fazellus *de reb. Siculis dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 28. Ioseph Carnilivarius *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 16. Leonardus Orlandinus *in discur. Siciliæ pag.* 74. *& in disc. de Rosario Joannis Antonii Brandi pag.* 474. & ut alios prætereamn, eruditissimi Ioannes Marius Crescimbene *in hist. vulgaris Poesis lib.* 1. *pag.* 1. *& in comm. Vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 1. *&* 2. & Justus Fontaninus *in Aminta defenso cap.* 11. *pag.* 282. quòd & multis confirmabit egregius sanè vir Apostolus Zenus *in hist. Ital. Poesis*, quam Orbis literatus non sine magno desiderio expectat. At si hæc inventio in Friderici aula exordium agnoscit, sub eodem Imperatore Panormi natam facili negotio deducicimus; Fridericus enim more Majorum, Panormi Regiam statuerat sedem, ut ipsemet fatetur; in diplomate n. an. 1211. apud Rocchum Pirrum *not. Eccl. Panorm. pag.* 142. ait: *Habentes quoque præ oculis, quòd in ipsa Ecclesia Panormitana sacram unctionem, & regium suscepimus Diadema; quia etiã sicut ipsa Ecclesia prima est inter omnes Ecclesias Regni nostri, & excellentiâ dignitatis suę cæteris Ecclesiis præeminet.* in alio an. 1211. apud eumdem *pag.* 143. *Attendentes igitur, quòd venerabilis, & venerãda Sacrosancta Panormitana Ecclesia, quæ Caput est, & sedes Regni nostri*: & in alio an. 1216. apud citatum Pirrum *pag.* 146. *Panormitana Ecclesia, quæ nostri sedes est Regni*: in alio tandem apud Franciscum Baronium *de maest. Panor. lib.* 4. *cap.* 9. *pag.* 54. *cùm felix civitas nostra Panormitana prima Regni nostri sedes existat.* Quod ex historiis liquidò patet. Panormi verò primùm in lucem editum hoc poesis genus ex nostris, traditionem firmantes, tradunt Ioannes Baptista Giattinus *in orat. pro lustratione studiorum Collegii Panorm. pag.* 9. Datius Agliata *in orat. pro iisdem studiis pag.* 15. & in alia etiam *pag.* 15. Alexander Palazolus *in orat. pag.* 10. Hyacinthus Maria Fortunius *in lib. Scintille della selce pag.* 27. Thomas Ballus *in Poemate: Palermo liberato cant.* 25. *Stan.* 70. Ignatius de Vio *in Mythologia sacra pag.* 45. Ioannes Maria Amatus *in orat.* 1. *studior. pag.* 19. *& in notis n.* 134. *pag.* 119. Vincentius Auria *in vita S. Rosaliæ pag.* 25. *in epist. ad lectorem in calce par.* 1. *carminũ Joannis Baptistæ de Judice pag.* 478. *& in Sicilia Inventrice cap.* 9. §. 5. *pag.* 31. quod etiam innuit Simon Raus *in carmin. pag.* 43. *&* 46. Hinc, ut ad Fridericum revertar, is inter primos Etruscos Poetas recensetur à Gesualdo, & Vellutello *in comment. ad Petrarcham*, qui expendentes verba *cap.* 4. *Triumphi Amoris*

E i Siciliani, che furono già primi;

ut primos Poetas Fridericum, & Entium ejus filium nominant. Friderici etiam, uti Poetæ Etrusci, meminere Petrus Bembus *in Prosis lib.* 2. Nicolaus Francus *in Petrachista pag.* 19. Iacobus Pergaminus *in memor. linguæ Ital. in indice Poetar.* Academici dicti *della Crusca in vocabulario*, Castelvetrus *in discur. de articulis Bembi pag.* 18. Torquatus Tassus *in disc. de Poemate Heroico pag.* 74. Allatius *in epist. nuncup. Poetar. Antiq.* Ioannes Caramuel *in Rhytmica art.* 8. *pag.* 104. & Ioannes Marius de Crescimbene *in hist. Vulgaris Poesis lib.* 1. *pag.* 7. *lib.* 2. *pag.* 84. *&* 118. *& lib.* 4. *pag.* 267. aliique. Vitiis nonnullis egregias animi dotes turpiter fœdavit Fridericus; Ecclesiã enim armis, direptionibus, dissidiis longo tempore faticavit, & Ecclesiasticam libertatem violare ausus est. Hinc pluries à Romanis Pontificibus anathematis fulmine percussus est, quo, odio recrudescente, in Ecclesiasticos, ac Ecclesiæ jura ardentius sęviit. Tandem cum se ad nova bella pararet lætali morbo affectus, in Florentino Apuliæ oppido, ubi sensit supremum adesse diem, assumpto Cisterciensium habitu, in peccatorum lacrymas abiit: excommunicationum, culparumque absolutionem ab Archiepiscopo Panormitano Bernardo de Castaca obtinuit: Ecclesiæ obedientiã præstitit, jurejurando se obstrinxit ejus mandatis obtemperaturum: tantaque contritionis edidit signa, ut Maynardus Episcopus Imolensis scripserit, ex ipsius contritione deduci: Fridericum vas Dei electum, & organum fuisse. Testamento edito Ecclesiæ damna instaurari præcepit, aliaque pietatis argumenta in ipso apertissimè emisit: cujus fragmenta extant apud Sigonium, Matthæum Paris *in annal: sui tempor.* Odericum Raynaudum, & Summontem, & in libro inscripto: *Collectio cõstitutionum Imperialium, hoc est DD. NN. Imperatorum Cæsarum, ac Regum Augustorum Sacri Imperii Germanico-Romani pag.* 307. Obiit Fridericus 13. Decembris anno 1250. in memorato oppido, non Panormi ut falsò tradunt Albertus Stadensis *in historiograph.* Egnatius *Romanor. Principum lib.* 3. & Hofmanus *in lex. tom.* 2. *pag.* 94. Nonnulli aliter ipsius mortem enarrant, alii à Manfredo filio suffocatum: plerique veneno sublatum scribunt. Friderici cadaver Panormum delatum in Cathedrali Templo conditum fuit; ubi ad porphyreticum ejus sepulchrum hæc fuit adjecta inscriptio.

Si

Si probitas, sensus, virtutum gloria, census,
Nobilitas orti possent resistere morti
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Hodie verò ibidem hoc legimus Epitaphium.

Qui mare, qui terras, populos, & regna subegit,
Cæsareum fregit subito mors improba nomen:
Hìc jacet, ut cernis, Fridericus in Orbe Secundus,
Quem lapis hic totus, cui mundus paruit, arcet.
Vixit Ann. LVII. Imperii XXXVIII. Regni Hierusalem XXV. Et Regni Siciliæ LII. Obiit An. Dom. MCCL.

Fridericum Panormi sepultum prædicant Siculi, aliique innumeri scriptores exteri, quod videntibus patet, nam omnium oculis in Cathedrali Templo magnificentissimum ejus sepulchrum observatur. Hinc meritò Augustinus Inveges *tom.3. annal. Panor. pag.* 641. Villanum, Collenuncium, Vitigianum, & Summontem rejcit, qui à veritate aberrantes, Monteregali sepultum tradunt: quod etiam scribunt Ricordanus Malaspina *hist. Flor. cap.* 143. *pag.* 131. Hertzius *in Bibliotheca Germanica par.* 3. *n.* 753. & Antonius Bulifon *in vitis Regum Neapol. pag.* 49. perperam etiam Pompeus Sarnellus, alioqui eruditissimus, *in Chronol. Episc. Sipontin. pag.* 212. extra Montemregalem Urbis Messanæ, tamquam excommunicatum sepultum scribit; Monsregalis etenim Urbs Archiepiscopalis longè distat ab Urbe Messanæ. Quæ Fridericus scripsit hæc sunt.

Leges, & Constitutiones in fidei christianæ obsequium, pro Ecclesiastica libertate, & contra Hæreticos. In Authetica *de statutis, & consuetudinibus.*

Leges pro Italiæ securitate, pro Agricolis, Navigantibus, Studiis incumbentibus, ac literatis. Approbatæ, & insertæ in Codice Justiniano, sive in corpore Juris Civilis Justinianei in fine: Amstelodami 1663. in fol. Parisiis 1681. in fol. & alibi.

Constitutiones de Juribus, & Privilegiis ducatus Austriæ, apud Melchiorem Goldastum *in statutis, & rescriptis Imperialibus par.* 1. *à pag.* 73. Francofurti ad Mœnum 1607. in fol. & *in Rationali pag.* 75.

Neapolitani Regni Constitutiones, has Matthæus de Afflictis Jurisconsultus Neapolitanus, aliique explanarunt, passim apud Jurisperitos obvias.

De Arte venandi cum Avibus. Cum Addictionibus Manfredi Regis: addita nonnulla Alberti Magni sub nomine de Falconibus, Asturibus, & Accipitribus. Augustę Vindelicorum 1576. in 8.

Epistolæ Variæ. Inter epistolas Petri de Vineis. Ambergæ 1609. in 8. & Basileæ 1566. in 8. In collectione constitutionum Imperialium Goldasti, apud Marquardum Freherum *tom.*1. Germanicarum Rerum Scriptorum *pag.*303. Francofurti 1624. in fol. apud Stephanum Baluzium *in Miscellaneis tom.* 1. *à pag.* 446. Parisiis apud Franciscum Muguet 1678. in 4. apud Rocchum Pirrum *in chronologia Regum Siciliæ primæ editionis pag.* 19. Augustinum Inveges *tom.* 3. *Annal. Panor. pag.* 585. 589. 592. 614. & 619. Sigonium de Regno Italiæ, Albertum Krantium *Metrop.* 7. *in fine*, aliosque præsertim Ioannem Palatium *in Aquila Sueva lib.* 26. ubi ne dum multas Friderici epistolas exscribit, verùm etiam & nonnulla ejus *diplomata, decreta, & constitutiones*. Bullas etiam quamplures à Friderico editas invenies apud Baronium *Annal. Eccl. tom.* 11. *ann.* 1097. & penes Bzovium *Annal. Eccl. tom.* 13.

Carmina, quæ temeritatem olent apud Pirrum *cit. pag.* 49. Ciacconium *in Vita Innocentii IV.* Palatium *cit. pag.* 352. 353. & 364. & Sarnellum *in chronolog. Episc. Sipont. pag.* 204. & 212. Italicè tandem

Canzone per lo Imperatore Federigo II. di Sicilia, e di Napoli. extat in libro inscripto: *Sonetti, e Canzoni di diversi antichi Autori Toscani.* Florentiæ apud Heredes Philippi de Junta 1527. in 8. *pag.* 114. quam etiam citat Antonius Minturnus *in Poetica lib.* 3. *pag.* 212. & aliqua ejus carmina adducit. Addo, quod Allatius in Indice Poetarū, quem libro suo Poetarum antiquorum perfixit (quorum carmina Etrusca in codicibus Vaticanis, Barberinis, & Ghisianis asservari testatur) *pag.* 48. nostrum Fridericum adducit, cujus poetica monumenta se editurum promittebat, cum aliis antiquorum Poetarum, in subsequentibus libris prælo paratis. Sed cùm morte prȩventus non edidisset, nostri Friderici Poemata in memoratis Bibliothecis asservata adhùc puto. Ejusdem carminum meminere deputati Florentiæ *pro Boccacii correctione pag.* 54. Petrus Franciscus Giambullari *in Gello pag.* 61. Fridericus Ubaldinus *in præf. ad carm. Petrarchæ, & tractatu virtutum moralium Roberti Regis*, Ioannes Georgius Trissinus in dialogo inscripto: *il Castellano pag.* 49. & Jo: Marius Crescimbene *in comm. ad hist. vulg. Poes. vol.* 1. *lib.* 1. *pag.* 2. & *cap.* 2. *pag.* 4. & ut Poetam Fridericū laudat Antonius Muscettola in libro: *Gabinetto delle Muse pa.* 29. & Simon Raus *in carmin. pa.* 41.

FRIDERICUS LETUS Jurisconsultus Siculus, ac celebris Magnæ Regiæ Curiæ Judex, Regiusq; Consiliarius. Hujus extant

Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ. In Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Prag. Alphonsi de Censibus. Annotationes. apud Petrum de Gregorio de Censibus. Panormi typis Jo: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterum Panormi apud Franc. Ciotti 1622. in fol.

FRIDERICUS SABIA nobilis Panormitanus vir amœnioribus literis ornatus, in Panormitana Reaccensorum Academia adscriptus claruit. Poesim coluit, ac ingenio, quo pollebat felicissimo, poeticæ gloriæ culmen facilè attigisset, ni bellica virtus ad arma ejus animum divertisset. Hinc extra patriam robustæ fortitudinis argumenta non pauca edidit in Catholici Regis obsequium, tum in Terrænovæ, & Pirpiniani auxiliis suggerendis, tum etiam in bellis apud Ilerdam, vulgò *Lerida*, & Cataluniam effervescentibus. In expugnandis Portolongo, vulgò *Portolongone*, aliisque locis, non modicam promeruit laudem. In pacificis etiam concertationibus, nempè in-

in hastiludiis Panormi habitis, militarem detexit fortitudinem anno 1652. & 1658. Patriam Senatoris munere gubernavit ann. 1648. 1653. & 1672. Tandem in Hispaniam delatus, an. 1682. Matriti decessit. Est Friderici mentio apud Ant. Collurasi *in acquisitione Partolongi pag.* 157. Hyacinthum Mariâ Fortunium *in plausibus Panor. pag.* 124. Vincen. Auriam *in disc. histor. de hastiludiis pag.* 52. & Josephum Galeanum *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pag.* 165. ubi extant vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & Josephum Bisagniū 1662. in 12.

FRONTINUS. vide Sextus Julius Frontinus.

FULGENTIUS CACCABENSIS Ordinis Eremitarum S. Augustini Reformatorum, ex Congregatione Sicula Centuripina, ac ejusdem Congregationis Vicarius Generalis. Edidit Italicè

Sommario delle Cronologiche notitie della Vita, Virtù, e Miracoli del Ven. P. Fr. Andrea del Guasto di Castrogiovanni Fondatore dell'Eremitani Reformati Agostiniani della Congregatione di Sicilia. Parte prima. Panormi apud Augustinum Bossium 1677. in 4.

FULGENTIUS CASTIGLIONUS Panormitanus Societatis Jesu natus 3. Ianuarii 1629. Inter Clericos Seminarii Panormitani exceptus, in gravioribus scientiis adipiscendis egregias præstantissimi ingenii dotes patefecit: inter condiscipulos primas tenuit, ac in Collegii Panormitani Soc. Jesu Academia Principem egit. Absoluto studiorum curriculo Theologicâ doctoris laureâ donatus est: & è Semenario egressus, Clericali habitu insignitus aliquandiu laudabiliter vixit. Sed ut Deo se totum dicaret, Societatem amplexus est 24. Januarii 1651. in qua votorum quatuor professione 15. Augusti 1662. se adstrinxit. In ea ob ingenii capacissimi præstantiam, memoriæque felicitatem, doctrinâ mirificè claruit. Humaniores literas quadriennio docuit, ac totidem Philosophiam Calatajerone, & Drepani: Theologiam etiam scholasticam quinquennio, ac moralem triennio, semper amplissimâ cum nominis laude: ob doctrinæ profunditatem meritò summâ veneratione prosequutus. Magnâ valuit doctrinæ opinione apud D. Ferdinandum de Bazan Archiepiscopum Panormitanum, ejusq: Consultor, ac Theologus fuit. Morum suavitate aliorum animos in sui amorem facilè conciliabat. Insigni doctrinæ virtutes egregias sociavit. Constitutionum Societatis observantissimus, nec in minimis unquam violare attentavit; adeout non modò nihil, quamvis minimum, absque Superioris venia ullo prætextu sibi arrogavit, verùm etiam & in his implicitè sibi concessis, explicitè Superioris facultatem petebat. Extrema vitæ suę nocte nec per minimum quadrantem tempus cũdi cubitum prævenire voluit, etsi doloribus urgeretur: nec sine Superioris nutu sequenti die horam sibi præfixam ad sacrum celebrandum pervertere curavit. Humilitate præclarus, discipulos rogabat, ut quidquid in ipso erroris, vel à recta ratione devium observarent, sine cunctatione Judices severi punirent. Ut sui æstimationem apud omnes excitatam deprimeret, ingenuè fatebatur, se humili genere ortum, & inter pauperes Seminarii Panormitani Alumnos vixisse. Sæpius petiit, ut postquam metam docendi Philosophiam attingeret ad tradenda adolescentibus Grammaticæ præcepta descenderet, in Collegio Panormitano; ut per biennium obtinuit. Mortis memoria ipsi gratissima; de ea non raro prolixè loquebatur; quo indicabat vitæ præsētis tædio affici, ad ac æternæ felicitatis gloriā æstuare. In cōponendis sodalium cadaveribus nunquam deerat, & cùm sepulturæ ostium clauderetur, ac si ad Paradisi januam adstaret, ejus ingressum suspirabat. Tandem urgentibus magnâ vi doloribus, paulò post, quasi repentina morte obiit in Collegio Panormitano 31. Martii 1693. Hunc ejus discipuli doctissimi laudant, nempè Francis. Marchesius *in Sac. in Villa cap. 1. sect. 3. num. 277. pag.* 223. & Stephanus Abbas *in Theologo Principis cap. 12. dub. 8. num. 34. pag.* 284. Multa tum Scholastica, tum Moralia prælo parata servabat, ex his prodiere solummodo

Cursus Philosophicus. Venetiis apud Valdensem 1690. in fol.

Italicè verò

Instruttioni de' Confessori per ben guidare nello spirito le Religiose, composto ad istanza di Monsign. Illustrissimo D. Ferdinando de Bazan Arcivescovo di Palermo. Panormi apud Petrum Coppola 1692. in 4.



G



ABRIEL CICER Panormitanus vir oppidò singularis: præstantissimo instructus ingenio, cùm severioribus studiis operam navasset, unà cum Philippo Triolo sibi in socium electo, Philosophiæ, ac Theologiæ curriculum absolvit; Josepho de Augustino Panormitano Soc. Jesu, viro doctissimo præceptore, ac ad clarissimum doctrinæ fastigiū sese extulit: etsi ex traditis à magistro nec verbum unquam cartis consignaverit; non sine ipsius docentis magna admiratione, Inde sui ipsius dux, & præceptor, capacissimo multarum rerum ingenio, mathematicas, & astronomicas disciplinas didicit. Geometriā, Aritimeticam, Algebram, & alias, quæ ad has faciliter reducuntur, facultates, vel ex his originem trahunt, non prætermisit. Doctissimus etiam fuit in reconditis naturæ arcanis sedulò perscrutandis, præsertim botanicæ peritissimus: ex plantarum generibus, ac virtutibus nil ipsi ignotum. A locupletissima eruditione non vulgare eximio viro accessit ornamentum, quod ex historiis tum antiquis, tum recentioribus, & ex vetustatis penu abundè eduxit. Præter latinam linguam, & Etruscam; Græcam etiam, monstruoso penè sui solius ingenio duce didicit, ut etiam & Hæbream, quam intra bimestris temporis spatio perfectissimè calluit. Jurisprudentiam amplexus, inter doctissimos fuit recensitus, ac Doctoris laureâ donatus. Gravioribus his facultatibus amœniores etiam literas sociavit; ac Musis amicus, Latiis, Italicis, ac Siculis numeris multa egregiè cecinit; & inter Reaccensos Panormi Academicos semper plausibus auditus est: Francisci Petrarchæ, & Joan. Boccacii fidelissimus æmulator. A secretis diu fuit Senatus Panormitani, & à multiplici hac doctrinæ copia, ab omnibus summoperè veneratus, magnâ apud omnes valuit opinione. Tandem in læthale morbum lapsus, maximo omnium dolore decessit Panormi anno 1647. 27. Aprilis, & in Ecclesia S. Francisci Min. Conv. sepultus est. Emeritis laudibus exornatur à Josepho Galeano *par.* 2. *tom.* 1. *Musarum Sicularum pag.* 261. & à Vincentio Auria *in observationib. ad Batillum Jo: Bap. de Judice pag.* 369. Multa scripsit, sed editę solùm videntur, vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 2. *tom.* 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagniū 1662. in 12. Habentur nonnullæ *Epistolæ nuncupatoriæ* ad Senatum Panormitanum pro orationibus in studiorum instauratione à nonnullis Patribus Soc. Jesu habitis, ac Panormi editis. In opusculo inscripto *Lusus Extemporales Poetarum super fonte extructo in Portus Panormitani sinu*. Panormi typis Decii Cyrilli 1635. in 4. *nonnulla* ipsius extant *carmine*, *&* *prosa*. Servantur & apud D. Vincen. Auria m. ss.

Allegationes pro Senatu, & Populo Panormitano, ac Rev. Capitulo Majoris Panormitanæ Ecclesiæ de Reliquia S. Mariæ Magdalenæ: quas citat Iacobus Corsalis *in Vita ejusdem Diuæ pag.* 217. Reliquit m. ss.

Lettere. Discorsi.

GABRIEL DE FABIIS Leontinus natus ex Andrea de Fabiis Genuensi anno 1605. vir literis, & virtute insignis. Neapoli exactis Philosophiæ, ac Medicinæ spatiis, Doctoris laureâ insignitus est, ac egregiæ doctrinæ ornamentis se instruxit. In gravioribus etiam Theologiæ scholasticæ, & moralis studiis doctissimus fuit: quibus accessit politioris literaturæ copia non vulgaris; in historiis enim versatissimus, Musas Latias, Etruscas, Siculasque coluit magna cum nominis laude, ac gloria. Eruditione, eloqentiâ, doctrināque claruit: ac tandem annum agens 63. obiit Leontini an. 1668. Hunc laudat Franciscus Apares *in triumpho Siculo pag.* 294. Edidit opus inscriptum

Pyramides encomiorum, & Elogia in honorem Sanctorum Fratrum Alphii, Philadelphii, & Cirini Martyrum Leontinorum, & Anagrammatismus, Epigrámata, Disticha, Problema, Emblema, Proemoschemata, & Hymnus in laudem eorumdem Sanctorum Martyrum. Romæ typis Francisci Monetæ 1643. in 4. Alia multa m.ss. reliquit.

GABRIEL FILORAMUS ex oppido S. Petri Monfortis Ordinis Minimorū S. Francisci Paulensis, vir doctissimus, Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, & in Messanensi Cœnobio studiorum, ut vocant, Regens. A doctrina nimiùm laudatus, meritorum ope multa honorificentissimè obtinuit: nam in Sicilia Sanctiss. Inquisitionis fuit Consultor, & Censor: pro Italica natione apud sodales suos, ut vocant, Collega Generalis in duodecim Italię Provinciis Vicarius Generalis: totius Ordinis apud Romanam Curiam Procurator: demum in Apuliensi, & Messanensi Provincia præfuit Provincialis. Dum Messanensem Provinciam cum magnę prudentiæ nota moderabatur, obiit Messanæ mense Iunii 1689. Ad Theologorum beneficium edidit opus, cui titulus

Lapis Lydius circa materiam de Præscientia, Prædestinatione, & Reprobatione. Messanæ ex typographia

phia Vincentii de Amico 1687. in fol.

GARSIAS MASTRILLUS Panormitanus, non Neapolitanus ut perperā scripsit Nicolaus Toppius *in Bibliot. Neapolit. pag.* 105. nam etsi nobilissima Mastrilli familia Marchionum Turtureti è Neapolitano Regno, & ex urbe Nolana in Siciliam venit; attamen hìc à progenitoribus nostri Garsiæ delata est; nō noster Garsias primùm hìc digressus est, ut ex Octavio Beltrano *in descrip. Regni Neapolis pag.*124. habemus. Panormi ortum prædicant Franc. Rodella *in epist. nuncupat. libri memoriæ artificialis Anselmi Fatii*, Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculor.pag.*62. Fuit Garsias Marii Mastrilli Jurisconsulti eximii filius, Jurisconsultus & ipse celeberrimus, primarius causarum patronus, doctrinâ, & eloquentiâ instructissimus: ac meritò ob egregiam Juris utriusque peritiam nonnullis honoribus cohonestatus enituit. Fuit etenim pluries Pretorii Panormitani Judex: pluries in supremis Siciliæ subselliis Magnæ Regiæ Curiæ, ac Sacræ Regiæ Cōscientiæ itidem Judex, Regiusque Consiliarius: ac tandem ejusdem Magnæ Regiæ Curiæ Fisci Patronus. In hoc munere cùm prudentiâ,ac doctrinâ refulgeret, ac ad alia properaret honorum culmina, decessit Panormi 17. Decembris 1620. & in Ecclesia S. Citæ Ordinis Prædicatorum sepelitur; cujus mortis horam spiritu prophetico agnovit Ven. D. Hieronymus Palermo, vir sanctimoniâ clarissimus, ut in ejus vita legimus *lib.* 2. *cap.* 4. *pag.* 95. Hujus cùm laude meminere Franciscus Maria Pratus *in observat. tom.*1. *observat.* 32. *nu.*47. Marius Giurba *decis.*90. *num.* 4. Scipio Rovitus *in Prag. Neapol. prag.*2. *num.*5. *& prag.* 7. *num.* 17. Gaitus *de credito c.*2. *tit.*7. *quæst.*5.*n.*2023.Franciscus Strada *in lib. quietationum pag.*14. aliiq; passim. Edidit

De Magistratibus, eorumque imperio, & jurisdictione Tractatum in duas partes distinctum. Volumen primum, & secundum. Panormi apud Franciscum Ciottum 1616. in fol. Lugduni 1622. in 4. Venetiis 1617. & 1667. in fol.

Ad Indultum Generale Commentarium Catholici Philippi III. Regis potentissimi beneficio ob paternam successionem, ejusque felicissimas nuptias Siciliæ Regno suo fidelissimo concessum. Panormi apud Joannē Antonium de Franciscis 1604. in 4. Lugduni 1621. in 4. & in calce operis de Magistratibus. Panormi apud Franciscum Ciottum 1616. in fol.

Decisiones Consistorii S. R. C. Regni Siciliæ Librum primum. Panormi apud Erasmum Simeonē 1606. in fol. Venetiis apud Societatem 1609. in 4. Panormi apud Ioannem Antonium de Franciscis 1619. in fol.

Librum Secundum Panormi apud Erasmum Simeone 1610. in fol.

Librum Tertium Ibidem apud Franciscū Ciottum 1621. in fol.

Librum quartum. Ibidē apud eumdem 1624. in fol. Prodiere etiam simul Venetiis apud Societatem 1612. in 4. Spiræ apud Heliam Kembachium 1615. & 1619. in 4. Venetiis 1622. & 1624. & Coloniæ 1660. in 4.

Addictiones ad Tractatum de Censibus Petri de Gregorio. Panormi typis Io: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterū apud Franc. Ciottū 1622. in f.

Addictiones ad Tractatum de Concessione Feudi ejusdem de Gregorio. Panormi apud eumdem 1598. in fol. & Moguntiæ 1600. in 8.

Petri de Gregorio &c. Tractatum de Vita Militia, de dote de Paragio, de Judiciis causarum feudalium, cum addictionibus, summariis, argumentis, ac indice tum quæstionum, tum etiam rerum omnium locupletissimo D. Garsiæ Mastrilli, &c. Panormi apud Jo: Ant. de Franciscis 1596. in 4.

Consilium singulare pro D. Aloysia Mastrilli, & Corbera Marchionissa Turtureti ejus matre. Extat in calce libri primi decisionum.

GASPAR ARIANUS Panormitanus Sacerdos, Iuris utriusque Doctor, vir eruditione, ac politioribus literis ornatus. Fuit Majoris Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus, & anno 1612. Examinator Synodalis electus: sed Canonicatum in beneficium D. Ioannis Antonii Geloso renunciavit, solummodo retenta sibi Capellania S. Mariæ de Itria Panormi, non longè à Regio Palatio. In eadem urbe decessit 18. Martii 1627. & à Canonicorum Capitulo Ecclesiæ Panormitanę consociatus, in Ecclesia S. Nicolai de Calcia sepelitur. Edidit Italicè

Arco trionfale fatto in Palermo nell' anno 1592. per la venuta dell' Illustris. & Eccell. Sig. D. Henrico Guzman Conte d' Olivares Vicerè di Sicilia. Panormi apud Io: Antoniū de Franciscis 1592. in 4. Scripserat etiam, sed non edidit

Dialogo degli Archi trionfali, degli Emblemi, de' concetti, delle sentenze figurate, delle Medaglie, e Geroglifici. ex epist. nūcupatoria supradicti opusculi.

GASPAR BUCCERIUS Menensis Ordinis S. Francisci. Edidit Italicè ex Placido Carafa in *Insitio historico pag.* 17.

Oratione Funerale per la morte di Gio: Simone Negro. Neapoli.

GASPAR CATALANUS Panormitanus, Astronomus, Geometra, & Arithmeticus peritissimus: inter celeberrimos ævi sui literatos magnâ doctrinæ opinione vixit. Floruit circa annum 1607. Hujus meminit Honuphrius Puglisi *in sua Arithmetica pag.*12. Scripsit

La Prima parte dell' Introduttioni dell' Aritmetica Prattica Mercantile, nella quale tutte le regole necessarie à un buon Maestro, per insegnar bene à calculare, ò vero d' abaco i suoi scolari si ritrovano. Panormi apud Erasmum de Simeone 1604. in 4.

Discorso sopra il Cometa apparso à 27. di Settēbre dell' anno 1607. Panormi apud eumdem 1607. in 8.

GASPAR LICCUS Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, Pontificii, ac Cæsarei Iuris cognitione insignis: vir non modò in gravioribus studiis doctissimus, verùm etiam, & in amœnioribus abundè versatus. Poesim tum Latinam, tum Etruscam egregiè coluit magna cum laude. Præclarissima promerita primùm ad Canonicatum Ecclesiæ Panormitanæ, inde anno 1600. ad Parochi munus Ecclesiæ S. Iacobi in eadem Panormitana Urbe virum eximium evexere. Obiit Panormi 27. Iulii 1619. annum ætatis agens 70. In eadem Sancti Iacobi Ecclesia tumu-

tumulatus jacet, ubi hæc legitur inscriptio.

D. Gaspari Licco Panormitano viro tum pietate in Deum, cui Sacerdos, Canonicus, Parochus se devovit clarissimo; tum divini totius, humaniq; Iuris consultissimo; qui severioribus studiis tragicos quoq; sales etruscos Poeta admiscuit, ut hac etiam parte genus humanum doceret, causam crede, quæ prima habetur, hoc amoris monumentum posuere. Vixit annos LXX. Menses . .. Dies . . Obiit anno Domini Die XXVII. Julii M.DC.XIX.

Edidit Italicè

Representatione del Martirio di S. Christina V. Panormi instante Laurentio Pegolo 1584. in 8. iterum Venetiis cum hoc titulo: *la Trionfante Christiana*. apud Petrum Disirolum 1597. in 8. & apud Serravallem Venetiarum typis Marci Claseri 1606. in 12. ex Leone Allatio *in Drammaturgia pag. 68. & 324.*

Perfecit, ac locupletavit opus P. D. Theophili Folengo Mantuani Monaci Casinensis inscripti:

Representatione della Creatione del Mondo, e l'altre opere di N. S. sino all'Incarnatione detta l'Atto della Pinta. ut habemus ex D. Vincentio Auria *in chronologia Proregum Sicil. pag. 62.* vagatur m.s. Hoc opus singulari magnificētiâ, ac sumptu in Ecclesia S. Mariæ Depictæ Panormi pluries fuit recitata.

Scripsit etiam noster Gaspar Italicè, sed non edidit

Il Martirio di Santa Catarina Tragedia. pluries Panormi magno cum civiū plausu in Spasimi Theatro exposita, ac multorum manibus teritur m. s. Scripsit tandem

Il Giorgio) *Tragedie. m. ss.*
L'Alessandra)

GASPAR MEAZZA Panormitanus Ordinis Conventualium S. Francisci, vir ingenio, ac doctrinâ insignis. Non modò scholasticis disciplinis fuit apprimè instructus, verùm etiam Poesi, Oratoriâ, & historicâ eruditione claruit. Nonnullas etiam ex mathematicis disciplinis cum laude coluit. Supremi Ordinis sui Moderatoris fuit à secretis, apud quem, Assistentis, ut vocant, munere refulsit; Provinciam Siculam rexit, in comitiis Panormi coactis anno 1669. Provincialis electus. Doctrinâ, morum comitate, honoribusq; eximiam æstimationem promeruit; ideoque Siciliæ Prorex cùm Regni gubernium absolvisset, secum in Hispaniam detulit; ibiq; Matriti Ordinis sui Hospitium excitavit, & Vicarium Generalem egit. Apud Hispanos magnâ vixit opinione, quam morum integritate, ac doctrinâ, sibi conciliavit. Decessit tandem Matriti anno 1688. Ipsum laudat Io: Franchinus *in Bibliosophia Script. Ord. Conv. S. Francisci num.* 153. *pag.* 277. Edidit

Excidii Sectæ Mahometanæ per quatuor Principes fœderatos ab Anno 1684. suscipiendi, conjecturas à Prophetarum Oraculis, & divinis scripturis. Matriti 1684. in 4. Italicè

Manuale de' Frati Minori Conventuali, nel quale con brevità s' ammaestrano i novitii di quanto si richiede al loro instituto religioso spirituale, e morale. Aggiuntovi un breve ristretto dell' origine e degli huomini illustri della stessa Religione, Panormi apud Isolam 1670. in 24.

Scripsit etiam Italicè

Della nobiltà, e origine della nobilissima famiglia Caprini.

Il Secretario Religioso instruito.

Has exarasse, ac revisioni jam demandatas testatur idem Franchinus, sed num editas, cum eodem nescimus.

GASPAR ORIOLES Panormitanus nobili loco natus, Fontis Frigidi Baro, ac Equestris Ordinis Alcantaræ miles. Ex Philippi IV. privilegio 8. Aprilis 1625. Comitis Bastigliæ titulo insignitus est. A teneris adhuc annis nō modò politioribus literis addictus, verùm etiam & literatorum Mæcenas amantissimus claruit: quos & studiosè protegere, ac emeritis laudibus extollere consueverat: hinc cum primæ notæ viris amicitiæ fœdere devinctus fuit; præsertim cum celebrrimo equite Io: Baptista Marino, cujus hymnum in stellas Panormi recudere curavit. Etruscâ, ac vernaculâ linguâ multa cum laude cecinit, & Reaccensorum Academiæ Panormitanæ nomen dedit. Obiit Panormi 31. Decembris 1651. & in Sacello, in Capuccinorum sylva extructo, sepelitur, ubi sibi delegerat sepulchrum, & hac epigraphe obsignaverat.

Nihil quia nihil,
Cujus hìc solùm superest nomen.
D. Gaspar Orioles Baro Fontis Frigidi miles ord. Alcantaræ jacet hìc M.DC. XIX.

Hujus laudes extant apud Iosephum Galeanum *in Musis Siculis par.* 2. *tom.* 1. *pag.* 521. ibique Siculâ linguâ nostri Gasparis leges

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephū Bisagnium 1662. in 12.

GASPAR PASSARELLUS Messanensis, Academicus Officinæ Messanensis, poesi, ac eloquentiâ clarus. Edidit Italicè

Invettiva contro Amore discorso. Extat in Prosis Academicorum Officinæ libro secundo. Neapoli apud Andream Colicchia 1669. in 4.

GASPAR REGIUS Panormitanus vir mitioribus literis excultus, & poesi clarus. Apud Panormitanum Senatum à rationibus, morum integritate refulsit. Obiit Panormi 12. Augusti 1599. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepulturæ demandatus est. Laudatur à Vinc. de Ioanne *in Panor. Triumph. lib.* 12. *pag.* 127. *& in Panormo Restaurata* m. s. Edidit Italicè

Brieve ragguaglio della Trionfal solennità fatta in Palermo l'anno 1593. nel ricevimento del Capo di S. Ninfa V. e M. Palermitana. Panormi apud Joann. Antonium de Franciscis 1593. in 4.

Est etiam insertum hoc opusculum in volumine *de Maestate Panormitana* Francisci Baronii *lib. 3. à pag.* 5.

Scripsit etiam, sed non edidit ex de Ioanne *Genealogia della Casa Ventimiglia*, & alia.

GASPAR RIERA Catanensis, Iurisconsultus eruditus, ac doctus, quem laudat Ioannes Bapt. de Grossis *in decacord. Catanensi tom.* 2. *pag.* 147. Edidit

Ad

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Regiam Pragmaticam Alphonsi de censibus Apostillas. Apud Petrum de Gregorio de Censibus. Panormi typis Ioannis Antonii de Franciscis 1609. in 4. & iterum ibidem apud Franciscum Ciotti 1622. in fol.

GASPAR SGHEMMA Panormitanus Ordinis Minorum Conventualium S.Francisci, tum à doctrina, tum à muneribus sanctè obitis conspicuus. Cùm gravioribus studiis egregiam indolem devovisset, florente adhuc ætate, doctrinæ fastigium attigit: nam Romæ in celeberrimo D. Bonaventuræ Collegio adscriptus, ibi triennio, ut ajunt, Collegialis, ingenii sublimitatem, non sine admiratione omnibus patefecit: & emensis studiorum spatiis Theologicâ Magistri laureâ donatus est. Inde acceptam doctrinam sodalibus suis exposuit: nam statim Catanensi Lyceo præficitur Regentis munere. Ter Panormi fuit studiorum Moderatór; ut etiam Neapoli. In docendo, & in scholastico pulvere concertando doctissimos persæpè viros, acutissimæ ipsius doctrinæ profunditas admiratione complevit; ideoque celeberrima nominis sui fama undique divagata refulsit. Ecclesiastes etiam clarissimus fuit; cujus eloquentiam, & eruditionem Panormus, Catana, Bononia, Neapolis, Roma, aliæque Urbes, magno cum plausu è suggestu excepere: & à sacra eloquentiæ vi celebris tum in Sicilia, tum in Italia floruit. Ad honores nonnullos meritò evectus enituit; nam Panormi pluries S. Francisci Cœnobium, & Sanctiss. Annuntiationis diu gubernavit. Visitatorem egit Apuliensis Provinciæ S.Angeli:& Calabræ Provinciȩ comitiis prȩsedit: Generalis etiam Visitator omnium Academiarum Ordinis constitutus est. Ter Generalibus Ordinis comitiis Romæ coactis præfuit. Generalis Commissarii munere anno 1624. in Provincia Sicula claruit; ac inde eamdem Provinciam rexit, Provincialis honore insignitus. His in muneribus, singulari prudentiâ obitis, laudem, & venerationem non vulgarem obtinuit. Extra Ordinis limites multis etiam honoribus cohonestatus eminuit; nam apud Sacræ Inquisitionis Iudices fuit Consultor, & Censor: in Panormitana Diœcesi Synodalis Examinator. Catanæ electus est ut adolescentes ad illius Urbis Academiam confluentes doctorali laureâ celebraret. Publicus etiam Academiæ Theologus renunciatus, & primarius Philosophiæ Professor electus est, quibus omnium illius urbis animos sibi devinxit. Doctrinæ gloriam, honoresque, virtutibus illustravit: obedientiâ insignis fuit: regularis disciplinæ tenacissimus, humilitate præclarus. Eo Duce ita observantiæ vis refloruit, ut diu vigorem mirificè servaverit, ac successoribus exemplo fuerit. Meritis tandem, ac honoribus plenus, ab omnibus benevolentiæ, ac venerationis officiis prosequutus, Panormi decessit 24. Iulii 1657. in Cœnobio SS. Annunciationis: in cujus Ecclesia, ad tanti viri memoriam servandam, hæc lydio lapidi insculpta legitur inscriptio.

R. A. P. M. Gaspar Sghemma Min. Ord. Magnus Theologus, Magnus Ecclesiastes, admirationi nostro natus sæculo, profundam cujus doctrinam posuit Roma, probavit Neapolis, Orbis exinde universus, qui vel de facie vidit, vel de scriptis novit. Sexagenario major extinctus est. Si modo Gemma extinguitur, æternum quæ lucebit, Franciscani omnes mærore magno, Magistro bono, bono parenti posuere.

Gasparem emeritis laudibus ornant Franciscus Baronius *in Siculæ nobilit. amphiteatro*, Hippolytus Marraccius *in Bibliot. Mariana par.1. pag.* 470. Philippus Cagliola *in manifest. Provinciæ Siculæ Ord. Min. Conv. explor. 2. manif. 1. pag.*33. & 34. *manif. 5. pag.* 36. *manif. 6. pag.* 37. & 38. *manif. 8. pag.* 41. & 42. *expl.3. manif.2. pag.*98. Lucas Wadignus *de Script. Minor. pag.* 144. ubi typographi errore Gaspar Sgherra vocatur, Placidus Reina *in hist. Messanæ par.2. pag.*73. Io: Franchinus *in Bibliosophia de script. Ord. S. Franc. num.* 155. *pag.* 278. & Bonaventura Theuli *in Triumpho Seraphico*. Quæ doctè scripsit, hæc sunt.

De Deo Uno, & Trino Scotica Opuscula, quo ad essentialia, & notitionalia ad infra. Panormi ex typographia Alphonsi de Isola 1645. in 4.

De Deo Uno, & Trino Scotica Opuscula, quo ad Dei Visionem, lumen gloriæ, Beatitudinem, Præscientiam, & Prædestinationem. Ibidem apud Petrum de Isola 1652. in 4.

Scoticum opusculum de Scientia, & voluntate Dei in ordine ad ultimum finem. Ibidem apud eumdem 1651. in 4.

Scoticarum digressionum cum commentariis ad octo libros Physicorũ Aristotelis Stagiritæ Pars prior circa rerum principia, causas, exemplaria instrumenta, fortunam, casum, fatum. Panormi apud Alphonsum de Isola 1635. in 4.

Pars secunda. Ibidem apud eumdem.

In Organum logicum Aristotelis Stagiritæ Enchiridion Scoticum. Ibidem typis Francisci Terrȩnovȩ, & Andreæ Colicchia 1648. in 16.

Manuale Scoticum juxta quatuor libros distinctionum Theologiæ Magistri sententiarum. Ibidem apud Alphonsum de Isola 1638. in 16.

Italicè

Prediche sopra diversi misterj di Christo, e della Vergine. Catanæ apud Joannem Rossi 1628. in 4.

Delle Prediche sopra gli Evangelii correnti nelle feste, e Domeniche dell'anno, dal giorno dell'Assunta M. V. e Domenica decima della Pentecoste coll' Avvento di N. S. & altre straordinarie. apud Alphonsum de Isola 1630. in 4.

Sermoni del Santiss. Sacramento, e dell'Immaculata Concettione di Maria V. con la Corona del suo purissimo Stellario, e due discorsi de'Santi Casimiro, e Teresa. Ibidem apud eumdem 1643. in 4.

Introduttorio Morale sopra i sacri Evangelii delle feste nella S. Quaresima con sabbati applicati alla Concettione della Vergine; fatte nella Chiesa de' Santi Apostoli di Roma. Panormi apud Franc. Terranova 1655. in 12.

Prediche dell'elettione del Ministro Provinciale, e delle Stimmate di S. Francesco. Panormi apud Alphonsum de Isola 1639. in 4.

His addit Baronius, libros

De

De Orthodoxæ Fidei dogmatibus.

Monendum lectorem puto, quòd Franchinus citatus tradit, forsan ex Marraccio, edidisse etiam, *sex conciones de M.V. ac conciones in festis præcipuis M.V.* Sed hę concionibus de mysteriis nonnullis Christi Domini, ac concionibus super Evangelia Dominicarum complectuntur.

GASPAR VIGINTIMILLIUS nobilis Panormitanus vir poesi, & amœnioribus literis excultus; Accensorum Academiæ adscriptus claruit. Equestri, ac militari virtute munitus etiam enituit; cùm enim Panormitana Urbs duas condidisset Galeas, quas Catholico Regi dedit, ipsarum Ducem constituit Gasparem, ex Vincentio de Ioanne *in Panor. Restaur. lib.* 2. Duos hoc nomine, ac cognomine Gasparis de Vigintimiliiis adnotatos legi in libris defunctorum Cathedralis Panormitanæ Ecclesiæ, quorum unus obiit Panormi 2. Septembris 1584. in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus; alter 26. Iunii 1591. in Ecclesia S. Francisci Paulensis sepulturæ traditus; quis autem horum sit noster Poeta, divinare non audeo. Edidit Italicè

Rime. extant in libro primo Carminum Accensorum Panormi, edito Panormi apud Ioannem Matthæum Maidam 1571. in 8.

Poesie, e Madrigali m.s. ex de Ioanne.

GASTO SPINOLA Panormitanus, origine Genuensis, parentibus Hannibale, & Laurea de Porto exortus, literis clarus, sed militari gloriâ clarior enituit. In Romano Seminario humaniores literas didicit, & prima militiæ documenta accepit anno 1566. Prudentiâ, ac bellicâ virtute insignitus primùm in Africa, inde in Belgio sub Ioanne Austriaco, nonnulla edidit fortitudinis argumenta, præsertim in Eudoniana apud Barbantos obsidione, Alexandro Farnesio prudentissimo Duce Belgas moderante; & in cruento ad Neoportum prẹlio, belli Moderatore Alberto Austriaco Arciduce: ibique fuit primùm equitum dux, mox Italicarum legionum strenuus ductor; inde universæ militiæ Præfectus. Ideoque cùm non minus in consulendo prudentem, quàm in pugnando strenuum sese detexisset, meritò nonnullis honoribus fuit donatus: nam à Philippo II. Catholico Rege Equestri Ordini S. Iacobi adscriptus, ab eodem Commendam ex præcipuis accepit, cui nomen *de los dos Barrios*; ac Belli Consiliarius electus est. Memorato Alberto, ac uxori Isabellæ Austriacæ gratissimus fuit. Ab Alberto Cubiculis, Stabulisque præfectus; ac Bonacensis in Arteria Comes creatus. Dux Generalis, ac perpetuus Gubernator Ducatus Limburgensis constitutus; eique Provinciarum Transmosanarum gubernacula tradidit; aliisque præclarissimis muniis, ac legationibus maxima cum laude obitis cohonestavit. Tandem tanto Gastonem complexus est amore, ut ipsemet uxorem eidem delegerit in Belgio, nempè Mariam Bensiacam nobilissimam, ac divitem mulierem, Comitatus Bruę hæredem, ex qua Bertinum, Andrensem apud Calotes Baronē suscepit: ideoq; primus fuit, qui ex suis apud Belgas firmam fixerit sedem. Isabella verò eâ benevolentiæ notâ Gastonem prosequuta est, ut aliquando aureâ torque è collo detractâ, eâdem Gastonis collum propriâ præcinxerit manu, ut bellicā ejus fortitudinem quodam honoris argumento afficeret. Literatos eximiâ munificentiâ protegebat, ac ubique fovere curabat. Adhuc superstes vivebat anno 1614. ex Ericio Puteano *Attic. epist.* 70. ubi ipsum laudat, & apud Belgas decessisse incompertum est. Exemplo suo Panormitanos Equites multos in Belgiū traxit, ubi præclara edidere bellicæ virtutis testimonia; teste Vincentio de Ioanne *in Panor. Restaur. lib.* 2. m.s. Ipsum etiam laudibus ornant Aubertus Miræus *in Spinulis Illustribus*, Michael Justinianus *de Scriptoribus Liguris pag.* 268. Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 223. Guido Bentivolus *in hist. Belgica par.* 2. *lib.* 5. *pag.* 145. Franciscus Baronius *de Maestate Panormitana lib.* 3. *cap.* 7. *pag.* 133. eruditissimus Ioannes Crescimbene in libro: *Notizie Istoriche di molti Convittori del Seminario Romano, che sono stati Generali, & Vfficiali di guerra pag.* 17. & Abrahamus Ortelius *in Theatro Mundi*, qui unà cum Iustiniano, & Oldoino edidisse testatur

Descriptionem Ducatus Limburgensis.

GEORGIUS Episcopus, & Civis Syracusanus, floruit an. Christi 663. Græcis literis fuit apprimè instructus, quas Constātinopoli accepit. Dum autem Syracusanam Ecclesiam moderabatur, obtruncatus occubuit in loco, cui nomen Maran, & & in Ecclesia S. Anastasiæ de Ollis sepultus est; ut ex Catalogo m.s. Episcoporum Ecclesiæ Syracusanæ tradunt Christophorus Scobar *de reb. Syracusanis pag.* 15. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 137. & Octavius Caetanus *in animad. ad tom.* 1. *Sanctor. Siculorum pag.* 154. *& tom.* 2. *pag.* 272. qui putat ejus mortem Saracenorum operâ accidisse, cùm expugnatis Syracusis anno 669. vel 670. efferata barbaries inimicorum in Christi fideles sæviit: ac forsan noster Georgius in Catholicæ fidei odium interfectus, ad Cœlum Martyr evolavit. Michael Angelus Mancharusus *in Kalendario Sanct. Syracusanorum*, hunc Georgium Beatum vocat, ex Kalendario m.ss. & à Saracenis anno 727. 15. Iulii cum toto grege occisum putat. Huic Georgio Epistolam dedit Vitalianus Pontifex in Conciliis Generalibus editis Coloniȩ anno 1606. *tom.* 2. *pag.* 1161. cui scribit, ut Ioanni Episcopo Lappensi faveat. Scripsit Georgius ex citato Catalogo m. s.

Troparia, quæ in Nativitate Christi canuntur, & in Epiphania. Quæ autem sint Troparia, consule Leonem Allatium *de Libris Ecclesiasticis Græcorum*, Simonem Wangerekium *in Pietate Mariana Græcorum num.* 32. *pag.* 129. & Dominicum Macrum *in Hierolexico ver. Tropus pag.* 641.

Hunc illū Georgiū puto, cujus meminere Wangerekius *cit. num.* 26. *pag.* 87. & Allatius *cit. dissert.* 1. *pag.* 81. qui Siculum fuisse tradunt, & aliquot

Odas in Menæis Græcis existentes, edidisse testantur.

GEORGIUS FIGHERA Tauromenitanus, amœnioribus literis, ac Poesi dicatus

catus claruit anno 1665. Edidit Italicè

La Cetra sonora, e lagrimevole delle funtioni fatte nella Città di Messina nella Coronatione di N.S. Carlo Secondo, e nel funerale dell' Invittissimo Monarca Filippo Quarto Re delle Spagne. Trani apud hæredes Laurentii Valerii 1665. in 8.

L'Indie impoverite, Poema Miscellaneo per la Messina festante nella solenissima festività celebrata à 3. di Giugno 1665. Messanæ apud Jacobum Matthæi 1665. in 4.

GEORGIVS TAGLIAVIA Castriveteranensis, nobilissimis ortus parentibus anno 1596. florente adhuc ætate, Societatis Iesu institutũ amplexus est 8. Octobris 1612. & in ea quatuor votorum professionem nuncupavit 2. Februarii 1631. In studiorum palestra ita profecit, ut præter humaniores literas, magna cum ingenii doctrinæque laude in Collegio Panormitano Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam docuerit. Inerant in eximio viro judicii felicitas insignis, solidæq; virtutes, quibus in sui venerationem omnes excitavit. Prudentiâ claruit singulari: ideoq; diu in regendis Collegiis Thermitano, Melitensi, ac bis Drepanitano adhibitus. Panormitanæ etiam Domui tertiæ probationis præfuit, ut etiam tyrocinio Panormitano, cùm ibi Societatis juniores, Rhetoricæ operam navantes, inhabitabant; ac tandem Venetam Provinciam moderatus est. Apud primarios sæculi Principes magnâ valuit auctoritate, eisq; gratissimus fuit, quos tum morum suavitate, tum eloquentiæ vi, ad rectè; ac laudabiliter vivendum hortabatur. Nil illi antiquius quam ægrotantium levamen, ad quorum auxilium semper aderat primus. Charitatem etiã coluit præclaram in eruendis à peccatorum cœnu peccatoribus. Demum dum Romæ Collegio Apostolicæ Pœnitentiariæ Rector præesset, relicto egregio virtutem exemplo, ibi decessit 21. Augusti 1659. Edidit Italicè suppresso nomine

Gli ultimi honori dell' Ill. Sig. D. Lucio Denti Presidente nel supremo Consiglio della Gran Corte nel Regno di Sicilia. Panormi apud Decium Cyrillum 1649. in 4.

Saggio d' un più lungo discorso sopra i Sette Angeli, che piamente si crede esser Ministri della Providenza divina nel governo del Mondo. Panormi apud Bisagniũ 1650. in 8. Scripsit, sed non edidit

Contemplationes in Joannem, quas citat P. Vincentius Tancredi *de Religione tr. 3. lib. 2. disp. 9. pag.* 402.

GEORGIVS VACCARINUS Caccabensis Sacerdos, natus 10. Novembris 1656. in Societate Iesu graviores disciplinas accepit, è qua egressus, Panormi aliquandiu Societatis D. Thomę fuit Capellanus: ibique cùm litem in Patres Societatis Iesu excitasset, contendens Societatem ad sui alimenta teneri, post diuturnam fori concertationem, Romam se contulit, ubi à Sacra Congregatione allegatis rationibus penitus rejectis, Canonicatum in Ecclesia SS. Celsi, & Juliani obtinuit. In dementiam prolapsus nunc Romæ vivit, ut nuper audivi. Edidit

Patrocinium causæ propriæ, in qua rationibus prorsus inconcussis evincitur: Superiores Ven. Societatis Jesu, ex quo de sui Instituti Regula, circa honestè collocandos in sæculo Sacerdotes è suo ordine discendentes, & de proprio non habentes curare nolunt: obligari de omni jure ad alimenta eis præbenda de bonis Religionis, omnesq: ipsorum oppositiones ad evidentiam diluuntur. Neapoli apud Hieronymum Fasolo 1693. in 4.

GERARDUS AGLIATA nobilis Panormitanus Antonini Agliata filius: vir amœnioribus literis, ac præsertim poesi excultus. Inter Accensos Academiæ Panormitanæ fuit recensitus: ac pluries Patriam Senatoris munere, rexit. Obiit Panormi 30. Augusti 1590. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus est. Ipsũ laudat Argistus Joffredus *in carm. Accensorum lib. 1. pag.* 38. Scripsit Italicè

Rime. In libro: *Rime degli Accademici Accesi di Palermo.* Panormi apud Matthæum Maidam 1571. in 8.

Rime. In libro secundo eorumdem Carminum. Ibidem apud eumdem 1573. in 8.

GERARDUS AGLIATA, alter à supradicto, Panormitanus Iuris Utriusque Doctor eximius, natus anno 1420. Alphonso Regi gratissimus vixit, qui Siciliæ Prothonotarium constituit anno 1450. Eo instante eumdem munus à Ioanne Rege anno 1468. Mariano filio obtinuit, ex Francisco Baronio *de maest. Panormit. lib. 3. de familia Agliata.* Causarum Patronum non inglorium egit, ideoque scripsit

Allegationes. Harum nonnullæ passim citantur, nempè

Allegationes in causa Comitatus Sclafani. Ex Iosepho Cumia *de feudis in præludiis num.* 277. *pag.* 46. Mario Muta *tom. 2. in Capit. Siciliæ cap.* 28. *n.* 166. *&* 167.

Allegationes pro D. Mario Spatafora. ex Muta cit. *tom. 1. in cap. 33. n.* 257.

Allegationes in causa Augustæ. Ex eodem Muta *tom. 4. cap. 132. num. 46. & in Consuet. Panor. in adnotat. ad cap. 3. lit. m.*

Allegationes in causa Calatabillottæ. Ex Muta cit. *in consuet. Panor. cap. 1. num.* 37.

GERARDUS ANSALDUS Paternionẽsis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister. Natus anno 1654. ab ingenio dilucido, celeri, & acuto, non immeritò commendatus claruit. Severioribus disciplinis admotus, eâ ingenii celeritate, ac felicitate Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam excepit, & propugnavit, ut ne dum in quæstionibus defendendis circumfluentes omnes, verùm etiam ipsosmet Magistros in admirationem traxerit. Hinc exacto studiorum curriculo anno 1683. è Romano Collegio S. Bonaventurę Magistri Laureâ cohonestatus egressus est. Sacræ etiam eloquentiæ præstantissimas ingenii dotes devovit: ideoque egregiè, ornatèque tum in Sanctorum laudibus exponendis, tum in aliis concionibus, pluries cum laude, ac plausu auditus. Quadragesimales conciones sibi paraverat eximias; quas ne in fidelium consolationem, ac profectum effun-

funderet, & emeritos plausus audiret, mors immatura interdixit: eloquentiâ enim eruditione, ac memoriâ insigniter munitus, summam sui expectationem munificè excitaverat. Musis etiam gratissimus, Etruscis, Latiisque numeris multa cum laude cecinit; venæ ubertate, ac elegantis ingenii acie insignis. Hinc poetica ipsius monumenta non vulgari laudum præconio excepere Romæ, & alibi literarum Philomusi. In Academiis Infœcūdorum Romæ, Reaccensorum Panormi, & Officinæ Messanensis recensitus, vividissimæ mentis fœtus protulit præclarissimos. Dum philosophicas disciplinas in Cœnobio S. Valẽtini propè oppidum Podii Mirteti in Sabina regione doceret, Academiam, cui nomen *delli Raminghi* instituit, in qua omnibus præibat Ansaldus: Philosophicis, Rhetoricis, ac Poeticis concertationibus egregiam inter Academicos æmulationem excitavit; ideoque locus ille ab hominum frequentia semotus in literarium Athenæum immutatus effulsit. Ad ipsum verò tum ex propinquo oppido, tum ex circumstantibus locis literarum amantissimi confluebant, vel ut fructus ex Ansaldi industria germinantes exciperẽt, vel ut ea in palestra laudabiliter desudarent. Hinc nonnulli ex eo prodiere lyceo & gravioribus disciplinis, ac amœnioribus literis instructissimi, qui Ansaldo ipsorum progressus se debere fatentur. Hujusce verò Academiæ fama undique diffusa magnam Ansaldo peperit gloriam. At in patriam regressus, paucos post annos, ibidem acerbo fato denatus 4. Novembris 1692. literatos magno dolore confecit. Ejus laudes leges apud Ioannem Franchinum *in Bibliosophia script. Ordin. Minor. Convent. n.* 157. *pag.* 386. Balthassarem Pisanum *in Armoniis ferialibus pag.* 108. in libro: *Galleria di Minerva tom.* 2. *par.* 9.& Vincentium Coronellum *in Biblioth. tom.* 3. *n.* 3714. sed hic in patria designanda corrigendus, Gerardo enim non Panormus, sed Paternio patria fuit, quod oppidum Diœcesis Catanẽsis in Sicilia est. Edidit Italicè sub nomine Antonii Ansaldi frattis

I *Sogni d'Euterpe Saggio Primo*. Drepani apud Iosephum la Barbera 1684. in 12. Hìc iterum lapsus est Coronelli; nam anagrammatico Graderi nomine anno 1664. in 8. librum prodiisse narrat. Ipsemet liber, quem præ oculis habemus, aliter proclamat.

L' Innocenza Vendicata Azzione Regi-Comica. Romæ apud Angelum Barnabò 1682. in 12. Sub nomine Antonii Soldani.

Chi non sà fingere non sà vivere. Opera Teatrale. Catanæ apud Paulum Bisagnium 1688. in 12.

Il Trionfo della Costanza spiegato nel Martirio dell'Invittissimo Levita S. Lorenzo dialogo. Drepani apud Barberam 1685. in 4. Sub nomine F. Antonii Ansaldi Minoris Conventualis.

Edenda reliquit hæ alia, nempè

Sogni d' Euterpe Parte Saconda.

La vita di S. Bruno Vescovo di Segni.

Sermoni. Panegirici. Quaresimale.

GERARDUS COLUMBA Messanensis, Doctor Medicus: eâ floruit doctrinâ, ut inter primarios Medicos ævi sui cooptatus, in celeberrimo Patavino Lyceo medicam facultatem magno cum plausu docuerit. Eloquentiâ, studio, ingenio cõspicuus claruit anno 1596. Ipsum laudant Philadelphus Mugnòs *in Theatro Geneolog. par.* 1. *pag.* 284. Vincentius Ferrarottus *de Offic. Straticoti cap.*24. *pag.*125. Petrus Ansalonus *de sua familia pag.*265. Ioseph Bonfilius *in sua Messana lib.*7. *pag.* 54. & Franciscus Flaccomius *in sicelide sect.*3. *pag.* 38. Edidit

De Febris Pestilentis cognitione, & curatione Disceptationum Medicinalium libros duos, in quorum priore agitur de Stellarum influxibus, adversus Joannem Picum Mirandulanum; in posteriore de Abusis Phænigmatum in febre pestilenti. Messanæ apud Petrum Bream 1596. in 4. Venetiis apud Majettum 1600. in 4. Francofurti apud hæredes Romani Beati, Georgium Beatum, & Joannem Ludovicum Bitschium 1601. in 8. Ibidem apud Nicolaum Hofmannum 1608. in 8. duabus postremis editionibus accessit Nicolai Macchelli Tractatus *de morbo Gallico, ejusque curatione*, ex Vanderlinden *de scrip. Medicis pag.*349.

Tractatum de lue Venerea. Francofurti apud Porsium 1609. in 8.

Apologiam pro Illustri Francisco Bisso Regio Prothomedico in hoc Siciliæ Regno ad excel. Philosophiæ, & Medicinæ Doctorem Dominum Paulum Crinò. Messanæ apud Faustum Bufalinum 1589. in 8. nempè de Erysipelate in Sicilia vigente.

GERARDUS NOCITUS Saccensis, vir herbarum cognitione insigniter instructus, & in conficiendis medicamentis versatus. Floruit anno 1511. Hujus meminit Paschalis Gallus *in Bibliotheca Medica*, qui *pag.* 115. Gerardum Nocitosici vocat, *& pag.* 416 Gerardũ Nocitosci; sed mendosè, forsan Typographi incuriâ; nam legendum: Nocito Siculus. De eo etiam Vanderlinden *de scrip. Medic. pag.* 353. Edidit

Expositionem super libro Simplicium Medicinarum noviter compilatum. Neapoli apud Io: Antonium de Canuto 1511. die XXIIII. Mensis Maii in 4.

De tempore colligendi herbas. ut habeo ex relatione P. D. Sylvii Boccone.

De Vnguentis m.s. servatur apud D. Franciscum Marchesium Panormitanum Canonicum.

GERMANUS A S. VINCENTIO Panormitanus Carmelita Discalceatus, in sæculo vocatus Nicolaus Barbaraci, annum agens 15. in Ordinem exceptus est Panormi 24. Iunii 1655. & solemnem emisit professionem ibidem 4. Ianuarii 1657. Vir numeris omnibus absolutus: à Regulari observantia, ac virtutum ornamento commendatus. Ut Deo solummodo vacaret, ac corporis maceratione morum candorem intemeratum servaret, ab hominum consuetudine fugiens, latebras studiosè quærebat: quod ut opportunius assequeretur, ex Superiorum obedientia, in desertum Genuensem secessit, ubi tum vitæ severioris asperitate, tum cœlestium rerum contemplatione spiritum fovit, magis, magisque incendit, ac virtutes egregias adeptus est. Instituti regularis tena-

tenacissimus; nec in levissimis rebus regularem disciplinam unquam violavit. Aliorum animas Angelicis mysticæ Theologiæ regulis ad Deum direxit. Modestiâ, & humilitate intuentium animos ad virtutem componebat. Eloquentiâ, & eruditione claruit. Veneratione prosequuta tanti viri promerita; ideoque ad tyrones regendos adhibitus est: pluries Cœnobia rexit, Prioris munere functus, Provinciæ Siculæ Visitatorem egit: etsi ab honoribus magnopere abhorreret; ideoque in vitæ suæ extremis, nonnisi ex obedientiæ præcepto, Cœnobii Panormitani gubernium suscepit. Sed ad æternæ felicitatis quietem anhelans, corporis dissolutionem petiit, & obtinuit: propterea cùm multo antea mortis suæ diem prænunciasset, in lethalem morbum lapsus est. Instante morte à Cacodæmone magna vi aggressus, ut æternæ salutis spem abiceret, constantissimè dimicando, hostem superavit, ac coronam sibi in Cœlo paratam videre meruit; ideoque gaudio perfusus, exclamare auditus: O magnitudines, ò magnitudines! quænam Theologia has describere poterit. Tandem designata fratribus hora obitus sui, 13. Septembris anno 1683. sanctè decessit Panormi, relictâ sanctimoniæ famâ. Ejus scripta, ac pœnitentiæ instrumenta, cœleste odorem effudisse nonnulli ex sodalibus suis testati sunt. Ad viri eximii cadaver multos confluere Viri, qui in frustra religionis habitum proscindere curarunt, ut tanquam sancti viri reliquias servarent. Edidit Italicè

Testamento spirituale utilissimo per ben vivere, e morire. Panormi apud Jacobum Epiro 1684. in 12. & iterum apud D. Cellenium Hesperium 1685. in 8.

Reliquit etiam volumen Italicum, eloquentiâ, & eruditione insigne, in quo habentur

Panegirici 60.

GESUALDUS DE BONONIIS Panormitanus Capuccinus, ex nobili Bononiorum familia ortus, anno 1585. parentibus D. Francisco de Bononiis, & Isabella Lancea. Spretis sæculi illecebris Capuccinorum ordinem amplexus in Cœnobio Castriveterani 13. Aprilis 1602. in eo Concionator, ac Theologus clarissimus fuit. Panormi Philosophiam, ac Theologiam scholasticam, & moralem sodales suos docuit magna cum ingenii, doctrinæque laude. Apud S. Officii Siciliæ Judices Censor fuit, ac Hieronymi Columnæ S. R. E. Cardinalis Theologus. Egregiam doctrinam, virtutum splendore illustravit. Cùm Thermis esset, ut balneorum virtute, deperditam sanitatem instauraret, ibidem senex decessit 29. Aprilis 1653. Hujus meminere Torresiglia *de excellentia Seraphicæ Religionis*, Lucas Wadignus *de script. Ord. Minor. pag.* 187. Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinor. pag.* 141. Franc. Marchesius *in Sac. in Villa cap. 1. sect. 5. subsect. 3. num.* 433. *pag.* 345. Edidit

Theologiæ sacræ moralis Partem primam, de Sacramentis novæ Legis. Panormi apud Alphonsum de Isola 1646. in fol. & Venetiis apud Juntas, & Babam 1649. in fol.

Tomum secundum de Indulgentiis, suffragiis, Purgatorio, & Censuris. Venetiis apud eosdem 1649. in fol.

Tomum tertium, de legibus divinis, & humanis, de Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, & de Votis Deo factis. Ibid. apud eosdem 1649. in fol.

In Scoti formalitates subtilem disquisitionem. Panormi typis Nicolai Bua 1652. in 4.

Hos etiam scripserat Tractatus, quos m. ss. reliquit, nempè

De Horis Canonicis.
De Electionibus Canonicis.
De Clausura Monialium.
De Simonia.

GESUALDUS GUARNERIUS Catanensis Ordinis Carmelitarum primi Instituti, vir pius, Vicarius Cœnobii Romani Montis Sancti. Obiit Romæ 7. Novembris 1649. Ipsius meminit Pater Daniel à V. M. *in specul. Carmelit. tom. 2. par. 5. lib. 5. num.* 3738. *pag.* 1072. Edidit

Deplorationes sacras animæ pœnitentis. Romæ 1643. in 16.

GESUALDUS PANORMITANUS Capuccinus, Aloysii la Farina nobilis Panormitani, Madoniæ Marchionis filius, lucis usurâ accepit an. 1643. literas adolescens in Collegio Romano magna cum laude accepit: sed ut sæculi insidias declinaret, clam relictâ paternâ domo, ad Capuccinos confugit, eorumque habitum accepit in Cœnobio Erycis 9. Iunii 1665. inter quos virtutibus adipiscendis strenuè operam dedit; regularis disciplinæ tenacissimus. Egregias ingenii dotes gravioribus disciplinis expolivit: hinc Concionatoris munere functus est, ac Philosophiâ, & scholasticam Theologiam Bononiæ, & alibi docuit non sine doctrinæ plausu. Nonnulla rexit Ordinis Cœnobia. In Panormitana Provincia Definitoris munere enituit, ac eamdem Provinciam semel, & iterum Provincialis, eximiâ prudentiæ laude gubernavit. Virtutes coluit egregias, quibus tum apud sodales suos, tum apud exteros sui venerationem excitavit. Seraphicæ paupertatis cultor insignis, humilitate inclaruit. Demum dum Monteregalense Cœnobium moderaretur, urinæ impedimento laborans, Panormum venit, ubi adhibitis frustra medicamentis, accedente paulatim febre, admiranda suavitate decessit 1. Augusti 1702. non sine omnium dolore. De eo Dionysius Genuensis *in Bibliot. Capuccinorum pag.* 142. qui scripsisse testatur Italicè

Vita del Ven. Fr. Bernardo da Corleone Capuccino, & Elogia, & Epigrammata plurima in ejus honorem.

At verius non Vitam scripsit, sed in ejusdem Fr. Bernardi vita Panormi edita anno 1700. typis Felicis Marini, ipsius Elogia, & Epigrammata extant. Scripsit etiam, sed non edidit

Epigrammata multa.

GILIBERTUS ISFAR, & CORIGLES nobilis Panormitanus, Baronis Siculianæ filius, claro, & equestri ordine exortus. Cùm Sacræ Theologiæ lauream accepisset, in Hispaniam delatus, apud Phi-

Philippum II. Hispaniarum Regem fuit à sacris, à quo ad Episcopatum Syracusanum evectus est anno 1574. Seduli, ac pii Pastoris partes explevit; quas summopere detexit an. 1577. dùm pestilentia in Syracusanam Urbem grassaretur; egregiis etenim charitatis studiis, cives oppressos cõplexus est: & indictâ supplicatione ad D. Luciæ ædem, extra Urbis mœnia, ejus ope Civitas liberata est. Cathedralem Ecclesiam amplificavit, ac Turrim campanariam absolvit. Multa zeli, solicitudinis pastoralis, pietatis, ac eximiæ charitatis edidit argumenta: ideoque superstite post obitum viri famâ, S. Pastoris, ac Secundi Marciani nomine passim appellabatur. Anno 1578. ad Pactensem Ecclesiam translatus est: quam eximiâ prudentiâ, & virtutum exemplo gubernavit. Synodum Diœcesanam coegit, & campanariam Turrim extruxit. Anno 1593. cùm Romæ immoraretur, Caput S. Nymphæ V. & M. Panormitanæ, nomine Archiepiscopi, & Senatus Panormitani accepit, rem urgente Maria Piementel Comitis Olivarensis, & Siciliæ Proregis uxore: Panormum transtulit, ubi magno cum omnium plausu, ac celeberrima solemnitate exceptum tradunt Panormitani scriptores. Anno 1600. cùm iterum Romam trajecisset, ibi 15. Aprilis ejusdem anni obiit, annum agens 72. & in Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani sepultus est, hoc adjecto epitaphio.

D. O. M.

Gilbertus Isfar, & Cruyllas Panormitanus, splendidis natalibus, ac spectatâ religione clarus, Philippi II. Catholici Regis à sacris, Episcopus Syracusanus, post Pactensis optimus Antistes. Obiit anno Jubilæi M. DC. ætatis LXXII. die XV. Aprilis.

Hujus gesta describit Abb. Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 194. & *Pactensis pag.* 415. Octavius Caetanus *tom.* 1. *Sanctor. Siculor. pag.* 146. & Franciscus Baronius *de Maest. Panorm. lib.* 3. *pag.* 5. Edidit

Constitutiones Synodales ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes in Diœcesana synodo promulgatas anno Domini 1584. *Adjectus est appendix Constitutionum Canonicarum Cathedralis Ecclesiæ S. Bartholomæi, & aliorum Regularium, quæ simul in eadem Synodo promulgatæ sunt.* Panormi apud Franc. Carraram 1584. *in* 8.

GLICERIUS AB ANNUNCIATIONE Panormitanus Sacerdos Congregationis Scholarum Piarum, in sæculo Antonius Papa, lucis usuram accepit 1620. & Regulare institutum amplexus 8. Decembris 1637. ne dum religiosis moribus, verùm etiam politioribus literis, ac severioribus penè omnibus scientiis abundè instructus vixit. Academiæ Reaccensorum Panormi, & Officinæ Messanæ nomen dedit; ideoq; tum Panormi, tũ Messanæ magnâ floruit æstimatione apud bonarũ artiũ studiosos. In utraq: Urbe per plures annos Rhetoricã docuit. Pluries Panormitano, & Messanensi Collegio præfuit: pluries etiam in Sicilia Provincialis. Tandem dum Messanensem domum regebat, ibidem obiit 8. Januarii 1685. Ipsum laudat Joannes Maria Amatus in Elogio Francisci Selafani; Vitæ Sor. Elisabeth Mariæ à Passione præfixo. Edidit Italicè

La Felicità delle Monache nella clausura libri tre: tratta dalla vita della Madre Suor Maria Francesca Branciforte Fondatrice del Monasterio delle Stimmate di Palermo. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1651. in 12.

Sfoghi sacri. Panormi apud eumdem 1654. in 12.

Maria Egittiaca penitente. Panormi apud Buam 1655. in 12.

Vita de' Ven. servi di Dio Fr. D. Nicolò, e Fr. D. Giaimo Zummo. Panormi in 4. quam non absolvit.

GORGIAS Leontinus celeberrimus Philosophus, & Sophista; ac Orator incomparabilis, cujus eloquentiam innumeri scriptores celebrant. Leontini ortus est patre Charamantide ex Suida *tom. primo pag.* 620. & Pausania *in Eliacis posterioribus sive lib.* 6. sed ex Æliano *var. histor. lib.* 1. *cap.* 23. *p.* 9. filius Philolai. Fratrem habuit Herodicum Medicum teste Suida cit. & Platone *in Gorgia, seu de Rhetorica*, & Goltzio *in Sicil. hist. post. pag.* 92. Empedoclem Agrigentinum audivit, ut habemus ex Quintiliano *inst. orat. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 59. Laertio *lib.* 8. *in vita Empedoclis*, Suida cit. *pag.* 620. & 890. Addit Constantinus Lascaris apud Maurolycum *in hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. discipulũ etiam fuisse Tisiæ, quem Goltzius *in hist. post Sicil. pag.* 88. Ctesiam vocat. In oratoria arte Tisiæ, & Coracis sectator renunciatur à Quintiliano cit. & Polydoro Virgilio *de rerum invent. lib.* 1. *cap.* 13. Ab Empedocle non modò Philosophiam, verùm etiam, & Magicam Artem accepit ex Laertio cit. A Philostrato *in vitis sophistarum pag.* 487. & 496. Sophisticę artis Princeps noster Gorgias proclamatur, in quem referendam hanc artem tanquam in patrem ait: oratoriã enim facultatem non modò calluit, verùm etiam & ipsam mirificè perfecit. Orationis magnificentiam, demissionem, & exagerationum modos, ex quibus suavior, & elatior redditur oratio, adinvenit: poetica verba ad venustatem, & gravitatem exprimendam addidit; quibus omnibus concitatæ orationis, admirabilis, ac omnis spiritus refertæ, inter sophistas auctor fuit. Pausanias verò *in Eliacis poster. vel lib.* 6. neglectam orationis dictionem excitasse ait, & ab hominum oblivione vindicasse. Civili orationi ex Isidoro Pelensiota *lib.* 2. *epist.* 42. *sublime, ac tragicum dicendi genus*, addidit. Omnia Æschyli celeberrimi Poetæ ornamẽta, inquit Fazellus, *dec.* 1. *l.* 3. *c.* 3. *p.* 74. Goltzius *in hist. post Sicil. p.* 88. nępè vestes, personas, heroum nuntios, pulpitum, aliaq; quibus tragœdiarum suarum scenas, & proscenia illustravit, omnia ex Gorgia mutuatus est. Sed apud Philostratum aliter lego, ait enim de Gorgia *pag.* 496. *si enim Æschilum consideremus, & quantum tragœdiæ cõtulerit, ac veste syrmatica, pulpitoque excelso, & heroica specie, nunciisque iteratis illam instruxerit, cæteris deniq; rebus, quæ supra scenam, & sub scena agi debent: id ipsum de Gorgia inter professores ejusdem artis dicere possumus.* Philostrato ergo teste, Æschylus non ex Gorgia accepit, sed ut ille multa tragœdiæ addidit ornamenta, ita & Gor-

Gorgia oratoriæ. Id ipsum habet Leonardus Cozzandus *de magisterio antiquor. Philosoph. lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 332. Volaterranus etiam *lib.* 16. *anthropol.* ait quòd quicquid Æschylus ornamenti tragœdiis detulit; hoc totum Gorgias arti oratoriæ intulit. Gorgias ex Dionysio Halicarnasseo apud Vossium *de Rhetorices natura, ac constitutione cap.* 11. *pag.* 74. adhibuit *ad modum gravē, ac supra modum sublimem dictionis structuram, quadam non longè à dithyrambis distantia proferens.* Nec prætermittendus Suidas cit. qui omnia Orationis ornamenta Oratoribus tradidisse scribit; nam vim eloqutionis, artisque dedit: tropis translationibus, allegoriis, hypallagis, abusionibus, trajectionibus, conduplicationibus, repetitionibus, apostrophis, & comparationibus orationis formam primus illustravit. Diodorus etiam Siculus *lib.* 12. *n.*53. varias dicendi artes primùm adinvenisse testatur, ac in sapientis eloquentiæ studio supra alios eminuisse. Ideoq; singularibus encomiis à Cicerone exornatur; nam *lib.* 3. *de oratore* Gorgiam vocat: dicendi, faciendiq; Doctorem, & Magistrum: *in lib. de claris Oratoribus*, iterum dicendi Magistrum appellat: *in libro de perfecto Oratore,* primum arte, orationis verba condidisse tradit: & in concinnitatis consectatione Principem fuisse scribit; addit enim quòd eâ disposuit arte orationes, ut sua concinnitate oratorium, ac armonicum numerum ingererent: adeo ut contraria contrariis responderent; ac paria paribus adjuncta, periodi oratorię venustatem concludant; quam figuram à Gorgia inventam, Antitheton Græci, contrapositionem Latini dixere. Rhetoricam artem adinvenisse quidam putant, teste Vossio *de Rhetorices natura, ac constitutione cap.* 10. *pag.* 70. inter quos recensendi S. Isidorus *origin. lib.* 2. *& in Chron. an.* 4793. & Alexander Sardus *lib.* 1. *de rer. inventorib. pag.* 20. at propterea hoc de eo dictum, quia multa ad hujus artis magnificentiam primus invenit, ut videbimus. Ex primis etenim fuit, qui de locis topicis, sive cõmunibus pertractarunt, ex Quintiliano *in inst. orat. l.* 3. *cap.* 1. *pag.* 59. & Cicerone, *l.* 3. *de Oratore,* qui ubi Protagorã horum scriptorem celebrat addit: quòd idem fecit Gorgias, cùm singularium rerum laudes, ac vituperationes cõscripsisset; arbitrabatur enim hoc Oratoris maximè proprium, rem augere posse laudando, & rursum dejcere vituperando. Nec ambigendum in extemporali oratione Principatum obtinuisse; ipse enim hoc dicendi genus adinvenit, teste Philostrato *pag.* 487. nam in Atheniensium theatro prodiit, ac, proponite quodcumque libuerit, dixit: primusque fuit, qui tale periculum se subiturum professus est: quo ostendit se omnia scire, & ad omnia abundè paratum; de quacumque re promptè, & ornatè disserere posse. Hoc ipsum innuunt Cicero *de Invent. lib.* 1. *de Oratore lib.* 1. *&* 3. *de finibus lib.* 2. *& in quæst. Tuscul. lib.* 1. Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 15. Quintil. cit. *lib.* 2. *cap.* 21. *& lib.* 12. *cap.* 11. S. Hieronymus *epist.* 161. *ad Pamachium, & in Apolog. adversus Ruffinum,* Plato *in Gorgia, sive de Rhetorica, & de virtute,* aliique, qui testantur, quòd se offerebat ad disputandum, ac copiosè dicendum de quacumque quæstione, ac re oblata: dicebat enim Oratorem posse de quacumque re copiosè disserere: hęc autem ex innumeris dicendi modis ingeniosè adinventis, non modò proponebat, sed etiam experimento verum esse confirmabat; nam de qualibet re dissertè, doctèque interrogantibus respondebat. Hinc fatendum sine hęsitatione puto: Gorgiam oratoriæ perfectionis fastigium attigisse. Ideoque cùm Leontinorum omnium esset præstantissimus, patriæ suæ electus Orator fuit ad Athenienses, ut suppetias pro ipsa contra Syracusanos peteret, ut Plato *de pulchro,* scribit, Pausanias *in Eliacis post. seu. lib.*6. & Vossius *de Rhetorices natura, ac const. cap.*10. *pag.*70. quòd in hac legatione Tisiam Syracusanum Oratorem, etiam celebrē habuisset sociũ; à Jacobo Bonãno *in Syracus. illustr. l.* 2. *p.*309. Pausanias meritò rejicitur: nã cum bellum inter Syracusanos, & Leõtinos exardesceret, quomodo Leontinus vir, Syracusanum socium habere potuit: nec apud aliquem legimus, unquam Tisiam proditionis reum in patriam suam fuisse. Addendum ex Diodoro Siculo *lib.* 12. principem inter Legatos egisse, qui dicendi facultate eloquentissimum quęque sua ætate excellebat. At ex Platone *de pulchro,* Gorgias solus hanc legationem egit. Ad Athenienses eâ eloquentiæ vi, ac arte peroravit, vt Athenienses, etsi magno ingenio instructi, & in literarum studiis versatissimi, Gorgiæ eloquentiam, orationis ornamenta, industriam, ac novum dicendi genus elegantissimum demirati sint; ideoque quidquid requirebat, libenter concessere; ac in Siciliam centum Naves militibus refertas, ut Leontinis opitularentur, misere: quod scribit Diodorus cit. id verò olymp. 88. an. 2. evenisse scribit Dionysius Petavius *de doctr. tempor. tom.* 2. *lib.* 13. *pag.*577. Cùm autem Gorgias nova orationis dictione in sui admirationem Athenienses rapuisset, hi precibus, ac ingentium munerum spe urgere cœperunt Gorgiam, ut artem oratoriam Athenis doceret; ideoque primus fuit, qui ibi oratoriam artem publicè explanaret, teste Lascari apud Maurolycum *histor. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. & Patritio *in poetic. lib.* 1. *pag.* 72. ibique diu docuit magna cum civium admiratione; ac attentè, avidèque ab omnibus audiebatur. Ex ejus schola doctissimi, ac celeberrimi viri prodiere, Gorgię præceptis eruditi, inter quos Polus Agrigentinus ex Philostrato *in vitis Sophistar. lib.*1. *p.* 500. Pericles, & Isocrates ex Plutarcho *de decem Rhetor. in Isocrate,* & ex Platone *de virtute.* Proxenus ex Laertio *l.*2. *in Xenophonte.* Alcidamas ex Suida *tom.* 1. *pag.* 178. & Athenæo *lib.*13. *cap.*7. *pag.*592. Antisthenes ex Laertio *lib.* 6. Menon ex Platone *de virtute,* Prodicus ex Suida *tom.*2. *pag.*595. Hippocrates medicus celeberrimus ex Petro Castellano *in vitis medicor. pag.*27. Zoilus ex aliquibus, quos tacito nomine laudat Cozzandus cit. *pag.*335. Polycrates ex eodem Cozzando cit: & Vossio *de Rhetor. natura & const. cap.*11. *pag.*79. Euclides ex Crisolio *in Theatro veterum Rhetor. lib.* 2. *cap.*7. *pag.*142.

aliique Philosophi, ac Oratores præstantissimi, ut testantur Val. Max. *lib.*8. *cap.* 13. Laert. *lib.* 6. *de Antisthene*, Plutarchus cit. *in Socrate*, Photius *in Biblioth. Codic.* 260. *pag.* 1454. aliiq: Scribit Plato *de virtute*, Thessalicos homines inter Græcos illustres, equestri virtute, ac divitiis excelluisse; inde etiam sapientiæ nomine, cùm ad illos profecisset Gorgias. Addit & Philostratus *in vitis Sophist. pag.*505. & 511. quod ejus artem demirantes, eo ardore amplexi sint, ut inde sapientiæ studiis adhærentes Gorgiacum dicendi genus sectarentur. Plato verò *loc. cit.* ait, quod ita doctè discipulos suos instruxit, ut ad respondendum petentibus magno animo, & intrepidè assuefecerit. A discipulorum frequentia, à privatis disceptationibus, ac juniorum consuetudine ingentem lucri copiam colligebat; adeout breviter amplissimas divitias congesserit, teste eodem Platone *de pulchro*, qui & in dialogo *de sapientia* ait: quod eâ pollebat sapientiâ, ut ubicumq; pergeret post se juvenes æquè ditissimos, ac nobilissimos attraheret, qui ab ejus eloquentia, ac consuetudine excitati, ut ejus doctrinam acciperent, magno stipendio ad ejus disciplinam confugiebant: ipse verò à singulis discipulis annuas minas centum exigebat, ut habent Suidas *tom.* 1. *pag.* 620. & Diodorus Sicul. *lib.* 12. quod & Manutius confirmat *in comm. Ciceronis de claris Oratoribus pag.* 188. aitque hanc pecuniarum summam octingentis coronatis respondere; sed ex Goltzio *in hist. post Sicil. p.* 88. nongentis. Iis affluenter locupletatus est: ideoq; omnium primus in Apollinis Delphici Templo statuam auream sibi constituit olymp. 70. teste Plinio *lib.* 33. *cap.* 4. & Philostrato *pag.* 497. Sed Cicero *de orat. lib.* 3. hanc auream statuam à Græcia sibi repositam ob oratoriæ artis excellentiam apertissimè scribit: quod confirmat, Val. Maximus *lib.*8. *cap.* 15. Vossius *de Rhetorices natura, & constitutione cap.* 10. *pag.* 71. & *de hist. latinis lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 18. (qui sibi contrarius *de Philosophia cap.* 16. §. 19. *pag.* 130. statuam inauratam ipse sibi excitasse ait, ex Atheneo) id ipsum probat Petrus Victorius *var. lection. lib.* 5. *cap.* 9. *pag.* 47. qui dissertationem instituit, fueritne aurea, an solummodo inaurata; & an ab ipsomet Gorgia, vel à Græcia: Ciceronis verò, Platonis, & Aristippi autoritate, auream fuisse probat, ac à Græcia sibi repositam, contra Pausaniam, qui *lib.* 10. inauratam credidit. Philostratus verò *pag.* 497. Vossius *de Rhet. natura, & const. c.* 10. *pag.* 71. Volaterranus *lib.* 16. *anthrop.* & Crisolius *in Theatro vet. Rhetor. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 39. & *lib.* 3. *cap.* 6. *pag.* 185. in panegyricis venustissimum, ac eminentissimum fuisse prædicant; ideoq; cum Pythicam orationem ex Apollinis altare egregiè dixisset, in hujus gratiam Græci in eodem Templo auream eidem statuam decrêvere. De hac oratione, quæ Gorgiæ magnam peperit nominis celebritatem, meminit idem Pausanias *lib.*6. Olympicam etiam orationem dixit, conspicatus Græciam diffidentem, cujus vi ad conciliationem omnium animos traxit, & in barbaros inflexit, teste Philostrato *pag.* 497. qui addit alia elegantissimè dixisse. Ex Vossio cit. *de hist. latinis lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 18. & *de Rhetorices natura, cap.* 10. *pag.* 71. Halicarnasseo *epist. ad Pompejum*, & Philostrato *epist. ad Aug.* aliqua orationis scitamenta ab ipso Gorgica dicta, & ipsum rhetoricari Gorgiazen; ejusque orationes lampades nominatæ: dies verò quibus habitæ, dies festi, ut etiam ait Celius Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 11. *cap.* 25. Raphael. Regius *in annot. ad Quint. de inst. orat. pag.* 2. cur lāpades dictas hic expendit; ut enim, ait, lumine tenebræ expelluntur, sic eloquenti oratione ex animis hominum imperitia fugatur. Crisolius verò cit. *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 40. ait: rectè meo judicio lampadem, nam & splendorem habuit maximum, & faces omnium pectoribus subdidit, ad divinum illud genus orationis consectandum. Plura etiam de Gorgia collegit præclarissima Crisolius; *lib.* 3. *cap.* 23. §. 2. *pag.* 321. Gorgiam tradit, acutum Siculum poeticis verbis usum ad deliniendos auditorum animos. *cap.* 24. *pag.* 338. ait: ante Gorgiam nullam, aut perexiguam extitisse figurarum cognitionem: sed Gorgias peracutus, & elegantissimus hanc progenuit venustatem, quam Græcia, novitate obstupescens, nimiū demirata est. Mox addit *pag.* 339. quòd vix dici potest quanto plausu, omniumque assentione, illa primùm è Gorgia effluentia orationis ornamenta sint excepta. *pag.* 340. Gorgiam velut Heroem signum sustulisse ad novum genus eloquētiæ triumphantis. *cap.* 25. *pag.* 343. Sophistarum parentem vocat. *cap.* 21. *pag.* 305. communem loquendi rationem insuetis modis, & mirabilibus exornasse scribit. Vide etiam *lib.* 1. *cap.* 39. & *seq.* ubi ejusdem orationis ornamenta celebrat, regiam dictionis maestatem, cum venustate mirabiliter copulatam. Hinc nil mirùm, si ut scribit Philostratus *pag.* 497. Athenienses Gorgiam differentem demirarentur, & eloquentissimos quosque suspensos ab ore teneret: inter quos Critias, & Alcibiades adhuc adolescentes, Thucydides, & Pericles jam senescentes. Purpurâ indutus incedebat, teste Æliano *var. hist. lib.* 12. *cap.* 33. Uxorē duxit Athenis, cū qua simultates haud modicas habuit: hinc ex familiari ejus dissidio, occasionē carpendi Gorgiam accepit Melanthus Atheniensis; nam cum olympicam orationem haberet, quâ Græcos suadere ad concordiam conabatur, Melanthus, hic, inquit, de concordia disserit, qui sibi ipsi, uxori, & ancillæ concordiam adhuc non persuasit: æmulabatur quippe uxor ejus ancillæ pulchritudinem, & castissimum virum quotidianis jurgiis exagitabat, ut habemus ex Plutarcho *in opusc. conjug. precep. cap.* 45. ex S. Hieronymo *lib.* 1. *contra Jovinianum*, & Alexandro ab Alexan. *dier. genial. lib.* 5. *cap.* 18. Patriæ desiderio extimulatus ex Fazello, Leontinum regressus est, ac salutaris amicis, proprias inspexit ædes, ubi fuerat educatus, quarum rudera Fazelli tempestate, ut ipse testatur *dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 74. Leontini in regione Castrinovi indigitabant. Expleto jam desiderio, post alicujus temporis lapsum Athenas remeavit; ibique ad supremam senectu-

nectutem pervenit; sed viribus infractis, integris sensibus, vegeto ingenio, firmaq; memoria: adeo ut omnibus admirationi esset. Hinc quandoque interrogatus: quonam victu eam vitæ sanitatem, ad ætatem adeo gravem produxisset? respondit: quòd nunquam comederat, vel rem ob solam voluptatem patraverat, ut tradit Stobæus *serm.* 99. *pag.* 546. & Athenæus *lib.* 12. *cap.* 12. *pag.* 548. vel ex Luciano *in Macrobiis*; quia, dixit, nunquam aliorum conviviis interfui: vel ex Demetrio Bizantino apud Athenæum cit. nihil unquam in alterius gratiam feci. Interroganti alio, cur diu in vita perdurare vellet; hunc reddidit responsum à Cicerone *in Catone Majore, sive de senectute*, & Valerio Maximo *lib.* 8. *cap.* 13. laudatum: nihil habeo, quod senectutem meam accuset. Addit Tullius, in hac longæva ejus ætate nunquam studiorum ardorem remisisse. Hinc ortum proverbium *Gorgiæ senectus*, ex Fazello loc. cit. & Celio Rhodigino *lect. antiq. lib.* 19. *cap.* 20. Tandem in lethalem morbum dilapsus, cùm ad mortem properaret, profundius dormiebat, dixitque familiari suo, de hoc somno interroganti: jam somnus fratri me tradit, ut scribit Ælianus *var. hist. lib.* 2. *cap.* 35. & Stobæus *serm.* 118. *pag.* 598. qui & addit: petenti, num libenter moreretur? respondisse: maximè, nam tamquam ex putri, & diffluente domuncula non invitus discedo. Eusebius *in chron.* olimp. 86. Gorgiam statuit: Porphyrius verò apud Suidam, floruisse ait olymp. 80. at ipsemet Suidas antiquiorem putat. Sed ex Vossio *de Rhetorices natura cap.* 10. *pag.* 70. conciliari posse has opiniones credimus, ob longævam ejus ætatem: vitam etenim absolvit annum agens 108. ex Plinio *lib.* 7. *cap.* 48. & Luciano *in Macrobiis*, qui inediâ obiisse tradit, vel anno ætatis suæ 107. ex Cicerone *in Catone Majore*, & Valerio Max. *lib.* 8. *cap.* 13. Vel 109. ex Quintiliano *inst. orator. lib.* 3. *cap.* 1. Suida *tom.* 1. *pag.* 620. & Apollodoro apud Laertium *in vita Empedoclis*. Vltra annum 108. vixisse ait Philostratus *loc. cit. pag.* 497. ante Christum natum anno 425. claruisse scribit Maurolycus *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 27. & Bonfilius *hist. Siciliæ par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 48. Anno verò 427. ex Ioanne Bapt. Ricciolio *in chronolg. reform. tom.* 4. *indic.* 1. *pag.* 175. Ab Atheniensibus post mortem maximo honore prosequutus est; cùm enim Areopagitis inauratam permitterent statuam, Gorgiæ auream concessere, teste Valerio Maximo *lib.* 8. *cap.* 15. Innumeri tum ex antiquis, tum ex recentioribus in Gorgiæ laudes divagantur. Ælianus *var. histor. lib.* 1. *cap.* 23. ait, quod inter veteres Græcos famâ maximè excellebat, Laertius *in vita Empedoclis*, virum vocat in oratoria insignem. Balthassar Bonifacius *hist. lud. lib.* 15. *cap.* 2. Gorgiam naturę speculum vocat. Multùm Gorgię debere maximi quique viri, qui postea sequuti sunt, observat Vossius *de Rhetorices natura cap.* 10. *pag.* 71. nam ex Philostrato *in epist.* Critias, & Thucydides Gorgię acceptum referunt magnificum, & exageratum orationis genus. Thucydidem Gorgię pręstantiam imitasse testatur Marcellinus in vita Thucydidis. Plato Gorgię cultu, & apparatu captus, novâ luce orationem induit, teste Halicarnasseo. Isocrates ea, quę Gorgię erant, in Panathenicam suam transtulit, ex Plutarcho. De Aristotele tandem S. Hieronymus *adversus Jovinianum*, ait: *legimus, ò eruditissimi viri, in scholis pariter, & Aristotelea illa de Gorgiæ fótibus manantia.* Celeberrimus Plato dialogum inscriptum: *Gorgias, vel de Rhetorica* edidit, quod inter ipsius opera extat, in quo Gorgiam loquentem introducit, & de ejus doctrina multa laudabiliter habet: etsi, more suo, in Sophistas sęviens, quocumque honore, ac dignitate omnem ejus artem expoliare nitatur. Hinc ex Petro Victorio *in Demetriū Phalareum pag.* 350. cùm Gorgias hunc Platonis dialogum legisset, dixit: Pulchrè novit Plato maledicere. Athenæus autem *lib.* 11. *cap.* 15. *pag.* 505. ait: Platonem perperam calumniasse Gorgiam, scribit enim, quòd cùm Gorgias dialogum memoratum excurrisset, præsentibus dixit: de his à Platone relatis nihil se, vel audivisse à Platone, nihil ad Platonem loquutum. Crisolius in Theatro *cit. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 40. ex Dionysio Halicarnasseo ait, Platonem è Gorgiæ orationibus novâ luce dictionem suam illustrasse: ideòque ingrati animi notam sibi comparasse patet. Aristoteles *lib.* 3. *artis Rhetor. cap.* 2. Gorgiæ eloquutionem poeticam, non oratoriam dicit; & *cap.* 5. ut frigidam damnat: librum etiam contra Gorgiam scripsit, teste Laertio *lib.* 5. *in vita Aristotelis*. At Petrus Gregorius Tolosanus *in comment. prologi artis mirabilis cap.* 7. (ubi plura laudabiliter de Gorgia) non sine invidiæ stimulis loquutos arbitratur Platonem, & Aristotelem. Cicero inter latinos oratores Princeps, qui & saniorem edere poterat de Gorgia sententiam, in multis Gorgiam celebrat, cujus loca supra retuli. Ejus vitam scripsit Philostratus *in Vitis Sophistarum*, ut etiam L. Cincinus Alimentus Romanus ex Vossio *de histor. latin. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 18. & Prospero Mandosio *in Bibliot. Romana vol.* 1. *cent.* 1. *n.* 46. *pag.* 31. Harmippus librum etiam de Gorgia scripsit, ut habemus ex Athenæo *lib.* 11. *cap.* 15. *pag.* 505. Scripsit Gorgias *Multa*, teste Suida *tom.* 1. *pag.* 620. Edidit

In arte Rhetorica plura, plura composuit, ex Lascari apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. *De Rhetorica* scripsisse testantur Laertius *in vita Empedoclis*, Quintilianus *instit. orat. lib.* 3. *cap.* 1. Cicero *de Claris Oratoribus*, & Vossius *de Rhetor. natura cap.* 9. *pag.* 62. Extat hodie

Oratio, quâ Elenam injustè raptus causâ reprehendi docet. Edita cum Isocrate ab Henrico Stephano ex Bibliotheca Exotica *pag.* 799. Venetiis prodiit 1534. ex indice Biblioth. Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 484. Græco-lat. versa à Guilelmo Cantero edita est cū Isocrate ab Henrico Stephano 1593. in fol.

Palamedis Apologia. Ex Goltzio *in hist. post. Sicil. pag.* 88. græcè edita ab Henrico Stephano. Extat etiam m. s. in Bibliotheca Vaticana ex Gesnero *in Biblioth. pag.* 289.

Orationes Tres. Gręcè servantur m. ss. Florentiæ *in* Bibliotheca S. Marci Ordinis Prædicatorū, teste

teste Fazello *dec. 1. lib. 3. cap. 3. pag. 74.* quas ibidem se legisse ait Lascaris cit. Scripsit etiam

Orationem in Olympico. Hanc citat Aristoteles *de arte Rhetor. lib. 3. cap. 16.* cujus etiam meminere Philostratus cit. Plutarchus *opusc. de conjug. præcep.* Pausanias *in Eliacis*, & S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum*, eamque laudat Crisolius in Theatro *Vet. Rhetor. lib. 1. cap. 5. pag. 39. & lib. 3. cap. 6. pag.* 181. & Vossius *de Rhetor. natura cap. 10. pag.* 71. in ea de concordia scripsit: ideoque Carolus Stephanus *in dict. pag.* 985. pulcherrimum librum de concordia, Græcis inter se dissidentibus, Olympiæ recitasse tradit.

Orationem Pythicam, ex Vossio cit. & Crisolio *cit. lib. 1. cap. 5. pag. 39. & lib. 3. cap. 6. pag.* 185. qui addit propter hanc, auream habuisse in Templo statuam.

Jambos, quos imitasse Agathonem Poetam Siculum, scripsimus supra *pag.* 8. cum Philostrato cit. *pag.* 497. & aliis.

Æschinem imitasse Gorgiam ait Laertius *in vita Æschinis*: & celeberrimum Isocratem, Gorgiæ discipulum, Panegyricum suum partim ex Gorgia, partim ex Lysia desumpsisse, testis est Plutarchus *de x. Rhetor. in vita Isocratis*: qui etiam Gorgiam citat *in Cimone*. Omnes Gorgiæ orationes, quæ extant, collegerat Agathinus Castilionius; ut in lucem emitteret: at morte præventus edere non potuit.

Gorgias, qui scripsit *libros quatuor de figuris sententiarum*, quos Rutilius Lupus in opus suū transtulit, teste Quintiliano; & qui Onomasticon scripsit, ex Polluce *in præf. l. 9.* alius est à nostro, ut ait Gesnerus *in Biblioth. pag.* 289. & Petrus Angelus Spera *de nobilit. profess. Grammaticæ l. 4. p.* 261.

B. GORDIANUS Monachus Ordinis S. Benedicti, ejusdem Sancti Discipulus, & S. Placidi Comes. Hunc inter Romanos Scriptores recenset Clarissimus Prosper Mandosius *in Bibliotheca Romana vol. 1. cent. 1. n. 78. pag.* 56. aitque Gordianū à Patria, Romanum cognominatum. Romanum etiam voluit Arnaldus Wion *in ligno Vitæ par. 1. pag.* 420. Guilelmus Cave *in Scriptorum Eccles. histor. literaria tom. 1. an.* 540. *pag.* 290. natione Romanum putat: at *tom. 2. an.* 555. *pag.* 111. scribit: *Gordianus gente forsan Siculus*. Octavius Caetanus tum *in Idea de Vitis SS. Siculor. pag.* 58. & 109. tum etiam *in Vitis SS. Siculor. tom. 1. pag.* 187. & Franciscus Carrera *in Panth. Siculo pag.* 58. inter Siculos Sanctos reponunt. Syracusanum vocat Marianus Perrellus *in Vita S. Luciæ pag.* 40. Syracusanis etiam accēset Michael Angelus Mancharusus *in Kalendario Sanctor. Syracus.* 18. *Februarii*. Hinc à Sicula Bibliotheca haud excludendum puto. Fuit, ut innui, Gordianus S. Patriarchæ Benedicti discipulus, & è Casinēsi Cœnobio egressus unà cum Sancto Placido, in Siciliam navigavit, ut simul Monachorum coloniam hic deducerent. At dum sub Placidi virtute in Messanensi Monasterio regulari disciplinâ efflorebat, inopinatâ Maumuchæ Saracenorum pyratæ irruptione, strenuus Monachorum dux, unà cum sociis obtruncatus est. Gordianus, non sine divini Numinis ope, fugâ elapsus, mox Sanctorum corpora sepulturæ tradidit, & Constantinopolim velificavit. Illic, Græcè, & Latinè doctus, Justiniani Imperatoris jussu, Placidi gesta, ac ipsius, & sociorum triumphum scripsit. Exinde Siciliam repetens, ac virtutum laude illustris, sanctissimè decessit Syracusis 18. Martii circa annum 542. ex Caetano, & Pirro *not. Eccl. Syracus. pag.* 131. vel 560. ex Mandosio, & Wione. Consule etiam auctores citatos. Scripsit Gordianus

Vitam, & Passionem Beatissimi Martyris Placidi, discipuli Beatissimi P. N. S. Benedicti, & Fratrum ejus Victorini, & Eutychii, ac Sororis Flaviæ Virginis, Donati, Firmati, Diaconi, & aliorum Triginta. Extat apud Laurentium Surium 5. Octobris: Coloniæ Agrippinæ sumptibus Joannis Kreps, & Hermanni Mylii 1618. in fol. *à pag.* 65. & apud Joannem Mabillonum *sæcul. 1. Benedict. à pag.* 45. Hanc vitam Constantinopoli græcè scripsit, eamque anno 570. Simon Presbyter Constantinopolitanus in Italiam detulit, &, Salernitanis Monachis instantibus, latinitate donavit: exinde Petrus Diaconus cultiori dictione expolivit. Stephanus Aniciensis ex Gordiani monumentis, suam de Placido, eiusque sociis historiam scripsit, quam exhibet Caetanus *tom. 1. Sanctor. Siculor. pag.* 173. qui *in animad. pag.* 145. putat Vitam S. Placidi, quæ sub Gordiani nomine circumfertur, non Gordiani, sed Petri Diaconi fœtum esse, Gordiano ascriptam, quia è Gordiani fonte ipsam hausit. Scripsit etiam

Passionem ejusedm Græco sermone, quæ extat Casini in latinam linguam versa, ex Wione cit.

De Reædificatione Monasterii Messanensis. extat m. s. in Casinensi Cœnobio ex Wione, & Mandosio.

Epistolas quatuor ad S. Maurum, ad Vigilium Papam, ad Messalinum V. C. & ad Constantinum Abbatem. Has invenies post finem Chronici Casinensis Lucæ Ostiensis, & Petri Diaconi. Venetiis 1513. in 4. *pag.* 199. 200. & 207. & cum Aimone *de gestis Francorum*. Parisiis apud Ambrosium, & Hieronymum Drovart 1603. in fol. *pag.* 773. 775. 785. Scripsit & alia, ex Wione.

GRATIANUS CREMATA v. Ignatius Camerata.

S. GREGORIUS Agrigentinus Episcopus, Ordinis S. Basilii, sāctitatis famâ celeberrimus, inter Siculos Scriptores adnotare, ex his, quæ scripsisse tradunt, non gravabor. Ex ejus vitæ præclarè gestis pauca ad rem meam seligam. In quodam vico propè Agrigentinam Vrbem Prætorion vocato, Parentibus Charitone, & Theodote natus, circa ann. 524. eximiis pietatis documentis educatus, puerulus Damiano cuidam Agrigentino erudiendus traditur, qui sedulò literis instruxit: eâque celeritate ob ingenii elegantiam profecit, ut in omnibus admirationem exercitaverit. Biennio exacto omnem disciplinæ rationem, numerorum convenientiam, festorumque dierum ambitus, ac omnia Davidis carmina perfectissimè didicit. Duodennis in Clericorum numerum cooptatus à S. Potamione Agrigentino Episcopo, lectoris

ctoris munere egregiam pietatis indolem patefecit. Ex Angeli monitu clam relictâ Urbe Carthaginem primùm, mox tribus Monachis viæ comitibus sibi adjunctis, Hierosolymam petiit; ac sancta loca piissimè perlustravit; ubi à B. Machario Patriarcha, cùm ejus virtutes inspexisset, ad Diaconatus gradum evectus est. Ibi Macarii virtutes æmulatus, ad elatissimum sanctimoniæ fastigium properavit: miraq; patrasse narrant. Monachorum Cœnobia invisit, & ex eorum hortationibus, & exemplis pietatem amplificavit. Quadriennio apud senem quemdam diversatus, Grammaticâ, Philosophiam, Astronomiam, ac omnem dicendi facultatem assequutus est: ideoque velut alterum Chrysostomum intuebantur. Exinde Antiochiam profectus, à S. Eustachio Urbis Archiepiscopo exceptus est: ibique magnâ sapientiæ laude sermones habuit egregios de Fidei dogmatibus: itaut õibus divino spiritu perfusus antecelleret. Cõstantinopolim exinde pervenit; ubi diffusâ ejus doctrinæ famâ, Gregorius ab Urbis Patriarcha doctissimo, accersitus est, qui ex mutuis disceptationibus habitis, cœlestem ipsius sapientiam apertissimè cognovit. Grassabatur tunc temporis Sergii, Cyri, & Pauli hæresis, quam ut propelleret multas edidit orationes, adeout ejus fama ad Imperatoris aures pervenerit. Coacta Synodo in Episcopi Sardicæ Cõstantiæ Cypri locum subrogatus, contra Hæreticorum errores eâ doctrinæ, & eloquentiæ vi alloquutus est, ut Hæreticorum omnium ora occluderet, & diuinam Gregorii sapientiam Patres omnes obstupescentes laudaverint: ac Imperator ipse ad colloquium efflagitaverit. In quinto Oecumenico Concilio Constantinopolitano II. sub Vigilio coacto anno 553. Gregorius in Patrum omnium cœtu, sanctimoniâ, doctrinâ, & eloquentiâ supra omnes amplissimè refulsit, teste Nicephoro *hist. Eccles. lib.* 17. *cap.* 27. Romam profectus, ut sacra visitaret loca, ibi pietatis officiis virtutum studia augere curavit. At defuncto tunc Agrigentino Episcopo, diffidentibus pro novo Præsulæ civibus, Pontifex de rebus præclarè gestis à Gregorio plenè edoctus, Apostolorum Principũ monitu, Episcopum Agrigentinum delegit, quem ultrò dissentientes populi excepere, cùm Columbam ex ara maxima delapsam vidissent, Gregoriano vertici insidentem. Agrigentum magnâ exultatione delatus, iterum Columba novi Antistitis capiti inhærens, ipsius electionem, ac præstantiam detexit, multisque Deus miraculis ipsius sanctimoniam monstravit. Per enormem calumniam stupri crimine insimulatus, multis portentis ipsius innocentiam Dominus Romæ aperuit, ac miraculis illustravit. Constantinopolim profectus, ac honorificè ab Imperatore exceptus, ab eo multis beneficiis cumulatus est. Demum Agrigentum regressus miraculis longè, lateque clarus, ad Cœlestem patriam evolavit circa annum 564. 23. Novembris. Gregorii vitam scripsit Leontius Presbyter, quam edidit Octavius Caetanus *tom.* 1. *SS. Siculor. à pag.* 188. qui & *in animad. pag.* 175. Breviarium ejusdem vitæ in lucẽ emisit, ex codice m.s. Veneto. Eamdẽ scripsit Metaphrastes, quã habemus apud Laurentium Surium 23. *Novembris*, & Alphonsum Vigliegas *par.* 3. *SS. pag.* 429. Ipsius memoria extat in Martyrologio Romano 23. *Nov.* ejusq: festum celebrat Agrigentina Ecclesia die 23. Novembris. De eo etiam Franciscus Carrera *in Panth. Siculo pag.* 301. Rocch. *Pirr. not. Eccl. Agrig.* 267. Scripsit Gregorius

Orationes de fidei dogmatibus ad Antiochenos. ex vita apud Caetanum *pag.* 197.

Orationes tum ad docendum, tum ad laudandum editas Constantinopoli, ex eadem *pag.* 198.

Conciones ad populum de dogmatibus, de jejuniis cineralibus, de Sancto Apostolorum Principe, aliosque plures. ex eadem *pag.* 215.

Ex eadem vita *pag.* 192. adolescens: *Sacras Literas ex Macharii Patriarchæ facultate interpretatus est*

GREGORIUS Siciliæ Archiepiscopus cujus meminit Leo Allatius in opusculo *de Methodiorum scriptis*, edito in opere inscripto: *Convivium decem Virginum S. Methodii Martyris.* Romæ 1656. ubi ait, Gregorium Siciliæ Archiepiscopum scripsisse:

Orationem longam in S. Methodium.

Hunc Gregorium cognomento Asbestam genere Siculum esse puto, qui ab anno circiter 845. Syracusanam rexit Ecclesiam; nam Methodii tempestate, & subsequentibus annis vixit: & in Constantinopolitana Urbe diversatus est, ut ex infra dicendis liquet. Nec Archiepiscopi titulus me terret: nam eo tempore ex dictis ab Ab. Roccho Pirro *de Metropolita Siciliæ disquis.* 2. *pag.* 32. aliisq: Syracusanum Antistitem Archiepiscopum appellabant. Gregorius hic cùm ab anno circiter 845. Syracusanæ Ecclesiæ præfuisset, Constantinopolim se contulit, ibiq; vir perditis moribus inquinatus, ab Ignatio Patriarcha Cõstantinopolitano in Concilio an. 854. coacto, deponitur: cujus depositionem Benedictus III. Papa confirmavit. Inde Bardę Patricii dolo, Ignatius è throno dejectus; ac Photius in Patriarchalem dignitatem intrusus est: ipsumque Gregorius, Ignatio infensus, consecravit: ideoque à Romana Ecclesia turpi schismate Græcia discissa recessit. Hinc an. 863. in Concilio Romano Nicolaus Pontifex, Gregorium damnavit, unà cum Photio: at ipse huic adhærens, à Photio ad Nicæam Ecclesiam evectus est an. 878. ibiq: paulò post decessit. Hæc autem luculentius invenies apud Baronium *tom.* 10. *annal.* præsertim *an.* 854. *n.* 8. *&* 9. *an.* 858. *num.* 58. *an.* 863. *num.* 6. *an.* 878. *num.* 55. Pirrũ *not. Eccl. Syrac. pag.* 143. *& disquis. de Patriarcha Siciliæ* §. 7. *pag.* 13. aliisque apud ipsos, & passim apud historicos.

GREGORIUS DE AUGUSTINO Panormitanus Ordinis Prædicatorum Baccalaureus, vir doctrinâ, & eruditione conspicuus. Claruit anno 1631. Scripsit Italicè

Decade Terza dell' Historia di Sicilia, o vero Supplemento all' Historia di Sicilia, di Tomaso Fazello. Authographum m. s. in fol. servatur Panormi in Biblio-

Bibliotheca Cœnobii S.Citę Ord.Prædicatorum. Hanc historiam citat Ioannes Maria Amatus *in notis ad orat.1. pro studiis Collegii Panormit.num.* 114. *pag.* 111. etsi ex Typographi incuria, Augustinus de Gregorio vocatur.

Vita del B.Pietro Geremia Palermitano dell'Ordine de' PP. Predicatori. Hanc m. s. citat Ioannes Baptista de Franchis *in vita ejusdem pag.* 9.

Discorso intorno alla divisione del Regno di Sicilia, nel quale si tratta con autorità del Vecchio, e nuovo Testamento, con testimonii di Santi Patri, con essempii, e similitudini, quanta utilità apporta l' unità, e quanto danno caggiona la divisione nelli Regni. m. s. in 4. Extat apud me,

GREGORIUS CANALIS ex Oppido Calatabellottæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, Sacram Theologiam in Monasterio S. Mariæ de Bosco docuit. Florebat an. 1669. cùm edidit Italicè

I Trionfi dell'Vbbidienza. Predica. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 8.

GREGORIUS CERAMEUS v. Theophanes Cerameus

GREGORIUS MARSALA Panormitanus Monachus Casinensis, natus ex Mario Marsala Iurisconsulto doctissimo, & Agatha Bellacera 3. Septembris 1637. Regulare institutum amplexus est primo Novembris anno 1655. in quo absolutis gravioribus Philosophiæ studiis, ut Deo solummodo viveret, ab omnibus curis solutam traduxit vitam: & ut omnem à se sollicitudinē abdicaret, Decani munus renunciavit. Nunc virtutibus clarus, ut exemplarem decet virum Deo dicatum, vivit Prioris titulo insignitus in Panormitano Cœnobio S.Martini de Scalis. Edidit Italicè

Vita, e Miracoli del Gl. Patriarcha de' Monaci S. Benedetto. Panormi apud Thomam Romolum, & Orlandum 1685. in 12.

Regola del SS. P. Benedetto Patriarcha di tutti Monaci, con le note del P. D. Gregorio Marsala. Ibidem apud Thomam Romolum 1689. in 12.

GREGORIUS MATINA Nobilis Panormitanus Monachus Benedictinus Congregationis Casinensis, vir doctus, ac eruditione clarissimus. Anno 1474. primo Augusti Abbas electus Monasterii Panormitani S. Martini de Scalis. In annuis redditibus Cœnobii augendis sedulam impendit curam. In Cœnobii Monachis, & in hospitandis pauperibus charitatem patefecit singularem. Piissimè obiit 14. Augusti 1482. in suo Monasterio. De eo scribit Abb. Pirrus *lib. 4. de Abbatiis pag.* 183. qui scripsisse testatur libros eruditissimos

De imitatione Christi,

De Adventu Domini.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

GREGORIUS MORELLUS, non ille Bergomensis Medicus, de quo Donatus Calvus *in scena literaria scrip. Bergom. par. 1. pag.* 296. sed alius Panormitanus Monachus Benedictinus Congregationis Casinensis, cujus habitum suscepit 22. Julii 1578. Vir fuit in gravioribus disciplinis versatissimus: ideoque in variis Lombardiæ Cœnobiis Philosophiam, Theologiam ac Jura Pontificia docuit. Amœnioribus etiam literis instructissimus cùm multas excurrisset regiones, egregias ingenii dotes, virtutesque singulares patefecit. Sabaudiæ Duci gratissimus fuit. Angelo Grillo celeberrimo Vati, ac literato artissimis amicitiæ legibus fuit devinctus, qui Gregorium in summa æstimatione habuit: eamque in epistolis suis pluries testatus est, præsertim *lib.* 1. *pag.* 120. *lib.* 2. *pag.* 185. & 262. *lib.* 3. *pag.* 311. & 386. & *lib.* 4. *pag.* 568. hìc verò ipsius mortem, & ex ejus morte magnam Casinensis Congregationis jacturam deplorat. In carminibus etiam suis Gregorium laudat *pag.* 112. 178. & 179. In patriam Gregorius regressus, obiit in Cœnobio S. Martini anno 1603. Edidit Italicè

Fascetto di Mirra. Carmagnolæ apud Marcum Antonium Bellonum 1600. in 4.

Hinni Spirituali per diversi Santi Apostoli. Ibidem apud eundem 1600. in 4.

Hinni Spirituali per diversi Santi Confessori. Ibidem apud eundem 1600. in 4.

Scripsit etiam

Poesie Sacre Latine, e Toscane. Harū pars m.s. servabat P.D. Augustinus Toranus, post cujus mortē ad manus Marchionis Hjeracis pervenit: pars altera servabat etiam m. s. P. D. Maurus Marchesius, exinde ad P. D. Aloysium Venetum transiit.

Vita di S. Honorato Abbate di Lirini.

Raguaglio Historico dell' Isola di Lirini.

Tragedia di S. Caterina. Hæc m. ss. servantur in prædicto Cœnobio S. Martini,

GREGORIUS TANCREDUS Messanensis Sacerdos, Gramatices peritus, & eruditione clarus. Vixit circa annum 1560. Edidit.

Grammaticam. Venetiis 1599. in 8. & alibi.

Summarium Regularum linguæ latinæ, cui ars carminum componēdorum annexa est. Messanæ 1567. ex Petro Angelo Spera *de nobilit. profess. Grammaticæ lib.* 4. *pag.* 233.

Italicè

Descritione dell' Arco Trionfale eretto in Messina per lo ricevimento di D. Garsia Toledo Vicerè di Sicilia. Ex epistola Philippi Paruta ad Bartholomæum Sirillum data Panormi 13. Aprilis 1593. m. s. apud me.

GREGORIUS VALENTIANUS Marsalensis Ordinis Capuccinorum, vir non minus pietate, ac egregiis animi dotibus, quàm doctrinâ præclarus. In sacris literis, ac Sanctorum Patrum voluminibus versatissimus fuit. In Siculo Inquisitorum Concilio Censoris munere enituit; & apud suos magnâ floruit æstimatione. Sub vitæ finem diuturno morbo cruciatus, inconcussæ patientiæ edidit exempla: ac demum Panormi religiosissimè decessit 14. Septembris anno 1663. Ipsū laudant Hippolytus Marraccius *in Bibliotheca Mariana par.* 1. *pag.* 521. Lucas Wadignus *de Script. Minor. pag.* 148. Placidus Reina *hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 88. & Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinorum pag.* 145. Edidit.

Hymnodiam SS. Patrum, quæ à S. Romana Ecclesia per annum decantari solet, Commentariis uberrimis

mis explicatam. Tomum Primum. Venetiis typis Combi 1646. in fol.

Commentaria in Hymnodia SS. Patrum. Tomum Secundum, cum Mantissa Epistolæ B. Mariæ Virginis Scriptæ ad Messanenses. Messanæ apud Iacobum Matthei 1649. in fol.

Practicá Moralé undecim Casuum Reservatorum, quatenus pertinétem ad Religiosos juxta decretú Cleméntis VIII. Pontif. Max. Panormi Apud Dominicum de Anselmo 1664. in 4. opus posthumum. Italicè

Il Soccorso de' Moribondi, e Agonizzanti. Ibidem apud Iosephum Bisagnium 1668. in 4.

GUALTHERIUS PATERNIONUS Nobilis Catanensis, Jurisconsultus doctrinâ clarissimus; fidei candore, ac laboribus in Aragonensium Regum obsequium exantlatis, ipsis Regibus gratissimus: ideoque emeritis honoribus cumulatus essulsit. Ad Prothonotarii Siciliæ munus fuit evectus, & Magnæ Regiæ Curiæ perpetuus Judex constitutus, ut ait Joannes Baptista de Grossis *in Decacordo Catanensi tom. 2. cord. 9. pag.* 147. qui Præsidem etiam fuisse testatur: quòd à vero alienum censeo: nã vel Regni Præsidem intelligit; & in Proregum, ac Regni Præsidum Chronologia, quam magno studio, & fide ediderc Antoninus Amicus, Rocchus Pirrus, & nuper Vincentius Auria, Gualterium non lego; sed tantùm Joannem Paternionem Panormitanum Archiepiscopum, alium à Gualterio: vel Præsidem alicujus Tribunalis indicat: & hoc veritati consonum non puto, nam Siculorum Tribunalium Præsides ab anno 1569. primordia suscepere, ex Pragmatica Philippi II. Catholici Regis edita anno 1569. Gualterius verò, eodem de Grossis teste in opusculo *de scriptoribus Catanensibus m. s.* apud Innocentium Roccafortem Panormitanũ, & Catanensem Canonicum anno 1531. decessit. Laudatur etiam à Matthæo Silvagio *de tribus peregrinis cap.* 44. *pag.* 165. Scripsit

In Cap. Volentes de feudis. citatur passim à Siculis Jurisconsultis, præsertim à Francisco Milanense *lib. 1. decis.* 8. *pag.* 46. *decis. 9. num.* 107. *pag.* 68. & alibi, Cannetio *de feudis pag.* 369. Mario Cutello *in suis Justificationibus pag.* 69. qui perperam Panormitanum Archiepiscopum vocat.

Allegationes in causa Baroniæ Furnaris. citantur à Petro de Gregorio *de feudis quæst. 6. num.* 1. ubi etiam Archiepiscopum Panormitanum vocat; at advertendum Franciscum Milanensem *lib. 1. decis.* 8. *pag.* 42. hanc eamdem allegationem citans, ipsius auctorem Gulielmum Paternionem vocasse.

GUALTHERIUS PATERNIONUS alter Catanensis, claruit anno 1515. & in quamplurimis legationibus ad Italiæ Principes, & ad Leonem X. Sum. Pontificem in arduis Siciliæ negotiis adhibitus est: ideoque à Ferdinando Siciliæ Rege Macchari feudo donatus fuit, & à Rationibus Regiis Magister electus. De eo Joann. Bapt. de Grossis *in decacordo cit. pag.* 147. qui, & in opusculo m.s. *de Scriptoribus Catanensibus*, scripsisse testatur.

Responsa multa, quæ cũ auctoris morte periere.

GULIELMUS DE HIERACI Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis Panormitani Cœnobii S. Martini Monachus, & ejusdem Monasterii anno 1502. 17. Aprilis Abbas. Siculam etiam Congregationem, antequam Casinensi Congregationi S. Justinæ uniretur, Præsidentis Generalis munere gubernavit. Egregiâ doctrinâ, & insigni eruditione locupletatus claruit. De eo Rocchus Pirrus *lib. 4. Siciliæ sacræ de Abbatiis, pag.* 184. qui scripsisse testatur:

De Apocalypsi libros duos.

Historiam sacram à Mundi constitutione ad sua usque tempora. Vtrumque opus m. s. servatur in Bibliotheca Subiaci.

GULIELMUS DE PERNO Patritius Syracusanus, Jurisconsultus doctissimus, ac celeberrimus; Ubertini de Marinis Iuris utriusque Doctoris, ac exinde Archiepiscopi Panormitani discipulus, ut patet ex subscriptione *consil.* 3. ejusdem de Perno. Hinc ejus ætatem deducimus; Ubertinus enim anno 1414. Archiepiscopalem Panormi sedem obtinuit. Ex Petro Ansalono *de sua familia pag.* 346. etiam habemus Norellam quamdam anno 1428. Gulielmi de Perno legum Doctoris insignis uxorem fuisse. In supremis Siciliæ subselliis Magnæ Regiæ Curiæ Judex enituit, ex Petro de Gregorio *de feudis quæst. 7. num.* 31. Scripsit

Consilia Feudalia. de Principe, de Rege, deque Regina Tractatum. Consilia practica, & statuta. Messanæ typis Petrutii Spiræ 1537. in fol. Venetiis 1573. in fol. ex Fontana *in Bibliot. legali par.* 2. *pag.* 82. Extant etiam Consilia in Volumine *Variorum Consiliorum Feudalium diversorum*, ut observat Joannes Baptista Zilettus *in Indice librorum legalium pag.* 56. ubi mendosè Gulielmum de Perno vocat Petrum Patritium Syracusanum. Extãt & addictiones ad sex priora Consilia à Friderico Auria scripta, & à Paulo Francisco Perramuto edita; ut supra scripsi *pag.* 245.

Addit Fontana cum Gesnero *in Bibliot. pag.* 307. scripsisse etiam

In aliquot Pragmaticas, & Privilegia, Commentaria de Feudis. &

Tractatum de Feudis. Venetiis 1601. in 8. Sed hæc opera non esse diversa à Consiliis feudalibus subdubito.

GUIDO DE COLUMNIS Messanensis. Messanæ ex nobili Columnensium genere natũ, incorpertum est. Friderici II. Imp. tempore exortus fuit, ut ait Fazellus, sive potius qui Fazelli historiam Siculam traduxit, *dec. 1. lib. 5. cap. 2. pag.* 105. editionis Italicæ, quod in latina editione non invenies. Jurisprudentiâ insignitus, Messanæ Judicem egit anno 1276. ex Vincentio Ferrarotto *de Officio Straticoti cap. 24. pag.* 127. Messanæ Judicem fuisse scribunt nonnulli, ex auctoribus infra citandis: non Regiæ Siciliæ Curiæ, ut ait Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculor. pag.* 137. & *in Sicil. Biblioth. veteri pag.* 136. Eduardi I. Angliæ Regis, è bello Asiatico in Regnum suum revertentis, comes fuit, teste Vossio *de histor. latinis lib.* 2. *pag.* 491. quem sequitur Ludovicus Morerius in

*dict. tom.*1. *pag.* 929. & Hofmannus *in lex. tom.* 1. *pag.* 721. ideoque in Angliam se contulit, ut Bostonus Buriensis tradit *in Catalogo* apud Vossium cit. Amœniores etiam literas coluit: Poesim præsertim Latinam, & Etruscam. Inter primos, qui Italicam linguam tum versu, tum prosâ excoluerunt recensetur: styli enim elegantiâ, prout ea prima ferebat ætas, egregius; inter præcipuos illius ævi scriptores meritò adnumeratus effulsit, uti recensuit Joannes Marius Crescimbene *in comm. Poesis vulg. vol.*1. *lib.*1. *cap.* 1. *pag.* 2. cujus etiam meminit ibidem *cap.*2. *pag.* 4. *& in histor. vulg. poes. lib.* 3. *pag.* 271. Inter primos Poetas Guidonem reponunt Petrus Franciscus Giambullaris *in Gello pag.* 61. Joannes Georgius Trissinus *in Castellano pag.* 49. Joannes Andreas Gesualdus *cap.*4 *in Triumph. Amoris Francisci Petrarchæ*, Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 1. *pag.* 34. Ioannes Caramuel *in Rhytmica artic.* 8. *pag.* 104. Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap.* 9. §. 5. *pag.* 31. & Benedictus Chiarellus *in monum. Sacris Messanæ pag.* 43. Nicolaus Francus *in Petrachista pag.* 19. inter eos qui ante Petrarcham floruere Guidonem collocat. Sed ex annorum computatione post primos Poetas claruisse incompertum est: ante Guidonis ætatem alios effloruisse Poetas sat certum; Ciullus enim de Camo anno 1197. vixit, ut loco suo diximus *p.*140. alii paulò post claruere: Guido verò claruit anno 1287. ut mox referam. Post primos Poetas effulsisse innuit Cremscimbene *in comment. cit. vol.* 1. *lib.*1. *cap.* 4. *pag.* 11. qui *in addictionibus pag.*403. cum eruditissimo Justo Fontanino *in Aminta desenso pag.* 267. circa annum 1272. floruisse ait. Idemmet Guido in fine historiæ Trojanæ, anno 1287. hanc historiam scripsisse narrat. Sub Nicolao IV. (anno 1288. Pontifex salutatus, usque ad annum 1292. Ecclesiam rexit) vixit, ex Theodoro Engelhusio *in Chronic. pag.* 259. & Joanne Hallervordio *in Biblioth. curiosa pag.* 114. Anno 1287. Guidonem statuunt Vossius *cit.* Gesnerus *in Biblioth. pag.* 297. Hofmannus *in lexic. tom.* 1. *pag.* 721. & Carolus du Fresne *in indice Auctorum ad Glossarium mediæ, & infimæ latinitatis pag.* 106. Ad annum 1282. appingit Petrus Carrera *in histor. Catanæ vol.* 2. *lib.* 2. *pag.* 256. Messanenses Academici Officinæ in epistola ad lectorem historię Trojanæ, Messanæ decessisse scribunt. De Guidone etiam Petrus Bembus *in prosis lib.* 2. Ludovicus Castelvetrus *in addict. ad Bembum*, Leonardus Salviati in libro: *Avvertimenti della lingua*, Celsus Cittadinus in lib. *origine della lingua Toscana*, Frãciscus Redi in lib. *Annotationi al Bacco in Toscana p.* 260. Christoph. Sandius *in notis ad Vossium de histor. latinis pag.*180. & 181. Paulus Manutius *in epistolis vulgar. pag.*122. & citatus Salviati *vol.* 1. *pag.* 152. (apud Fontaninum *cit. pag.* 266.) hic autem inter eos collocat, qui etsi non Etruscos, attamen linguæ cultu, ac puritate, Florentinis Scriptoribus pro gloriæ primatu bellum indixere. Placidus Samperius *in Iconolog. cit. pag.* 34. de nostro Guidone Petrarcham intellexisse putat *cap.* 4. *Triumphi Amoris*, cùm cecinit:

Ecco i due Guidi che già furo in prezzo.

Sed Petrarchæ Expositores de Guidone Cavalcante Florentino, & Guidone Guinizello Bononiense intelligunt. Guidonis nostri vitam scripsit, ediditque Venetiis apud Guerilios 1665. in 4. Antoninus Mirellus, & Mora, ut ex *Bibliotheca Aprosiana* Angelici Aprosii *pag.* 432. liquet, quã diu perquisitam invenire non potui. Scripsit Guido, sive potius è græco transtulit, ac ampliavit Historiam Trojanam Ditis Cretensis, & Daretis Phrygii, instante Matthæo à Porta Archiepiscopo Salernitano. Prodiit hoc titulo:

Historia destructionis Trojæ. Argentorati 1489. in fol. Hujus editionis meminit Beughem in libro: *Incunabula Typographiæ pag.*49. Ioannes Hallervordius *in Biblioth. Curiosa pag.*114. qui addit, hujus historiæ codicem m.s. servari in Bibliotheca Leidensi. Multa etiam alibi servantur m. ss. exemplaria hujus operis, præsertim in Bibliotheca Fratrum Ordinis Prædicatorum in Cœnobio Patavino S. Mariæ Gratiarum, cujus titulus: *Clarissimi Guidonis de Columnis translatio Ditis Cretensis è Græco in Latinum de Historia Trajana*: Codex m. s. cartaceus elegantissimus in fol. ex epistola mihi data Venetiis à Clariss. Viro Apostolo Zeno 7. Julii 1703. Hujus initium est. *Si quotidie vetera recentibus observantur.* Finis verò: *factum est autem præsens opus anno Dominicæ Incarnationis MCCLXX. XVII. ejusdem primæ Indictionis.* Aliud etiam se vidisse testatur idem Zenus in epistola citata, in Bibliotheca Iacobi Grandi medici doctissimi, quod post ejus mortem transiit ad Fridericum Rosgaard Danum. Codicis titulus erat: *De rebus Trojanis*: & in fine hæc legebantur verba: *Explicit liber Trajanorum, qué ego Laurentius de Sapientibus de Cremona filius Domini Oliverii scripsi in Cancellaria Naxeæ Egeopelagii, anno Dominicæ Nativitatis M.CCCCLI. Inditione tertiadecima, die vigesimo primo, Mense Maii.* Incipit liber: *Etsi quotitie vera recentibus observantur*: quæ verba diversè narrantur à Vossio *de historic. latinis p.*491. ex alio exemplari, quod apud se habebat m. s. nempè: *licet cottidie vetera recentibus obviant*. Alia etiam exẽplaria vidit Vossius pręsertim Contabrigiæ in Bibliotheca domus S. Petri: & Oxonii in Bibliotheca Collegii Ballionensis. De alio meminit Io: Philippus Thomasinus *in Biblioth. Venet. m.ss. p.* 111. apud Vinc. Grimanũ Venetiis. Olim aliud asservabat Frãciscus Maurolycus, quod ex inde ad Carolum de Gregorio pervenit, ut Academici Messanenses tradunt in epistola ad lectorem hujus historiæ vulgaris. Aliud demum se vidisse ait Fontaninus *pag.* 267. apud Bernardum de Montfaucon Monach. Congr. S. Mauri. Hanc historiam in Hispanam vertit linguam Petrus Nuñez Delgado Hispanus, ut putat Nicolaus Antonius *in Bibliot. Hispan. tom.* 2. *pag.* 179. prodiit Toleti 1512. in fol. Medinæ typis Francisci de Canto 1587. in fol. Edita est etiam Hispali 1519. in fol. ex Fontanino cit. *pag.*267. qui advertit hanc editionem diversam esse ab alia Latina, & Italica; incipit enim ab exordio Mundi: putat verò Fontaninus, primum illum esse librum, quem instante

te Matthæo de Porta scripsit primùm Guido, & exinde intermisit. Tandem addam hanc Guidonis historiam Theutonicâ linguâ donatam servari in Bibliotheca Cæsarea Viennæ, ex Petro Lãbecio *in commentar. Bibliot. Vindobonensis to. 2. pag.* 948.

Hoc opus Italicè versum habemus, cujus titulus:

Istoria della Guerra di Troja tradotta in lingua volgare. Venetiis apud Antonium de Alexandria Paleæ 1481. in fol. Inde Academicorum Officicinæ Messanensis operâ, è m.s. Codice præclarissimæ Bibliothecæ S. Laurentii, Magni Etruriæ Ducis exscripta, & tanquam si prima esset editio, in lucem edita est Neapoli apud Ægidium Longum 1665. in 4. sed non hæc prima editio, alia enim, ut vides, præcesserat, ab hac secunda parùm, vel nihil diversa, quod advertit oculatissimus Fontaninus loc. cit. *pag.* 267. In dubium hìc revocari potest, an hæc versio sit ejusdem Guidonis: & sanè dictionis elegantia, & scribendi cultus, recentiore sæculum olet. At si Guidonis est, hic inter præstantiores ævi sui scriptores Italos recensendus. Ludovicus Castelvetrus in addictione ad Bembum *de articulis, & verbis*, pluries citat Auctorem traductionis hujus, nempè *pag.* 10. *Appo il Volgarizator di Messer Guido Giudice*, eodem modo *pag.* 20. 28. & 30. iterum *pag.* 37. ait: *secondo il Volgarizator della destruttione di Troja di Guido Giudice.* & ibidem paulò post, iterum eodem modo. Academici dicti *della Crusca*, in Indice Auctorum Vocabularii exhibent: *Volgarizzamento della Guerra Trojana di Guido Giudice delle Colonne di Messina scritto à penna già di Gio: Battista Deti nostro Accademico, ora dell'Accademia*: quò innuũt alium à Guidone diversum hanc traductionem condidisse. At hæc non benè firma opinio Sebastiani Roscii, qui omnium primus illorum Auctorum Catalogum digessit: hic enim nonnullos Auctorum libros ab aliis traductos putavit, ut observat Fontaninus cit. *pag.* 266. qui non sine rationis pondere opinatur, hoc opus vulgare ab eodem Guidone editum, ex Paulo Manutio *in epistolis vulgarib. pag.* 122. & Leonardo Salviato *vol. 1. pag.* 152. ubi inter eos Guidonem collocat, qui etsi non Etrusci, attamen cultiori scribendi genere cũ Florentinis de linguæ primatu decertarũt. Fontanino Bembũ addo *in prosis l. 2.* ait enim: *Et alcuni di quelli ancora, che in versi scrissero, medesimamente scrissero in prosa: sicome fù Guido Giudice di Messina.* Quod intelligendum de hac historia; non enim Italicè Guidonem prosâ aliud scripsisse, præter hanc scimus. Id ipsum putant Crescimbene *in comment. Poes. uulg. vol. 1. c. 1. p. 2.* & Academici Messanenses *in Epistola ad Lectorem*, quorum opinioni libenter adhæreo. In hac historia Dictym Cretensem, & Daretem Phrygium de Bello Trojano instauravit, ac scholiis illustravit, ex Gesnero *in Bibliotb. pag.* 297. Barthius verò *in Claudianum pag.* 774. omnia ab iisdem exscripsisse ait: ac ex eodem Columna, qui scriptionis suæ rationem in præfatione exponit, colligimus, Dictym, & Daretem hoc argumentum tractasse; sed quia multa prætermisere, quæ legentium animos allicere poterant; ideoque Guido eumdem argumentum fusius exponendum putavit: quod Matthæi de Porta Archiepiscopi Salernitani precibus aggressus est.

Edidit etiam Italicè

Rime. Nonnulla edidit Leo Allatius in libro Poetarum Antiquorum. Neapoli typis Sebastiani de Alecce 1661. in 8. *à pag.* 421.

Canzone di Messer Guido delle Colonne. edita est in libro: *Sonetti, e Canzoni di diversi antichi Autori Toscani.* Florentiæ apud hæredes Philippi Juntæ 1527. in 8. *à pag.* 111. hanc citat Dantes *de vulgari eloquentia lib. 2. cap.* 5. Ioannes Georgius Trissinus *in Poetica pag.* 24. & 36. & Antonius Minturnus *in Poetica lib. 3. pag.* 211. 219. & alibi.

Aliam tacito nomine citat Dantes cit. *lib. 1. cap.* 12. cujus initium:

Ancorche l'aigua per lo foco lassi,

quæ nostri Guidonis esse scribit Trissinus loc. cit. *pag.* 31. qui & aliam citat *pag.* 51.

Scripsit tandem Guido

Chronicon Magnum lib. XXXVI. ex Gesnero, Vossio, & Hofmanno cit.

Historiam de Regibus, & rebus Angliæ. ex iisdem: addit Vossius: quòd hoc opus inter ea est, è quibus suam hausit historiam Robertus Fabrianus Anglus.

GUTTERRAS DELLA UALLE Panormitanus, Vallis Aureæ Baro; vir generis nobilitate præclarus, ab Urbe Roma inclytam originem trahens, Panormi natus est anno 1648. studiisq; addictus, egregias ingenii dotes non sine laude patefecit. Militarem Architecturam insigniter callet. Amœniores literas, genio obtemperans, ad sui ornamentum coluit: & vberrima eruditione abundè locupletatus, ubique semper effulsit: Musis gratissimus, Etruscis numeris multa ornatissimè cecinit, magno cùm literatorum plausu; Italiam, Galliam, aliasque Provincias perlustravit, ubi literatos, doctosque viros novit, eisdem & ipse à literis notus, facili negotio, in sui amicitiam, ac venerationem traxit. In Panormitana Reaccensorum Academia, & Romana Infœcundorum recensitus, æstimationem promeruit non vulgarem. Vivit vir eximius dum hæc scribimus anno 1707. ingenio, & eruditione, morum comitate, aliisque elegantissimis animi ornamentis insignis. Ipsum laudat Balthassar Pisanus *in Armoniis Ferialibus pag.* 85. Iuvenili ætate adhuc florente, edidit Italicè

Osservazioni all'Està, o vero alla Lontananza, Egloga seconda del Battillo di D. Gio: Battista del Giudice. Panormi apud Petrum Coppolam 1686. in 12.

L'Isabella, o vero il Principe Ermafrodito. Drama per Musica. Ibidem typis Iacobi Epiro 1685. in 12. suppresso ejus nomine.

In lucem etiam emisit eodem modo nonnullos, Dialogos Poeticos, musicis modulis decantãdos, nempè:

La Superbia abbattuta da Giuditta Trionfante, simbolo della colpa atterrata dalla gran Vergine Madre di Dio. Dialogo. Panormi apud D. Cellenium

Esperium 1685. in 4. & Messanæ apud Vincentium de Amico 1686. in 4. At cùm nescio quis aliqua eidem objecisset, edidit

Lettera Apologetica dirizzata ad un Amico dell'Autore della Giuditta, Dialogo che si cantò nell'Oratorio della Santiss. Annunziata, Congregazione de' Nobili del Giesù di Palermo l'anno 1685. Panormi apud eumdem Cillenium 1685. in 4.

Gli Applausi felici d'una Vittoria Celeste, Dialogo per la solenne Professione della Signora Suor Domenica Felice Bologna nel Monastero di S. Catarina delle Donne di questa Città di Palermo. Romæ apud Michaelem Angelum Tinassi 1686. in 4.

I Trionfi di Cristo liberatore della Natura Umana, adombrati nelle vittorie di Davide contra l'Amalaciti. Dialogo. Neapoli apud Antoninum Gramignanum 1690. in 4.

Il Pastor Trionfăte, o vero Davide vincitor di Golia, Dialogo. Ibidē apud Hyacinthū Pittantē 1694. in 4.

La Sapienza nelle Capanne, ò vero I Pastori addottrinati dall' Angelo. Oratorio da cantarsi nella Congregazione de' Nobili, sotto titolo della SS. Annunziata, nella Casa Professa de' RR. PP. della Compagnia di Giesú, per la Spositione del SS. Sacramento, nel triduo del S. Natale. Panormi typis Dominici Cortesii 1706. in 4.

In laudem Mulierum Nobilium Parisiensium nonnulla etiam edidit Poetica ingenii monumenta anno 1688.

Prælo paravit

Ideam arguti Epigrammatis ex CCC. Auctoribus concinnatam, opus à D. Carolo Basilotta Barone S. Andreæ ejus Avunculo inceptum, à nostro Gutterra numeris omnibus absolutum. Italicè

Poesie Toscane Tomi due.


Cantate.

Poesie in lode dell'Augustissima Maestà di Ludovico XIV. Re di Francia.

Compendio dell' Arte, e Architettura Militare.

Osservazioni sopra quattro centurie di Canzoni Siciliane di Antonio Veneziano, cominciate da D. Carlo Basilotta suo zio, e da esso perfezionate.

H



HELENUS Syracusanus Chiromantes, ac vaticinator: quo vixerit tēpore, incertum. Teste Suida *tom. 1. pag.* 875. scripsit

Divinationem ex manuum observatione, quomodo ex expansione palmæ manuum, & ex ipsarum rugis, lineis, atque fissuris dicere possumus, hic, vel ille liberos procreabit, aut aliquid huiusmodi faciet. Hujus etiam meminit Martinus del Rio *in disq. magic. lib. 4. cap. 3. quæst. 5. pag.* 647. & Bonannus *in Syracus. illustr. lib. 2. pag.* 332.

HELIANACTES Himerensis, celeberrimi Poetæ Stesichori frater, doctus, ac egregius Legumlator. Scripsit

Leges saluberrimas, ex Suida *tom. 2. pag.* 804. Lilio Gregorio Gyraldo *de Poet. histor. dial. 9. pag.* 197. Goltzio *in histor. post. Siciliæ pag.* 90. & Constantino Lascari apud Maurolycum *in histor. Sicil. lib. 1. pag.* 22. qui Halianactem vocat. Hinc in fronte Codicis legum Sicularum (qui Regni Pragmaticas complectitur) editi Panormi anno 1637. Helianactis imago conspicitur, cū aliis legumlatoribus, hac adjecta epigraphe: Helianactes Himerensis legumlator. Eodem vixit tempore, quo Stesichorus.

HELIODORUS SCRIGUS Drepanitanus Ordinis Carmelitarum, Sacræ Theologiæ Magister, Doctissimus: tum in scholastica, tum morali doctrina versatissimus fuit. Graviores disciplinas Regentis munere docuit. Sacrâ eloquentiâ claruit; ideoque magna cum laude conciones habuit in quadragesimali curriculo Panormi annis 1598. 1605. & 1613. A Magno etiam Etruriæ Duce anno 1606. Florentiam accersitus est, ut ibi cōciones haberet in cinerali jejunio. Præfuit Cœnobio Drepanitano. Provinciam Siculam S. Alberti rexit, & tandem Panormi 14. Novembris 1613. in Cœnobio S. Nicolai de Bononiis interfectus est, ac sine funeris pompa in eodem Cœnobio sepultus. De eo Leonardus Orlandinus *in descript. Drepani pag.* 51. Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 550. & Petrus Cannizzarus *in m. s. de Religione Panor. pag.* 90. Edidit Italicè

Oratione Funerale nell' Esequie della Maestà Cattolica del Re Filippo II. d' Austria. Panormi apud Ioannem Baptistam Maringum 1599. in 4.

HENRICUS DE MEDICIS Catanensis, Iuris utriusque Doctor celebris, qui ab eximia doctrina apprimè commendatus, Judicem Magnæ Regiæ Curiæ semel, & iterum egit, anno 1537. & 1548. ac Regii Cōsiliarii titulo insignitus effulsit. Obiit 14. Februarii 1549. De eo Joannes Bapt. de Grossis *in decord. Catan. tom. 2. cord. 9. pag.* 147. & in opusculo *de script. Catanensib. m. s.* Franciscus Milanensis *decis. lib. 2. decis. 2. num. 24. & decis.* 12. ubi *à num. 6.* aliqua ipsius exscribit verba. Hujus extant

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmaticam de censibus, Annotationes. apud Petrum de Gregorio *de censibus.* Panormi typis Joannis Antonii de Franciscis 1609. in 4. & iterum apud Franciscum Ciottum 1622. in fol.

HENRICUS REX SICILIÆ, ex Friderico II. Imperatore, & Siciliæ Rege, & Constantia Alphonsi

phonsi Aragonum Regis filia; natus Panormi anno 1210. teste Augustino Inveges *in Panorm. Nobil.pag.*529. triennis Regiâ Siciliæ Coronâ Panormi insignitus est anno 1212. ex Roccho Pirro *in Chronolog.Regum Siciliæ pag.*44. & Inveges cit. *pag.* 534. hujus etiam coronationis meminit Hieronymus Surita *in Indice rerum Aragonens.lib.* 1. *pag.* 103. Anno verò 1222. Fridericus coactis Herbipoli comitiis, Henricum Imperii consortem delegit, & Aquisgrani diademate ornari fecit, ut tradit Fazellus *dec.*2. *lib.*8. *cap.*2. *pag.*476. quem sequitur Pirrus loc.cit. & Inveges *pag.* 549. Exinde Ducis Austriæ filiam uxorem duxit anno 1225. ex Richardo à Santo Germano *in chron.* apud Vghellum *tom.* 3. *Italiæ sacræ*, & Inveges cit: *pag.* 556. vel 1222. ex Bzovio, vel 1223. ex Conrado Vespergense, & Auberto Miræo *in chron.* Dum autem Germaniam gubernaret Henricus, Friderico alibi bellum agente, conspirationem in patrem excitare curavit, anno 1234. ut Alemaniæ Regnum sibi occuparet, teste Richardo apud Vghellum *pag.*1024. Æmilio Viguerio, Matthæo Parisio, Gordonio, & Sigonio *in histor. & chron.* ad hunc annum. Conspirationis rumor cùm ad Friderici aures pervenisset, ipsius animum indignatione commovit: ideoque tanquam læsæ Maestatis reum, publico judicio damnavit: & in Apuliam catenis vinctum misit: mox in teterrimum carcerem apud Marturanum Calabriæ oppidum detrusum, tenuissimo victu absumptum, inediâ, ac pudore mori coegit: ut tradunt Bzovius *tom.* 13. *an.* 1236. *num.* 5. Fazellus cit. *pag.* 478. aliique. Obiit Henricus anno 1242. mense Februarii ex Richardo cit.*pag.* 1038. Ejus corpus Cosentiam delatum, in æde majore conditum fuit, ex citato Fazello. At pro Henrici exequiis literas scripsit Fridericus ad omnes Regni Præsules, quas exhibet Richardus loc. cit. & Inveges *pag.* 604. extant, & in epistolis Petri de Vineis Friderici Cancellarii *lib.*4.*epist.* 1.*pag.*527. Præter auctores citatos de Henrico plura historici, qui illius temporis gesta tradidere. Literas apprimè coluisse Henricum incompertum est: & inter antiquiores Poetas Italos recensendus; prout recensuit Joannes Maria Amatus *in notis ad orat.* 1. *pro studiis Collegii Panormitani num.* 134. *pag.* 120. scripsit etenim Italicè

Rime. Leo Allatius in Catalogo Poetarum, quē suo de Poetis antiquis libro præfixit, quorum poetica monumenta m. ss. servantur Romæ in Bibliotheca Vaticana, Ghisiana, & Barberina, *pag.*48. nostrum Henricum collocat: ideoque in his Bibliothecis Henrici carmina asservari non dubitamus. Præclarissimus vir Apostolus Zenus in epistola data Venetiis 25. Novembris 1702. me monuit, inter nonnulla antiquorum Poetarū carmina, *cantionem* quamdam nostri Henrici invenisse, cujus exordium hìc exscribere non gravabor, ut in rudi carminum genere, Italicæ linguæ, & Poesis pueritiam agnoscas: ait enim:

S'eo avessi temanza,
Che à voi donna, splagere
Potesse la mia amanza.

HENRICUS TESTA Leontinus, Notarii munere functus est: quo ejus nobilitas obsignatur; tunc enim floruit, cùm nonnisi nobiles ad hoc ministerium vocabantur. Claruit sub Friderico II. Imperatore, qui eximiam ipsius dexteritatem in difficillimis negotiis adhibuit, ut ex Richardo à S. Germano *in Chronica* apud Ughellum *tom.* 3. *Italiæ Sacræ*, deducimus. Ranuccius Picus *in Catalogo Doctorum Parmensium pag.* 5. scribit, hunc Henricum anno 1248. dum Imperatoris nomine Parmam moderabatur, à Parmensibus obtruncatum eo in conflictu, cùm obsidionem solventes, Friderici Imperatoris exercitum profligarunt. Verba Pici, quia ejus codex inter nos rarus, hìc exscribo: en illa: *Gioseffo Testa. Questa famiglia s' allignò già molti anni in Parma, & in essa sono fioriti diversi soggetti di molta riputazione, e stima in varie professioni, e tra gli altri quell' Enrico Testa, che fù Podestà di Parma per l'Imperio, mentre era strettamente assediata da Federico II. Imperatore, e che fù uccisò da Parmeggiani nella gloriosa sortita, che fecero contro l' esercito Imperiale, dandole quella memorabile rotta, che seguì nell'anno 1248. con liberarsi felicemente dall'assedio, sì come raccontano gli Storici di quel tempo.* Doctrinâ, literisque refulsit, ac unus ex antiquioribus fuit Poetis, qui Italicis numeris cecinit. Ipsius meminit Joannes Marius Crescimbene *in histor.Poesis Vulgaris lib.*4.*pa.*255. Scripsit Italicè

Rime. Aliqua ipsius carmina extant apud Leonem Allatium in Poetis antiquis editis Neapoli apud Sebastianum de Alecce 1661. in 8. *à p.*417. quæ exscribit laudatus Crescimbene *in Comment. Poesis Vulgaris vol.*1. *lib.*2. *cap.* 6. *pag.* 46.

HERACLIDES Syracusanus, antiquus, sed incertæ ætatis scriptor. Hujus meminit Athenæus *lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 58. qui scripsisse testatur opus, cui titulus:

Opsartyticus, idest, ut exponit Iacobus Dalecampius *in Annotationibus pag.*714. De Opsoniorum condimentis. Hanc Heraclidis lucubrationēm pluries citat idem Athenæus, nempè *lib.* 3. *cap.* 24. *pag.* 105. *cap.* 30. *pag.* 114. *lib.* 7. *cap.* 24. *pag.* 328. & *lib.* 14. *cap.* 23. *pag.* 661. De Heraclide etiam Gesnerus *in Biblioth. pag.* 335. & Iacobus Bonannus *in Syracus. Illustrata lib.* 2. *pag.* 345.

HERACLIDES alter Syracusanus, antiquus & ipse scriptor, ex eodem Athenæo *lib.* 12. *cap.* 13. *pag.* 516. qui de utroque Heraclide Syracusano scribens, ait: *verba fuerunt, qui de condiendis obsoniis scripserunt Glaucus Locrensis, Mithæcus, Dionysius, Heraclidæ duo Syracusii.* Scripsit ideoque ex Athenæo, & Bonanno cit. *pag.* 345. librum

De condiendis obsoniis.

Horum Syracusanorum unum citat Julius Pollux *in Onomast. lib.* 6. *cap.* 10. *pag.* 287. ubi de ciborum condimentis agit. Scripsit etiam Heraclides Syracusanus ex Athenæo *lib.* 14. *cap.* 14. *pag.* 647. & Gesnero cit. opus

De vetustis, & sancitis moribus. Sed an primo, an secundo adscribendum, in obscuro est, dum conjecturæ pro aliquo non elucent: quod & observa-

servavit Bonannus cit. qui *pag.* 331. ex Eutocio Ascalanita *in comm. Archimedis ait*, Heraclidem Archimedis vitã scripsisse: at si fuerit unus ex supradictis, an verò Heraclides Lembus subdubitat. Vossius *de hist. Græcis lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 45. & Joannes Meursius *in notis ad Chalcidium*, Heraclidi Pontico Speusippi, & Aristotelis Auditori adscribunt: at id negat Joannes Jonsius *in hist. Philosophica lib.* 2. *cap.* 11. apud Joannem Mollerum *de Scriptoribus Homonymis cap.* 3. §. 30. *pag.* 309. rectè etenim observat, illius ævo Archimedem haud paulò juniorem fuisse, ac olymp. 143. interfectum: ideoque hanc vitam Heraclidem Lembum scripsisse putat, qui Ptolomæi VI. sive Philomatoris ætate, circa olymp. 150. vixit.

HERMODORUS Siculus Philosophus Platonis Discipulus, cui vitio datum est, quod quæstui Philosophiam habuerit. Philosophicam enim facultatem à Platone acceptam, & in Siciliam apportatam vendebat, ut Coloniarum liber à Volaterrano editus narrat; quem sequitur Josias Simlerus *in epitom. Biblioth. Gesneri pag.* 75. idem Gesnerus *in Biblioth. pag.* 341. & Carolus Stephanus *in diction. pag.* 1038. Hic autem addit, ex eo natum proverbium: *Verba importat Hermodorus*, cujus meminit Paulus Manutius *in Adagiis p.* 944. qui ait, quòd Platonis Commentaria ab ipso conscripta in Siciliam asportare, ac pecuniâ distrahere consueverit. Hinc inter Siculos exortum proverbium: Hermodorus pro mercibus verba importat: additque Hermodori hujus, & adagii meminisse Ciceronem *epist. lib.* 13. *ad Atticum*. Teste Leonardo Cozzando *de Magisterio Antiquorum Philosophorum lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 42. & 43. scripsit

Vitam Platonis, quam citat Laertius *lib.* 3. *in vita Platonis*.

HERODICUS Leontinus Medicus insignis, Gorgiæ celeberrimi Oratoris Frater, ex Suida *tom.* 1. *pag.* 620. Lascari apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. & Goltzio *in hist. post. Siciliæ pag.* 92. A medica arte apud veteres celebratus, non inglorius vixit. Hippocratis medici egregii, Socratis, aliorumque Philosophorum Præceptorem fuisse, ait Carolus Antonius Conversanus *in Ætherea Leontinorum gloria pag.* 9. Sanè in Hippocratis vita legimus, hunc, Gorgiam Leontinum, & Herodicum audivisse: at Andreas Tiraquellus *de nobilitate cap.* 31. *pag.* 191. Gorgiæ Leontini, & Herodici Selybriani discipulum fuisse tradit, non Herodici Leontini. De Herodico etiã Plato *in Gorgia, & l.* 3. *Reipub.* & Philadelphus Maurus *in hist. SS. Alphii, Philadelphi, & Cirini lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 71. Scripsit

De rebus Medicis.

De Arte Gymnastica, ex Conversano cit.

HICETAS ab aliis NICETA, ICETA, JACETA, ET NICEA dictus, Syracusanus Philosophus, doctrinâ insigniter cumulatus claruit. Cicero *quæst. Academic. lib.* 2. & Laertius *lib.* 8. *in vita Philolai* Hicetam docuisse, scribunt, Cœlum, Solem, Stellas, & quidquid superior orbis complectitur non moveri, terram verò circumvolvi. Præter Hicetam, & Philolaum hanc sententiam docuit Pythagoras, sed utrumque Pythagorâ posteriorem fuisse tradit Vossius *de scientiis Mathemat. cap.* 33. §. 8. *pag.* 157. qui eruditè advertit, quòd de hoc orbiculari terræ motu eamdem opinionem alii ex antiquis tradidere, nempè Seleucus, Cleantes Samius, Leucippus, Ecphantus, Heraclides Ponticus, & Plato. Sed omnium primum hanc docuisse nostrum Hicetam, *in additionibus ad Siciliam Inventricem D. Vincentii Auriæ cap.* 14. *pag.* 233. pluribus firmavi cum Georgio Polacco *in Anticopernico Catholico*, qui ait: *Nonnulli tum veteres, tum recentiores terram moveri existimarunt. Ex veteribus primus Nicetas Syracusanus* (*teste* Cicer. *prim. quæst. Academ.*) *terram moveri sensit, cujus postea sententiam secuti sunt* (*teste Plutar. de Placit. Philosoph.*) *Heraclides Ponticus, & Ecphanta Pythagoricus*. Et rectè, nam etsi alii hanc opinionem tradiderint, omnes post Hicetam vixisse proditum est. Philolaus enim ante Aristarchum claruit: hic enim Philolai sententiam sequutus est ex Vossio *loc. cit.* hinc Hicetas utrumque præcessit; Laertius enim in vita Philolai ait, Hicetam ante Philolaum claruisse. In æquivocationem incidisse Vossium cit. *cap.* 33. §. 8. *pag.* 150. puto, ubi prodit, quòd inter Pythagoræ dogmata, hæc sententia fuit, terram moveri, itare Solem, & Cœlum; additque Philolaum, & Hicetam eamdem voluisse: *sed uterque est Pythagorâ posterior*: hanc enim opinionem non Pythagoras, sed aliqui ex Pythagoricis amplexi sunt: nullus etenim qui Pythagoræ sententias protulit, de hac opinione meminit: non Laertius *in ejus vita*, non Abrahamus Gravius *in histor. Philosophica lib.* 2. non alius qui de Pythagoræ sententiis scripsit. Pythagoricos verò, non Pythagoram hanc docuisse tradunt Aristoteles *de Cœlo lib.* 2. *cap.* 13. & 14. Plutarchus *in Numa*, Ioannes Caramuel *in Mathesi nova Syntag.* 10. *par.* 1. *de Astronomia spherica abr.* 2. *pag.* 1391. Antonius Godin *Philosoph. tom.* 3. *quæst.* 3. *art.* 1. & idemmet Vossius *de Philosophorum sectis cap.* 6. §. 41. *pag.* 43. Hujus opinionis nostri Hicetæ etiam meminere Petrus Victorius *var. lect. lib.* 22. *cap.* 3. *pag.* 358. Iustus Lipsius *in Phytiologia Stoicorum lib.* 2. *cap.* 19. Petrus Gregorius Tolosanus *Syntag. artis mirabilis lib.* 35. *cap.* 46. Conimbricenses *de Cœlo lib.* 2. *quæst.* 5. *art.* 1. Fazellus *dec.* 1. *de reb. Siculis lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 102. Bonannus *Syrac. Illustr. lib.* 2. *pag.* 332. aliique. Sed hanc sententiam à Nicolao Copernico in scholas revocatam, & à Galilæo Galilæi propugnatam, meritò à Sacra Romana Inquisitione damnatam scimus, jussu Pauli V. & Urbani VIII. 5. Martii 1616. & 22. Iunii 1633. nam contra sacras literas apertissimè pugnat. Hicetam Syracusium in Catalogo auctorũ suæ mytologiæ Natalis Comes recenset. Alia Hicetæ memorabilia vetusta ætas obliteravit; ideoque nec ea, quæ scripsit innotescunt, nec tempus quo signanter claruit. De eo præter citatos auctores mentionem habent Lascaris apud Maurolycum *in hist. Sicil. pag.* 21. & Goltzius *in hist. post. Sicil. pag.* 86.

HIE-

HIERON Primus, sive senior Syracusanus Tyrannus lucis usuram accepit Syracusis. Patrem habuit Dinomenem, ac fratrem Gelonem Syracusanum. Cùm autem hic Syracusas in sui ditionem redegisset, Gelæ Urbi Hieronem fratrem præfecit, ut testantur Herodotus *lib.* 7. aliique ex nostris Siculæ historiæ Scriptoribus: quod anno primo olymp. 74. accidisse scribit Bonannus *in Syracus. illustr. lib.* 2. *pag.* 347. ex Diodoro Siculo, contra Pausaniam, qui *lib.* 6. *in descrip. Græciæ* an. 2. olymp. 72. evenisse tradit. Cùm autem Gelo ad mortem properasset Syracusarum Imperium nostro Hieroni reliquit an. 3. olymp. 75. teste Diodoro *lib.* 11. & Eusebio *in Chronic.* ante Christum natum an. 478. teste Jo: Bapt. Ricciolio *in chron. reform. to.* 4. *ind.* 1. *pag.* 176. In ipso dominationis exordio depravatos mores patefecit; avaritiâ enim, ac sævitiâ se ipsum fœdavit; ac omni humanitate, ac bonarum artium studio se alienum ostendit, ex eodem Diodoro cit. & Plutarcho, sed cùm in gravem, ac diuturnum calculi morbum incidisset; sanitatem, ac mores simul immutavit; accersitis enim viris doctrinâ ornatissimis, præsertim Simonide, Pindaro, ac Bacchilide, horum colloquiis, ac consuetudine, dejecta naturæ ruditate, suavissimos mores induit. Magnificentiâ, ac liberalitate claruit; literisque eâ animi contentione operam dedit, ut omnes ævi sui sapientes superaverit, quod ex Æliano *var. hist. lib.* 4. *cap.* 15. *lib.* 9. *cap.* 1. *lib.* 12. *cap.* 26. Atheneo. *lib.* 14. *cap.* 21. *pag.* 656. Plutarcho, Celio Rhodigino *lect. antiq. lib.* 19. *cap.* 28. aliisq: colligimus. In bellorum æstu magnam felicitatem expertus, Catanam, Naxum, & Leontinum subegit: & cùm Catanæ conditor haberi vellet, deleto Catanæ nomine, hanc urbem Ætnã vocari præcepit, & se Ætneum appellari demandavit, ut scribit Diodorus *loc. cit.* & Strabo *lib.* 6. ideoque ipsum Pindarus *in olympicis, & pythiis* Ætneum vocat: Ex eodem Diodoro citato habemus, quòd etiam de Tirenis, Carthaginensibus, Anasila Regii, Messanæque tyranno, & Trasideo Agrigentinorum etiam tyranno triumphavit. Cùm autem Syracusanorum conspirationes pertimesceret, exploratores emittebat, qui civium colloquia observarent, ut ait Aristoteles *lib.* 5. *polit. cap.* 12. immò & Hermogenes *in compendio Rhetoricæ*, & Fazellus *dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 96. scribunt. Syracusanis mutua colloquia interdixisse: præcepitque ut si quæ essent communicanda, ea pedum nutuum, oculorumque nutibus indicarent: ex quo saltatio, ac gesticulatio primùm apud Syracusanos orta est. Nil ipsi jucundius quam equos alere, ut in olympicis ludis decertarent: hinc tertiùm in iis victoriæ palmam obtinuit; quadrigis semel, bis celete: ideoq; Pindarus Heronis triũphum cecinit *in olympicis od.* 1. *& in pythiis od.* 1. 2. & 3. Ad perennem harum victoriarum famã, aliqua sunt cusa numismata, quæ apud Philippum Parutam *in Sicilia numismatibus illustrata* habes *pag.* 92. & 93. ea Mirabella explanat *in Syracus. par.* 2. *pag.* 72. & 78. & ex ipso Marcus Maer *in explicat. numis. Parutæ pag.* 67. & 68. Post ultimam olympicam victoriam Syracusas remeans, inde Catanam adiit, ubi in morbum dilapsus, obiit an. 3. olymp. 79. postquam regnasset annos 11. mens. 8. ex Diodoro cit. Ex Aristotele verò *lib.* 5. *polit.* annos 10. Marianus Valguarnera *in antiq. Panorm. pag.* 64. an. 2. olymp. 78. defunctum ait, ante Christi Domini nativitatem an. 465. ex Joan. Bapt. Ricciolio *in chron. cit. tom* 4. *pag.* 176. ann. 467. Funus ingenti magnificentiâ celebratum, ac si verè fuisset Catanæ conditor, ut habet Diodorus *lib.* 11. Quæ verò Hieron moriẽs Jovi Olympico voverat, Dinomenes filius statim explere curavit: currum enim æneum effecit ab equitibus vectum, cui vir insedebat, hac adjecta inscriptione apud Pausaniam *in descript. Græc. lib.* 8.

Jupiter, Elæo rediit qui à pulvere victor,
Quadrigaque semel injuge bis, & equo,
Voverat hæc Hieron; natus monimenta parentis
Dinomenes posuit clara Syracosii.

Quamvis autem Mirabella *Syracus. antiq. pag.* 50. scribat, currum Jovi Olympico, Syracusis venerato obtulisse, attamen ex ipsa inscriptione, & à Pausania *cit. lib.* 6. in tẽplo Jovis in Græcia exhibitum colligimus: additque Pausanias Dinomenem duas etiam Hieronis statuas excitasse apud Olympiam, equestrem unam, aliam pedestrem: qui etiam ait, duas à Syracusanis in Hieronis memoriam statuas publicè constitutas; unã à filiis. Sepulchrum etiam Dinomenes defuncto patri regiâ magnificentiâ Catanæ exstruxit, cujus reliquiç in vinea Hieronymi Portuso demirabantur, teste Carrera *volum.* 2. *hist. Catan. lib.* 4. *pag.* 411. & Jo: Bapt: de Grossis *in decac. Catan. tom.* 2. *cord.* 6. *mod.* 9. *pag.* 37. qui perperam Fazellum citant, hic enim de sepulchri ruderibus haud scripsit. Hinc Mirabellæ lapsum agnoscimus, qui *in antiq. Syrac. par. p. pag.* 50. ait Dinomenem Hieronis cadaver Syracusas transtulisse, ibiq: sepulchrum excitasse unà cum supra relata inscriptione. Fazellus enim ab ipso citatus haud Syracusis erectum scribit, ut contra Mirabella affirmat Bonannus *Syrac. ill. lib.* 1: *pag.* 244. Carrera *cit. vol.* 1. *l.* 4. *pag.* 410. & 411. & de Grossis loc. cit. Sed parcendum Mirabellæ; ipsum enim decepit Fazelli interpres; nam ubi Fazellus ait *pag.* 266. *Filius autem dicavit Dinomenes Syracusani patris monumentum*, Remigius Florentinus perperam vertit italicè: *fece il detto Dinomene il sepolcro del Padre in Siracusa.* Sed Catanæ fuisse hoc Hieronis sepulchrum clarè ex eodem Fazello habemus *dec.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 64. & *dec.* 2. *lib.* 1. *c.* 4. *pag.* 267. Goltzio *in hist. post. Sicil. p.* 64. & Strabone *lib.* 6. Catanenses enim à Hierone Leontinum translati, ipso defuncto, Catanam regressi, expulsâ coloniâ, ibi à tyranno constitutâ, ejus sepulchrum solo æquarunt. Multa alia Hieronis, brevitati consulens, prætermitto: sed de ejus doctrina addam aliqua. Vir fuit doctissimus, & non modò literis addictus, verùm etiam & literatorum studiosissimus. Hinc Ælianus *lib.* 9. *de var. hist. cap.* 1. Græcorum doctissimum vocat, ac familiares ipsi fuisse Pindarum, & Simonidem testatur:

statur: quibus addit Bonannus *cit. p.* 335. Æschylum, Bacchilidem, Epicharmum, aliosque, in quos munificentiam effudit suam. Immò, ut Columella ait *lib.* 1. *de re rustica cap.* 1. Epicharmus Hieronis fuit discipulus: quòd in rebus ad agri cultum spectantibus intelligendum opinatur Bonannus *cit. pag.* 265. qui & rectè deducit acutissimo ingenio exornatum claruisse; nam Gyraldus *dial.* 9. *de Poetar. hist. pag.* 343. ex Pindari Interpretibus tradit, quòd Hieron Pindari carminibus Bacchilidis versus præferebat: hinc dum de eximiis hisce Poetis sententiā proferebat, fatendum, præstantissimo instructum ingenio effloruisse. Musices studiosus, Musicos omnes mirâ liberalitate complectebatur, ex Lascari apud Mauroiycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 19. Egregiis laudibus à nonnullis exornatur. Pindarus, Regem in cives benignum, Advenarum Patrem, & non invidum vocat: multaque in ejus laudem scripsit, præter ea, quæ in editis carminibus legimus ut Græci Scholiastes *in Pindari vita* testantur. Xenophon opus etiam elaboravit inscriptum: *Hieron, sive de Regno*, in quo Hieronem cum Simonide colloquentem introducit, multaque ejus gravissima dicta recenset. Aliquas etiam ipsius sententias leges apud Plutarchum *in apophr.* Scripsit Hieron ex Varrone *de re rustica lib.* 1. *cap.* 1. Columella *de re rustica lib.* 1. *cap.* 1. Andreâ Tiraquello *de nobilitate cap.* 32. *pag.* 375. & Bonanno cit. *pag.* 334. librum

De Agricultura. Plinius inter eos collocat Auctores, ex quibus libros 8. 15. 17. & 18. excerpsit, qui de animalibus, de arboribus, & agricultura pertractant. De eo etiam *lib.* 18. *cap.* 13. Hieronem illum, qui *libros xx. de rebus villicis* scripsit, alium à nostro Hierone fuisse existimat Bonannus cit. *pag.* 336. Scripsit etiam

Leges tum Laconicas, tum Doricas, quas Catanæ Urbi dedit, ex Fazello *dec.* 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 264. *Legem* etiam scripsit *de rerum venditione*, teste Cicerone *lib.* 5. *in Verrem*, quam mirificè Tullius laudat, & acatam, ut à Siculo editam celebrat.

Paschalis Gallus *in Biblioth. Medica pag.* 130. ait: quòd Hieron quædam in Chirurgia reperit ex Celso *lib.* 7. sed an de nostro intelligendum, incertum est. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 344. hunc Hieronem à Hierone Rege distinctum exhibet: sed hoc Gesneri vitium est, qui passim Auctores multiplicat. Ex Hieronis, & Archimedis genere S. Luciam Syracusanam Virginitatis, & Martyrii gloriâ præclarissimam descendisse, testes sunt Rivaltus *in vita Archimedis*, Jo: Baptista Ricciolius *in Chronolog. tom.* 4. *indic.* 2. *pag.* 256. *& in Chron. Mathemath. par.* 2. *ante Almagestum pag.* 30. & Marianus Perrellus *in vita S. Luciæ pag.* 3.

HIERONYMUS DE ANGELIS Ennensis Societatis Jesu, natus anno 1567. cùm annum ageret 18. Panormum se contulit, ut Jurisprudentiæ studiis operam daret: sed animarum zelo æstuans, anno 1585. Societatem amplexus est; ac magno animi ardore petiit, ut in Indicam Missionem mitteretur. Decurso decennio tandem obtinuit, ut in Japoniam penetraret. Hinc cum Ven. P. Carolo Spinola 10. Aprilis 1596. ab Ulyssiponæ portu solvens, post longam biennii navigationem, laboribus, ac innumeris refertam incommodis, à ventorum vi in Brasiliensem plagam rejectus; inde à pyratis in Angliam tractus, post unius noctis carcerem, ut Lusitaniam repeteret coactus est. Sacerdotio initiatus, cùm novos Sancti Spiritus ignes concepisset, navigationem resumpsit; ac tandem exoptatam diu Japoniam ingressus est anno 1602. Ibi statim ac illius gentis linguam calluit, in animarum salute promovenda fervoris habenas laxavit. Hinc vel in convertendis ad Catholicam Fidem Gentibus, vel in firmandis, ac formandis neophytis, indefesso labore desudavit: detexitque sua, quibus exardescebat, apostolica incendia: ideoque etsi anno 1614. ab illis Provinciis unà cum sociis expulsus, attamen ex Superiorum facultate, acceptâ Japonicâ veste, & neglecto mortis periculo, clam ibi remansit. Inter innumera vitæ discrimina numquam labores remisit: & ut omnibus prodesset, ubique intrepidè, fervidèque excurrebat. Pluries vastissima Japoniæ regna perlustravit. Firmissimo animi robore immensa voravit incommoda. Incredibile penè videtur quot ærumnas, quot labores infractâ animi constantiâ exantlatos pertulerit: adeo ut nullus unquā socius invētus sit, qui diu ejus labores exæquaret. Difficillima aggressus, omnium primus catholicæ fidei lumen multas in regiones intulit, quas Evangelii præcones non dum attigerant: in amplissimas enim Provincias Findandorum, Cagnicasum, Mongami, Nambru, Sungara; & in Regna Yechigo, Deva, Sango, Masumai, seu Yezo extra Japoniæ fines transiit: ibique ejus operâ primùm fidei lumē effulsit. Ipse etiam primus, propè inaccessis itinerum periculis superatis, Christi fideles Meaco, Ozaca, & Facoso exilio pulsos, in extremas Japoniæ plagas visitavit, ac spiritus solatio affecit. In Camensi Regno vix centum veræ fidei cultores invenit: ipse vero brevi tēporis lapsu supra decem millia ad evangelicam veritatem traduxit; ac sacris baptismatis aquis abluit: eaque perpetravit solus, quæ ad centum operarios defaticandos satessent. Demum anno 1623. recrudescente in Christianos Xoguni Imperatoris sævitiâ, ac præsertim in Evangelii Ministros, eorumdemque hospites, noster Hieronymus cùm omne desperasset effugium, ut hospitem suum liberaret, Japonicam vestem, quâ diu delituerat rejecit, ac resumpto Societatis habitu, sponte Gubernatori se obtulit: ideoq: post nonnullas artissimi carceris ærumnas, tandem ad ignem damnatus est, unà cum aliis 49. Christi militibus, quorum ipse Dux fuit. Hinc eo apostolico pectore, quo per anno 22. indefesso labore pro fidei amplificatione desudaverat, inter flammas pro Christi Domini gloria vitā absolvit in Civitate Jendo 4. Decembris 1623. ætatis suæ anno 56. De hoc fidei catholicæ Athleta vide Rocchum Pirrum *not. Eccl. Catan. pag.* 97. Danielem Bartolum *in hist. Societ. par.* 2. *lib.* 4. *pag.* 65. *& seq. &* 181. *& seq.* Alegambe *in Biblioth. Soc. Jesu pag.* 337. *& in Cathalogo Religiosorum Soc. Jesu, qui pro Catholica fide, ac pietate interempti sunt*, in calce

codice ejusdem Bibliothecæ *pag.* 570. & in libro *Mortes Illustres pag.* 351. Philippum Labbeū *in Chronolog. Pinacoth. Scrip. Soc. Jesu pag.*347. Joannem Rhò *in var. virtutum histor. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 204. Joannem Nadasi in libro *dies memorab.* 4. *Decembr. pag.* 306. Vincentium Coronellum *in Biblioth. tom.* 3. *nu.* 2945. *pag.* 768. Antonium Natalem *de Cœlesti convers. par.* 2. *cap.* 9. *n.* 359. *pag.* 253. Felicem Gerardum *in Diar.* 4. *Decembr. pag.* 184. Abbatem de T. in libro gallicè scripto *historiæ Ecclesiasticæ Japoniæ tom.* 2. *lib.* 16. *p.*429. Dominicum Albertum *in historia Sicula Soc. Jesu par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 293. *& lib.* 6. *cap.* 17. *pag.* 713. aliosque. Scripsit ex Alegambe

Brevem Relationem de Regno Yezo, anno 1621. *quod ipse Sociorum primus lustravit, atque illustravit Christi doctrinâ ultra Japoniam ad Euro-Africū.* Italicè prodiit hoc titulo. *Relatione del Regno di Yezo.* Romæ, & Messanæ apud Blancū 1625. in 8.

HIERONYMUS APREA Panormitanus, Patritio genere ortus, amœnioribus literis claruit: à latina Poesi præsertim celebrant, quâ ita excelluit, ut à styli cultu, velut novum Horatium existimatum fuisse testatur Franciscus Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 115. Scripsit ex eodem

De Temporum caligine libros tres.
De Veste nuptiali libros tres.
De Cœlesti lumine libros duos.
De Tempore librum unum.
D Æternitate librum unum.
De Ancilla altissima librum unum.
De Virgine Deipara.

aliaque poemata. Aliqua fragmenta ex libro *de noctis caligine* idem Baronius adducit *lib.* 1. *p.*192. 196. & 206.

HIERONYMUS AVILA Syracusanus Baro Buscaliæ, lucem aspexit anno 1505. natus ex Antonino Avila nobili Syracusano & Simeona Vitale. A teneris annis cùm literis operam navasset, statim nobilissimam ingenii aciem, vividasque ejusdem dotes omnibus patefecit. Ineunte ætate literarum studiis semper addictus, ex insita quadam naturæ propensione, poeticas amœnitates complexus est: hinc latinâ, Etruscâ, ac vernaculâ linguâ innumera emisit, mirâ ingenii facilitate, carmina. In historicorum libris ita versatus fuit, ut vivens Chronicon passim vocaretur; ac felicissimâ instructus memoriâ, quidquid semel legerat, petentibus fideliter exponebat. Graves, modestosque coluit mores, immò humiles, nam ab omni inani sæculi fastu semper alienus vixit. Adversæ fortunæ injurias expertus, sæpius à paupertatis angustiis urgebatur: ex suo enim feudo nonnisi tenues extrahebat proventus: sed virtute, ac Poesi innumeros amicos magnæ auctoritatis, & ex primaria nobilitate, sibi conciliavit; quibus, tum ex dictorum acumine, & promptis, lepidisque responsionibus, tum ex festiva consuetudine, quâ omnes exhilarabat, gratissimus fuit: ideoque sæpius ejus paupertatis ærumnas amici repellebant. Apud Leonardum Orlandinum *in discursu de Rosario Jo: Antonii Brandi* *pag.* 474. edito cum eodem Rosario, lego Hieronymum *Piè di lebro* Poetam Syracusanū ex quadam Sicula cantiuncula, Baroniâ Boscaliæ donatum: nec alium à nostro Hieronymo puto: at licèt Hieronymum *Piè di lebro* vocet, ambiguitate laborasse credendum; nam uxorem habuit *Blancam Piè di lebro* nobilem, ac prudentem mulierem, ex qua filios non suscepit. Festivam sui naturam in Siculis cantionibus clarè detexit: cùm enim ante Antonium Venetianum celeberrimum Siculæ Poesis Principem, magna cum laude cecinisset, in ludicro scribendi genere, ex prudentiorum sententia, primatum obtinuit: in his enim cantionibus acumina, salesq; mirificè aperuit. Nec his morum gravitatem eliminavit: nec christianæ pietatis studia neglexit; nam Dei cultui addictus, in Ecclesias frequenter versabatur, ubi orans, lachrymis obrutus non rarò visus. Ingravescente ætate à tenacissimæ paralysis molestiis vexatus, inter proprios lares se continere coactus est: ideoq: ad solitudinis, & ęgritudinis incommoda levanda, Ovidium imitatus, qui carmina de Tristibus edidit, librum vernaculâ linguâ scripsit, quo proprias ęrumnas, ægritudinis, ac paupertatis calamitates, amicorumq; amissionem deflevit. Tandem annum agens 62. decessit Syracusis 2. Februarii 1567. & in Ecclesia S. Dominici sepelitur. Ipsius laudes habes apud Octavium Caetanum *in animad. ad tom.* 2. *SS. Siculorum pag.* 83. & Josephum Galeanum *in Musis Siculis par.* 1. *pag.* 148. Innumera scripsit, sed omnes ejus cantiones, capitula, eclogas, ac dicteria, unà cum memorato opere, cùm ad mortem properaret, igni tradidit: eaque tantummodo effugium videre, quæ apud amicos servabantur. Sed non ambigendum cantionum Sicularum numerum, octo millium numerum attigisse: ex his solùm publici juris habemus:

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis parte prima Panormi apud Buam & Portamnovam 1645. in 12. & iterum, apud Josephū Bisagniū 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche, In eisdem Musis parte 3. Panormi apud Bisagnium 1651. in 12.

Servatur apud me liber m.s. in quo plura cantionum centena ejusdem Hieronymi habentur, inter quas etiam hæc jam edita complectuntur: & in ipso libri vestibulo extat ejus vita, quam à Francisco Baronio, & ipsius Baronii manu exaratam opinor, quòd & viri etiam eruditi observarunt.

HIERONYMUS AVSILIA Alcamensis Sacerdo, vir morum integritate, ac virtutibus clarus: ejus operâ Alcami domus Puellarum Orphanarum anno 1632. fundata est, teste Pirro *not. Eccl. Mazar. pag.* 581. edidit Italicè

Esercitii Spirituali di dieci giorni. Panormi apud Petrum Isolam 1654. in 12.

HIERONYMUS BASILICO' Messanensis Juris utriusque doctor, vir doctrinâ insignis. In supremis Siciliæ, & Castellæ in Hispania subselliis causarum patronum egit magna cum doctrinæ laude: & anno 1669. Judex Curiæ Straticoti Messanæ præfuit. Jurisprudentiæ amœniorum litera-

rum studia sociavit: & eruditione, eloquentiâ, Poesi claruit, in Academia Officinæ Messanensi, & Reaccensorum Panormi adscriptus. Obiit Matriti circa annum 1670. Hujus meminere Vinc. Ferrarottus *de praeminentiis Straticoti Messanens. p.* 139. Petrus Ansalonius *de sua Familia pag.* 173. Placidus Reina *in hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 520. & Vincentius Coronellus *in Bibliotheca tom.* 5. *n.* 1608. *pag.* 518. ubi ex typographi incuriâ Hieronymus Basilius vocatur. Edidit

Decisiones Criminales Magnæ Regiæ Curiæ Regni Siciliæ. Hispali 1699. in fol. & Florentiæ apud Joannem Philippum Cecchi 1691. in folio. Opus hoc latino, non Hispano idiomate scriptum omnibus patet: hinc perperam ex quodam librorum indice in Hispania editorum, deceptus Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hisp. tom.* 2. *pag.* 675. Hieronymum inter Hispanos scriptores adnumeravit, & opus hoc Hispano idiomate edidisse, falsò putavit.

Panegyricum Excell. Joanni Everardo Nidhardo Reginæ à cōfessionibus scriptum. Matriti 1668. in fol.

Italicè

Il Fato nemico all' armi Francesi in Sicilia discorso accademico. Panormi apud Dominicum Anselmũ 1655. in 4.

Gli Anelli di S. Agata discorso Accademico. Messanæ apud Hæredes Petri Breç 1654. in 4.

Le Dame Guerriere discorso Accademico sopra la caccia delle Quaglie, che ogn' anno si gode in Messina. Panormi apud Dominicũ Anselmum 1661. in 4.

La Ruota degli humani avvenimenti, cioè la Divina Providenza scherzante ne i raggiri degli affari dell' Universo. Discorso Accademico. Ibidem apud eundem 1662. in 4.

Gli Applausi della Sicilia al governo dell'Ecc. Sig. D. Francesco Caetano Duca di Sermoneta &c. Vicerè, e Capitan Generale per sua Maestà Catolica in questo Regno di Sicilia, Panegirico. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1663. in fol.

Discorso Accademico per la Lettera di Maria Vergine a' Messinesi, ex Reina loc. cit.

Hispanè, & Italicè

Felicitades de España, y del Mundo Christiano. Applauso Panegirico en la publica, y real acclamacion de la Magestad del Rey Nuostro Señor Carlos Segundo, composto en dos lenguas Castellana, y Italiana. Matriti apud Paulum la Val 1666. in fol.

HIERONYMUS BONONIA Panormitanus, nobili genere ortus, Fabii, & Lauriæ Bononia septimus filius, vir prudentiâ, virtute, ac literarum ornamentis insignis. Multa in ecclesiastico ordine obtinuit, nam primùm Ecclesiæ Melitensis, inde in Regio D. Petri Sacello Palatii Panormitani an. 1516. postmodum in Metropolitana Panormi Ecclesia Canonicus fuit, & Abbas S. Joannis de Eremitis. Abbatiâ etiam S. Philippi de Grandis donatus an. 1524. ac Caroli V. Imperat. Capellanus electus est anno 1527. cui acceptissimus vixit: hinc ab eodem Imperatore Abbatiæ S. Mariæ de Raccamadore anno 1528. ac Prioratui SS. Trinitatis Deliæ præficitur, aliisq; amplissimis donis fuit cumulatus. Tandem anno 1541. ad Episcopalem Syracusanæ Ecclesiæ sedem evectus est. In moderanda sibi credita Ecclesia laudatissimi Præsulis partes explevit: eodem enim anno Siciliâ terræmotu concussâ, cùm ejus vim maximam pertulisset Syracusana Civitas, & multa ejus ædificia corruissent, Hieronymus, qui tunc Mœnis aderat, ut Diœcesim Pastorali solertiâ lustraret, etsi in magno vitæ discrimine versaretur, attamen Syracusas advolavit, populosque ad veræ pœnitentiæ studia excitavit: lacrymis, supplicationibus, aliisque Christianæ pietatis argumentis Numinis iram avertit, quæ repetitis concussionibus Urbem solo æquandam minabatur. Hinc in gratiarum actionem Hieronymus, ad divinum cultum augendum, tres in Ecclesia Cathedrali Canonicos instituit. Montem pietatis ad levandam pauperum inopiā excitavit. Moniales ad arctiorem vitæ rationem inflexit; aliumque Virginum Cœnobium erexit. Mœnis Canonicorum Collegium fundavit, aliaque tanto Præsule digna patravit. Electus à Carolo V. ut Concilio Tridentino adesset, pro itineris suppetitiis Abbatiam Sacræ Mansionis Panormi obtinuit, ac etiam mille aureos: & à regiorum contributionum solutione liberatus est an. 1549. Ideoque unà cum Petro Tagliavia Archiepiscopo Panormitano ad Concilium profectus, sessioni 1. & 8. interfuit, ac suam eximiam doctrinam, in florentissima Patrum Corona detexit. Ad Ecclesiam regressus, statim ea, quæ Patres decreverant, sanctionibus synodalibus anno 1553. observanda præcepit, aliaque ad Ecclesiæ utilitatem edidit. Sed Romam accersitus à Paulo V. ut ad eminentioris dignitatis fastigium eveheretur, Panormum pertransiens, 16. Julii 1560. vitam absolvit, & in Ecclesia S. Francisci Min. Conventualium sepelitur, ubi ejus effigies contra suggestum omnibus patet: ibique hæc legitur inscriptio.

Hic, ubi Joannes sibi, & inclytæ genti suæ Bononiæ Beccatellæ Britanniæ oriundæ tumulum p. ad dirimendas inter suos lites, & ne quis ibidem contumularetur; Hieronymus Bononius Fabii filius Episc. Syrac. SS. Trinitatis, & S. Mansionis Teutonicorum Abbas situs est. Cujus ossium loculus ne ob mutatam interiorem veteris templi faciem ignotus aliis pateret, D. Gerardus Bononius hunc lapidem viri clarissimi monumento, & familiæ splendori prospiciens, statuit.

De hoc Præsule vide Abb. Pirrum *not. Eccles. Syracus. pag.* 190. *& lib.* 4. *pag.* 98. Bernardinum de Bononia *in descrip. suæ famil. pag.* 30. Baronium *de maest. Panor. lib.* 3. *pag.* 135. *& in Siculæ Nobilit. Amphiteatro pag.* 6. Michaelem Justinianum *in Archiep. Episc. & Theologis Concilii Tridentini, indic.* 3. *p.* 373. & P. Dominic. Albertum *in histor. Sicula Soc. Jesu par.* 1. *pag.* 75. Edidit opus inscriptum:

Synoda lex. Constitutiones Syracusanæ Ecclesiæ ex scripturis, canonibusque decerptæ per Reverendiss. in Christo Patrem Dominum D. Hieron. Bononium ejusdem Ecclesiæ Antistetem plena Synodo promulgatæ die 8. Mensis Septembris. 1553. Panormi excudebat

bat Nob. Jo. Matthæus Mayda 1555. in 4.
Alios à nostro puto hi, qui Hieronymi Bononiæ nomine edidere: *Apologiâ pro Plinio.Tervisii* 1479. *in fol.* ex Indice Bibliothecæ Barberinæ *tom.* 1. *pag.* 172. *& Vitam B. Hieronymi prosâ, & versu*, ex Tejesserio *in Catalogo librorum pag.*130.

HIERONYMUS BRANCIUS nobilis Panormitanus ex equestri ordine S. Stephani: à teneris annis literis addictus, ac doctoralis utriusque Juris laureâ insignitus, doctrinâ, & eruditione clarissimus effulsit. Magna cum laude Sindacum Senatus Panormitani egit, cujus etiam aliquando à secretis fuit. Patriæ amantissimus ejus jura, ac amplissima privilegia contra invidorum cavillationes tum voce, tum calamo imperterrito pectore propugnavit. S. Officii Regni Siciliæ etiam fuit Consultor. His in muneribus præclarè obitis eximiam detexit doctrinam. Politioribus etiã literis egregiè excultus, eloquentiâ, ac poesi excelluit:& singulares ingenii dotes in Accensorum Academia Panormitana adscriptus, patefecit. A literarum præstantia, moribusque integerrimis laudatus, Siciliam pro Rege Moderantibus, viris Principibus,ac Literatis gratissimus, universalem æstimationem promeruit. Dum multa ad Patriæ gloriam moliebatur, decessit Panormi 14. Junii 1587. & Senatu Panormitano, aliisque equestris ordinis civibus comitantibus, in grati animi argumentum, sequenti die ad Ecclesiam S. Francisci Fratrum Minorum Conventualium delatus est. Ipsum laudant Leonardus Orlandinus *var. imaginum lib.* 1. *pag.* 23. cujus etiam meminit *lib.* 2. *pag.*48. *& lib.*3. *pag.* 66. Vincentius de Joanne *in Panorm.Triumph.lib.*12.*pag.*124.& Hippolyt.ab Hippolyto *in embl.pag.*52. Edidit Italicè.

Discorso intorno alla difesa d'alcuni Privilegi della Città di Palermo all' Illustriss. & Eccellentiss. Signor Conte d'Alba d'Aliste Vicerè, e Capitan Generale per Sua Maestà nel Regno di Sicilia. Panormi apud Joannem Franciscum Carraram 1586. in 4.

In epistola nũcupatoria aliud opus latinè exaratum promittit ad eorumdem privilegiorum defensionem, quod morte præventus ineditum reliquit.

Oratione fatta per la liberatione della sua Patria Palermo *dalla Peste l' anno* 1576. *con alcune Rime nel fine.* Panormi 1576. in 8. suppresso Typographi nomine.

Rime in libro:*Rime degli Accesi di Palermo libro secondo.* Ibidem apud Joannem Matthæum Maydam 1573. in 8.

La Nemesi, e'l Cielo Intermedii secondo, e terzo. Panormi 1573. editis una cum opere Comico Antonii Usodimare, quòd coram Marco Antonio Columna Siciliæ Prorege, ut recitarent demandavit Senatus Panormitanus,pro quibusdam victoriis à Philippo II. Catholico Rege acceptis. Reliquit etiam m. s.

De Familiis Panormitanis, quod opus nescio ubi delitescit, cujus servabat Præfationũ D. Josephus Castelluccio Panormitanus. In hujus operis laudem extat Epigramma Philippi Paruta in suis m. ss. operibus, cujus titulus: *de Hieronymi Brancis opere de Nobilitate.*

Vidi etiam Panormi

Controversarum Quæstionum decadem secundam in duo volumina m.ss. in fol.distributam in Bibliotheca U. J. D. D. Rosarii Frangipane.

HIERONYMUS BRANCIFORTIUS nobilissimus Panormitanus, Cameratæ Comes, & eques Ordinis Alcantaræ. Ad animi oblectamentum tum Musas, tum Musices delicias egregiè coluit. Claruit literis instructissimus anno 1600. Hujus extant aliqua in libro musicis modulis expresso, cui titulus: *Infidi lumi Madrigali à* 5.*voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi typis Joannis Baptistæ Maringo 1603. in 4. Aliqua etiam ipsius carmina vidi apud Mauritium de Gregorio, *in Rosario Centum Poetarum pag.*253.

HIERONYMUS CARAFA Panormitanus Societatis Jesu: vir à virtutum splendore clarissimus. Vivit Panormi dum hæc scribimus anno 1707. octogenario major, doctrinâ, ac regulari perfectione insignis. Edidit Italicè suppresso nomine

Le Meraviglie del SS. Sacramento dell'Altare, in cui Giesù onnipotente si hà dato à divedere in forma hor d'amabile, e gratioso fanciullo, ed hor di bello, e tenero bambino. Panormi apud Marinum 1701. in 12.

HIERONYMUS CARYBDUS nobilis Messanensis, edidit Italicè:

Tragedia, o vero Rappresentatione di S. Placido. Messanæ apud Faustum Bufalinum 1592. in 8.

HIERONYMUS LA CHIANA Panormitanus, Societatis Jesu, natus anno 1590. Societatem amplexus est 30. Septembris 1608. in qua quatuor votorum professionem emisit primo Junii 1625.Exactis Philosophiæ, ac Theologiæ studiis, reliquum vitæ in explanandis, ac tradendis Mathematicis disciplinis impendit, quibus instructissimus fuit: easque semper cum auditorũ plausu,& admiratione docuit.Diu edendorum librorum censor fuit pro Archiepiscopis Panormitanis, & Regni Præsidibus. Ob ingenii præstantissimi aciem, doctrinam, aliasque animi dotes, omnimodã promeruit æstimationem. Decessit in Collegio Panormitano 8. Julii 1664. Edidit suppresso nomine

Opusculum,quo probat substantiam Corporis Christi, quæ sub speciebus Panis continetur, non posse appellari Imaginem Corporis Christi. Panormi in fol. omissis anno, & Typographi nomine.
Ipsius etiam servantur m. ss. in Bibliotheca Collegii Soc. Iesu hæc alia, nempè

De Generatione Tom. I. Physica.

HIERONYMUS CLARUS MONS Leontinus, Medicus Doctor, floruit Neapoli anno 1636. Edidit Italicè

Compendio del suo Elisir Vitæ ridotto in polvere. Florentiæ 1620. Genuæ 1628. in 4. & Neapoli apud Secundinum Roncaliolum 1633. in 4.

Osservationi, e brieve discorso del contaggioso mal di Canna. Che cosa sia questo male, e da che proceda, e come, e con che si debba curare. Neapoli apud eũdem 1637. in 4.

Dichiarationi contro il sommario metodo di D.Gio:

Antonio Bianchi, e contro il discorso di Pier Francesco Giraldini sopra la sua ritrovata polvere, che fù stimata Belznar minerale. Genuæ apud Josephum Pavonum 1627. in 4.

HIERONYMUS COMES Syracusanus, ut ipsemet in editis opellis pluries fatetur, non Leontinus, ut ait Philadelphus Maurus *in hist. SS. Alphii Philad. & Cirini lib.1. cap.10. pag. 72.* & Philadelphus Mugnòs *in epist. nuncup. Proserpinę Raptæ pag.11.* & alibi. Pictor fuit non ignobilis, & Poeta eximius; vernaculâ enim linguâ multa lepidè, argutèque scripsit: ideoque cum aliis, qui in hoc Poesis genere excelluere, meritò recensetur ab Academico Aldeano, idest Nicolao Villano in discursu *de Ludrica Poesi pag. 74.* Claruit Panormi circa annum 1635. Ejus opellas maternâ linguâ scriptas, ac Panormi, & alibi recusas, haud indignas opinor, quòd in hac nostra Bibliotheca exhibeantur. Scripsit

Lo Svergognato in terza rima Siciliana. Panormi apud Joannem Baptistam Maringum 1618. & Petrum Coppolam 1660. in 8.

Il Bravazzo in terza rima Siciliana. Ibidem apud eosdem 1635. & 1658. in 8.

Il Filosofo Grossale in terza rima Siciliana. Ibid. apud Rossellium 1633. & apud Coppolā 1658. in 8.

Trattato dell'Instabiltà humana. Ibid. apud Bossium 1659. in 8.

Laudi del Mal Francese. Ibid. apud Rossellium 1634. & apud Petrum Coppolam 1668. in 8.

La Vita dell'Huomini mali maritati in terza rima Siciliana. Ibid. apud Rossellium 1630. & Coppolam 1662. in 8.

Extant apud me hæc alia m.ss.

La Vita dell'amari Litiganti in terza rima Siciliana. in 4. opus amplissimum, & lepidissimum.

Discorso sopra la compra d'un Giardino in terza rima Siciliana. in 4.

Discorso della Vita humana in terza rima Siciliana. in 4.

HIERONYMUS DAGRONETTUS Catanēsis, Pharmacopola, ac Chimicus expertissimus. Claruit anno 1619. Edidit Italicè

Raccolta di varii secreti. Messanæ apud Petrum Bream 1618. in 12.

HIERONYMUS ERRANS v. Hieronymus Policiensis.

HIERONYMUS FAZELLUS Panormitanus, ut ex suorum operum inscriptione, ejusque effigie in Cœnobio S. Dominici Panormi omnibus patet: quod etiam affirmat Hyac. Mōtaltus *in hist. S. Dominici Provinciæ Siciliæ* m.s. Thomæ Fazelli Saccensis, historiæ Siculæ scriptoris celeberrimi, fuit frater: ideoque Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag. 337. & 339.* Saccensem putavit. Adolescens Prædicatorum Ordini nomen dedit, in quo doctrinâ, & eruditione instructissimus floruit. Gravioribus disciplinis exacultus easdem insigni cum laude docuit, ac Magistri lauream obtinuit. Apud S. Inquisitionis Siculæ Senatum Cōsultor, & librorum censor claruit. Concionatoris munere fungens, ob eximiā eloquentiam amplissimum sibi nomen comparavit. In sacris literis versatissimus, difficillimas quæstiones facili negotio mirabiliter enodabat. Ter Panormitanum Cœnobium S. Domini gubernavit, nempè annis 1551. 1561. & 1571. ibique magnâ nominis famâ effulsit, ac decessit circa annum 1585. ex Montalto cit. perperam Pirrus anno 1502. floruisse ait. De eo etiam Possevinus *in appatu sacro tom. 2. p. 30.* Jo: Michael Pius *de Viris illustr. Ord. S. Dominici par. 2. lib. 4. pag. 283.* Ambrosius Altamuranus *in Biblioth. Domin. pag. 361.* Antonius Lusitanus *in Biblioth. Prædicat. pag. 115.* Auber. Miræus *in Biblioth. tom. 2. cap. 105.* A Joanne Clessio *in elencho Viror. literatorum pag. 542.* inter illustres viros recensetur. Edidit Italicè

Prima parte delle Prediche Quaresimali. Panormi apud Joann. Matthæū Maidam 1575. in 4. & Venetiis apud Guerram 1592. in 4.

Seconda Parte delle Prediche Quaresimali. Venetiis apud eumdem 1592. in 4.

Altamuranus, & Possevinus præter Cōciones quadragesimales editas Panormi ann. 1575. alios tomos duos Concionum edidisse scribunt Venetiis 1592. sed easdem recusas esse incomperrum est. In Bibliotheca S. Dominici Panormi servantur m.ss. hæc alia opera, nempè

Commentaria in Psalmos Davidicos. Volumina XII.
Commentaria in Evangelium Marci. Vol. VIII. in 4.
Commentaria in Acta Apostolorum. Vol. IV.
Sermones. Tom. I.
De Indulgentiis. Tom. I.

Scripsit etiam ex Pirro cit. opus quod non absolvit inscriptum

De Regno Christi: sed hoc opus ab Altamurano cit. *pag. 317.* & Possevino *in apparatu tom. 3. pag. 305.* Thomæ Fazello fratri adscribitur.

HIERONYMUS FERLITUS Panormitanus Poeta insignis, quem meritò laudat Hieronymus Ruscellus *in disc. 3. contra Ludovicum Dulcem pag. 210.* Claruit, eodem tēpore quo idem Ruscellus, nempè anno 1553. Hujus meminit eximius vir Joannes Marius de Crescimbene *in histor. Poes. vulg. lib. 4. pag. 275.* Supersunt hujus Poetæ Italicè

Rime. in libro inscripto: *Rime di diversi eccellenti Autori raccolti da Girolamo Ruscelli libro sesto.* Venetiis apud Joannem Mariā Bonellū 1553. in 8. *à p. 138.* & in libro cui titulus: *Tempio alla Sign. D. Giovanna d'Aragona fabricato da tutti i più gentili spiriti, e in tutte le lingue principali del mondo.* edito per eumdem Ruscellium Venetiis 1565. *à pag. 76.*

HIERONYMUS FIMIA Catanensis juris utriusq: doctor, qui ob singularem doctrinæ eminentiam passim, Aquila volans appellabatur. Assiduis studiorum vigiliis, magnum nomen, ac auctoritatem sibi comparavit. Ob feudorum præsertim doctrinam, singularem æstimationem assequutus est. In Catanensi Academia Cæsarea jura publicè explanavit magna cum laude: hinc meritò honoribus insignitus, pluries ad Magnæ Regiæ Curiæ subsellia Judex ascendit. Regii Consiliarii munere fuit etiā cohonestatus, ac Fisci Patronum egit. Obiit Panormi 18. Augusti 1549. & in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Minorum Observan-

servantium S. Francisci sepelitur. Hujus cum laude meminere Garsias Mastrillus *lib. 1. decis.* 43. *n.* 3. Franciscus Milanensis *lib.1. decis.8.num.*320. Cosmas Nepita *ad consuet. Catanæ pag.7. in proæmio n.*40. Petrus Ansalonius *de sua familia pag.*279. Jo: Baptista de Grossis *in decac. Catan. to.2.p.*147. Edidit

Additiones super Ritu Regni Siciliæ. in Commētariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandū, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Prag. Alphonsi de Censibus Additiones. Apud Petrum de Gregorio *de Censibus*. Panormi typis Jo: Ant.de Franciscis 1609. in 4. & iterum apud Franc.Ciottum 1622. in fol.

Apostillas in Cap. Volentes. Ex Grosso cit. & Milanense *lib. 1. decis.* 8. *n.*46. qui ipsum citat. *lib.1. decis. 1. n.* 113. *& decis. 8. n.* 99. *&* 110. *In causa feudi Casbæ.*

Consilia Feudalia, quæ m.ss. asservabantur à Mauro Burgio, ut ipse tradit in libro *de laudemio par. 2. inspect.* 13.*num.* 8. Hinc Mastrillus cit.*decis.* 56. *num.* 26. citat. *Consilium in causa feudi Gaspæ.*

Consilium pro Vincentio Corbera, citatur à Milanense *lib. 1. decis. 8. n.* 320. quod in fine ejusdē decisionis integrum edidit *á pag.* 63. *ad* 71.

HIERONYMUS FRASSIA Messanensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor. Graviores literas coluit, & in publico Messanensi Lyceo Metaphysicam docuit. Amœnioribus etiam literis ornatus, Academiæ Officinæ nomen dedit, ac poesi claruit circa annum 1646. Ipsum laudat Placidus Reina *in hist. Messan. par. 2. pag.* 521. ex quo anno 1668. jam mortuū colligimus. Edidit Italicè

La Passione di Christo Nostro Sig. Poema Drammatico. Messanæ apud Jacobū Matthæi 1646. in 12.

Orationem pro Arca argentea S. Placidi. Ex Mauro *in sua Messana cap.* 21. *pag.* 156.

HIERONYMUS GAGLIARDUS Narensis Ordinis S.Mariæ de Monte Carmelo, Sacræ Theologiæ Magister, vir doctrinâ, morum innocentiâ, & virtutum exemplo insignis. Philippi II. Catholici Regis æstimationem promeruit, apud quē ab eleemosynis fuit. Ab eodem aureorum ducentorum annuam pensionem accepit, cujus ope patrium Ordinis sui Cœnobium extruxit. Apud Bibonenses Duces magnâ veneratione etiam floruit anno 1590. De eo Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 346. *&* 349. qui scripsisse ait:

De rebus moralibus: at ex Narensium Relatione duo edidit volumina, unum *de Philosophia, alium de Morali Theologia.*

HIERONYMUS GANDOLPHUS Panormitanus Societatis Iesu, natus anno 1629. in Societatem admissus est anno 1645. cui quatuor votorum Sacramento se adstrinxit. Emensis studiorum spatiis cum omnimoda ingenii felicitate, præter humaniores literas, ac Rhetoricam, summa cum laude philosophiam docuit. Iterum electus ut eamdem facultatem in Panormitano Collegio traderet, cùm ad philosophicam palestram sese pararet, conceptam ipsius spem mors elusit; pridie siquidem instaurationis studiorū in morbum lapsus, paulo post in eodem Collegio decessit 8. Novembris anno 1668. Vir quidem magnæ expectationis, qui cum doctrina, & ingenii præstantia solidam virtutem sociaverat. Edidit.

Tributum doloris in funere Philippi IV. cognomento Magni, Hispaniarum, & Siciliæ Regis oratione funebri persolutum. Panormi apud Augustinum Bossium 1666. in 4.

Italicè

Panegirico nel monacarsi D. Girolama de la Costa, e Romano nel Monastero di S. Chiara di Termine. Panormi apud Josephum Bisagnium 1662. in 4.

Ex Hispana in Italicam linguam vertit

La Bellezza di Dio descritta dal P. Eusebio Nieremberg della Compagnia di Giesù. Ibidem apud eumdem 1662. in 12.

HIERONYMUS GERMANUS Panormitanus Societatis Jesu, lucem aspexit anno 1568. & annum agens 18. Societati nomen dedit an. 1586. Postquam octennio humaniores literas docuisset, animarum salute æstuans in Chio Insula maris Ægei missus est; ibique per annos 22. ferventissimā in animarum beneficio navavit operam. Vir à morum candore, ac singulari vitæ innocentiâ laudatissimus. Virginalem puritatem usque ad supremum vitæ spatium intemeratam servavit. Cùm jam senescente ætate Superiorum jussu in Siciliam remeasset, ut fractas jam vires instauraret, paulò post ægritudine pressus, piissimè decessit Panormi 27. Decembris 1632. De eo Bibliotheca Soc. Iesu *pag.* 341. Edidit Italicè

Vocabulario Italiano, e Græco-volgare. Romæ typis Zannetti 1622. in 8.

Apud Vincentium Auriam servatur m. ss.

De Joseph historia dialogus Monteregali habitus, cum aliis carminibus, nempè: *Egloga pastoralis in obitu P. Francisci Staiti Messanensis Soc. Jesu Poemata de Annuntiatione, & Assumptione Mariæ Virginis.*

HIERONYMUS GRANDIS Patritius Syracusanus Jurisconsultus, ac historicus; Syracusarum Generalis Vicarius. Claruit anno 1500. Scripsit, sed non edidit

Chronicon Siciliæ. citatur à Vincenrio Ferrarotto *de Officio Straticoti Messanensis disc.* 3. *p.* 29. *&* 32. Melch. Incofero *in conject. Epistolæ B. Mariæ Virginis ad Messan. cap.*54.*pag.*409. Stephano Mauro *in sua Messana cap.* 2. *pag.* 13. & Placido Reina *hist. Mess. par.* 2. *pag.* 224. Hoc ego olim vidi m. s. in fol. apud Bernardinum Masbel Jurisconsultum Panormitanum.

Huic addendus

BARTHOLOMÆUS GRANDIS Patritius Syracusanus Jurisconsultus, historicus, ac Poeta eximius. Eodem claruit tempore, nempè anno 1500. Scripsitque opusculum, cui titulus:

De Siciliæ Insulæ Situ, Montibus, fontibus, fluminibus, & locis, ejusque partium incolis, ac Civitatibus in ea, & oppidis, earumque Regibus; nec non de viris omnibus ex ea clarissimis, eorumque gestis, & de omnibus in ea bellis peractis. Per Multum Magnificum, & excellentem Dominum Bartholomæum de Grandis utrius-

utriusque Juris Doctorem Syracusanū ex Primariis Patritium insignem in præsens simul opusculum adductis. m. s. in 4. Extat Panormi apud P. Antoninum Siinum Panormitanum Tertii Ordinis S. Francisci virum literis, ac virtute eximium, cujus benignitate diu penes me fuit.

HIERONYMUS GRAVINA Calatanissettensis Societatis Jesu, natus anno 1603. omnes, quos à sanguinis splēdore sibi jure optimo spondere poterat honores, magnâ animi constantiâ contemnens, anno ætatis suæ 15. Societatem ingressus est Panormi anno 1618. Absoluto studiorum curriculo, maximo spiritus fervore Indicam Messionem enixè petiit, & obtinuit: ideoque anno 1635. unà cum P. Marcello Mastrillo, viro sanè apostolico, aliisque xxxi. Societatis viris ad Indicas plagas velificavit. Macaum appulsus, & Sinensi Missioni addictus, totis animi sui nervis ad veram Sinensium populorum salutem promovendam intendit. Quamvis autem ad alienam linguam amplectendam naturæ bonis destitutus, attamen charitate impellente, ut illius regionis populis prodesset, Sinensium linguam, etsi difficillimam, magno labore didicit: eoque progressu, ut aliquibus excursis annis, utilissimos eo in idiomate tractatus ediderit. Per annos vigintiseptem ibi indefesso labore desudavir, ac uberrimos animarum fructus congessit à multis illarum Provinciarum locis, ubi sedulus hinc inde excurrere curavit. Præsertim verò è civitate Cham xò ubi longiores protraxir moras: ea in urbe, & in circumjacentibus locis plures Neophytorum centurias, cum magno catholicæ fidei incremento, moriens reliquir. Diu illius Missionis fuit Moderator; ac licèt ægritudinum molestiis vexatus, attamen quoties veræ religionis status id exigere videbatur, quoscumque labores libenter amplectebatur. Virtutes coluit egregias; præsertim singularem morum candorem. Deiparæ Virginis amore mirificè flagravir, quam filiali, teneroque cordis affectu venerabatur. Divini honoris zelo mirum in modum æstuabat: paupertatem insigni studio fovebat, quam & in vestibus interioribus nimiùm attritis, ac resartis in centonum specie, insigniter elucebat. Paucis ante obitum mensibus cùm in morbum incidisset acerbissimum, & doloribus supra modum cruciaretur, heroicæ virtutis exempla edidit; præsertim humilitatis, patientiæ, & charitatis in Christi fideles mox deferendos. Tandem cùm magno pietatis ardore Ecclesiæ Sacramenta excepisset, meritis cumulatus ad gloriam sibi paratam evolavit in eadem urbe Cham xò 4. Septembris 1661. cujus amissionem uberi lacrymarum vi prosequuti sunt Neophyti: ejusque funus insigni munificentiâ celebrare curarunt. De eo vide Bibliothecam Soc. Iesu *pag* 341. Sinensibus typis edidit:

De Institutione Christianorum, & omnibus Mysteriis Sanctæ Legis tractatum in tres tomos distributum. Opus, subdit Bibliotheca cit. *non à Christianis dumtaxat, sed etiam ab Ethnicis dilaudatum, & omnibus utilissimum.*

HIERONYMUS LA JACONA Calatanissettensis Ordinis Capuccinorum, cui nomen dedit in patrio Cœnobio 28. Octobris anno 1657. Gravioribus disciplinis abundè munitus, scholasticā Theologiam docuit: & eloquentiâ clarissimus conciones habuit in cinerali jejunio in nonnullis Siciliæ civitatibus non sine laude, & fructu. Præfuit Cœnobio Panormitano, aliisque. Vivit dum hæc scribimus anno 1707. ac sui opinionem sacrâ eloquentiâ, & eruditione adauget. De eo Dionysius Gennensis *in Biblioth. Capuccinorum pag.* 151. Edidit Italicè

La Fenice oratione funerale recitata ne' funerali del Sign. D. Vincenzo Sanmarco Arciprete della Città di Caltanissetta. Drepani apud Bartholomæum Francum 1688. in 4. recusa in libro infrascripro.

L'Esperia della Santità per diporto di Dio. Panegirici Sacri. Ibid. apud eumdem 1692. in 4. Advertendum, quod etsi Dionysius cit. scribat, duos Panegyricorum tomos edidisse Panormi 1690. (eo quod id perficere runc animo revolvebat) ar ex his tantummodo publici juris adhuc fecit librum supra relatum: prælo verò paravit.

Panegirici.

Quaresimale.

HIERONYMUS DE JOANNE Nobilis Panormitanus vir tum equestri virtute, tum literis clarus: omnia equitum illustriorum exercitia insigniter calluit: ense præcipuè valuit, & in civilibus concertationibus masculâ animi fortitudine sui inimicos profligavir. Contra hostium calumnias invictam animi constantiam semper detexir. In Navarrino bello, & in Lusitaniæ Regno, militaria studia sequurus, fortiter pugnasse scribunr. In hastiludiis quotannis Panormi habitis, dexteritate, ac fortitudine enituit: ac non semel hostes prosternere visus, omnium acclamationes victor audivit. Literis tum gravioribus, tum amœnioribus abundè instructus claruit. Cùm autem nonnullas haberet cum aliis lites, Juris utriusque lauream accepit, ur sua propugnaret jura: & nedum in Martis palestra, quam inter fori clamores strenuissimus apparuir. Academiam in propris excitavit ædibus, quam Opportunorum vulgò *degli Opportuni* vocavit, in qua Principem egit: at in Hispaniam profectus, deficiente Hieronymi curâ, periit. Poeta eximius, divite venâ munitus, lyrico, & heroico carmine æquè egregius, multa scripsit, multaque edidir, quæ sub Vincentii de Joanne fratris nomine prodiere, ut ipsemet Vincentius pluries fatetur *in Panormo Restaurata m. s. lib.* 2. Decessit Panormi circa annum 1612. Edidit sub Vincentii nomine Italicè

Il miserabile successo della rovina del Ponte. Panormi apud Joann. Ant. de Franciscis 1591. in 4.

Palermo Trionfante Poema *ove si descrive la famosissima Guerra tra i Palermitani, e i Cartaginesi.* Ibid. typis Joann. Bapr. Maringo 1600. in 4.

L'Eufemia Poema sacro. Ibid. apud Joannem Antonium de Franciscis 1610. in 4.

Scripsit etiam; & m. ss. reliquit

L'Incendio di Castell' à Mare.

La

La Guerra dell'Avaritia.
Le Metamorfosi sopra i luoghi notabili della Piana di Palermo.
Leggenda della Madonna d'Ytria.
hæc omnia octonis rythmis scripsit.
L'Arcadia Ecloghe in versi sciolti, e terza rima, con alcune lettere amorose.
Il Peregrino in ottava rima.
Il Censore in prosa circa il buon governo.
La Siracusa destrutta da M. Marcello.
Rime.

HIERONYMUS JORLANDUS Panormitanus Juris utriusque Doctor, doctrinâ,& eruditione insignis. Claruit anno 1550. Eididit
Practicam Syndicatus valdè perutilem, cum nonnullis Quæstionibus. Excudebat Messanæ Petrus Spira 1553. in 4. In hoc opere *p.*24.scripsisse ait librum
De Pœnis. Scripsit etiam
Consilium. apud Balthassarem Abruzum *de Servitiis personalibus comment.* 2. *n.* 287. *pag.* 360. Collegit, ac in laudabilem ordinem digessit Regni Siciliæ Pragmaticas, jussu Joannis de Vega Siciliæ Proregis, ex Vincentio Auria *in hist. Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 43.

HIERONYMUS JOVINUS Suterensis Sacerdos, natus anno 1640. Gravioribus disciplinis insigniter excultus, morum integritate, doctrinâ, & eloquentiâ instructissimus effloruit. Anno 1678. Panormi in principe Templo per quadragesimale curriculũ è suggestu auditus est non sine plausu,ab eloquẽtia,& eruditione laudatus. Alibi etiã sæpè auditus magnâ eruditorũ freque̅tiâ, inter illustriũ Oratorũ albo meritò recẽsendus. Aliquandiu in Seminario AgrigentinoPhilosophiã,ac Theologiã docuit.In oppido Aragoniæ Archipresbyter præfuit: & tandem Ecclesiæ Agrigentinæ Canonicus electus est. Ibi Agrigentinis Episcopis gratissimus fuit, & memoratum Seminarium Rectoris munere gubernavit. Vir sanè à morum sanctimoniâ præclarus,rerum cœlestium contemplationi dicatus vixit. Animarum zelo æstuavit; ideoque ut in peccatorum cœno lapsi ad meliorem frugem revocarentur,sedulò curabat; persæpè proprio effuso ære. Hilaritatis leges cum spiritus fervore mirabiliter colligavit, verus Francisci Salesii æmulator. Egregiis virtutibus omnium animos in sui venerationem excitavit, & eâ,quâ vixit opinione,decessit in oppido Montismellis mense Octobris anno 1693. ac ad Cathedralem Ecclesiam Agrigenti translatus,in Canonicorum sepulchro conditus est.Edidit Italicè.
La Pellegrina della nuova Gerusalemme, Panegirico per le glorie della Gran Vergine Palermitana S. Rosalia. Panormi apud Petrũ de Isola 1678.in 4.
La Tristezza sbandita Oratione funerale detta per la morte della Sign. Duchessa di Palma Suor Maria Sepellita della Concettione nel Ven. Monastero delle Rev. Monache Mariane della Terra di Palma. Ibid. apud Petrum Coppolam, & Carolum Adamum 1692. in 4.
Edenda reliquit hæc alia,nempè:
Panegirici.
Quaresimale.

HIERONYMUS IVEGLIA Netinus Jurisconsultus doctrinâ clarus, sed vitæ sanctimoniâ longè clarissimus. Lucis usuram accepit anno 1551. & ineunte ætate gravioribus literis addictus,in Mathematicis disciplinis, & præsertim Geometricis, ac Astrologicis excultissimus refulsit:& harum facultatum nonnullos libros elucubravit.Attamen majorem ingenii vim Jurisprudentiæ devovit; ideoque brevi temporis lapsu inter primarios causarum patronos adscriptus est, ac omniũ venerationem sibi comparavit. Eâ claruit doctrinæ famâ, ut felix quisque se æstimaretur, si in forensibus suis disceptationibus, ipsum juris sui patronum obtinere potuisset. Sed inter litium, juriumque ambages nunquam à Justitiæ tramite deflexit; nunquam enim causæ alicujus propugnationem suscepit, quam justitiæ rationibus innixam non agnovit: hinc integritatis, ac doctrinæ ornamentis, ad sui honorem, amoremque omnes excitavit. Sed cùm ad juveniles errores declinasset, ejus uxor magnæ probitatis, ac sanctimoniæ mulier, tantâ lacrymarum, ac pœnitentiæ vi divinam clementiam urgere curavit, ut tandem à sensus illecebris ad pœnitentiæ tramitem revocaverit: hinc divinâ effulgente gratiâ durissimas pœnitentiæ leges amplexus, jejunia frequentavit; ter singulis hebdomadis corpus magnâ sanguinis effusione diverberavit, ac sævissima adhibuit cilicia: carnis esum sibi interdixit, ac castitatis voto se adstrinxit: quæ omnia mirâ lacrymarum copiâ,assiduisque orationibus sociavit. His pœnitentiæ regulis vitæ suæ rationẽ ita composuit, ut omnibus admirationi esset.Sed interea Jurisprudentiæ studia non reliquit, ideoque meritò honorum ornamentis fuit insignitus: bis enim ad Judicis Magnę Regiæ Curię gradum evectus est, ac anno 1606. Regii Patrimonii Fisci Patronus electus. At inter sæculi honores eũdem vitæ institutum servavit;acDeus charismatibus suis Hieronymum abundavit; cùm enim ut Drepanitanum Deiparæ simulacrum visitaret,Alcamum pervenisset, ibi extra se raptus est, eique SS. Virgo doloribus affecta, filiumque mortuum ferens, se spectabilem fecit, dominico sanguine Hieronymum extersit, magnumque passionis suæ dolorem in ejus corde infixit: hinc imposterum usque ad supremum vitæ suæ spatium clamores quosdam frequentabat, gemitus, singultusque admirandos sæpe edebat, adeout omnes stupore concuteret. In extasim sæpe raptus, & in ipsis fori negotiis,vel ad unius pietatis verbũ: nõnullis revelationibus illustratus,prophetico spiritu, aliisque cœlestibus donis locupletatus enituit. Nec prætermittendum quod cùm ad exercitia spiritualia obeunda, unà cum Marchione Villienæ Siciliæ Prorege secessisset in Domini natalitiis, à SS. Virgine Jesum infantem in ulnas suas accipere, & per octo horas, fervescentibus charitatis flammis,infantuli divini amplexu beari meruit. Tandem cùm ad sanctimoniæ culmen ascendisset virtutibus egregiis instructus,& mortis suæ diem prænunciasset,decessit Panormi cum magna sanctimoniæ fama; ac non sine miraculis 8. Sep-

8. Septemb. 1609. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepelitur. Ejus vitam scripsit, ediditque P. Petrus Tognolettus Panormi anno 1679. qui etiam ejus meminit *in Paradiso Seraphico par.1. lib.4. pag.* 494. & Vincentius Littara *de rebus Netinis pag.*167. Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 227. Petrus Antonius Tornamira *in Monialib. oblatis pag.* 298. Franc. Maria Magius *in secessu ad exerc. spirit. cap.2. §.6. n.52. pag.170. & cap.7. §.2. pag.276. & in Vita Ursulæ Benincasæ pa.*411. qui & ipsius vitam scripserat, & Franc. Strada *in libro quietationum pag.*19. Multa scripsit, sed quæ typis tradidit, hæc sunt.

Allegationes in causa Tonnariæ Castri ad Mare de Gulfo pro Domina Ducissa Bisbonæ, & Montisalti. Panormi in fol. suppresso anno, & typographi nomine.

Allegationes per Magnificis Secretariis. Panormi in fol.

Marius Muta *in Cap. Regni Siciliæ tom.3. cap.*48. *n.*19. citat

Allegationes in causa Gagliani, ubi eruditissimum causarum Patronum, Regiumque Consiliarium vocat.

HIERONYMUS LANCEA Calatajeronensis Ordinis Minimor. S. Francisci de Paula: vir doctus, Messanensi studiorum lyceo Regentis munere præfuit. Sanctimoniæ famâ insignis claruit anno 1625. Scripsit ex Petro Paulo Morretta *de Calatajerone cap.* 11. *pag.* 50. Italicè

Vita del P. Francesco di Paola. Cosentiæ apud Ambrosium de Josepho 1630. in 12.

HIERONYMUS LOMBARDUS Siculus inter musices peritissimos recensitus, claruit anno 1600. Hujus extant aliqua musicis notis concinenda in libro, cui titulus. *Infidi lumi Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi typis Jo: Baptistæ Maringo 1603. in 4.

HIERONYMUS MAGIUS Panormitanus Clericus Regularis, P.D. Francisci Mariæ Magii frater, natus 13. Septembris 1625. Cler. Reg. insignia accepit 20. Julii 1641. ætatis suæ anno 18. & solemnia emisit vota 30. Novembris 1642. Gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ studiis addictus ita profecit, ut doctissimus evaserit; ideoq; easdem scientias Panormi in S. Josephi Cœnobio, non sine laude, ac sodalium suorum maximâ utilitate docuit. Rhetoricæ etiam præcepta, ac Mathematicas disciplinas diu etiam explanatas tradidit: & nedum scholastica Theologiâ, verùm etiam & mortali, ac sacrorum canonum doctrinâ instructissimus floruit. Sed inter literarum vigilias virtutum studia non neglexit; regularem enim disciplinam, eaq; omnia quæ absolutissimum religiosæ vitæ sectatorem constituunt sedulò explevit; ac eximiis virtutibus comparatis mirificè refulgit. Ab omnibus honorum fastigiis abhorruit; sed tantummodo Superiorum jussu Vicarii munus domus Panormitanæ S. Josephi coactus accepit: ideoq: tum doctrinâ, tum morum integritate non incelebris, etiam in exteras regiones ejus nominis fama diffusa est. Dũ Panormi degebat à Petro Aragonio Feriæ Duce, Neapolitani Regni Prorege, in suum confessariũ delectus est: cùm enim P.D. Franciscum Mariam Magium virum undiq; egregium, & nostri Hieronymi fratrem à confessionibus haberet, ne hunc solitudinis solatio privaret, ac novam Ven. Ursulæ Benincasæ eremum Francisci auxilio orbaret, ipsi Hieronymum fratrem substituit. Neapolim itaq; accersitus, ac magnæ æstimationis argumentis exceptus, inde secum in Hispaniam transtulit. Matritensem urbem incoluit; ibiq: à P. D. Caetano Garimberto Præposito Generali Cler. Reg. omnium studiorum Hispaniæ Regens, sive Præfectus constitutus est, & hoc novo in Ordine suo titulo cohonestatus. Ulysiponensem domum Generalis Ordinis jussu perlustravit. In Matritensi aula non modò doctrinâ, verùm etiam morum sanctimoniâ claruit; ibiq: à confessionibus fuit Paschalis Aragonii, & N. de Corduba Sacræ Romanæ Eccl. Cardinalium, & apud Hispaniarum Magnates, Dynastas, Virosq: primarios, quorum conscientias moderabatur, magnâ valuit opinione; ac omnium venerationem promeruit. Nonnullis ibi honoribus fuit insignitus, nempè Apostolici Nuntii fuit Theologus, Toletani Archiepiscopatus Synodalis Examinator, ac Regius Caroli II. Hispaniarum Regis Concionator. Pluries ad Episcopalem sedem promovere cogitarunt: præsertim ad Episcopalem Mazariensis Ecclesiæ infulam; sed morte præventus fato cessit Matriti magnâ sãctitatis famâ apud domũ S. Mariæ de Fervore 12. Augusti 1691. ann. ætatis suæ 68. Aliqua hujus viri leges in epistola Francisci Mariæ Lucchesii, Calateo Religioso P. D. Francisci Mariæ Magii prefixa. Edidit.

Allegationes de Irregularitate pro D. Francisco Catalano. Matriti 1680. in fol. suppresso typographi nomine.

Reliquit doctissimas

Consultationes, aliasq; lucubrationes Theologicas, ac Canonicas prælo dignas.

HIERONYMUS LA MANNA Catanensis, Pictor fuit haud contemnendus, & Poeta eximius: politioribus literis egregiè excultus, inter Academicos Humoristas, & Fantasticos Romæ, Otiosos Neapolis, & Reaccensos Panormi nõ sine laude recensitus effulsit: & literatorum æstimationem promeruit. Obiit Catanæ anno 1640. & in Ecclesia Annunciationis Ordinis Carmelitici tumulatur, hac adiecta inscriptione, carminibus Italicis concinnata.

Questi qual fù, dicalo il Trace infido
Rotto dal suo pennel, più che dall'armi:
Quando d'Austria i trofei ornò col grido
Del gran Giovanni, e vinse i teli, e i marmi:
Indi scossa natura il mortal velo,
Quì giace, e l' Alma or colorisce il Cielo.

De eo vide Joãnem Baptistam de Grossis *in decac. Catan. tom.* 2. *pag.* 152. & Dominicum Guglielminum *in Catana destruc. pag.* 81. Edidit Italicè

Licandro Tragicomedia Pastorale. Romæ apud Mascardum 1634. in 12.

Idillii. Messanæ typis Petri Breæ 1621 in 12.

Rime in libro: *Poesie de' Signori Accademici Fantastici di Roma.* Romæ 1637. Can-

carzoni Siciliane. Extant m. s. apud D. Jo:Baptistam Arpam Panormitanum.

HIERONYMUS MARIA CALATANISSETTENSIS ex familia Guagenti Ordinis Capuccinorum, natus 21. Novembris 1666. Ordinis institutum amplexus est anno ætatis suæ 16. Emensis cum laude studiorum spatiis, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam docuit magno cum discipulorum fructu. Pluries Ordinis cœnobia rexit: pluries etiam in cinerali jejunio conciones habuit in præcipuis SiciliæCivitatibus, oppidisque, cum fructu, & eloquentiæ laude auditus. Vivit dum hæc scribimus anno 1707. in Panormitana Provincia, morum integritate, ac doctrinâ clarus. Edidit Italicè

Sacro Sermone in persona di Christo per la notte del Giovedì della Cena nella Venerabile Congregatione del SS. Sacramento sotto titolo degli Agonizanti in memoria delli 72. Discepoli del Redentore eretta nel chiostro de' Molto RR. PP. Agostiniani di Trapani. Drepani apud Bartholomæū Francū 1701. in 4

HIERONYMUS MATRANGA Panormitanus Clericus Regularis, natus anno 1605. Ordinis habitum accepit Panormi 25. Martii anno 1619. ibique solemnia emisit vota 28. Martii 1620. Vir doctrinâ instructissimus, ne dum gravioribus disciplinis, verùm etiam amœnioribus ornatissimus. Philosophus, ac Theologus singularis scholasticas scientias diù summa cum ingenii acutissimi laude, ac plausu sodales suos docuit. In Morali Theologia nulli secundus, ipsum in difficillimis conscientiæ quæstionibus omnes passim Panormi consulebant, & ad ipsum à dissitis etiam locis confluebant viri primarii, veluti ad doctrinę oraculum, ut consultationibus suis disceptationum ambages diluerent. Per quadraginta annos S. Officii Siciliæ Consultor, & Censor oculatissimus, ejus doctrinæ soliditati, veluti in sapientissimi Athlantis humeris innixa consedit Tribunalis illius moles. Apud Archiepiscopos Panormitanos fuit etiam Synodalis Examinator, & à doctrinæ splendore omnibus gratissimus. Idiomata Latinum, Græcum, & Hebraicum egregiè calluit. Eruditionis omnigenæ thesauris locupletatus effulsit. Politioribus literis instructissimus tum Poesi, tum solutâ oratione singularis, laudes promeruit eximias, & bonarum artium studiosos, elegantissimâ ingenii vi, sibi devinctos reddidit. Domum Panormitanam S. Josephi rexit Præpositi munere, ac pluries Siciliæ Visitatorem egit. Hæc verò omnia virtute mirificè illustravit; pietate etenim, modestiâ, morum integritate, animique candore conspicuus claruit. Demum cùm in sui amorem, ac venerationem omnes attraxisset, undiq: nominis famâ celebris, magno omniū dolore decessit Panormi 28. Augusti 1679. an. ætat. 73. cùm in ipso vitæ suæ agone ad pietatis argumentum canonicas persolvisset horas. Ad perennem tanti viri memoriam ejus imago ære insculpta est, hac adiecta inscriptione.

Hieronymus Matranga Cl. Reg. Tribunali S. Inquisitionis ad 40. propè annos ne dum Qualificator, & Consultor, sed veluti assistens intelligentia, linguarum peritiâ, Poesis concinnitate, Philosophiæ doctrinâ, humanarum literarum elegantiâ supereminens, ut quondam ad alterum Hieronymum pro sacræ scripturæ quæstionibus explicandis, ita ferè pro fidei, & Theologiæ tum Scholasticæ, tum Moralis difficultatibus resolvendis ad ipsum ex pluribus Orbis partibus confluxere. Naturæ dotibus, modestiam, morumque probitatem junxit egregiè. Religiosissimè vixit, piissimè decessit, ipso in agone canonicis diei horis persolutis die 28. Augusti, ea die, & ætate, qua Ecclesiæ lumen Augustinus, labente anno 1679.

Emeritis laudibus extollunt Hieronymum Josephus Silos *in hist. Cler. Reg. lib. 12. pag.* 574. Hippol. Marraccius *in Biblioth. Mariana par. 2. pag.* 462. Antoninus Collurafi *in epistolis par. 2. pag.* 79. & 202. Hyacinth. Fortunius *in plausibus Panormi pag.* 15. & 20. Franciscus M. Magius *de Caremon. opusc. 2. disp. 45. pag.* 331. Philippus Labbeus *Biblioth. Biblioth. pag.* 82. & Vincentius Auria *in hist. Crucifixi Panorm. pag.* 43. Edidit

De Academia Syntagmata septem. Panormi apud Antonium Martarellum 1637. in 4. Italicè

Il desio Prigioniero de' SS. Padri nel Limbo, discorso Accademico. Panormi apud Decium Cyrillum 1636. in 4. in sequenti opere recusus.

Iperboli proposte à gl'intelletti humani, acciochè possano in qualche modo concepire l'immenza carità di Dio innamorato dell'huomo; le gratie infallibili di Maria sua Madre, e gl'incomprensibili avvenimenti nell'Incarnatione del Verbo eterno. Discorsi sacri Accademici. Panormi apud Decium Cyrillum 1645. in 4.

L' Erodiade narratione historica. Ibidem apud Nicolaum Buā, & Petrum Coppolā 1638. in 12.

Racconto dell' Atto publico di Fede celebrato in Palermo. Ibid. apud Nicolaum Buam 1658. in 4.

Le Solennità Lugubri, e Liete in nome della Fidelissima Sicilia nella Felice, e Primaria Città di Palermo capo del Regno. Ripportate in tre Parti: nella Prima si riferiscono le solenni condoglienze all' avviso della tranquilla morte del Piissimo, & Invittissimo Re Cattolico Filippo Quarto il Grande, e le festose acclamationi dell' Augustissima pupilla Maestà di Carlo Secondo, Figlio, & Herede: e partitamente le publiche Ceremonie con che fù pianto l'Uno, e salutato l'Altro. Nella Seconda si descrive il bruno, e splendido Apparato, e l'Architettura del superbo Mausoleo rizzato alla gloriosa memoria del Monarca defunto; e la dispositione dell'ultime funtioni, e delle Pompe funerali, sagre, e profane. Nella Terza, oltre l'ordine, e l'inventione, si spiegano le vivezze, e bizzarrie del Pennello, e della Penna. Ibid. apud Andream Colicchi 1666. in fol.

Trionfi del S. Arcivescovo Mamiliano Palermitano nel ritorno alla Patria. Hoc opus gravioribus curis distractus non absolvit.

Trionfi di S. Gaetano Tiene nella solennità della sua Canonizatione fatta in Palermo; opus etiam partim editum, quòd conclusione caruit.

Prælo parata reliquit hæc opera, quæ in Bibliotheca S. Josephi Panormi servantur, nempè:

Fidei Areopagum, in quo propositiones innumeræ, quos

quos ferrea nostra aetas, aut temerè vomit, aut callidè evulgandas protulit, subtilissimè examinantur, & notâ theologicâ inuruntur: plurimaque reorum causae ad Tribunal S. Inquisitionis spectantes referuntur: criminum qualitas, & circumstantiae expenduntur, deque iis judicium fertur.

In Universam Doctoris Angelici summam Acroamata Theologica, in quatuor partes distributa.

Selectarum, & variarum consultationum libros duos.

Porticu Musarum, quà poematis, carminibus, anagrammatismis, elogiis, inscriptionibus; quà emblematis, Iconibus, schematismis, caeterisque Poeseos coloribus quadripartitò, & variè ornatam, & depictam.

Aliqua ejus ingenii monumenta leges in libro: *Lusus extemporales Poetarum super fonte extructo in portus Panormitani sinu*. Panormi ex typographia Decii Cyrilli 1635. in 4.

HIERONYMUS MINA' Panormitanus Sacerdos, doctrinâ, & eruditione clarus: in Panormitana Ecclesia unus ex his, qui Clerum constituunt; (Vivanderios vocant) ac Joannettini Doria S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Panormitani à Sacris Caeremoniis. Obiit Panormi 13. Julii anno 1646. Edidit Italicè suppresso nomine

Ordine delle Ceremonie del Vespro solenne, e della Messa cantata. Panormi apud Angelum Orlandū, & Decium Cyrillum 1614. in 8.

Osservationi varie circa le Ceremonie Ecclesiastiche nella Chiesa Maggiore, e Metropolitana di Palermo dal 1626. al 1632. m.s. in fol. apud me.

HIERONYMUS MONTALTUS Platiensis Philosophus, ac Medicus celebris, doctrinâ claruit anno 1592. Hujus cum laude meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 105. & Joannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiae lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 264. Edidit

De Homine sano libros tres. In quorum primo agitur de natura, & substantia hominis: in altero, de his, quae ad ipsam substantiam labefactandam, ejusque functiones violandas, valent: in tertio denique de facultate, quâ hac propulsare, & proinde illam tueri valemus. Francofurti apud Joannem Wecchelum, & Petrum Fisleram 1592. in 8.

HIERONYMUS NICOLOSIUS, ET BIASINI Panormitanus Aureae Rupis Baro, cujus genus ex oppido Nicosiae in Regno Siciliae originem deducit, ubi inter familias nobilitate praeclaras recensita floruit, & honorifica gessit munia. Morum integritate, modestiâ, aliisque animi dotibus claret. Literis apprimè instructus, amoeniores literas, ac poesim recoluit non sine laude. Vivit nunc vir eximius Panormi dum haec scribimus anno 1707. Edidit italicè sub nomine Hieronymi Colosini

Catania in lutto per la perdita del suo popolo estinto sotto le fabriche atterrate da Tremuoti nel Regno di Sicilia all' 11. di Gennaro 1693. Neapoli 1693. in 4.

HIERONYMUS OPIZZINGA Panormitanus vir nobilitate clarus: Jurisprudentiâ, politioribus literis, ac Poesi clarior. Floruit anno 1600. ac edidit discursum Italicè inscriptum:

Della Poetica diligentemente osservata dal R. P. M. Gio: Antonio Brandi Siciliano di Saleme nel suo libro del Rosario. extat cum eodem Rosario edito Romae apud Carolum Willetti 1601. in 16.

HIERONYMUS ORLANDUS Panormitanus, Typographus, & Bibliopola: Tormenti bellici explodendi arte peritus, additiones ad librum hunc Italicè scriptum fecit:

Instruttione d'Artiglieri di Santo Ajello Capo Mastro della Scuola Reale nella Città di Palermo, corretto, e ristampato con alcune aggiunte per Girolamo Orlando Artigliero straordinario. Panormi apud Buam, & Camagnam 1669. in 4.

HIERONYMUS PANORMITANUS Ordinis Praedicatorum, cui nomen dedit Neapoli in Coenobio S. Catharinae anno 1514. in eoque doctrinâ insigniter excultus, Sacrae Theologiae Magister doctissimus fuit, ac diù in lyceo Neapolitano, Bononiensi, ac in aliis Lombardiae Academiis studiorum Moderator, doctrinae splendoribus refulsit. Pontificia jura ita calluit, ut ex communi omnium sententia, paucis inferior fuerit. Virtutes coluit egregias, quibus mirificè inclaruit, ac venerationem sibi comparuit: doctrinae etenim singulari, admirandum animi candorem, ac morum innocentiam colligavit. Ab honoribus maximè abhorruit; ideoque omnes in Ordine honorum gradus semper constantissimè rejecit: & Episcopatum Annunciationis à Paulo IV. Pont. Max. sibi oblatum, aliasque primarias dignitates excipere recusavit. Regularis observantiae cultor eximius, & paupertatis sedulus custos: etsi multa à sui studiosissimis accipere jure optimo potuisset, cuncta contempsit; suadebatque omnes, ut oblatas sibi divitias Nosocomiis ex testamento legarent. Denatus est tandem Neapoli cum magna sanctimoniae fama anno 1595. in Coenobio S. Catharinae. Consule Possevinum *in appar. sacro tom.* 2. *pag.* 33. Michaelem Pium *de viris illustr. S. Dominici par.* 1. *lib.* 4. *pag.* 583. & *par.* 2. *lib.* 4. *pag.* 262. & 264. Antonium Lusitanum *in Bibliot. Ord. Praedic. pag.* 115. Altamuranū *in Biblioth. Dominic. pag.* 348. Baronium *de maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 9. *pag.* 146. Octavium Caetanum *in Idea SS. Siciliae pag.* 41. Joannem Mariam Bertinum *in Rosa Virginea quaest.* 10. *contempl.* 2. *pag.* 387. P. Joannem Michaelem Cavalerium in libro: *Galleria de' Pontefici &c. Domenicani tom.* 2. *Chron.* 4. §. 5. *num.* 9. *pag.* 94. P. Andream Rovettam *in Biblioth. Prov. Lombardiae Ordinis Praed. pag.* 127. aliosque. Edidit Italicè

Confessionario raccolto da Dottori Catholici. Post nonnullas editiones, prodiit Romae 1575. in 16. Maceratae 1619. in 24. Panormi apud Franciscū Carraram 1595. in 12. Neapoli cum variorum Auctorum Addictionibus apud Tarquinium Lōgum 1611. in 8. & iterum cum opusculo Marcelli Grassi de eadem materia apud Octavium Beltrandum 1641. in 8. & alibi saepius. Huic operi Observationes addidit Andreas Alcherius Ord. Praed. editas cum eodem 1574. & pluries, ex Ambrosio Altamurano *in Biblioth. Dominic. pag.* 357.

Andrea

Andrea Rovetta *in Biblioth. Prov. Lombardiæ pag.* 139. Coronello *in Biblioth. tom.* 2. *pag.* 708. & Leonardo Cozzando *in Biblioth. Brixiensi par.* 1. *pag.* 35. *& par.* 2. *pag.* 224. Latinè, & Italicè etiam edidit

Catechismum Catholicum Christianum juventuti instituendæ apprimè accommodatum. Venetiis apud Jordanum Zilettum, & Socios 1581. in 8.

Summam pro instructione Confessariorum, atque Pœnitentiū, in tres partes distributam. ex Rovetta cit.

HIERONYMUS PANORMITANUS Capuccinus. Primùm Regulare Minorum Excalceatorum institutum professus, ingenii præstantissimi lumina in gravioribus Theologiæ studiis patefecit: inde severioris disciplinæ desiderio ad Capucinos transiit, inter quos doctrinâ, & eruditione mirificè claruit. Scholasticam Theologiam per plures annos magna cum nominis fama, ac scientiæ veneratione docuit. Ad Definitoris Generalis, & Commissarii etiam Generalis munera evectus inclaruit. Doctrinæ pręstantiam religiosissimæ vitæ exemplis illustravit; regulari enim observantiâ, & morum sanctimoniâ refulsit: ideoque anno 1579. Panormi denatus ad virtutum præmia evolavit; ejusque gloriam cuidam sodali suo Deus ostendit. Hieronymi scripsere Boverius *in annal. Capuccin. tom.* 1. *an.* 1579. *n.* 18. Fortunatus Hueberus *in Menolog. Francisc.* 29. *Martii pag.* 795. *&* 20. *Nov. pag.* 2175. & Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucc. pag.* 156. qui multa scripsisse testatur; & apud Patres Minores Excalceatos asservari ait:

Lectiones Theologicas ad mentem Scoti. lib. II.

HIERONYMUS PANORMUS Panormitanus vir sanctitatis famâ celeberrimus; nobilibus parentibus ortus 23. Octobris 1574. à teneris annis non obscura futuræ sanctimoniæ edidit argumenta: pietatis enim officiis, ac morum innocentiâ munitus, christianæ perfectionis iter adhuc puerulus arripuit. Adolescens, etsi omnium parentum solatio penitus orbatus, literis, ac magno animi ardore virtutum studiis operam dedit. Clericali militiæ adscriptus, pueris erudiendis in latinæ linguæ præceptis incubuit: eosque verbo, & exemplo ad virtutes adipiscendas instruxit; eoq: animarum profectu, ut innumeri ejus discipuli ad Regularium Ordines transierint, ut Deo dicati soli Deo vacarent. Sacerdotio insignitus, ac Societatis SS. Quadraginta Martyrum Capellanus electus, ea in Ecclesia inter perstrepentes Civitatis fluctus, solitariam, ac Cœlestem vitæ rationem aggressus est, sibi, ac Mundo penè mortuus. At virtutum ejus odor ita latissimè effusus est, ut apud omnes sanctimoniæ ipsius opinio mirum in modum invaluerit: ideoque Joannettini Doriæ Archiepiscopi Panormitani operâ ad Canonici gradū in Panormitana Ecclesia evectus est, quem nonnisi ex obedientia accepit. Visitationis, ut ajunt, Deputatus ab eodem Archiepiscopo electus, mirâ prudentiâ ac doctrinâ munus sibi impositum exercuit. Ad animarum adjumētum nonnulla instituit sodalitia, in quibus sodalium corda cœlesti igne incendit: & ex asceticis hisce scholis innumeri à Hieronimo edocti prodiere sanctimoniâ insignes, qui ecclesiasticum ordinem illustrarunt. Heroicas viri virtutes hìc recensere, & longum esset, ac contra mei instituti leges: solùm innuam omnes in eo cumulatas insigniter effulsisse. Amor erga Deum, ac Deiparam ardentissimus, assiduum orationis studium, erga proximos charitas præcelsa, humilitas, ac sui abiectio singularis, corporis maceratio, ac nitidissimus animæ candor, nunquam lætali culpa fœdatus, eximio viro admirabile addidere ornamentum. Multis largiter donis virum egregiū Dominus cumulavit. Cordium penetralia cognovit, revelationum, ac visionum charismatibus illustratus emicuit; prophetiæ dono enituit: supra dæmones imperium habuit admirandū: innumeris tandem vivens, ac mortuus miraculis longè, lateque effulsit. Quadraginta annis SS. Quadraginta Martyrum Ecclesiam Capellani munere excoluit; & expleto quadragesimo anno, cùm ad absolutissimum christianæ perfectionis fastigium conscendisset, ac mortis suæ diem ex revelatione prævidisset, editis singularis pietatis exemplis, hilari vultu, ac ridenti ore sanctè decessit Panormi 10. Martii anno 1642. Ad viri corpus ne dum catervatim Nobiles, ac Dynastæ, verùm etiam cujusvis ordinis multitudo confluxere, ut Hieronymi pedes deoscularentur, præcarios globulos ad ipsum admoverent, vestes proscinderent. In eadem Ecclesia conditus jacet, in quo hæc legitur, inscriptio.

Servatur sub hoc marmore D. Hieronymus de Panormo, Sanctæ Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus ætatis an. LXVIII. obiit die X. Martii M.DC. XLII.

Ex ejus vitæ præclarè gestis, ac miraculis, auctoritate Præsulum Panormitanorum conditi sunt processus, & ad Sacram Rituum Congregationē Romam delati, ipsius examini subiciiuntur. Ejus vitam edidit P. Michael Frazzetta Soc. Jesu Panormi anno 1681. P. Jacobus Spinellus ejusdem Societatis eamdem latinè scripsit, quæ m. s. servatur in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc: Jesu. De eo etiam Frācíscus Maria Magius *in hist. Crucifixi Panorm. pag.* 8. Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par.* 2. *lib.* 6. *c.* 79. *pag.* 190. *lib.* 7. *cap.* 18. *pag.* 253. *& cap.* 65. *pag.* 388. Joannes Marcianus *in memor. histor. Congreg. Oratorii to.* 2. *lib.* 5. *cap.* 23. *pag.* 401. Silvius Tornamira *in centum vocationibus M. V. pag.* 334. Frazzetta citatus *in vita Aloysii Lanusa lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 198. Vincentius Auria *in Crucifixo Panorm. Eccl. pag.* 39. *&* 41. Antoninus Magrì *in notitia Novi Monasterii Panorm. Ordinis S. Basilii pag.* 30. & P. Seraphinus à Sancta Catharina Senensi *in vita P. Petri à Matre Dei capit.* 11. *pag.* 167. Scripsit Italicè

Meditationes de rebus sacris, ac opuscula ascetica, quæ m. ss. apud nonnullos servantur. Ex his *Axiomata* excerpsi, quæ in opusculum digesta, breviter in publicam lucem emittentur.

HIERONYMUS PHARAONIUS nobilis Messanensis Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, in quo Decani munere pręfuit. Theo-

logus doctissimus, ne dum Scholasticâ, sed etiam morali Theologiâ inclaruit:hâc enim facultatê in primariis Italiæ Cœnobiis publicè docuit. Floruit anno 1630. Edidit

Prontuarium Animæ, in quo duo Tractatus continentur, quorum primus est de Sacramento Pænitentiæ. Secundus de Actu Justitiæ Commutativæ, cum Appendicibus utrique Tractatui annexis. Messanæ apud Joannem Franciscum Biancum 1629. in 4.

HIERONYMUS POLITIENSIS Capuccinus ex familia Errante: antequam regulari militiæ nomen dedisset, Jurisprudentiæ Doctor, doctrinâ claruit. Ordinem amplexus, in eo tum sapientiâ, tum sanctimoniæ splendore refulsit. Virtute duce ad nonnulla præclara munia ascendit; Siculam enim an. 1579. & Calabriæ Provinciam gubernavit. Commissarium Generalem egit; & Romæ Procuratoris Generalis munere triennio functus est. Demum anno 1587. ad supremum Ordinis gradum evectus, magno regularis observãtiæ zelo Ordinem gubernavit: præsertim seraphicæ paupertatis custos fuit oculatissimus. Expleto Generalis munere, summâ etiam veneratione prosequutus est; concionator enim disertissimus, eloquentiâ claruit: ac ingenio præstantissimo munitus floruit. A vitæ exemplo, morum innocentiâ, ac virtutum ornamentis cõmendatus, sui æstimationem promeruit. In rebus agendis, etsi difficillimis, singularem detexit prudentiam. Tandem dum in Sicilia Commessarii Generalis munere fungeretur, virtutibus, rebusque præclarè gestis clarissimus, decessit Drepani Mense Januarii 1610. ut habet Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 552. qui *not. Eccl. Cephaled. pag.* 481. anno 1611. obiisse tradit. Funus à Marco la Cava Episcopo Mazarensi pontificali ritu celebratum est, præsente Senatu Drepanitano, populoque mirabiliter confluente. Funebri verò oratione Defuncti virtutes celebravit Societatis Jesu Sacerdos. De eo etiam Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucc. pag.* 157. qui perperam Neapoli defunctum scribit anno 1605. Boverius *in annal. Capuccin. tom.* 2. *an.* 1587. *n.* 1. Wadingus *de Scrip. Minorum pag.* 175. Dominicus Albertus *in hist. Sicula Soc. Jesu lib.* 4. *cap.* 12. *pag.* 367. & Joannes Ximenez *in exposit. Regulæ Fr. Minor.* Secundæ editionis, Valentiæ 1622. Edidit

Expositionem in Regulam S.P.N. Francisci, in qua plurimæ, & singulares difficultates, ac Quæstiones, solidè, & clarè examinantur, & resolvuntur. Romæ 1587. & 1593. in 4. Neapoli apud Joannem Jacobum Carlinum 1606. in 8. Ibidem apud Societatem Venetam 1606. in 8. Parisiis apud Nicolaum Buon 1612. in 12. & Coloniæ typis Nicolai Kinchii 1615. in 12.

HIERONYMUS PUGLISIUS Netinus Sacerdos, Vicarius, ut vocant Foraneus Neti: Musis gratissimus claruit anno 1595. cujus meminit Rocchus Pirrus *not Eccl. Syrac. pag.* 228. Edidit Siculo carmine

Legenda del B. Corrado Piacentino in rime volgari Siciliane divisa in Sette Canti. Panormi 1567. in 8.

Il Giuditio Universale Poema in lingua Siciliana. Ibidem 1595. in 8.

HIERONYMUS PURPUGNANUS Panormitanus Jurisconsultus, & celebris causarum Patronus. Hujus extant

Allegationes apud Io: Franciscum de Castillo *in decision. M.R.C. lib.* 3. *decis.* 250. *à pag.* 282.

HIERONYMUS RAGUSA Motycensis Societatis Jesu, natus 27. Octobris 1655. mitioribus literis, ac poeticâ eruditione abundè instructus Societatem amplexus est 15. Octobris 1671. Absoluto studiorũ curriculo, Philosophiam in Collegiis Motycensi, & Melitensi quadriennio docuit: Scholasticam verò Theologiam biennio in Calatajeronensi, quadriennio etiam in Platiensi Collegio magna cum ingenii laude explanavit. Moralem Theologiam in Collegio Saccensi tradidit, ac domesticas collationes casuum conscientiæ ad sodales suos tertiæ probationis quinquẽnio habuit. Eâdem etiam spartam ornavit in Collegio Messanensi. Utriusque linguæ eloquentiam apprimè coluit, multaque politiori stylo exarata non sine commendatione protulit, quibus Literatorum amorem, ac amplissimam eorumdem æstimationem, laudemque promeruit. Vivit nunc in Syracusano Collegio, dum hæc typis traduntur anno 1707. ubi doctrinâ, eruditione, & ingenio clarissimus Moralem Theologiam tum in domesticis collationibus, tum publicè exponit. Hujus laudes recensentur in libro: *Galleria di Minerva tom.* 4. *par.* 9. *pag.* 121. ex ipsius vitæ gestis à Hieronymo Renda-Ragusa ejus nepote per epistolam scriptis ad Hieronymum Albricium, & *tom.* 5. *pag.* 199. & 219. ex epistola Nicolai Antonii Nicolicchia ad Michaelem Angelum Fardellam: in alia memorati Hieronymi Rendæ-Ragusæ epistola nuper edita, cui titulus: *Lettera di Ragguaglio sopra gli studii, e componimenti di Girolamo Ragusa della Compagnia di Giesù all' Illust. ed Eruditissimo Signore Apostolo Zeno Nobile Cretese, Cittadino Originario Veneziano.* Ipsum etiam laudant *Monumenta Trevolciana ann.* 1702. *tom.* 5. *à pag.* 170. Vincentius Coronellus *in epistola nuncupatoria Epit. hist. Siciliæ, & Melitæ*, & *Diaria Literatorum Florentiæ, & Parmæ.* Ad Siculorum gloriam amplificandam edidit

Elogia Siculorum, qui veteri memoriâ literis floruerunt. Lugduni apud Anissonios, Possuel, & Rigaud 1690. in 12. Inde recognita, & aucta, sub nomine Hieronymi Rendæ-Ragusæ nepotis recusa, hoc novo titulo:

Siciliæ Bibliotheca Vetus continens Elogia veterum Siculorum, qui literarum famâ claruerunt. Romæ typis Bernabò 1700. in 4.

Fragmenta Progymnasmatum diversorum. Venetiis apud Hieronymum Albricium 1706. in 8. Italicè

Raggionamenti Panegirici Morali, Misti. Ibidem apud Paulum Balionum 1706. in 12.

Quæ verò prælo consignare promittit, hæc sunt:

Siciliæ Bibliotheca recens, continens Elogia Siculorum, qui nostrâ, vel nostrorum memoriâ literarum famâ claruerunt: ab anno 1500. ad annum 1700. in Centurias XV. ordine alphabetico digesta. in 4.

Sicilia Bibliotheca vetus, & recens continens Elogia

gia tum veterum, tum recentiorum Scriptorum, quò quoquo modo Siciliæ monumenta illustrarunt: in annos distributa. in 4.

Problemata Philosophica. in 4.

Dissertatio de Quantitate. in 12.

Examen Methaphysicæ. in 12.

Paradigmata Quæstionum variarum Theologico-Moralium. in 8.

Quæstiones Theologico-Morales de Virtutibus Theologicis, & Moralibus. in fol.

Quæstiones Theologico-Morales de Sacramentis. in fol.

Theologia Tripartita, de Deo, de Creatura, de Deo-Creatura, seu de Deo Vno, & Trino, de Angelis, & Hominibus, de *Verbo Incarnato.* Tom.III. in fol.

Passio Domini Nostri Jesu Christi secundùm quatuor Evangelistas, quatuor Commentariis, Paraphrastico, Grammatico, Historico, Etinco, explicata. in 4.

Paraphrasis in Pantatheucum. in 4.

Opuscula tria Canonico-Politica 1. de Electione Abbatissarum. 2. de Negotiatione Monachorum, & Clericorum. 3. de Impedimentis Matrimonio contrahendo. Totidem opuscula Theologico-Moralia. I. de Jubilæo Anni Sancti 1700. II. de Jubilæis ordinariis, & extraordinariis, præsertim de Jubilæo Bullæ Cruciatæ. III. de Indulgentiis. in 8.

Italicè

Triduo della sepultura del Religioso per risorgere rinovato nello spirito. Overo; Trattenimenti Ascetici per apparecchio alla Rinovatione de' Voti Religiosi, distribuiti in tre giornate. in 12.

Vigilie Mariane, overo Meditationi per le Vigilie delle sette feste di Maria. in 12.

Omelie al Popolo Cristiano sopra gli Evangelj Domenicali, applicati alla Passione di Cristo Signor Nostro. in 4.

Breviario della Vita, e Virtù del Venerabile servo di Dio P. Baldassare Loyola della Comp. di Giesù, Figlivolo del Re di Fes.

HIERONYMUS DE RAPIS Panormitanus; Poesi, & politioribus literis satis excultus, ac Musices peritus: inter Academicos Accensos Panormi non sine laude recensitus floruit: ab eruditione, & ingenio celebratus. Claruit an.1573. Edidit Italicè

Rime. in libro: *Rime dell'Accademia degli Accesi di Palermo.* Panormi apud Matthæum Maydam 1571. in 8. ibique laudatur *pag.* 9. ab Antonio Alfano, *pag.* 48. ab Argistro Joffredo, *pag.* 113. à Mariano Migliaccio, & *pag.* 154. à Leonardo Orlandino.

Rime. in libro secundo eorumdem carminum. Ibid. apud eumdem 1573. in 8.

HIERONYMUS REGIUS nobilis Panormitanus, natus an.1545. ineũte ętate Sacerdotio insignitus, tum amœnioribus, tum gravioribus disciplinis apprimè instructus floruit. Theologiæ præsertim eâ animi cõtentione operam dedit, ut Theologos præstantissimos coæquaverit; ut à doctrinæ profunditate summis laudibus celebratus. Huic, Jurisprudentiæ, & omnigenæ eruditionis cognitionem addidit, quibus omnibus sui æstimationem excitavit. Theologiæ, & Juris utriusque laureâ cohonestatus in Hispaniam transiit; ubi apud Philippum II. Catholicum Regem magnâ doctrinæ opinione valuit, à quo Regius Capellanus electus est: anno 1574. ad Archidiaconatum Ecclesiæ Agrigentinæ evectus, & anno 1585. Abbas S. Luciæ, & Regni Siciliæ major Capellanus constitutus. Nec ambigendum quòd ad Episcopalem dignitatem ascendisset, nisi moræ impatiens ad suos remeare curasset. Panormi morum comitate eximius, in amicorum consuetudine gratissimus vixit: ubi tandem anno 1589. denatus est. In Sacello S. Joannis Evangelistæ in Ecclesia S. Francisci sepultus jacet, vbi hoc legitur epitaphium.

D. Hieronymus Regio S. Luciæ Abbas, hujus Regni Major, & Sacr. Cath. Majestatis Philippi II. Capellanus, vitâ, & dignitatibus functus an. MDLXXXIX

Hujus viri laudes extant apud Rocchum Pirrum *not. Eccl. Agrig. pag.*324. Augustinum Inveges *in appar. tom.*3. *annal. Panorm. de familia Regio,* Franciscum de Alexandro apud Jacobum Middendorpium *in Academiis lib.*1.*pag.*243. Antonium Possevinum *in appar. sacro tom.*2. *pag.* 34. Gesnerum *in Biblioth. pag.*350. Petrum Angelum Speram de *nobilit. Professorum Grammat. lib.* 4. *pag.* 235. Rocchum Gambacurtam *in Foro Christiano par.*2. *cap.* 11. *pag.*104. & Vincentium de Joanne *in Panormo Restaurata lib.* 2. Inter illustres viros recensetur à Joanne Clessio *in Elencho virorum Literatorum pag.* 454. Quæ edidit hæc sunt:

Lathrobius, vel de Appetitione Episcopatus ad Regem Catholicum Philippum II. Compluti ex Officina Joannis Gontiani 1584. in 4.

Linguæ Latinæ Commentarii Tres. De emendata eloqutione. De figurato sermone. De amplificanda oratione. Venetiis apud Dominicum, & Ioannem Baptistam Guerreos fratres 1568. in 8. & Coloniæ 1569. in 8.

HIERONYMUS RENDA-RAGUSA Motycensis natus 24. Octobris anno 1673. parentibus Joanne Renda, & Andreanâ Mariâ Ragusâ, nedum mitioribus literis, verùm etiam & severiobus disciplinis eruditus, Philosophiæ laureâ in Platiensi Collegio Soc. Jesu donatus est. Sacerdotali insignitus caracthere, cõcionibus ad populum habendis, ac sacris confessiocibus audiendis dicatus, fidelium salutem promovere non indiligens curat. Literarum studiis egregium devovit ingenium, ac omnigenæ eruditionis Bibliothecam sibi condidit, ac in dies amplificare conatur. Instante Asdrubale Termine Episcopo Syracusano Moralis Theologiæ Academiâ nuper excitatâ, & electo literariæ palestræ Principe Joanne Antonio ejus fratre, natu majore, eo in conventu doctrinæ lumina detegit. Vivit Motycæ anno 1707. quo hæc typis consignantur. Edidit Italicè

Breviario della Vita, e Virtù del Ven. servo di Dio P. F. Vincenzo Ragusa della Città di Modica de' Minori Osservanti. Panormi apud Honuphrium Gramignanum 1705. in 12.

Lettera di Raguaglio sopra gli studj, e componimenti di Girolamo Ragusa della Compagnia di Giesù all'

all'Illustriss. & eruditissimo Signore Apostolo Zeno nobile Cretese, Cittadino originario Veneziano. Venetiis apud Joannem Gabrielem Hertz 1707. in 8. De eadem re aliam breviorem nostri Hieronymi epistolam ad Hieronymum Albricium habes in libro: *Galleria di Minerva tom. 4. par. 9. pa. 121.* At librum sub hujus nomine excusum, cui titulus: *Siciliæ Bibliotheca Vetus,* ascribendum Hieronymo Ragusæ Societatis Jesu ejus Avunculo, ipsius auctore, cui sub hujus nepotis nomine in lucem emittere placuit.

HIERONYMUS RICCIUS Drepanitanus Tertii Ordinis S. Francisci, doctissimus Sacræ Theologiæ Magister, ac Concionator disertissimus, à virtute, rebusq; præclarè gestis satis commendatus. Siculam Provinciam semel, & iterum rexit Provincialis, & Romæ aliquandiu Generalem Ordinis Procuratorem egit. Vir egregiis virtutibus ornatus, vitæ sanctimoniâ refulsit. Cœnobium Agrigentinum à fundamentis excitavit. Mortis suæ diem multò antequam evenisset prænũciavit, ad quã cùm properaret, Fratribus accersitis, ipsos maximo fervore ad regularem observantiam adhortatus est: inde cum ipsis alternatim Sanctorum litanias recitare aggressus, ad ea verba: *Propitius esto*, piissimè decessit Panormi in Cœnobio S. Mariæ de Misericordia anno 1599. & defuncti laudes funebri oratione celebravit Joseph Lanapola Conventualium S. Francisci Provincialis: anno verò 1616. tanti viri ossa F. Gregorius de Burgio ad Cœnobium Drepanitanum S. Mariæ de Angelis, à Martogna dictum, transtulit. Hujus viri meminere cum laude Abb. Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 328. & *not. Eccl. Mazar. pag.* 552. Franc. Bordonus *in Chron. Tertii Ord. cap. 25. pag. 453. & cap. 38. pag.* 556. Edidit Italicè

Statuti Generali, che racchiudono la Regola del Terz'Ordine di S. Francesco tradotti dal latino nell'idioma volgare. Panormi apud Joannem Ant. de Franciscis 1600. in 12.

HIERONYMUS ROSA Sicliensis, edidit Italicè

Brieve Compendio della Vita, e morte di S. Febronia. Messanæ apud Vincentium de Amico 1687. in 12.

HIERONYMUS SALAMON Thermitanus Sacerdos, natus anno 1556. denatus est Thermis anno 1612. in Ecclesia SS. Annunciatæ & Sacello SS. Crucifixi sepultus. Edidit

Grammaticæ Compendium. Panormi apud Decium Cyrillum 1628. in 8. & aliis annis.

HIERONYMUS A S. GEORGIA Siculus, ut testatur Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinorum pag.* 158. etsi Calabrum ex oppido Sanctæ Georgiæ fuisse contendit Joannes de Flores *in Calabr. illustr. tom. 1. lib. 4. cap. 4. pag.* 392.] Vir pietate insignis, magnum spiritus fervorem in Jesum infantulum, ac Deiparam Immaculatè Conceptam fovit. Floruit anno 1633. typisque tradidit Italicè

Ghirlanda di Fiori delle sacre lodi della SS. Vergine Madre di Dio. Messanæ apud Joan. Franc. Blancum 1633. in 16.

HIERONYMUS SEIDI Platiensis Doctor Medicus, doctrinâ excultus antiquitatum studiosus, cujus meminit Joannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiæ lib. 3. cap. 5. pag.* 172. & Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catanen. pag.* 105. qui scripsisse testatur librum

De Antiqua Platia, ac de Translatione B. Virginis Platiæ. hoc opus idem Pirrus anno 1595. se legisse ait apud Antonium Pizzutum: citatur ab eodem *pag.* 101. & à Chiarandano *lib. 3. cap. 3. pag. 158. & cap. 5. pag.* 172. ubi ejusdem historiæ fragmentum exscribit.

HIERONYMUS SILECI Panormitanus Jurisconsultus, doctrinâ, & eruditione satis munitus, causarum patronum agit Panormi non sine laude. Edidit

Allegationes habitas anno 1702. pro D. Hieronymo Bonanno contra Ven. Monasterium S. Claræ hujus Urbis in causis, in quorum prima occlusio fenestrarum ampliatarum ædium D. Hieronymi Bonanno, vel servitutis prospectus ex eis in novi dormitorii Cellas resultantis, aut pro hac toleranda, ædium venditio à Monasterio prætenditur: in altera reconventionis à dicto de Bonanno petitur hujus dormitorii fenestrarum juxta Pontificias Constitutiones obturatio, vel reformatio. Panormi apud Felicem Marinum 1702. in fol.

Allegationes habitas anno 1702. pro Illustr. Principissa Rosolini contra Rev. Sorores Mariam Columbam, & Antoniam Bonanno Moniales in Ven. Monasterio D. Catharinæ hujus Urbis in causa manumissionis Ancillæ, oblato pretio per Tertium invito Domino, vertente in Trib. M. R. C. Sedis Criminalis, & CC. DD. Ibidem apud eumdem 1702. in fol.

HIERONYMUS SPUCCES Panormitanus Doctor Medicus, ob eximiam doctrinæ præstantiam, salutaribus experimentis probatam, celebris: magnâ floruit æstimatione Panormi apud viros Principes, Proceres, aliosque nobilitate claros. Gravioribus disciplinis, ad animi oblectamentũ, mitiores etiam literas innexuit insigni cum ingenii laude. Obiit Panormi 9. Septembris anno 1635. & in Ecclesia SS. Philippi, & Jacobi Societatis Jesu sepelitur. Ipsum laudant Josephus Galeanus *in Rosalia Triumphante* in fine, & Didacus de Mastro *in causa Medicorum Poetar. pag.* 55. qui ait: *Multa scripsit poeticè Etruscâ, ac latinâ linguâ.* Quæ autem ego vidi sunt:

Argomenti del Palermo Liberato del Cav. Tomaso Ballo. Panormi apud Jo: Baptistam Maringum 1612. in 4.

Argomenti del Giorgio Poema di Matteo Donia. Ibidem apud eumdem 1600. in 4.

Apud Matthæum Doniam tum in libro: *Panormi Quæstus,* tum in opusculo inscripto: *Polysticon,* nonnulla nostri Hieronymi carmina latina extant.

HIERONYMUS SUTERENSIS Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, vir à spiritus fervore, virtute, ac vitæ exemplis laudatus. Dum Romæ Pœnitentiarium in Ecclesia S. Joannis Lateranensis agebat, ibi decessit anno 1627. Meminere hujus Arturus *in Martyrol. Francisc. primo Decembris, in annot.* §. 6. Petrus Tognolettus *in vi-*

ta

ta sororis Innocentiæ Riccio, & in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 573. & cap. 6. pag. 589. Scripsit Italicè

Vita della Serva di Dio Suor Innocenza Ricci da Trapani del Terz' Ordine de' Minori Osservanti Reformati di S. Francesco descritta dal P. Girolamo da Sotera Minore Osser. Rif. Confessore dell' istessa Serva di Dio, & ampliata dal Sig. Ludovico Jacobilli da Foligno. Fulginiæ apud Augustinū Alteriū 1629. in 12.

HIERONYMUS TRAINA ex oppido Castrinovi Ordinis Capuccinorum, natus an. 1603. Ordinis insignia accepit in Cœnobio Calatanissettæ 31. Julii 1621. In eo floruit Theologus, & Concionator eximius: in declamandis ad populum concionibus Apostolico æstuavit ardore, multosque ad meliorem frugem revocavit. Obiit in oppido Careni 16. Decembris 1671. De eo Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucc. pag.* 159. Edidit

Cento Motivi efficaci per la Conversione de' Peccatori nell' opera fruttuosa delle Quarant'hore, solita farsi da i Padri Capuccini nella Settimana Santa. Panormi apud Dominicum Anselmum 1665. in 4.

HIERONYMUS TRIMARCHI Nobilis Messanensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis. Vir doctrinâ instructissimus, & ingenii acumine apprimè clarus. Diu apud suos studiorū Moderator, Scholasticas Philosophiæ, ac Theologiæ facultates magna cum præstantissimi ingenii laude docuit; ideoque meritò Lectoris Jubilati titulo cohonestatus. In Morali etiam Theologia, ac Pontificiis Juribus versatissimus, eadem jura doctissimè explanatas tradidit. Ad nonnullos honoris gradus doctrinæ promerita virum egregium evexere; nam cùm Patres Genuensis Provinciæ ejus doctrinæ eminentiam deprehēdissent, in Comitiis Provincialibus anni 1635. in Patrē ejusdem Provinciæ cooptarunt, ac honorificis memoratæ Provinciæ muniis cohonestari posse concessere: hinc Genuensis Provinciæ Definitor electus est; ibique etiam fuit librorum censor; & tandem Vicarii Generalis munere insignitus refulsit. In Sicilia etiam fuit S. Officii Consultor: aliisque Provinciæ suæ honoribus insignitus. A Messanensi Urbe in Hispaniam ablegatus ad gravissima pertractanda negotia, cùm ad patriam remearet, ad Insulam Sardiniæ appulsus, decessit Calari circa annum 1648. Laudibus exornatur â Placido Samperio *in Iconologia M. V. lib. 2. cap. 4. pag.* 154. Francisco Lanovio *in Chronic. Minimor. pag.* 593. Placido Reina *par. 2. not. Messanæ pag.* 521. Edidit

De Confessario abutente Sacramento Pœnitentiæ. Genuæ ex typographia Petri Jo: Calenzani, & Ioannis Mariæ Farroni 1636. in 4.

Legalem abortum, seu Juridicam demostrationem pro valido regressu P. Gabrielis Lopez Ordinis Prædicatorum. Matriti apud Viduam Hidelphonsi Martin 1633. in 4.

Juridicam lucubrationem pro divisione Provinciæ Siciliæ Ordinis SS. Trinitatis à reliquo Italiæ. Genuæ apud Josephum Pavonem 1634. in 4.

Summulas, seu Introductiones ad logicam juxta Aristotelis, & S. Thomæ Aquinatis germanum sensum. Genuæ typis Petri Ioannis Calenzani, & Joannis Mariæ Farroni 1636. in 8.

Disputationes in libros Aristotelis Metheororum. Ibidem typis eorumdem 1637. in 4.

Commentaria in Cæremonias Ordinis Minimorum.

De Horis Canonicis.

De Præceptis Ecclesiæ.

De Methodo studendi

Prælo paraverat integrū Philosophiæ Cursum, sed cùm Genuæ edendum, amandasset, navis quo vehebatur naufragium passa, quæ elaboraverat amisit.

HIERONYMUS TRIOLUS ex oppido Calatafimis, natus 3. Augusti 1607. Jurisprudentiæ operam dedit, ac laureâ insignitus, inter doctissimos causarum patronos recensitus est; & in Tribunali S. Officii Siciliæ unus è secretis carcerum Advocatis. Panormi fuit meritò Pretorii Panormitani Judex, & Monteregali illius Urbis Archiepiscopi Assessor. Obiit Monteregali circa annum 1684. Edidit

Responsum pro Magno Castellæ Admirato Comite Motycæ. Panormi typis Nicolai Bua 1653. in fol.

HIERONYMUS TURANUS in oppido Burgii natus, à prima ætate literis addictus, ne dum mitiores, sed etiam & graviores disciplinas summa cum ingenii laude assequutus est: ideoque doctrinâ insigniter ornatus emeritam Sacræ Theologiæ lauream accepit. Jurisprudentiæ studiis dicatus, Doctoris insignia obtinuit. Ab amœnioribus etiam facultatibus non abhorruit; Musas etenim, eloquentiæ, & eruditionis studia non sine literatorum plausu recoluit. Perpensis ipsius doctrinæ, & ingenii viribus à Francisco Ramirez Episcopo Agrigentino, nonnullis benevolentiæ argumentis Hieronymum ad Ecclesiam suam traxit; ac paulò post Agrigentinum Canonicum constituit. Exinde ad munus Vicarii Generalis evexit: ideoque dum hæc scribimus anno 1707. Agrigentinam Diœcesim laudabiliter gubernat, ab ingenio, doctrina, virtute, aliisque egregiis corporis, animique dotibus veneratus. Edidit Italicè

Vita, e Virtù della Venerabile serva di Dio Suor Maria Crocifissa della Concezzione dell' Ordine di San Benedetto nel Monastero di Palma. Agrigenti apud Felicem Marinum 1704. in 4.

HIERONYMUS VEGINTIMILLIUS nobilissimus Panormitanus ex Baronibus Gratterii, Caroli Vigintimillii Comitis Prades frater, Clericus Regularis: natus anno 1644. annum agens 13. Ordinis institutum amplexus est Panormi in domo S. Josephi 20. Aprilis 1657. ac ibidem solemnia emisit vota 4. Julii 1660. Philosophiæ, ac Theologiæ spatia emensus sub egregio Præceptore P. D. Alberto Fardella, doctissimus evasit Theologus, cujus doctrinam demirata est Gallia, ubi difficillimas, ac novas eximii Præceptoris sententias eo propugnavit plausu, ut doctissimos Galliæ viros summâ admiratione compleverit; ac amplissimam nominis sui famam excitaverit. Moderatorum jussu in Hispaniam trajecit, & in Matritensi domo S. Mariæ de Fervore Philosophiam, ac scholasticam Theologiam cum singulari

lari ingenii laude, ac non vulgari discipulorum profectu per multos annos docuit. Bis eamdem domum Præpositi munere gubernavit; ac semel Generalis Visitator electus Hispanam Provinciam perlustravit. Eloquentiâ etiam claruit, inter præcipuos Verbi Dei Præcones meritò recensendus; dicendi elegantiâ, eruditione, aliisque naturæ, artisque dotibus abundè instructus, conciones habuit magno cum plausu: ideoque à Catholico Rege Philippo IV. Regii Concionatoris munere, ac titulo insignitus, ab ipso Rege, ac Regiæ aulæ Proceribus, non sine magna animi voluptate, semper auditus, ac maximâ veneratione prosequutus. Prudentiâ, morum gravitate, & eximia dexteritate munitus, Matriti degens in pertractandis magni momenti negotiis omnes aulæ Regiæ viros in sui admirationem traxit: ideoque permagna æstimatione valuit apud Hispaniæ Magnates, aliosque primarios illius Urbis Dynastas. A Galeatio Mariscotto S. R. E. Cardinali, tunc apud Catholicum Regem Nuntio à suis confessionibus delectus est: & pluries Episcopalem infulam in Regno Siciliæ spontè sibi oblatam recusavit. In Italiam regressus præcipuas urbes in cinerali jejunio concionibus illustravit, magnâ confluentium frequentiâ, ac literatorum plausu ubique semper exceptus: ideoq; nominis famâ ultra montes dilapsâ, à Leopoldo Imperatore in suum Concionatorem electus, Viennam accersitur, ut Dominici Adventus tempore anno 1690. ac in quadragesimali curriculo anno 1691. ibi concionaretur: eaque approbatione ab ipso Cæsare, & ab aliis confluentibus in imperiali Sacello auditus est, ut ipsemet Imperator, editis poeticis ingenii monumentis, nõ dedignatus sit laudibus Hieronymum cumulare: aliosq; ad ipsius laudes extimulare. Vidi ego libellum etruscis carminibus refertum, cui titulus: *Assemblea de' Cigni per celebrare i sudori Apostolici sparsi dal Reverendissimo P.D. Girolamo Ventimiglia Palermitano Chier. Reg. Teatino, e Predicatore Ordinario del Re Cattolico nell' Augustissima Cappella della Sacra Cesarea Real Maestà dell' Imperadore Leopoldo l'Avvento, e la Quaresima* 1690. e 1691. Viennæ Austriæ apud Joannem Van Ghelen 1691. in 4. Alium verò ita inscriptum: *Sonetto fatto sopra le Rime sforzate date dalla Maestà Cesarea all' Autore in applauso alle bellissime Prediche fatte nell'Imperial Cappella, e nell'Avvento, e nella Quaresima passata dal Reverendiss. P. D. Girolamo de'Principi di Ventimiglia Predicatore Ordinario della Maestà Cattolica.* Viennæ Austriæ apud Susannam Christinam Viduam Matthæi Cosmeronii Typographi S. M. C. in 4. Romam cùm noster Hieronymus remeasset, ab Ordinis sui Moderatore vocatus, Procuratoris Generalis munere cohonestatus est: ac tandem ab Innocentio XII. Pontif. Max. Liparensis Episcopus eligitur anno 1694. Hanc autem Ecclesiam singulari prudentiâ, ac pastorali vigilantiâ nunc laudabiliter moderatur: cui nonnulla addidit ornamenta ad ipsius splendorem amplificandum. Cùm autem anno Jubilæi 1700. Sacra limina visitaturus Romam contendisset, vacante Apostolica sede ob Innocentii XII. mortem, ipse inter innumeros Præsules concurrentes delectus est, ut orationem ex more haberet ad S.R.E. Cardinales de eligendo Summo Pontifice: quam non sine Patrum laude dixit; ac sui æstimationẽ jam diu doctrinâ, eloquentiâ, rebusque præclarè gestis conceptam, haud parùm adauxit. Ad summum Ecclesiæ fastigium evectus Clemens XI. ab ipso inter Episcopos Pontifici assistentes adscriptus est. Vivit Præsul eximius dum hæc scribimus anno 1707. Ipsum laudant Marius Reitanus in poemate inscripto: *Il Rogiero in Sicilia lib. 10. st.80. pag. 282.* Bonifacius Bagatta in Vita Caroli Thomasii *par.1. cap.23. pag.162.* Bartholomæus Ferro *in hist. Mission. Cleric. Regul. tom. 2. lib.4. cap. 25. pag. 467. & lib. 5. cap. 8. pag.563.*

Multa scripsit, at quæ edidit, hæc sunt:

Sermo de eligendo Summo Pontifice habitus in Basilica Vaticana ad Eminentiss. & Reverendiss. S.R.E. Cardinales die 9.Octobris Anno Jubilæi MDCC. Romæ apud Petrum Oliverium 1700. in 4.

Italicè

Vita della Ven. serva di Dio Suor Giacinta Mariscotti Monaca nel Monistero di S. Bernardino di Viterbo. Ibid. apud Marcum Ant.& Horatium Campanam 1695. in 4.

HILARION PERDICARUS Politiensis Ord. S. Joannis de Deo Sacerdos: nobili loco natus anno 1624. ad Ordinem accessit 14. Januarii 1642. Vir sanè doctrinâ, & eruditione insigniter ornatus. Politioribus literiris clarus, inter Academicos Reaccensos Panormi adscriptus est, inter quos Poesi, & eloquentiâ eminuit. Conciones habuit non vulgares, immò omni laudũ præconio dignas. In Cœnobio, & Nosocomio Panormitano vicarias gessit curas; Angelico Rampullę pluries Ordinis Generali gratissimus. In Siculo S. Officii Tribunali librorum censorem egit. Anno ætatis 49. obiit Panormi 21. Januarii 1674. Ipsum laudibus prosequuntur Placidus Reina *in hist. Messan. par.2. pag.91.* & Vincentius Auria *in Rosa Cœlesti pag.37.* Edidit Italicè

Il Fuoco Celeste Raggionamento per le lodi del B. Giovanni di Dio Fondatore della Religione di quelli, che curano gl'Infermi. Panormi apud Petrum de Isola 1659. in 12.

L'Iride Protetta sacro Raggionamento recitato nel sacrato Tempio del Convento, ed Ospedale della Religione di quelli, che curano gl' Infermi di Palermo nel giorno della solennità quivi celebrata à 3. di Giugno del 1663. in honore di Nostra Sign. della Lettera. Ibid. apud Josephum Bisagnium 1663. in 4.

Cronologiche Notizie della Vita, Morte, e Miracoli del B. Giovanni di Dio Fondatore della Religione di coloro, che curano gl'Infermi, chiamati Fate ben Fratelli. Ibidem apud Augustinum Bossium 1666. in 4.

Scripserat etiam Italicè

Cronica della Religione de' Fate ben Fratelli.

Panegirici, e Sermoni varii.

Discorsi Accademici.

HILARIUS. Inter S. Augustini epistolas, num. 88. extat *Epistola ad S. Augustinum*, sub Hilarii no-

nomine, cui Augustinus epist. 89. respondet. Hanc non Hilarii prædicti, sed alterius Hilarii multò recentioris esse rectè perpendit Bellarminus *de Scrip. Ecclesiast.* ubi de Hilario Pictaviensi scribit: in hac enim de Pelagianis agitur, qui post Hilarii Pictaviensis obitum exorti sunt. Idem Bellarminus de Hilario Arelatensi agens, ait: aliam epistolam (hanc libris S. Augustini *De prædestinatione Sanctorum* præfigitur) *scriptam ad S. Augustinum de prædestinatione*, cujus occasione Augustinus scripsit libros *de Prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ*, non esse Hilarii Arelatensis, sed laici cujusdam Hilarii. Bellarminum sequitur Philippus Labbæus *de Script. Eccles. tom.* 1. *pag.* 453. *&* 457. ubi de utroque Hilario Pictaviensi, & Arelatensi. Gulielmus Cave *in Scriptorum Eccles. historia literaria tom.* 1. *pag.* 117. de Pictaviensi Hilario pertractans, epistolas duas nō Hilarii hujus esse ait: additque, quòd *videntur Hilarii Arelatensis esse, idque Bellarmino, & Labbæo:* sed Bellarminus & Labbæus Arelatensis non esse, apertè, at innui, tradidere. Idem Cave *pag.* 232. ubi de Arelatensi agit, epistolas prædictas inter Augustini opera, quæ ejusdem libris de prædestinatione præfigi solent, non ejusdem esse scribit, sed laici cujusdam Hilarii. Joannes Gillotius, qui Hilarii opera edidit, *in commentatione de S. Hilario* iisdem præfixa ait, epistolam prædictam n. 88. inter D. Augustini epistolas, nonnullos adscribere cuidam Hilario Syracusano, ad quem, & ad Prosperum libros de prædestinatione misit Augustinus. Et sanè Syracusis integritate, religionis studio, & pietate insignem vixisse ex eadem epistola, & ex Augustini responsione liquidò patet. Hunc ideoque Hilarium Syracusanum, ex arctissima cum D. Augustino amicitia, virum doctrinâ clarum fuisse conjicere licet: at quę scripserit, quæque gesserit, præter epistolas supra relatas, temporis injuriâ periere.

HIPPOLYTUS Siculus, incertæ sedis in Sicilia Episcopus, claruit magnâ sanctitatis famâ, ac prophetico spiritu insigniter afflatus, antequam Saracenorum sævitia Siciliam occupasset; nempè ante annum 827. ex Octavio Caetano *tom.* 2. *SS. Siculor. pag.* 36. *& in animad. pag.* 14. Episcopum hunc inter Siculos Præsules incertæ sedis meritò recenset Rocchus Pirrus *lib.* 2. *Siciliæ Sacræ pag.* 463. nam etsi Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 26. *pag.* 252. Messanensem Episcopum fuisse velit; id non alio argumento confirmat ex Petro Ansalonio *de sua familia pag.* 350. (quòd non sine risu observat Hieronymus Ragusa *in Siciliæ Biblioth. Vet. pag.* 141.) nisi quia bona derelicta primi occupantis fiunt: aut quia bona propria liberorum ab intestato decedentium, parentibus obveniunt: cùm verò Messanam Siciliæ parentem opinetur; quisquis Siciliæ Episcopus, sine peculiaris sedis nota appellatur, Messanensem Episcopum arbitratur; & Messanensem pro Siculo censendum putat. At cujus sint ponderis hæ rationes, prudentum judicio discutiendas remitto, à jurgiis inter Siculos alienus. Huic Hippolyto, Sancti titulum adscribere dubitavit Caetanus *in Idea operis SS. Siculorum pag.* 21. at Ragusa cit. Sanctitatis nomen eidem ultrò concessit. Scripsit Hippolytus.

Vaticinia, quibus sub ænigmatico velamine multa prædixit: & in ipsa ex eventu fides maxima derivata. Hinc celebris nedum inter Christi Fideles, sed etiam apud Saracenos refulsit: & tum in Sicilia, tum etiam in Orientales plagas Hippolyti nomen celebris fuit. Hæc Vaticinia apud Græcos, & Saracenos, unà cum quibusdam oraculorum libris, quos Danielis Visiones vocabant, magnâ servabantur religione. Horum meminit Luitprandus Episcopus Cremonensis in legatione, quam Octonum Augustorum nomine habuit anno 968. ad Nicephorum Phocam Constantinopolitanum Imperatorem: eamque edidit Henricus Canisius in suis antiquis lectionibus, & Baronius *tom.* 10. *annalium ann.* 968. ubi *nu.* 51. de Hippolyti nostri vaticiniis, & Caetanus *tom.* 2. *SS. cit.* ibique aliquot ex prædictionibus ejus leges, cum Lutiprandi interpretatione.

HIPPOLYTUS ARMINIUS Leontinus Sacerdos, & Poeta, vixit circa annum 1516. quo magnâ egregii Poetæ famâ claruit, ex Jo: Jacobo Adria *in topographia Mazariæ.* Hujus meminit Philadephus Mugnòs *in epist. nuncup. de Raptu Proserpinę pag.* 10. & Philadelphus Maurus *in hist. SS. Alphii Phil. & Cirini lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 72. Scripsit carmine

Hippomachiam. Ex Jacobo Grasso in Collectanea *de laudibus Panormi*, apud Vincent. Auriam *in disc. de dignitate Prætoris, & Senatus Panormi, in fine Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 221. ubi nonnulla ipsius carmina exhibet.

HIPPOLYTUS FALCONE Nobilis Syracusanus Clericus Regularis natus 22. Novembris anno 1623 ex Lucio Falcone Carrubæ Barone. Adolescens, ut ea, quæ ex peregrinatione comparantur oblectamenta in se derivaret, Italicam peregrinationem aggressus, præcipuas hujus regionis urbes perlustravit: at dum in Galliam transire meditabatur, Genuæ lætali morbo correptus est: & cùm in summo vitæ discrimine versaretur, voto se adstrinxit Clericorum Regularium institutum amplexurum si ad pristinam sanitatem restitueretur: hinc ex B. Andreæ Avellini, quem ipse enixè invocaverat, patrocinio, ad optatam incolumitatem revocatur. Rejectis itaq; cunctis vitæ commodis, ac omnia quæ & sanguinis splendor, & primogeniti jus eidem facilè spondebant, in eadem urbe Genuæ Clericorum Regularium habitum suscepit, ac Panormi Solemnia emisit vota 3. Februarii 1647. Emensis Philosophiæ, ac Theologiæ spatiis, in quibus pręstantissimi ingenii aciem detexit, sacris eloquentiæ studiis operam dedit: hinc dissertissimus concionator evasit; ab orationis suavitate, eruditionis ubertate, eloquentiæ vi, ac aliis animi, corporisq; dotibus, doctiorum omnium calculo, inter pręcipuos ęvi sui concionatores recēsitus est, & egregias ubique promeruit laudes. E suggestu magno cum plausu semper auditus, in præcipuis Italiæ civitatibus eloquentiæ lumine effulsit;

sit; ac duo & viginti annis quadragesimale curriculum declamando confecit. Cultissimi ingenii vires lyricis modulis probavit. Eximiam etiã prudentiam detexit, cùm Syracusanam domum rexit Præpositus, ac Sicilię, & Calabrię Visitatorem egit. Morum comitate, ac animi candore venerationem, amoremq; sibi conciliavit. Demũ dum, etsi ętate gravatus, indefesso labore ingenii monumenta typis tradenda parabat, decessit Panormi 30. Novembris anno 1699. in ædibus Divi Josephi non sine magno Literatorum dolore. Hujus laudes recenset P.Josephus Silos *in hist. Cler. Reg. par. 3. lib. 12. pag. 580. & in Analectis epigram.cent.3. pag.104. & 105.* Joannes Baptista de Judice *in carm. par.1. pag. 93.* Placidus Reina *in hist. Messanæ par. 2. pag. 91.* Joannes Evangelista Panormitanus *in anagram. pag. 153.* Marcellus Cavalerius *in Peregrino ad Garganum dial. 6. pag. 380.* Jo: Paulus ab Epiphania in libro: *Stravaganze della natura lib. 4. pag. 169.* Jacobus Lubranus,sub nomine Pauli Brinacii, in lib. *Scintille Poetiche pag. 252.*& Pyrrus Schittinus *in poes. pag. 90.* Edidit Italicè

Narciso al Fonte, cioè l' huomo che si specchia nella propria miseria. Parte prima. Panormi apud Bossium 1664. in 12. & iterum apud Colicchiam 1665. in 4.

Parte seconda. Panormi apud Colicchiã 1665. in 4. & Messanæ apud Paulum Bisagni 1671. in 4. Venetiis prima, & secunda pars apud Jo: Gabrielem Hertz 1702. in 4. Prodiit etiam hoc opus latinitate donatum.

La Nuvola Oratione Panegirica delle lodi di San Paulo Apostolo predicante in Messina. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1664. in 4.

Panegirici. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1668. in 12.

Panegirici, e Declamationi. Bononiæ apud Jacobum Montem 1672. in 12.

Vita di S. Leoluca Abbate Protettore della Città di Monteleone. Neapoli apud Antonium Bulifon in 12. sine anno.

I Fasti dell' Arcangelo S. Michiele Prencipe della Militia Celeste cavati dal Testamento vecchio. Venetiis apud Nicolaum Pezzanam 1684. in 4. hoc opus recusum fuit immutato titulo, nempè: *Lettioni morali sopra la Sacra Scrittura.* Venetiis apud eũdem 1694. in 4.

Il Pindo Sacro opera, in cui si descrivono i miracoli dell'Arcangelo S. Michiele Prencipe della Militia Celeste. Panormi Typis Caroli Adami 1691. in fol.

I Trionfi del Tebro superati da quelli dell' Oreto nella solennità dell'anno 1691. consecrata alle Glorie di S. Rosalia V. Palermitana. Ibid. apud eumdem 1691. suppresso nomine.

La Granadiglia del Calvario, cioè la Passione di Giesù Cristo. Ibid. apud eumdem 1694. in 4.

Della Resurezione di Giesù Cristo, e di quel che fece in Terra fin che mandò lo Spirito Santo sotto l'Allegoria dell'Amaranto. Opera postuma. Ibidem apud Josephum Gramignanum 1701. in 4.

Compendio della Vita del Glorioso S. Gregorio Taumaturgo, con la divotione, che si deve fare à gloria di così gran Santo. Panormi apud Joannem Adamum 1694. in 12. & iterum apud Josephũ Gramignanum 1700. in 24. suppresso nomine.

Prælo parata reliquit hæc alia, quæ lucem aspicient, nempè

Il Giglio delle Convalli, cioè la nascita di Cristo.

La Rosa eloquente, cioè la Predicatione di Cristo.

Vita di Suor Maria Caraffa Sorella di Paulo IV. Papa.

Sessanta Panegirici.

Quaresimale.

Il Cerbero di Tre Capi, overo danni del Peccato.

La Filomela, overo del Purgatorio, e suffragio dell'Anime.

Sermoni del SS. Sacramento.

HIPPOLYTUS AB HIPPOLYTO Mazarensis, Græcis, latinisque literis apprimè instructus, amœniora studia coluit. Cultissimi ingenii vir, tum latiã, tum etruscã Poesi egregiæ indolis elegantiam prodidit. Panormi magno prosequutus honore, non modò inter Academicos Accensos recensitus claruit, verùm etiam, & ad ipsorum Principatum fuit evectus. Obiit Mazaræ 23. Julii anno 1579. Laudatur à Roccho Pirro *not. Ecclesiæ Mazar. pag. 543.* Honorio Dominico Caramella *in Museo pt. 126.*& Michaele Foscareno *in notis ad eumdem.* Edidit

Emblemata ad Joannem Austriacum. Panormi apud Maydas 1574. in 4.

Italicè

Poesie. in libro: *Rime degli Accademici Accesi di Palermo.* Panormi apud Maidam 1571. in 8.

Poesie. in libro secundo eorumdem carminum. Panormi apud eumdem 1573. in 8.

HIPPOLYTUS MAJA Panormitanus Francisci Ambrosii Maia (de quo suo loco) frater, annum agens 17. literarum amore accensus, cùm matris blandimenta declinasset, Messanam contendit, ubi Jurisprudentiæ operam dedit. Exhausta abundè doctrinã, Doctorali laureã donatus est anno 1621. Tum ingenii sublimitate, tum studiorum labore ad egregium doctrinæ fastigiũ elatus, causarum patrocinio nominis sui famam satis perspicuam effecit. Defuncta uxore Ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, ac Sacerdotio insignitus Cæsarei, ac Pontificii juris studia prosequutus est. Hinc Romam profectus ab Ulderico de Carpineo S.R.E. Cardinale in suum Auditorem delectus fuit. A Cosma Torres Cardinale, & Montisregalis Archiepiscopo Montèregalè accersitus est, ut Assessoris munere fungeretur: quòd non sine doctrinæ laude præstitit. Defuncto verò Archiepiscopo ad Vicarii Generalis gradum evectus fuit. Undique à doctrinæ splendore, ab uberi eruditionis thesauro veneratus refulsit. Jurisprudentiæ studia amœnioribus literis exornavit: hinc tum in Reaccensorum Academia, tum in Romanis literatorum lyceis ingenii monumenta sive solutã oratione, sive numeris alligata, Græcã, Latinã, & Etruscã linguã plausibus excepere bonarum artium amantissimi. Patriæ studiosus Panormi jura forti pectore, immò magni animi ardore sæpè propugnavit. Tandem Panormi denatus

natus est 25. Martii anno 1682. Hippolytum laudat Fran. Ambrosius Maja ejus frater *in vindicatione S. Catharinæ Senensis pag.394.* & Alphonsus Salvus *in suis Prosis pag.237.* Edidit

Consultationum Juris Civilis practicabilium, ac decisivarum Partem primam. Panormi typis Joan. Bap. Maringo 1631. in fol. & iterum Panormi apud Nicolaum Buam 1656. in fol.

Additiones ad primam Partem Consultationum locupletissimas. Ibidem apud Nicolaum Buã 1656. in fol.

Observationes ex dispositionibus utriusque Juris selectas pro libro Primo, qui observationes in Bullam Clementis PP. VIII. super Reformatione Parochialium Urbis Panormi continet. Partem Primam. Ibid. apud eumdem 1650. in fol.

Partem secundam. Panormi apud Didacum Buã 1667. in fol.

Tertiam Partem prælo paraverat: ut etiam

Observationes in Bullam Clementis VII. in fundatione Ordinis Clericorum Regularium.

HONORIUS DOMINICUS CARAMELLA Panormitanus Sacerdos natus 15. Februarii 1623. à teneris unguiculis se totum literarum studiis addixit: eoque animi ardore, ut in gravioribus disciplinis addiscendis ad doctrinæ fastigium pervenerit: nam præter humaniores literas egregiè acceptas, Philosophicis, ac Theologicis facultatibus abũdè instructus, Doctorali laureâ donatus est. Inde Mathematicas disciplinas à præstantissimo viro Carolo Maria Vigintimillio didicit, qui Honorium ob ingenii elegantissimi felicitatem summè dilexit. Nec sacrarum literarum studia, quibus fuit versatissimus, prætermisit. At supramodum amœnioribus literis animum admovit: hinc ab eruditione, poesi latinâ, Etruscâ, Siculâ, solutaque oratione clarissimus, apud literatos magna valuit opinione; ac inter Academicos Reaccensos Panormi, Incognitos Venetiarum, Humoristas Romæ, aliosque adscriptus, eximiæ æstimationis argumentis fuit exceptus. Vividâ, ac fœcundâ ingenii indole munitus, innumera cultissimè, acutèque concinnavit: etsi ad lepidè concinendo naturæ quodam impetu trahebatur, quo omnium animos sibi conciliabat: ideoque primarios ævi sui literatos in sui amorem traxit non modo Panormi, verùm etiam Romę, & Venetiis, ubi diu moras protraxit; inter quos ex primis recensendi Petrus Michael, & Ioannes Franciscus Lauredanus à Poesi, & eloquentia celeberrimi, Michael Foscarenus, aliique literarum amantissimi. Horũ operâ Canonicatũ in Ecclesia Bergomẽsi fuit Honorio oblatũ; at ipse sublimiorum honorum spe extimulatus, cùm amicorum studium grati animi significatione excepisset, Romam se contulit, ubi non modò primę notę literatis gratissimus fuerat, verùm etiam & apud Bernardinum Spadam S.R.E. Cardinalem magnâ ęstimatione vixerat; nec ambingendum quod Cardinalis, ejus virtutis, ac doctrinæ amantissimus, Honorium ad sublimiora evehere curasset, ut non obscurè commonstrabat: sed mortis intempestivę sęvitia omnia obtruncavit. Obiit Romę 10. Februarii 1661. Hujus laudes recensent Josephus Galeanus *in Musis Siculis par.2. tom. 1. pag. 152.* Joannes Vigintimillius *in Poetis Siculis pag. 441.* Joannes Franciscus Lauredanus *in epist. par.1. p. 364.* Philippus Labbeus *Biblioth. Bibliothec. pag.86.* Tanti viri prodiere

Museum illustrium Poetarum, qui ad hæc usque tempora latina carmina scripserunt, cum notis Michaelis Foscareni nobilis Veneti. Venetiis typis Omnibonii Ferretti 1651. in 12. & iterum Venetiis apud eumdem 1654. in 12. Hanc lucubrationem Etruscis carminibus expresserat Petrus Michael, cujus opus servatur m. s. apud me.

Sacra Romana Purpura, seu S. R. E. Cardinalium viventium laudes. Venetiis apud eumdem 1654. in 12.

Carminum Juvenilium Centuria selecta. Venetiis ex typographia Juliana 1655. in 12.

Prospero Philippo Balthassari Hispaniarum Principi Puerilis Nœnia à Gloria decantata. Romæ typis Francisci Monetæ 1658. in 4.

Vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis par.2. tom.1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephũ Bisagniũ 1662. in 12. Italicè

Novelle Amorose 35. & 36. In libro inscripto: *Cento Novelle Amorose degli Accademici Incogniti par. 3.* Venetiis apud Guerilios 1651. in 4. harũ duo nampè 35. & 36. sunt nostri Honorii. Quæ vel jam absolverat, vel elaborabat adhuc subinde, hæc sunt.

Carminum libri quatuor.

De Arcanis Naturalis Philosophiæ libri quatuor.

Theocritus metro latino donatus.

Quod tanta casuum conscientiæ scriptorum copia magis conscientiæ noceat, quam prosit liber singularis.

Gloria Militaris, seu de Illustribus militiæ Ducibus, & fortitudine præstantioribus militibus, cum Antiquorum, tùm Recentiorum Elogia, Tomis duobus *distincta.*

Ephemerides universalis historiæ ab anno 1623. quo natus auctor, usque ad hæc tempora Tomis decem comprehensæ.

Nulla dies sine linea, seu lucubrationes inceptæ ab anno ætatis auctoris 13. usq: ad hoc tempus. Tomo unico in fol.

Flores historiarum. Tom. I.

Historicorum historia. Tomi duo in fol.

Poetarum latinorum Vitæ. Tomus I.

Juristarum, & Medicorum Historia. Tomus I.

Pictorum, & Musicorum Elogia. Tom. I.

De Latinis Grammaticis, Rhetoribus, & Oratoribus insignioribus.

Notitiæ historicæ. Tom. I.

Medicorum latinorum Græcorum, & Arabum historia. Tom. II.

De latinis Philosophis, & Theologis. Tom. I.

Latinorum Sacræ Scripturæ Interpretum Elucidationes historicæ. Tom. I.

De Mathematicis insignioribus Brevis historia. Tom. I.

Speculum Summorum Pontificum. Tom. I.

Serenissimorum Venetæ Republicæ Principum Elogia. Tom. I.

Sacra Romana Purpura, seu S. R. E. Cardinalium (quantùm obscuritas temporum permittere potest) Gesta. Tom. I. in fol.

Panegyrica oratio in laudem Ferdinandi Austriaci Hungariæ Regis.

Italicè verò

Rime Italiane libri quattro.

La Politica ridotta à questioni, ò vero somma di Questioni Politiche libri tre.

Capricci poetici, ò vero Rime burlesche

Consulto fatto d' ordine d' Apollo da Medici prestantissimi, sopra le presenti infermità della Signora eloquenza. Lettione Accademica.

Musica Prattica Politica, nella quale s'insegna a' Principi Cristiani il modo di cantare un sol mottetto in concerto. Lettione Accademica.

HONORIUS ANSALONIUS Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis. Claro genere exortus, solemnia emisit vota in Cœnobio S. Martini juxta Panormum 15. Novembris anno 1579. Eumdem S. Martini Cœnobium, ut etiam aliud S. Flaviæ Calataniſſettæ Prioris munere gubernavit. Vir doctus, Græcis, Latinisque literis satis excultus, sui opinionem excitavit. Claruit anno 1590. non anno 1570. ut ait Arnaldus Wion *in ligno Vitæ lib. 2. cap. 69. pag.* 427. qui scripsisse ait:

Grammaticam Græcam. servatur m.s. in Bibliot. S. Martini.

HONORIUS alter Panormitanus ex familia DE JORLANDA, ejusdem Ordinis, ac Monasterii alumnus: solemnia concepit vota 9. Novembris anno 1523. Cœnobiis S.Martini, & S. Nicolai de Arenis Catanæ Prioris munere præfuit. Vir fuit in Ecclesiasticis Ritibus, ac Cæremoniis, sacrisque literis versatissimus. Floruit anno 1540. Scripsit tractatum

De duabus Mariis, cujus pergrande volumen m. s. asservatur in Bibliotheca ejusdem Cœnobii S. Martini.

HONUPHRIA BONANNO Panormitana nobili genere exorta, literisq; insigniter exornata. Etruscas coluit Musas, & haud exiguam laudem ab ævi sui literatis assequuta est. Floruit anno 1571. De ea Joannes Maria Amatus *in notis ad orat.2. pro studiis Collegii Panormitani n.*50. Scripsit Italicè

Rime. sed temporis injuria periere: solùm pauca ejus carmina vidi in fine libri inscripti: *Rime dell'Accademia degli Accesi di Palermo*. Panormi typis Jo. Matthæi Mayda 1571. in 8. quibus aliis respondet Antonini Alphani, qui *pag.* 8. Honuphriam Cœlesti Sponso dicatam, à virtute, puritate, sanctimoniæ vitâ, aliisque animi dotibus laudat.

HONUPHRIUS CICALA Panormitanus Jurisconsultus doctissimus, ac præclarissimus causarum Patronus. Eruditione affatim refertus in ipsa adolescentia, egregias ingenii dotes, ac doctrinam non sine doctiorum admiratione, ac laude patefecit. In ipso ætatis flore vivis ereptus 12. Maii an.1648. & in Ecclesia S.Dominici Fratrum Prædicatorum sepultus, conceptam sui spē penitus delevit. Ipsum laudat Marius Giurba *in decisis observationibus, observ.* 116. *n.* 26. Edidit

Commentaria in Titulum de Actionibus Institutionum. Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanova 1642. in fol.

HONUPHRIUS FORTINUS Panórmitanus Sacerdos, in lucem editus est die 12. Junii an.1635. Emensis humaniorum literarum spatiis, eximias ingenii dotes ab adolescentia gravioribus Philosophiæ, & Theologiæ facultatibus summa cum laude devovit: ideoque doctrinâ insigniter instructus, emeritam lauream accepit. Cùm autem Medicæ arti sedulam navasset operam, ingenio, studioque abundè suffultus, ad eam pervenit medicinæ peritiam, ut Doctoris insigniis ornatus, inter præstantissimos Medicos adscriptus semper effulserit: ne dum enim communi omnium plausu civium langores curavit, verùm etiam instaurandæ sanitati Principum, Dynastarum, Præsulum, ac Regni Siciliæ Proregum persæpe adhibitus est, non sine ægrotantium profectu, ac permaximâ nominis sui laude. Hos inter recensendi Franciscus Benavides S. Stephani Comes, Joannes Franciscus Paciecus Uzedæ Dux, Petrus Colon Veraguæ Dux, Joannes Emmanuel Fernandez Paciecus Marchio Villenæ, Franciscus de Judice S. R. E. Cardinalis, & Isidorus de la Cueva Marchio Bedmar Proreges, qui in suum Medicum Honuphrium delegere, & ipsius doctrinæ præsidia experti, vel incolumes servati, vel pristinæ valetudini restituti, eumdem maximis honorum argumentis affecere. Parochus Regii Castri ad mare Panormi anno 1675. electus, apud Archiepiscopos Panormitanos eximiâ æstimatione valuit. Ab humanioribus literis non abhorruit; eruditione apprimè ornatus inter Academicos Reaccensos cooptatus claruit: & dum Panormi nonnullæ vigebant Academiæ, quas Ferdinandus Bazan Archiepiscopus Panormitanus in propriis ædibus excitaverat, Academiæ Theologiæ mysticæ præfuit. Restituta Panormi primævo splendori Jatrophysicorum Academia, in ea primus electus est Princeps: ac iterùm, & tertiò confirmatus, aliorum doctrinam utiliter, ac doctè fovere curavit. Dum hæc scribimus anno 1707. virtute, doctrinâ, aliisque naturæ bonis clarus, vivit Panormi. Edidit

De Natura, & salubritate Aeris Panormitani Expositionem. Panormi ex typographia Augustini Epiri 1704. in 4.

Excell. Domini D. Joannis Francisci Pacieco Ducis Uzedæ Elogium. Ibidem apud Joannem Adamum 1695. in 4.

HONUPHRIUS MALATESTA Panormitanus Ordinis S. Francisci Paulensis, natus 8. Septembris an. 1665. sacri Instituti insignia obtinuit 3. Decembris anno 1681. & eodem die anno 1682. solemnia emisit vota. Emensis studiorum spatiis, Philosophiam, ac scholasticā, & Moralem Theologiam sodales suos docuit, ab ingenio, & doctrina laudatus. Quatriennio etiam sacras literas eruditione munitas explanavit. Concionatorem sacrâ eloquentiâ exornatus, utiliter egit: ideo-

ideoque Josephus Gasch Archiepiscopus Panormitanus dum Diœcesim suam perlustraret, Honuphrium secum deduxit, Missionarii, ac Confessarii sui munere, & titulo insignitum; cui gratissimus vivit. Tyrones, ac Ordinis Clericos ad instituti leges laudabiliter instruxit. Alcamense Cœnobium semel, & iterum gubernavit: ut etiam Drepanitanum, & Panormitanum S. Olivæ, in quibus eximiâ prudentiâ valuit. In oppido Calatafimis triennio præfuit, ob tentatam ibi Cœnobii fundationem. Superstes Panormi dum hæc typis traduntur an. 1707. multis vitæ integerrimæ, naturæque bonis clarus, & summâ æstimatione nõ immeritò prosequutus vivit. Prælo committet opus insigne, cujus initium edidit, nempè:

La Crusca della Trinacria, cioè Vocabulario Siciliano, in cui non solo le parole, ma ancora le frasi, e modi di parlare in questo Regno si trasportano con proprietà alla favella Italiana, e nell' Idioma latino: accresciuto in maggior copia di Metafore, Argutie, Motti, e Proverbii; ornato di frasi Oratorie, e Poetiche, con Sinonimi, ed Epiteti, e ciò che appartiene all'Arti liberali, e Mechaniche. Con la notizia delle Città, Terre, Castelli, Monti, Fiumi dell' Isola, Nomi de'Titoli, e Famiglie, che n'ebbero l'Investitura, e che oggidì le possiggono. Panormi typis Dominici Cortesii 1706. in fol.

HONUPHRIUS PARUTA Panormitanus, Philippi Paruta viri celeberrimi filius, Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus. Hunc meritò suavissimo quodam amoris sensu memoratus Philippus cõplectebatur, ob egregiam ipsius indolem, & in scientiarum studia propensam animi volũtatem: inerat enim ipsi literarum ardor eximius, ac paterna vestigia sequutus, eruditione, & gravioribus disciplinis animum instruxerat: at mors virum sanè inclytum ad sublimia properantem obtruncavit, conceptam de ipso spem abrupit, ac Philippo patri funus maturavit. Decessit Honuphrius Panormi 12. Julii 1629. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium sepultus est. Edidit Italicè

Descrittione dell' Arco Trionfale apparecchiato dalla Chiesa Metropolitana di Palermo per la venuta dell'Illustrissimo, & Reverendiss. Signore il Cardinal Doria Arcivescovo di Palermo. Panormi apud Joan. Bap. Maringum 1609. in 4.

Relatione delle Feste fatte in Palermo nel 1625. per lo Trionfo delle Gloriose Reliquie di S. Rosalia Vergine Plermitana. Ibidem apud Petrum Coppolam 1651. in 4. opus posthumum, operâ Patris D. Simplicii Paruta fratris, Monaci Casinensis, qui ipsum perfecit.

HONUPHRIUS PUGLISIUS Panormitanus, vir amœniotibus literis, eruditione, ac Poesi insigniter excultus. Mathematicas, & Astronomicas coluit disciplinas, ob quas singulares promeruit laudes; ideoque literatorum amorem in sui venerationem excitavit. Extrema clausit Panormi 11. Januarii anno 1679. & in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, quam vocant *del Ponticello*, sepulturã accepit. Edidit Italicè

Aritmetica divisa in tre libri, nella quale s'insegna con facilità possibile la di lei prattica mercantile. Panormi apud Bisagnium 1654. in 4. & iterum Panormi apud Augustinum Bossium 1671. in 4. apud Petrum Coppolam 1678. in 4. & apud Felicem Marinum 1702. in 4.

Prattica Economica Numerale, nella quale s'insegna il modo di tenere regolatamente i libri di conti, con l'esemplare di una scrittura signorile formata al moderno stile, che per maggior chiarezza contiene il Giornale, col libro Maestro. Panormi apud Bossium 1671. in 4. & iterum apud Petrum de Isola 1678. in 4.

Prælo paraverat Italicè

Aritmetica speculativa.

HONUPHRIUS VITA Augustanus, nobili genere ortus anno 1624. Francisci Vita, de quo suo loco, frater: Juris utriusque doctor doctrinâ, & eruditione excultissimus fuit. Augustæ decessit 29. Aprilis 1676. & in Ecclesia S. Dominici sepultus jacet. Edidit Italicè

Il patrocinio demostrato in honore del Patriarca S. Domenico Patrono, e Protettore della Veneranda Città d' Augusta. Messãnæ apud Petrum Bream 1657 in 12.

Reliquit m. ss. hæc alia nempè:

De Doctoratus in Jure dignitate, Excellentia, atque Præstantia. Opus ex Scriptis, Juribus, ac prudentum responsis, Imperatorum, Regum quoque decretis contextum, atque elaboratum: inquo selectorum Jurisconsultorum Siculorum Elogia inveniuntur, & aliquantulum exscribuntur. m. s. in fol.

Ad Nostrorum Principum placita Divorum Friderici II. Cæsaris, Martini, Caroli V. Philippi II. & Philippi IV. Siciliæ Regum inclytorum Augustæ Urbi Siculæ, ejusque Civibus indulta, schedæ exiles ex Juris Elementis, atque veterum rerum monumentis exceptæ. Cum annotationibus ad consuetud. de Præscrip. Jur. Prothom. & Consanguinit. & ad jus municipale mensuræ Augustanæ. m. s. in fol.

HORATIUS ALIMENA Nobilis Panormitanus, elegãtissimi ingenii vir: ne dum severioribus disciplinis animam abundè instruxit: verùm etiã amœnioribus literis ingenium mirabiliter expolivit. Poesim præcipuè coluit, quâ vividissimæ mentis vires patefecit: ideoque ea, quæ cecinit latinâ, Etruscâ, ac vernaculâ, linguâ, eximiam suavitatem redolentia, emeritis laudibus ab eruditis semper excepta. Hinc in Reaccensorum Academia Panormitana inter præstantiores locum obtinuit. At non modò in facultatibus omnibus adipiscendis indefesso labore desudavit, verùm etiam & aliorum ingenia ad literarum exercitationes semper excitavit: ideoque memoratam Academiam insigni animi ardore sæpius tepescentem fovit; ac ipsius splendorem sedulò amplificare curavit. At hoc inclytum ejus studium eidem mortem acceleravit; cùm enim quadam die ad diluenda corporis vitia medicam potionẽ suscepisset, nec statim depravatos humores dissoluisset; post prandium, insito ad literas amore tractus, ut consuetis Academiæ exercitiis adesset, ad ipsam in Cœnobio S. Francisci se contulit: ac dum ibi iucautè assistit, excussa bilis eâ vi Horatium

tium urgere cœpit, ut paulò post in opinato interitu oppresserit in eodem Cœnobio 11. Junii 1670. non sine Literatorum dolore, & in Ecclesia S. Nicolai de Calcia sepultus est. Reaccensorum Academia benemerentissimo sodali justa persolvit 5. Martii 1671. & in ipsius laudem funebrem orationem dixit Joannes Baptista de Judice; aliique verò Academici Defuncti virtutes extulerunt. Laudibus ornant Horatium Joannes Baptista de Judice *in carm. primæ edit. pag.* 344. & in aliis *par.* 1. *pag.* 82. Josephus Galeanus *in Musis Siculis par.* 4. *pag.* 307. ubi editas leges vernaculâ linguâ nostri Horatii

Canzoni Sacre Siciliane. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1653. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. in eisdem Musis parte 3. Ibidem apud eumdem 1651. in 12.

Multa reliquit m. ss. Italicè, præsertim

Epistole in risposta all'Epistole di Antonio Bruni, hæc jam absolutę, ac prælo paratę.

Poesie Liriche.

HORATIUS AMANTHIA Catanensis Juris utriusq; Doctor, antiquitatum sedulus perscrutator. Doctrinâ apprimè excultus in Catanensi Academia legum feudaliũ interpres, anno 1626. claruit. Edidit

Litanias, Preces, Rogationes ad laudes B. Agathæ V. & M. Catanæ apud Jõannem Rossi 1630. in 12.

HORTENSIUS SCAMMACCA Nobilis Leontinus Societatis Jesu, natus anno 1562. Josephi fratris natu majoris vestigia sectatus Societatis habitum accepit anno 1582. cui solemni votorum Sacramento se adstrinxit. Vir utique inclyto morum candore, ac prudentissimâ simplicitate insignis. Ob egregias ingenii dotes, severioribus disciplinis instructissimus, eminuit; in amœnioribus autem singularis fuit: & in Græcis, Hebraicis, & Arabicis literis mirificè versatus. Tragicam Poesim non sine laude coluit, multaque juxta severioris doctrinę Aristotelicæ leges concinnavit. Sacras aliquandiu literas magno cum plausu explanavit. Eximiis virtutibus ornatissimus refulsit: Regularis observantiæ studiosus, ac tenacissimus paupertatis cultor egregius. In Deum, ac SS. Virginem ferventissimas amoris flammas enutrivit: hinc assiduè sacris precibus addictus: & de rebus divinis, non sine animi ardore, colloquia frequenter instituebat, quæ sæpius uberi lachrymarum copiâ abluebat. Tandem in Collegio Panormitano annum agens 86. decessit 16. Februarii 1648. Hujus laudes habes apud *Bibliothecam Soc. Jesu pag.* 353. Carolum Ant. Conversanum *in Ætherea Leontinor. Gloria pag.* 45. Pirrum *not. Eccl. Syrac. pag.* 240. Josephum Galeaum *in Musis Siculis p.* 2. *tom.* 1. *pag.* 98. De eo etiam P. Angelicus Aprosius sub nomine Jo: Petri Jacobi Villani in libro *Visiera alzata pag.* 70. Allatius *in drammaturgia ind.* 11. *pag.* 436. & Michael Frazzetta in *Vita Aloysii la Nusa lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 6. Edidit Italicè partim sub aliorum nomine, partim sub proprio, Tragœdias 44. in tomos 14. distributas, hoc ordine, nempè:

Delle Tragedie Sacre Morali Tomo primo 1. *l'Amira Trag. Mor.* 2. *Il Chrisanto Trag. Mor.* 3. *l'Alesio Trag. Sacra.* 4. *la Rosalia Trag. Sacra.* Panormi apud Joannem Baptistam Maringum 1632. in 12.

Tomo Secondo. 5. *Hernando Trag. Mor.* 6. *La S. Lucia Trag. Sac.* 7. *Il Roboamo Trag. Sac.* Panormi apud eumdem 1633. in 12.

Tomo Terzo. 8. *La S. Agata Trag. Sac.* 9. *La Teodolinda Trag. Moral.* 10. *La Demetria in Trabisonda Trag. Moral.* 11. *Il Cristo Resuscitato Trag. Sac.* Panormi apud eumdem 1633. in 12.

Tomo Quarto. 12. *Il S. Placido Trag. Sac.* 13. *Il Christo Morto Trag. Sac.* 14. *La Demetria in Teodosia Trag. Sac.* Panormi apud eũdem 1633. in 12.

Tomo Quinto. 15. *Il Consalvo Trag. Sac.* 16. *La Neomenia Trag. Sac.* 17. *Il Boemondo Trag. Mor.* Ibid. apud eumdem 1633. in 12.

Tomo Sesto. 18. *I Santi Fratelli Trag. Sac.* 19. *Il Goffrido Tr. Mor.* 20. *La Susanna Tr. Sac.* Ibidem apud eumdem 1633. in 12.

Tomo Settimo. 21. *L'Apostolo delle Spagne Trag. Sa.* 22. *Il Giustino Trag. Sac.* 23. *L'Eutropia Tr. Sac.* 24. *Il Parto della Vergine Trag. Sac.* Ibidem apud eumdem 1633. in 12.

Tomo Ottavo. 25. *Il Courado Trag. Sacra.* 26. *Il Filottete Trag. Mor.* Ibidem apud Hieronymum Roscellum. 1639. in 12.

Tomo Nono. 27. *Il Matteo di Termine Trag. Sac.* 28. *Il Giuseppe Venduto Trag. Sacr.* 29. *Il Polifemo Atione Satirica-Morale.* Ibidem apud eumdem 1639. in 12.

Tomo Decimo. 30. *Il Gio: Decollato Trag. Sac.* 31. *Orlando Furioso Tr. Mor.* 32. *Il Giuseppe Riconosciuto Tr. Sac.* Ibidem apud Nicolaum Buã, & Michaelem Portamnovam 1644. in 12.

Tomo Undecimo. 33. *L' Eufrasia Trag. Sac.* 34. *L' Elena Tr. Mor.* 35. *L'Isigenia in Aulide Tr. Mor.* Ibidem apud Petrum Coppolam 1645. in 12.

Tomo Duodecimo. 36. *Il Tomaso in Canturbia Tr. Sa.* 37. *Il Tomaso in Londra Tr. Sa.* 38. *Il Tomaso Moro Tr. Sac.* Ibidem apud DeciũCyrillum 1648. in 12.

Tomo Decimo terzo. 39. *L' Euplio Tr. Sacra* 40. *Il Leone Taumaturgo Tr. Sac.* 41. *L' Oreste Tr. Mor.* Ibidem apud Buam & Portamnovam 1648. in 12.

Tomo Decimo quarto. 42. *La Margarita Tr. Sac.* 43. *La Trachinie Tr. Mor.* 44. *La Fenisse Tr. Mor.* Ibidem apud Decium Cyrillum 1648. in 12.

Servantur etiam m. ss. in Bibliotheca Soc. Jesu Panormi

Il Giustino
Il Tomaso in Canturbia.) *Tragedie.*

HYACINTHUS AB ASCENSIONE Messanensis Ordinis Excalceatorum S. Augustini. Edidit Italicè

Il Vello d'oro arricchito d'arte chirurgica, diviso in sette utilissimi trattati. Messanæ apud Vincentium Amicum 1693. in 12.

HYACINTHUS CAMPOLUS Messanensis Ordinis Prædicatorum natus 22. Julii 1646. vix ætatis annum 13. attigerat cùm ad solius cujusdam Dominicani verbum mirificè incensus, Ordinis Prædicatorum institutum se amplexurum decrevit, quòd ei quædam Dei famula ejus consanguinea ab ipsius nativitate non obscurè prædixerat:

xerat: hinc à Thoma Lando viro virtutibus claro, ad inculpatam vitæ rationem institutus, exacto triennio 11. Aprilis 1662. in Cœnobio Tauromenitano Religionis habitum suscepit, & 13. Aprilis 1663. solemnia emisit vota. Studiis dicatus ob egregiam ingenii felicitatem, decursis laudabiliter Philosophiæ, ac Theologiæ spatiis, anno 1673. Lectoris munere insignitus est. Sed cũ ex naturali quadam propensione ad divini verbi declamationem animus sese inflecteret, Sacræ Eloquentiæ studiis operam dedit: à teneris enim annis prædicationis suæ specimen præbuit; cùm ab anno ætatis 12. ad familiares suos pueriles conciones habuisset. Hinc suscepto concionatoris munere, non sine plausu, ac animarum fructu, in cinerali curriculo conciones eloquentiâ, & eruditione refertas habuit per annos viginti, & ultra, præsertim Messanæ, Tauromenii, Pactis, Troinæ, Randatii, aliisq; Siciliæ oppidis; ideoque anno 1686. in Generalibus Ordinis Comitiis Romæ coactis, Generalis Concionatoris titulo fuit cohonestatus. Apostolicas etiam Missiones habuit, quibus ubere n animarum fructum collegit. Ab Archiepiscopo Messanensi D. Francisco Alvarez Missionarius pro tota Messanensi Diœcesi renunciatus est: & in eodem munere à D. Josepho Migliazzo, in Archiepiscopatu successore, confirmatus. Nonnulli etiam Ordinis sui Provinciales in Sicilia hoc eodem Missionarii titulo exornatum voluere. Cœnobium Bibonense, ac Myrtense rexit Prioris munere: & in Messanensi Cœnobio S. Dominici Subprioris, ut vocant, munere semel, & iterùm præfuit. Vivit nunc vir ornatissimus dũ hæc scribimus anno 1707. Edidit Italicè

Tesoro del SS. Rosario diviso in tre Parti. Messanæ apud Vincentium Amicum 1698. in 4.

HYACINTHUS CIACCIUS Caccabensis Congregationis Oratorii Panormitani Sacerdos, severioribus disciplinis excultus, sacræ Theologiæ laureã accepit: doctrinâ, & eruditione clarus, in studiis assiduus, magnam sui venerationem concitavit. Obiit Panormi 7. Septembris 1681. Edidit Italicè suppresso nomine

Relatione delle Pompe festive celebrate in Palermo per la solenne Traslatione delli SS. Martiri Antimo, Macario, Teogene, Mediato, Teodora, & altre molte sacre Reliquie nella Chiesa di S. Ignatio M. della Congregatione dell'Oratorio, la terza Domenica d'Ottobre del 1664. con la descrittione della famosa Cappella dell' istessa Chiesa dove si conservano le venerãde Reliquie. Panormi apud Josephũ Bisagniũ 1664. in 4.

Vita di S. Ignatio Vescovo, e Martire. Panormi apud Petrum de Isola 1678. in 12.

HYACINTHUS COMPARATUS Panormitanus, poesi tum latinâ, tum vernaculâ insignis. Florente adhuc ætate obiit Panormi anno 1647. Ipsũ laudat Josephus Galeanus *in Musis Sicul. par. 2. tom. 1. pag.* 304. ibique habentur Siculâ linguâ nostri Hyacinthi

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterũ apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

HYACINTHUS GRIMALDUS Panormitanus, Medicus Doctor: aliquando Senatus Panormitani à Rationibus. Vixit eruditione, & doctrinâ munitus anno 1650. Edidit Italicè

Dell'Alchimia opera, che con fondamenti di buona filosofia, e perspicacità ammirabile tratta della realtà, difficultà, e nobiltà di tanta scienza, delle maraviglie della natura, dell'arte, e de' metalli, e delle regole, e metodo da osservarsi nella compositione dell' oro alchimico. Panormi apud Alphonsũ de Isola 1645. in 4.

HYACINTHUS MARIA FORTUNIUS Panormitanus Sacerdos, vir ingenio clarus, gravioribus disciplinis Philosophiæ præsertim, ac Theologiæ fuit apprimè instructus: sed in amœnioribus literis singularis. Eloquentiâ, eruditione, Poesi latinâ, etruscâ, vernaculâ nulli secundus, multa cum sui nominis gloria concinnavit, multa cum eximiis ingenii sui laudibus protulit. In Reaccensorum Academia Panormitana recensitus, vividissimas ingenii dotes detexit, ac literatos omnes in sui amorem concitavit. Orator egregius è suggestu nonnulla, eloquentiæ nitore præclara, & eruditione ornatissima dixit; ac Panormi in Ecclesia Congregationis Oratorii quadragesimale curriculum confecit magnâ cum eruditorum frequentiâ, ac plausu. Panormitanæ Ecclesiæ S. Mariæ de Itria iuxta portam Castri fuit Capellanus: inde Operis dispersorum Rector, quo in munere non sine literatorum dolore decessit Panormi 2. Februarii 1671. & in Ecclesia Oratorii sepulturæ traditus est. Ipsum laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis par. 4. p.* 127. ubi vernaculâ linguâ extant nostri Hyacinthi

Canzoni sacre Siciliane. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1653. in 12. Edidit etiam Italicè

Descrittione del Trionfo fatto in Palermo celebrandosi à 15. di Luglio dell' anni 1651. e 1652. l'Inventione di S. Rosalia V. Palermitana liberatrice della Peste. Panormi apud eumdem 1652. in 4.

Gli Ossequii festivi di Palermo, e le Pompe fatte à 13. 14. e 15. di Luglio 1653. per la sua Cittadina S. Rosalia liberatrice dalla Peste occorrendo l'annual solennità dell'Inventione del sacro Corpo di detta Santa. Ibid. apud Buam 1653. in 4.

Gli Applausi di Palermo alla Maestà Cattolica di Filippo Quarto il Grande, e le feste celebrate in essa Città negli anni 1652. e 1653. per le vittorie di Barcellona, Casale, e Duncherche. Panormi apud Nicolaum Buam 1655. in 4.

La Mole Trionfale eretta in Palermo ad onore di Filippo IV. Gran Monarca delle Spagne. Poema latino recitato nella sala del Collegio di Palermo, da un Padre della Compagnia di Giesù (cioè P. Francesco Carrerà) *e tradotto in ottava rima Italiana dal detto Fortunio.* Ibidem apud Petrum de Isola 1663. in 4.

Le Scintille della Selce, Saggio dell' Accademia de' Raccesi di Palermo, cioè l'Imprese degli Accademici. Ibid. apud Augustinum Bossium 1658. in 12. Extat apud me opus egregium m. s. manu ejusdẽ auctoris exaratum, quod inscripsit:

Aurea Concha pretiosissimis ornata laudem gemmis à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, ab Historicis, Cosmographis, Geographis, Chronistis, Commentato-

tato-

tatoribus, *Poetis*, *Oratoribus, aliisque id genus auctoribus Græcis Latinis, Italis, Hispanis*, *& cujuslibet idiomatis, quas è vetustissimo omnium ferè Bibliothecarum Oceano hactenus collegit*. Hoc opus moriens D.Vincentio Auria patriæ amantissimo tradidit, qui & mihi perhumaniter largitus est: & addito tomo secundo, edendum spero. Prælo etiam paraverat

Quaresimale.

Panegirici.

HYACINTGUS MARIA ROSCIANUS Panormitanus Ordinis Prædicatorum, insigni munitus ingenio studiorum curriculum non sine laude confecit. Lector electus Philosophiam sodalibus suis tradidit; & scholasticam Theologiam in Panormitano lyceo S. Dominici Regentis munere docuit, à doctrinæ profunditate non immeritò commendatus. Hinc Magistri laureâ donatus sui opinionem excitavit. In sacrarum literarum & SS. Patrum libris versatissimus, ecclesiasticâ eruditione refertus effulget. Apud SS. Inquisitionis Senatum claruit Consultor, Qualificator, & librorum Censor. Panormitanum Cœnobium S. Dominici gubernavit. Conciones habuit eloquētiâ, & eruditione laudabiles. In sermonibus præsertim SS. Rosarii Deiparæ, quos diu in memorati Cœnobii Ecclesia dixit, miram sui pietatem erga Virginem semper detexit, cujus cultum amplificare studuit, ac promovere non cessat, dum hæc typis traduntur anno 1707. Edidit Italicè

Rosario Annuale della Beatissima Vergine Maria Madre di Dio; overo Meditazione perpetua delli Quindeci Misterii del Sacrosanto Rosario. Tomo Primo, che comincia dalla prima Domenica dell'Avvento, e termina nella Domenica, che precede la Pentecoste. Panormi typis Joannis Baptistæ Ajccardi 1705. in 4.

Tomo Secondo, che comincia dalla Domenica di Pentecoste, e termina nell' ultima Domenica, dell' Anno Ecclesiastico. Ibidem apud eumdem 1706. in 4.

HYACINTHUS MONTALTUS Panormitanus Ordinis Prædicatorum; generis claritatem doctrinæ, & eruditionis splendore illustravit. Prædicatoris Generalis titulo insignitus effulsit. Vivebat Panormi anno 1636. ut Rocchus Pirrus tradit *in not. Eccl. Syracus. pag.* 206. Scripsit Italicè

Historia della Religione di S. Domenico nella Provincia di Sicilia. m.s. servatur in Bibliotheca Cœnobii Panormitani S. Dominici, quam citat Pirrus cit. & Ioannes Bap. de Franchis *in vita B.Petri Heremiæ pag.*85.125. *& indice Auctorum.*

HYACINTHUS PENSABENE Alforensis Juris utriusque Doctor, primarius causarum Patronus, qui ob egregiæ doctrinæ splendorem ad multos honorum gradus meritò evectus, magnâ sui venerationem excitavit: pluries enim fuit Judex Prætorii Panormitani, ac Tribunalium Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & Magnæ Regiæ Curiæ: inde Regii Patrimonii Fisci Patronus, ac tandem à Rationibus Magister. Inter forenses curas amœniores literas, præsertim Poesim coluit. Obiit Panormi 19. Novembris 1691. & in Ecclesia S. Mariæ de Remediis PP. Carmelitarum Excalceatorum sepelitur. Ipsum laudant Franciscus Strada *in libro Quietationum pag.* 18. & Joannes Baptista de Judice *in carm. pag.* 1. *pag.* 73. Multa Allegationum volumina scripsit, at tantummodo editæ extant quædam

Allegationes apud Paulum Perramutum *in Consilia Jureconsultorum partis tertiæ tom.*2. Panormi apud Augustinum Bossium 1671. in fol. *à pag.* 22. *& seq.*

HYACINTHUS POTITUS Catanensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, Theologus, ac Concionator dissertissimus: floruit anno 1643. Edidit Italicè

L'Aquila Nera funebre discorso nell' esequie dell' Em.e Reverendiss.D.Gioannettino Doria Cardinale di S. Chiesa, col titolo di S. Pietro in Montorio Arcivescovo di Palermo. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1643. in 4.

HYACINTHUS SALEMIUS Motycensis, vir mitioribus literis apprimè excultus: in Motycensi Academia Principem egit. Claruit anno 1678. quo in lucem emisit Italicè

Trattato della Bilancia delle voci Italiane. Panormi apud Petrum de Isola 1678. in 12.

HYACINTHUS TRABONA Politiensis, natus 20. Augusti 1595. literisque admotus, primùm Clericali militiæ nomen dedit, & anno 1613. minoribus Ordinibus initiatus. Inde gravioribus disciplinis, & Medicæ facultati ingenium devovit, ac Doctoris laureâ cohonestatus, doctrinâ inclaruit. Cephalœdium diu inhabitavit, ubi usq;ad supremam vitæ lineam morbos curavit, summo cum ægrotorum profectu. Obiit Cephalœdii 16. Februarii anno 1664. & in Ecclesia S. Catharinæ sepultus est. Edidit

De Medicamento purgante quarta die dissertatiotionem, in qua cum Hippocratis, tum Galeni auctoritatibus, tumque calidissimis rationibus quarta die non esse purgandum statuitur. Panormi apud Alphonsum de Isola 1636. in 4.

I



IACOBUS AGLIATA Panormitanus, nobili genere ortus, pluries Senatoris munere patriã gubernavit: Panormitanæ tabulæ nummulariæ etiam præfuit, & anno 1624. cùm in Urbem Panormi pestis grassaretur, Deputatus, ut vocant electus, pro urbis incolumitate nimiùm desudavit. Scripsit Italicè

Notamento di tutti i Capitani, Pretori, Giurati, e Governatori della Tavola della Città di Palermo dall' anno 1282. per tutto l'anno 1626. hæc Chronologia plurimorum manibus attrita, tandem edita est Panormi typis Petri Coppola 1697. in fol. in calce Historiæ Chronologicæ D. Vincētii Auria.

IACOBUS AMATUS Collesanensis Jurisconsultus, & Poeta; claruit anno 1612. Edidit Italicè

Poema Sacro della Vita, Martirio, e Morte della Gl. S. Christina V. e M. Protettrice, e Padrona della Felice Città di Palermo. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1612. in 8.

JACOBUS BENDICIS Drepanitanus Sacerdos Sacræ Theologiæ Doctor, ac Concionator disertissimus. Edidit Italicè

Vita della Veneranda, & humil Serva di Dio Suor Angela Maria Carissima della Città di Trapani dell' Ordine de' Frati Minori Conventuali di S. Francesco. Messanæ apud Jo: Frãciscum Biancũ 1633. in 4. Ex relatione mihi trasmissa ab eximio viro Josepho Barlotta, Oratorii Drepanitani Præposito, protulit etiam quasdam *Funebres orationes* diversis in locis editas, ac etiam scripsit: *de modo predicandi Evangelium libros duos.*

JACOBUS BONANNUS Syracusanus vir nobilissimâ familiâ progenitus, Philippi Bonanni primi Montisalbani Ducis, & Antoniæ Romanæ Columnæ filius; hæreditario jure Dux & ipse Mōtisalbani. Ne dum literis & ereditione addictus, verùm etiam & literatorum studiosus fuit, quos liberalitate, & benevolentiâ complexus est. Prudentiâ, ac morum comitate refulsit, ac cùm præcipuas Italiæ urbes perlustrasset, illustrium virorum, & præsertim Columnensium Principum, ac Petri Pauli Crescentii S.R.E. Cardinalis amorem sibi conciliavit. Vitam absolvit anno 1636. De eo Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 213. & Mugnòs *in Theat. Geneol. p. 1. pag.* 155. & 156. Sub ejus nomine extat Italicè

L' Antica Siracusa Illustrata. Messanæ apud Petrum Breã 1624. in 4. Petrus Carrera *in hist. Catanę lib. 1. cap. 1. pag.* 8. & *lib. 4. pag.* 410. post Jacobi obitum se hujus operis auctorem jactat, quòd multis arridet: sed Joannes Vigintimillius *in Poet. Sicul. cap. 5. pag.* 29. & 30. Carreræ jactantiam exprobat.

JACOBUS BONINCONTRUS Siclensis Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, inter quos Generalis Cōcionatoris titulo eminuit. Singularis Ecclesiastes, ob eximiam eloquentiæ vim, & egregiam memoriæ felicitatem, omnes concionando in sui admirationem excitavit. Ex regulari Ordine egressus, ac clericali habitu insignitus, obiit mense Iunii 1637. ut habemus ex Roccho Pirro *not. Eccl. Syrac. pag.* 256. Edidit Italicè

Sermone Funerale nell'esequie del Catolico Rè di Spagna, e dell'Indie D. Filippo III. d' Austria recitato in Palermo nell'Oratorio delli Bianchi à di 8. d' Agosto del 1621. Panormi apud Angelum Orlandum 1621. in 4.

JACOBUS CÆSARIUS Messanensis Juris utriusque doctor, Poeta eximius, & Officinę Messanensis Academicus. Claruit anno 1670. Edidit

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina. Trattenimento Terzo, & Quinto.* Neapoli apud Andream Colichiam 1670. & 1671. in 4.

JACOBUS CALDARONE Panormitanus, in lucem editus primo Januarii anno 1651. literisq; à teneris annis addictus, non vulgarem eruditionem sibi comparavit. Philosophus, Medicus, Pharmacopola, & Chimicus expertissimus sui æstimationem excitavit. Botanicæ facultati dicatus, plenam plantarum, herbarumque cognitionem assequutus est, earumq; naturam, ac vires scientissimè calluit. A Siciliæ Archiatro Lectoris, Recognitoris, & Examinatoris Generalis Siciliæ, Insularumq: adiacentium munera promeruit. Amœniores literas non sine eruditorum commendatione coluit. Dum hæc typis traduntur Panormi laudabiliter vivit. Edidit Italicè

Epistola Botanica. in libro: *Bizzarrie Botaniche di alcuni Semplicisti di Sicilia publicate, & dichiarate* da Nicolò Gervasi. Neapoli apud Novellum de Bonis 1673. in 4.

Pretia simplicium, ac compositorum medicaminum: de ordine, & mandato Ill. Pretoris, & Prothomedici D. Joseph Valguarnera Principis Nixemi, &c. ab omnibus observanda. Panormi typis Petri Coppola 1697. in 4.

Scripsit etiam hæc alia, quæ evulgebit; nempè:

Examen, & Ædipus Aromatariorum. Italicè

Della natura, qualità, e virtù della terra di Baida chiamata fuori Panacea, e della Pietra di Montagna di

di Cane detta la polvere di Chiaramonte, ò vero del Fondacaro, non ancor da alcuno descritte.

Del modo come è fatta la china china, con l'anatomia di essa, e vero modo di conoscerla, e usarla.

JACOBUS CARDIA Messanensis Soc. Jesu, vir gravioribus disciplinis egregiè instructus; Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam in Messanensi Collegio docuit. Rexit domum Messanensem Tertiæ Probationis. Dum hæc scribimus an. 1707. ingenio, ac doctrinâ conspicuus vivit Messanæ. Edidit Italicè

Il Violento Evangelico oratione Panegirica detta nell' Ingegnosa Città di Noto nel funerale del Ven. P. Diego Cannata Eremita da Taormina presente il Cadavere à 17. di Luglio 1694. Messanæ apud Antoninum Masseum 1700. in 12.

JACOBUS CARIBDIUS nobilis Messanensis Soc. Jesu, natus anno 1555. Societati nomen dedit anno 1569. in qua ob egregias ingenii vires, quibus à natura abundè munitus fuerat, nō modò gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinis apprimè instructus vixit, verùm etiam Poeta, ac Orator singularis claruit. Philosophiam, Romæ, & Messanæ docuit; inde Scholasticam Theologiam, cujus & lauream accepit. Sexennio collegium, & Domum Professorum Messanæ, & alibi gubernavit magna cum prudentiæ laude. A virtutum splendore commendatus, in orationis studio assiduus, in passionibus infringendis oculatus, in proximos, præsertim sibi adversantes, beneficus fuit: alienæ detractionis impatiens, omniū lapsus excusatione purgabat. Ab urbe Messanæ Romam missus anno 1609. ad Paulum V. ut Sanctorum exuvias Sociorū Placidi in secūda inventione repertas apostolica facultate firmaret, ōnia ex voto obtinuit. Tandem Messanæ decessit 6. Augusti 1620. ex Biblioth. Soc. Jesu *pag.* 361. vel 2. Augusti ex Placido Samperio *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *pag.* 224. De eo etiam vide Placidum Reinam *in hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 524. Paulum Bellum *in Gloria Messan. lib.* 1. *c.* 17. *pag.* 90. Octavium Caetanum *in animad. ad to.* 1. *SS. Sicul. pag.* 157. Bonfilium *in narrat. triumphi pro 2. inventione SS. Placidi p.* 13. Philip. Labbæū *in Chronolog. Pinacoth. Scrip. Soc. Jesu an.* 1620. *pag.* 337. ubi ex typographi errore legitur Jac. Charibodius, & tandem Benedictum Chiarellum *in monum. Sacris Messanæ pag.* 171. Edidit

Orationem de Christi Domini morte ad Sixtum V. P. M. anno 1586. Extat in libro inscripto: *Orationes quinquaginta de Christi Domini morte habitæ in die Sancto Parasceves à Patribus Soc. Jesu in Pontificio Sacello.* Romæ typis Vitalis Mascardi 1641. in 12.

Officium SS. Placidi, & Sociorum à Sacra Congregatione approbatum: ex Abb. Pirro *lib.* 4. *pag.* 244.

Admonitionem pro Epistola Mariæ Virginis ad Messanenses. apud Bellum in Gloria Messanensium *loc. cit.*

Extat apud me oratio, cujus titulus:

Oratio de vera hominis felicitate Panormi habita in innovatione studiorum Collegii Soc. Jesu ad felicissimum ejusdem Urbis Senatum anno Domini 1585. m. s. in 4.

JACOBUS LO CASCIO Thermitanus. Claruit anno 1610. ediditque Italicè

Descritione dell' origine, vita, costumi, morte, e miracoli del B. Agostino da Termene detto il Novello dell' Ordine Eremitano. Panormi apud Joannem Antoninum de Franciscis 1611. in 4.

JACOBUS CATANZARUS Mylensis, Juris utriusq: Doctor: ex Antonino de Amico *in dissert. epist. pag.* 26. & Philippo Amico *in Ref. hist. pag.* 15. & 113. scripsit opus, cui titulus:

Mylarum tripartita Civitas. m. s.

JACOBUS DE CHIRCO Panormitanus, ut ex ejus testamento in tabulis Petri Crassi 4. Decembris 1484. patet. Jurisconsultus magni nominis, doctrinâ celebris: qui pluries in Magnæ Regiæ Curiæ foro præfuit Judex, Regiusq: Consiliarius claruit. Magnificentissimas extruxit ædes Panormi, eleganti opificio, turrique ornatas contra S. Nicolai Sodalitium, sive Andreæ Navarri opus, quas non multis, ab hinc annis palatio suo addidit Podii Regalis Princeps. Supra harum ædium portam hæc legebatur inscriptio.

Hanc Ædem à solidis fundamentis construxit D. Ja. de Chirco Judex Magna Curiæ an. D. M. CCCC. LXIIII ind. XII.

Hanc inscriptionem retulit Petrus Cannizzarius *in lib. de Relig. Panor. pag.* 415. qui addit Iacobum denatum anno 1484. & in proprio Sacello in Ecclesia S. Francisci Minor. Conventualium sepultum. Hujusce doctissimi Jurisconsulti extant:

Apostillæ super capitulis 139. & 140. *Ritus Regni Siciliæ. in Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano.* Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Pragmaticam Alphonsi de Censibus Annotationes. Apud Petrum de Gregorio de Censibus Panormi typis Io: Ant. de Franciscis 1609. in 4. & iterum typis Francisci Ciotti 1622. in fol.

Scripsit etiam

In Cap. Volentes de feudis, quod opus citat Marius Muta in cap. Volentes Regis Friderici 28. *num.* 75. *pag.* 109. Franciscus Milanensis *decis.* 1. *lib.* 1. *num.* 37. *pag.* 3. ideoq; à Camerario Beneventano in responsione ad Io: Antonium Cannetium in calce operis ejusdem Cannetii *de feudis pag.* 369. inter doctos feudorum Scriptores recensetur.

Consilium Comitatus Sclafani. citatur à prædicto Milanense *lib.* 1. *decis.* 9. *n.* 107. *pag.* 68.

Allegationes in causa fluminis Dyonisii. citantur à Muta *tom.* 2. *in Cap. Regni cap.* 75. Iosepho Xibecca *in allegat. Buteræ pag.* 18. & 62. & Garsia Mastrillo *decis.* 56. *num.* 30.

JACOBUS CITA Drepanitanus Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magister doctissimus, cujus meminit Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 546. Scripsit ex Joanne Michaele Pio *de Viris illustr. Ordin. Prædic. par.* 2. *lib.* 4. *pag.* 378. Italicè

Historia della Città di Trapani.

& ex relatione P. Josephi Barlotta Congregationis Oratorii Drepanitani, scripsit etiam

Philosophiam, ac Theologiam. JA-

JACOBUS CONFORTUS Messanensis Juris utriusque Doctor, & Poeta eruditus: inter Academicos Officinæ Messanensis claruit an. 1670. Edidit

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina. Trattenimento Terzo, Quarto, e Quinto.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1670. & 1671. in 4.

JACOBUS CORSALIS ex quodam oppido juxta Catanam, Sacerdos eruditione clarus, & eloquentiâ apprimè instructus, elegantiores literas coluit, quibus non exiguam sibi laudem comparavit. Idiomata Italum, Hispanum, ac Gallum egregiè calluit. A D. Francisco Branciforte S. Luciæ Duce magnâ æstimatione prosequutus est, cujus à secretis diu fuit. In hujus obsequium cùm in Hispaniam velificaret ad pertractanda magni momenti negotia, in navi N. Pappaccini vectus; huic navis gallica obviam fuit, ac ex salutationis contentione magnâ vi decertantes, inter multos qui ex utraque parte miserè occubuere, fuit noster Jacobus. Obiit mense Junii anni 1688. Edidit Italicè

Istoria della Vita, e Morte di S. Maria Madalena composta in lingua Francese dal R. P. Claudio Cortese dell' Ordine de' Predicatori, e tradotta in Italiano dal Rev. Sac. D. Giacomo Corsale, con l'aggiunta del medesimo sopra il Piede sinistro della Santa conservato nel Tesoro delle Reliquie della Chiesa Maggiore di Palermo. Neapoli apud Andream Colicchiam 1679. in 12.

JACOBUS CRASSUS Panormitanus Ordinis Prædicatorum, Scripsit

Collectaneam de laudibus Panormi, hoc opus citat Franc. Baronius *de Maest. Panorm. lib.* 1. *pag.* 2. 15. *&* 24. *& lib.* 3. *pag.* 115. *&* 136. qui & aliqua ejus fragmenta exscribit. Fuit aliquando apud Abb. Antoninum Agraz, ut testatur Vincentius Auria *in hist. Chronol. Proregum Sicil. pag.* 238. & forsan hodie servatur m.s. in Bibliotheca Marchionis del Carpio in Hispania; ipse enim post memorati Abbatis obitum, ejus Bibliothecam obtinuit.

JACOBUS DIACETUS Panormitanus Soc. Iesu, à virtutibus, ac doctrina commendatus. Claruit anno 1645. Edidit italicè

Esame per la Confessione generale di tutta la vita, ò di molto tempo. Romæ apud Franciscum Cavallum 1645. in 12.

JACOBUS FUSCA Messanensis Juris utriusque Doctor, ex Placido Reina *in hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 525. Edidit Italicè

Raguaglio della pomposa festa di N. Sig. della Lettera, che si celebrò l'anno 1664.

JACOBUS GAGINUS Panormitanus Sacerdos, natus anno 1591. Ecclesiasticam militiam sequutus, Panormi Ecclesiæ S. Andreæ Capellanū egit, ac denatus 12. Novembris anno 1644. in Ecclesia S. Ignatii M. Congregationis Oratorii sepelitur, hac adjecta inscriptione.

D. Jacobo Gagini Presbytero D. Joannes Baptista Verdini nepos, & hæres, ut grates rependat hunc lapidem posuit, sibique & suis, ut quos unus junxit sanguis, & unus amor, unus tegat lapis, & urna. Obiit XII. Novembris an. Domini 1644. *æt. suæ* 53. Edidit Italicè

Vita di S. Jvone Sac. e Confessore scritta in latino per Lorenzo Surio, e tradotta nell' Italiana lingua. Panormi apud Joannem Baptistam Maringum 1619. in 8.

JACOBUS GEMMA ex oppido Blancevillæ, Francisci Gemma, de quo suo loco, filius. Amœniores literas, Musasque adamavit. Nunc superstes apud suos vivit. Edidit Italicè

Gl'Incanti coronati ne i trionfi d'Osfirdo Rè di Persia. Opera Tragicomica di lieto fine. Panormi apud Joan. Adamum 1696. in 8.

JACOBUS HUMANA Netinus, vir doctus, & ab obitis in Ecclesiastico ordine muneribus clarus: fuit etenim Abbas S. Spiritus Calatanissettæ anno 1493. Episcopus Scutarensis in Calcedonia; & vicarias gessit curas Episcoporum Syracusanorum Dalmatii de S. Dionysio, Guilelmi Raymundi Centelles, & Petri Vrries. Neti anno 1513. Ecclesiam S. Claræ solemni ritu consecravit; & Leonis X. jussu festum Divi Conradi ibidem instituit. Demùm cùm Syracusanam Diœcesim lustraret, decessit Calatajerone 10. Augusti 1517. Hujus meminere Vincentius Littara *de rebus Netinis pag.* 141. *&* 229. & Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 182. 186. 187. *&* 224. *& not. Eccl. Agrig. pag.* 365. Scripsit

Miracula S. Conradi. ex Octavio Caetano *tom.* 2. *SS. Siculor. pag.* 249. *& in animadvers. pag.* 86. *nu.* 16.

JACOBUS LA LOMIA Alicatensis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, vir doctissimus, ac celebris Sacræ Theologiæ Magister. Magna cum nominis fama severiores disciplinas docuit in lyceo Patavino, Senensi, & Florentino. Ecclesiastes etiam celeberrimus, eloquentiâ, & eruditione claruit. Hujusce scribunt Petrus Lucius Belga *in Biblioth. Carmel. pag.* 36. Anton. Possevinus *tom.* 2. *appar. sacr. pag.* 81. qui Jacobum à Leocata vocant; Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 342. Daniel à V. M. *in specul. Carmelitar. tom.* 2. *par.* 5. *lib.* 5. *num.* 3707. *pag.* 1068. & Carolus du Fresne *in indice Auctorum ad Glossarium in Auctores mediæ, & infimæ latinitatis pag.* 116. Scripsit ex Lucio, & Possevino

Super Sententias.

In Metaphysicam Aristotelis.

In Logicam.

Conciones per sacrum Quadragesimale tempus.

Sed ex his, quæ publici juris fecerit, se nescire fatentur Auctores nuper citati: nec ego aliquod hujusce auctoris opus editum vidi.

JACOBUS LEONTINUS passim à LEONTINO dictus, Notarii artem eo tempore professus est, quando Nobiles viri hoc munus exercere non dedignabantur. Fuit ex antiquis Poetis, qui Italicis numeris cecinere; Nicolaus enim Franceus *in Petrarchista pag.* 19. unà cum aliis Etruscis Poetis recenset, qui ante Franciscum Petrarcham floruere, nempè ante annum 1374. quo decessit Petrarcha. Petrus Bembus *in Prosis lib.* 2.

cum aliis enumerat, qui ante Dantem claruere, nempè ante annum 1321. tunc enim obiit Dantes, ex Joanne Villano *in Chron. lib.9. cap.* 135. Nonnemo Friderici II. Imperatoris ævo vixisse dicet cum Joanne Caramuele *in Rythmica cap.*8. *pag.* 104. & clariss. Joanne Mario de Crescimbene *in comment. hist. Poesis Vulgaris vol.* 1. *lib.* 1. *cap.*1. *pag.*2. Et sanè Angelus Colacci apud Leonem Allatium *in epist. ad Lectorem de antiquis Poetis pag.*35. advertit Ciulum de Camo, de quo suo loco, nominasse F.Guittonem, & Leontinum, id est Jacobum Leontinum: hinc nonnulli deduci credent Ciulum, Guittonem, & Jacobum Leontinum coævos fuisse: quod si hoc veritati consonum fuisset, tempus Jacobi nostri educere non dubitarent, nempè annũ 1197. eo enim anno vixit Ciulus, ex eodem Allatio cit. *pag.* 23. At Allatio non arridet opinio, quod Jacobus unà cum Ciulo, & Guittone memoretur: immò Jacobum Ciulo posteriorem putat: quod ex ipsis Jacobi carminibus deduci posse non dubitarem; nam ætatem Ciulo posteriorem redolent. Hinc rectiùs cum Crescimbene *in hist. Vulg. Poesis lib.* 1. *pag.*9. *&* 72. *& lib.*4. *pag.*270. puto, Iacobum Francisci Barberini coævum fuisse, qui eodem Crescimbene teste *lib.* 4. *pag.*268. obiit an: 1348. ætatis suæ anno 84. & Amoris documenta scribere exorsus est anno 1290. Eamdem opinionem amplexus est eruditissimus Franciscus Redi *in in annot. ad ditirambum* inscriptum: *Bacco in Toscana pag.*100. Hinc concludendum Jacobum Leontinum intermedio floruisse tempore, quod excurrit ab anno 1264. quo exortus Franciscus Barberinus, ad annum ejusdem emortualem 1348. De Jacobo etiam Crescimbene cit. *in commen. lib.*1, *cap.*2. *pag.*4. Dantes *in Purgatorio cap.*24. sub Notarii nomine, Petrus Franciscus Giambullaris *in Gello pag.* 61. Vinc. Coronellus *in Biblioth. tom.* 4. *num.* 2157. *pag.*634. alii jac. Hujus Poetæ extant Italicè

Poesie. In antiquis Poetis editis à Leone Allatio. Neapoli apud Sebastianum Alecci 1661. in 8. *pag.* 398. & *à pag.* 426.

Canzone in libro: *Sonetti, e Canzoni di diversi Antichi Autori Toscani.* Florentiæ apud hæredes Philippi Iuntæ 1527. in 8. *à pag.*109. Hanc citat Dantes *de vulgari eloquentia lib.*1. *cap.*12. suppresso Iacobi nomine, Joannes Georgius Trissinus *in Poetica pag.* 23. *&* 35. & Antonius Minturnus *in Poetica lib.* 3. *pag.* 193. 200. 219. *&* 221. qui nonnulla ejusdem carmina exscribunt.

JACOBUS LONGUS Messanensis, ex eo Civium Ordine, qui ad Senatorum munus assumebatur, natus est 21. Aprilis 1658. Parentibus Antonio, & Maria Longo. Humanioribus literis apprimè instructus, anno 1676. legali facultati operam dedit, in qua mirè profecit; ideoque publicè propugnatis summa cum ingenii laude Juris Civilis conclusionibus, anno 1685. fuit meritò Doctoris laurea insignitus. Panormum translatus causarum patrocinium suscepit, & breviter magno clientum numero stipatus, præstantiores Procerum Siculorum causas felici eventu defendit. Hinc præclarissimâ munitus doctrinâ inter primos Jurisprudentiæ candidatos cooptatus est. Religiosus veritatis cultor plures causas justitiâ carentes ingenuè respuit: quietis studiosus persæpè Clientum animos pace sedavit: lites concordiâ sopivit. Meritis sanè exposcentibus, ad honorum gradus vocatus, anno 1694. Judex Tribunalis Concistorii S. R. C. electus est; & in Sacri Regii Consilii Senatum ascitus. Anno 1699 ad Judicis gradum Tribunalis M.R.C. Sedis Criminalis evectus, adeo justitiæ severitatem eximiâ humanitate temperavit, ut sontibus timorem, innoxiis levamen attulerit. Dum hoc Judicis munere fungebatur, binas jussu Proregis habuit legationes, cum omnimoda gladii potestate: unam in oppido Medii Jussi, ubi plebs contra loci Principem concitata, rerum ordinem perturbaverat: ibi criminum reos pœnâ animadvertit: aliorum flagitia indulgentiâ diluit: populum annonâ placavit. Alteram in Civitate Corleonis, ubi nefarii multi bonorum depopulatores, viarumque grassatores, omnem Mazariæ Vallem consternaverant: eidem breviter justitiæ vi tranquillitatem restituit; sontes enim vel ultimo supplicio, vel remigandi pœnâ ad triremes missos profligavit. Ideoq; ob utramque legationem haud exiguam promeruit laudem. Inde cum novus Siciliæ Prorex Marchio Villenæ anno 1701. advenisset, ac susceptis Panormi Regni habenis, extemplò Messanã petiisset, noster Jacobus ex cæteris M.Regiæ Curiæ Judicibus selectus est, ut discessurum Proregem insequeretur: ideoque Messanæ per quatuor menses solus usque ad regressum, utriusque Aulæ supremi Tribunalis Magnæ Regiæ Curiæ negotiis incumbens, ingenti laborum copiâ pressus, mirâ dexteritate, ac prudentiâ excelluit: adeout omnium plausu, ac Proregis approbatione munus expleverit. Vix elapso biennio, anno 1703. ejusdem Tribunalis Judex electus, doctrinâ, integritate, ac prudentiâ inclaruit: hinc omnibus gratissimus, omniũ laudes assequutus est. Politiores literas legales inter asperitates, & fori jurgia excoluit, ac provexit: hinc eruditione insigniter instructus effulget. Dum hæc prælo traduntur anno 1707. vivit Panormi vir ornatissimus, & vitâ superstite, amplioribus cohonestandum honoribus, non dubitamus; id enim egregiæ animi dotes, & doctrinæ promerita, viro undique eximio pollicentur. Edidit opus inscriptum:

Linea Triumphans de Gradu in Primogenialibus feudorum successionibus; sive Decisio Supremi Tribunalis M.R.C. Regni Siciliæ, in causa successionis Principatus Buteræ, Petræpertiæ, Comitatus Mazareni, aliorumque feudorum, ac Titulorum, cum dignitate Magnatis Hispaniarum. Panormi typis Honuphrii Gramignani 1706. in fol.

Habet sub pumice, ut in publicam lucem emittat:

Codicem rerum judicatarum Supremorum Regni Tribunalium ex causis executivis usu frequentibus compilatum: in quibus vel uti Judex definivit, vel uti Advocatus obtinuit. in fol.

Scripsit præterea

Alle-

Allegationum Volumina XXII. in quibus uti causarum Patronus pro clientibus declamavit.

JACOBUS LOREDANUS Messanensis Sacerdos, D. Petri Loredani Jurisconsulti celebris filius. Elegantissimas ingenii dotes politioribus literis amplissimè detexit. Pluries è suggestu auditus, præsertim à Siciliæ Proregibus, ac primariis Regni Ministris, laudem promeruit non vulgarem; ingenio enim, eruditione, & eloquentiâ excellebat. Annum agens 34. diu pertinaci morbo elephãtiaco dilaniatus, tãdem decessit Panormi 12. Januarii 1702. & in Ecclesia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Ordinis Reformatorum Sanctæ Mariæ de Mercede sepultus est. Ipsum celebrat Augustinus Dentice *in Paraphras. Evangel. in fine.* Edidit Italicè

L' Amazone Celeste trionfante del Mondo, della Carne, e del Demonio, Orazione Panegirica per le glorie di S. Rosalia V. Palermitana. Panormi apud Dominicum Anglesem, & Franciscum Leonem 1690. in 4.

La Statua di Stesicrate ideata nel Monte Pellegrino per le glorie di S. Rosalia liberatrice della Città di Palermo nell'universale tremoto della Sicilia alli 11. di Gennaro del 1693. Orazione Eucharistica recitata nella Cattedrale della felice, e fedelissima Città di Palermo nel dì anniversario di detta liberazione l'anno 1698. Ibidem apud Josephum Gramignanum 1698. in 4.

JACOBUS MAGDALENA Ordinis Prædicatorum, Lectoris munere functus, doctrinâ, ac pietate claruit anno 1600. Typis tradidit Italicè

Sentenza, ò vero parere del M. R. P. F. Vincenzo Giustiniano Maestro in Teologia dell'Ordine de' Predicatori circa l'Imagine di S. Caterina di Siena, tradotto da Spagnuolo in lingua Italiana. Panormi 1590. in 8.

La Vita, & Historia dell'Apostolico Predicatore S. Vincenzo Ferrer Valentiano dell' Ordine di S. Domenico, raccolta dal M. R. P. M. Fr. Vincenzo Giustiniano, tradotta da Spagnuola in lingua Italiana. Ibidem apud Ioannem Antonium de Franciscis 1600. in 8.

JACOBUS MANGANUS Messanensis Jurisconsultus, amœnioribus literis satis ornatus, inter Officinæ Messanensis Academicos claruit anno 1670. Edidit Italicè

Rime. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina. Trattenimento Terzo, Quarto, e Quinto.* Neapoli apud Andream Colicchiã 1670. & 1671. in 4.

JACOBUS DE MARIA Drepanitanus Jurisconsultus doctissimus, ac primarius causarum patronus. Floruit anno 1650. Multa in jure scripsit, at solùm extant

Allegationes. apud Paulum Perramutum *in Conflictu Jureconsultorum.* Panormi typis Augustini Bossii 1671. in fol.

JACOBUS MASO' Syracusanus natus anno 1624. cùm annum ageret 16. in Societatem Jesu ascitus est anno 1641. in qua quatuor votorum professionem emisit. Mathematicas disciplinas egregiè calluit, ac ipsas magno cum plausu doctissimè docuit in Collegiis Romano, Melitensi, & Panormitano. E Societate egressus Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga institutum amplexus est. Sed anno 1668. à Clemente IX. hoc Regularium Ordine deleto, Clericali habitu insignitus aliquandiu vixit, ac Syracusis Parochi munere functus est in Ecclesia D. Thomæ; ibiq; decessit 6. Augusti 1674. & in Sacerdotum sodalitio conditus est. Ipsius meminit Biblioth. Soc. Jesu *pag.* 378. & Athanasius Kircherius *in Musurgia tom. 2. l. 9. prælus. 3. pag. 292.* Ex integro cursu Mathematicarum disciplinarum, in sexdecim partes distributum, tantùm edidit Italicè

Corso Mathematico Parte Quarta Sferologica, nella quale con ogni facilità, e brevità si spiega ciò che appartiene alla Sfera Armillare, e cognitione di tutti i cerchi imaginati nel Cielo. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1661. in 4.

Suppresso nomine

Tavola esattissima, e perpetua per gli Orioli à suono della Mezza notte, Nascita del Sole, e Mezzo giorno. Panormi in 4.

Apud D. Antonium Pilum, Pili Marchionem servatur opus inscriptum:

Trattato dell' Architettura Militare offensiva, e defensiva diviso in cinque parti. m. s. in fol.

Plura alia scripsit, præsertim Mathematica, inter quæ

Tractatum de Optica, ut etiam

Philosophiam.

JACOBUS MELATIUS Siculus Academicus Tubicina, ac idiomatis Italici, Galli, & Hispanici Magister. Sub hujusce nomine editus est liber Italicè scriptus, hoc titulo:

Le Memorie della Signora Duchessa Mazzarini con alcune osservationi. Coloniæ apud Petrum Martellum 1678. in 12. suppresso nomine Auctoris; inde sub Jacobi Melatii nomine (quem alterius larvam suspicor) recusus Francofurti apud Christophorum Zeitlere 1681. in 12.

JACOBUS MONCADA seu MONTECATINUS Messanensis avito progenitorum sanguine clarissimus, Parentibus D. Guilelmo Moncada Calvarusi Principe, & D. Francisca Marini exortus 5. Septembris 1678. hæreditario ejusdẽ Principatus titulo refulget. Præstantissimo ingenio ornatus, generis splendores literarum gloriâ amplificavit. In Messanensi Academia Clitiæ ascriptus sui æstimationem egregiis ingenii monumentis excitavit. Vivit nunc Messanæ dum hæc scribimus anno 1707. Poeticis studiis addictus, annum agens vigesimum, librum Apollineis floribus vernantem in lucem emisit, cui titulus:

Il Giardino d'Amore. Messanæ ex typographia D. Antonini Maffei 1699. in 12.

Edidit etiam

Epitalamio per l'augustissime Nozze della Sacra Catholica Real Maestà di Filippo V. con la Serenissima Principessa Maria Gabriela di Savoja. Ibid. apud eumdem 1701. in 12.

JACOBUS MORELLUS Panormitanus, vir ingenio clarus, literarũ studia sũma sui æstimatione coluit. Frequentissimas vitæ ærumnas, quibus fuit

fuit divexatus poeticâ suavitate delinire curavit. Obiit paulò ante annum 1647. Ipsum laudat Josephus Galeanus *in Musis Sicul. par.2. tom.1. pag.* 310. & *par.* 4. *pag.* 139. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.*2. *tom.*1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Sacre Siciliane. In eisdem Musis *par.*4. Ibid. apud Bisagnium 1653. in 12.

JACOBUS MUCCIONIUS Nasensis Societatis Jesu, scripsit Italicè ex Octavio Caetano *in animad. ad tom. 2. SS. Siculor. pag.* 67. & Iosepho Perdicaro *in Vitis SS. Siculor. pag.*270.

Vita di S.Cono. extat m.s. in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu.

JACOBUS NEAPOLIS Messanensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, vir doctrinâ, eloquentiâ, & pietate clarus. Edidit Italicè

Predica della B. Vergine Maria di Costantinopoli, ò pur d'Eretria, detta volgarmente d'Itria, fatta in Roma nella propria Chiesa. Romæ apud Ludovicum Grignanum 1628. in 4.

JACOBUS PACTI Messanensis. Hujus nihil aliud ad manus meas pervenit, nisi quæ prodiere in libro inscripto: *Laurentii Gambaræ Brixiani Rerum Sacrarum liber, figuris æneis illustratus, cum Jacobi Pacti Siculi Mamertini argumentis.* Antuerpiæ typis Christophori Plantini 1577. in 4. & iterum cum additione Romæ apud Vincentium Accoltum 1582. ex Leonardo Cozzando *in Bibliotb. Brixiensi par.* 1. *pag.* 162.

JACOBUS PIRRONUS Messanensis Sacerdos, vir Poesi clarus, & humanioribus literis apprimè excultus. Hujus non sine laude meminit Josephus Bonfilius *in sua Messana lib.*7.*pag.*54. à quo inter illustres Messanenses recensetur. Joannes Vigintimillius in suo Siculorum Poetarum catalogo, ante suos Bucolicos Poetas præfixo, retulit. At quæ scripserit haud liquet: solummodo aliqua edidisse carmina vidi in funere Christianorum militum, qui in navali certamine ad Echinadas insulas perpetrato anno 1571. fortiter pugnando ceciderc: & in funere Caroli Hispaniarum Principis, qui anno 1575. decessit; eaque exscribit Bonfilius cit. *lib. 6. pag.* 49.

JACOBUS PIZZOLUS ex oppido Savocæ Diœcesis Messanensis, Heronymo Columnæ viro eruditissimo arctis amicitiæ vinculis constrictus vixit. Antiquitatum fuit studiosus, laudeque dignus. Carmina etiam græcè concinnavit. Claruit anno 1590. Ipsius meminit Laurentius Crassus *in histor. Poetar. Græcor. pag.* 255. qui testatur, Epigrammatum Scriptorem fuisse: ego verò aliud non vidi nisi epigramma græcum in memorati Hieronymi Columnæ laudem in vestibuto libri de Ennii fragmentis. Neapoli typis Horatii Salviani 1590. in 4.

JACOBUS PROFECTUS Netinus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, ac Poeta celebris. Diu Neapoli Philosophiam, ac Medicinam docuit magna cum laude; eâque doctrinâ instructus floruit, ut Medicum suum Paulus III. Papa delegerit. Vivebat anno 1536. Est Jacobi Mentio apud Vincentium Littaram *de rebus Netinis p.* 168. Rocch. Pirrum *not. Eccl. Syracus. pag.* 227. & Didacum de Mastro *in causa Medicorum Poetar. pag.* 57. Edidit

Symposium de Vinis. Romæ 1536. & Venetiis apud Jordanum Zilettum 1559. in 8. Ex Vanderlinden *de scriptis Medcis pag.* 491. prodiit hoc titulo: *de diversorum vini generum natura, liber.*

Cantica de Verbo Dei, & alia quædam addit Littara.

JACOBUS RIBALDUS Netinus Sacerdos, Juris utriusq; Doctor, & Vicarius Generalis Dalmatii de S. Dionysio Episcopi Syracusani circa annum 1470. Hujus meminere Vincentius Littara *de rebus Netinis pag.* 143. Rocchus Pirrus *Not Eccl. Syracus. pag.* 181. ubi Iacobum Raynaldum vocat, & *pag.* 228. & Octavius Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *Sanct. Siculor. pag.* 85. qui scripsisse testantur

Historiam Divi Conradi Eremitæ.

JACOBUS ROMANUS Catanensis Vincentii Romani eximii Iurisconsulti filius, ac Francisci Romani, de quo nos *pag.* 236. Frater, Cæsarei, ac Pontificis Juris Doctor scientissimus, causarum Patrocinium non sine laude egit Panormi. Graviori jurium doctrinæ, Musarum, ac amœniorum literarum studia, ex naturali quadam propensione alligavit: ideoque latinâ, etruscâ, ac vernaculâ linguâ multa laudabiliter cecinit. Ad Judicis dignitatem in Magnæ Regiæ Curiæ subsellis evectus, dum adhuc eo munere fungebatur, obiit Panormi 5. Julii 1648. & in Ecclesia S. Mariæ de Nova tumulatur. Vide ejus laudes apud Iosephum Galeanum *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 137. ubi sub anagammatico nomine Coni Amorgomia Iacobi extant

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

IACOBUS S. LUCIA Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. Hunc Messanensem putavit Rocchus Pirrus *not. Eccl. Messan. pag.* 362. & *not. Eccl. Pact. pag.* 410. Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 179. & Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 28. *pag.* 262. At Philippus Cagliola *in manifest. Provinciæ Siciliæ Ordin. Minor. Conven explor.*3. *manif.* 1. *pag.* 88. dubitat fueritne Messanensis, an ex oppido S. Luciæ Diœcesis Messanensis. Literarum studiis dicatus Philosophiam didicit: inde adolescens Minorum Conventualium institutum complexus, morum integritate animum instruxit; in studiorum verò curriculo ita profecit, ut socios omnes longè superaverit. Sixtum IV. Pontif. Max. habuit Magistrum, dum in Panormitano Lyceo Regentis munere fungebatur; ejusque amorem ob eximiam ingenii aciem promeruit. Sacræ Theologiæ laureâ donatus, ac divini verbi declamator constitutus, magnam sibi nominis famam comparavit. Messanense Cœnobiũ rexit, & Guardiani, ut vocant Guardianorum titulo insignitus, Generalibus Ordinis Comitiis interfuit; è quibus in Siciliam regressus est Vicarius Generalis. Ab an. 1460.

Sicu-

Siculam Provinciam gubernavit, usque ad annū 1470. & ultra, quo in munere, gravissima pertrando negotia, eximiam dexteritatem patefecit. A Sixto IV. qui Iacobum magnâ æstimatione prosequebatur, ad Archiepiscopalem Messanensis Ecclesiæ sedem evectus est; sed non fuit à Messanensibus exceptus, ne regio juri præjudicium inferrent: ideoque post nonnullas contentiones, Messanensi Ecclesiæ præficitur Petrus Luna, Iacobus verò Pactensis Episcopus elegitur anno 1479. Sed ad Archiepiscopalem dignitatem anhelans, ad quam Sixtus vocaverat, spe illam repetendi extimulatus, Romam petiit anno 1485. ubi paulò post supremum clausisse diem creditur. Hujus laudes recensent Auctores supra relati: Cagliola etiam ipsius meminit *explor. 2. manif. 1. pag. 32. explor. 3. manif. 1. pag. 58. explor. 4. manif. 6. pag. 174. & explor. 6. manif. 10. pag. 180.* Ex Samperio citato habemus edidisse:

Theologica aliqua opera, quæ adhuc non vidi.

JACOBUS SCAFILIS Drepanitanus Poeta, edidit Italicè

La Visione Sacra Attione Sacra. Panormi apud Augustinum Bossium 1664. in 8.

JACOBUS SORTINUS Panormitanus Sacerdos, natus anno 1620. literis dicatus, Iurisprudentiæ lauream obtinuit. Ne dum gravioribus disciplinis excultus claruit, verùm etiam amœnioribus literis, & eruditione insigniter instructus refulsit. Musas præsertim coluit; ideoque vernaculis, etruscis, latinisque numeris summa cùm laude multa scripsit; ac nonnulla in Panormitana Reaccensorum Academia recitata, non sine plausu viri eruditissimi excepere. Morum integritate, mansuetudine, pœnitentiâ, aliisque virtutibus clarus, vitam inculpatam, Sacerdote dignam, peregit. Demum apoplexiæ ictu consternatus vivere desiit Panormi 14. Februarii 1702. anno ætatis suæ 82. Ipsum laudant Ioannes Baptista de Iudice *in carmin. p. 1. pag. 89.* & Iosephus Galeanus *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pag. 316.* ubi Siculo idiomate prodiere nostri Iacobi

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12. Edidit etiam

Canzone all' Ill. Sig. D. Vincenzo Landolina Pretore della Città di Palermo. Ibidem apud Petrum Coppolam 1658. in 4.

Faville Spirituali Ottave Siciliane. Ibidem apud Iacobum Epirum 1684. in 16. sub nomine Astromidi Conogi.

Sub prælo reliquit opus Carminum Siculorum.

IACOBUS SPINELLUS Panormitanus Societatis Iesu, natus anno 1639. Societati nomen dedit 13. Maii 1656. Decursis cum ingenii laude studiorum spatiis, doctrinâ, & eruditione ornatus inclaruit: sed epileptici morbi vi severiores disciplinas declinare coactus, virtutum studia, præsertim patientiæ, amplexus est. Obiit in Panormitano Collegio 4. Ianuarii 1695. Edidit suppresso nomine Italicè

Eco Festiva de' Monti, che fan risonare per il Mondo le Glorie, e i Trionfi della Gloriosa Patrona S. Rosalia Vergine Palermitana per le solennità annuali dell' Inventione di Lei, rinovate l'anno 1689. Panormi apud Iosephum Barberam 1690. in 4. Scripsit etiam

Vitam, Virtutes, & Miracula Ven. Hieronymi de Panormo Ecclesiæ Panormitanæ Canonici. m. s. in fol. extat in Bibliotheca Collegii Panormitani Societatis Iesu.

JACOBUS SYRACUSA Nobilis Panormitanus, Jurisconsultus, & causarum Patronus doctrinâ instructissimus. Nonnullis auctus honoribus claruit; fuit etenim Panormi Magister, ut vocant, Secretus, Armorum Dux, Visitatoris munere Sicula frumenti Emporia perlustravit. Magistri, ut ajunt Portulani vices gessit anno 1595. & 1597. & in Tribunali Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Iudex effulsit anno 1612. ex Augustino Inveges *in appar. tom. 3. annal. Panormi pag. 128.* Iudicem etiam Panormitani Prætorii, & Magnæ Regiæ Curiæ, ac Panormitanæ Urbis Syndacum fuisse testatur Franciscus Strada *in Quietationibus pag. 15.* Vitæ diem clausit extremum Panormi 6. Ianuarii 1615. & in Ecclesia S. Dominici Fratrum Prædicatorum conditus est. Edidit

Allegationes in causa propria. Panormi in fol. sine anno, & typographi nomine.

Addit Strada: *multa scripsit egregiè, sed morte præventus typis non mandavit.*

JACOBUS SYRACUSA alter nobilis etiam Panormitanus Societatis Iesu, natus anno 1620. Societatis insignia suscepit anno 1635. ac solemnia emisit vota primo Novembris 1653. Ob egregiam ingenii felicitatem, præter humaniores literas, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam magno cum plausu, ac discipulorum utilitate doctissimè docuit. Collegium Mōteregalense rexit, cui locupletissimā addidit Bibliothecā; ut etiam Collegia Calatajeronense, Drepanitanum, & Panormitanum. Panormi etiam Domui Professorum præfuit: hisque in muneribus eximiam prudentiam, ac charitatem undique patefecit; ideoque ob insignis doctrinæ, virtutisq; splendores in sui venerationem aliorum æstimationem facilè traxit. Divæ Rosaliæ antrum in Monte Peregrino juxta Panormum diu gubernavit, tanquam unus ex Deputatis à Panormitano Senatu electus. Sodalitia Nobilium in Domo Professorum, & Deiparæ Virginis à fervore in Panormitano Collegio maximo cum fructu moderatus est: inerat enim illi ea eloquii suavitas, ut cùm de rebus divinis sermonem institueret, ad Deum omnium corda raperet; raperetur & ipse à Deo. Obiit tandem in Panormitano Collegio 31. Octobris 1687. Edidit suppresso nomine

Compendiariam Logicarum quæstionum complexionem à Josepho Neapoli Mazarensi publicè propugnatam 1654. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1654. in 12.

Cursum Philosophicum compendiaria tractatione digestum, & à Petro Curti Rachalmutensi propugnatum 1656. Ibidem apud eumdem 1656. in 12. Italicè

Il

Il Campo Campidoglio, Panegirico nella Traslatione del Capo di S.Mamiliano Cittadino,& Arcivescovo di Palermo. Ibidem apud Augustinum Bossium 1658. in 4.

Brieve Instructione di meditare cavata dal libro degli Esercitii di S. Ignatio. Ibidem apud Iacobum Epirum 1687. in 12.

IACOBUS DE THERMIS: an ex præclara Panormitana familia de Thermes, an verò ex Urbe Thermarum, divinare non audeo. De eo ita Casimirus Oudin *in supplemento de scriptoribus, & scriptis à Bellarmino omissis pag.* 582. *Jacobus de Thermis Abbas Caroliloci Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Silvanectensi, edidit anno* 1311. *tempore Concilii Generalis Viennensis*

Opusculum contra impugnantes exemptiones, & Privilegia Regularium, maximè contra Ægidium Romanum Bituricensem Archiepiscopum. *Habetur tom. 4. Bibliothecæ Veterum Ord. Cisterciensis Scriptorum pag.* 261. *de qua sæpius egimus.* Hæc Oudin. Hæc autem Bibliotheca à Bernardo Tissier collecta, variisque tomis distributa, edita est anno 1660. in fol. ex eodem Oudin. *pag.* 398.

IACOBUS TRAMONTANA nobilis Messanensis Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, vir prudentiâ, ac virtute conspicuus. Gravioribus disciplinis abundè instructus, ab amœnioribus literis non abhorruit; Musas etenim, ac eloquentiæ studia insigniter coluit. In rebus agendis eximiâ dexteritate munitus effloruit. Dum Prioris munere fungeretur in Monteregalensi Cœnobio, à Messanensi Urbe orator deligitur ad Philippum III. Hispaniarum Regem anno 1603. ut sacras Divi Placidi, & Sociorum Reliquias, elegantissimâ occulsas thecâ, quam Messanensis Urbis Icon, auro, argentoque affabrè confecta manibus gestabat, Regi deferret. In Hispaniam delato, jucundissima fuit Regi ne dum religiosissima Reliquiarum oblatio, quam Iacobi eloquentia; cultissimâ etenim oratione legationẽ suam exposuit. Hinc à regia Philippi munificentia aliqua obtinuit in patriæ suæ beneficium: ipse verò annua pensione aureorum septingentorum ex fructibus Agrigentinæ Ecclesiæ donatus est. Regi, Magnatibus, ac primariis regiæ aulæ Principibus gratissimus fuit: & in patriam regressus, magnâ vixit apud omnes æstimatione. Claruit anno 1605. Ipsius laudes servantur apud Arnaldum Wion *in ligno vitæ lib.* 2. *cap.* 70. *pag.* 429. Iosephum Bonfilium *hist. Siciliæ par.* 3. *lib.* 1. *pag.* 5. Placidum Samperium *in Iconologia M. V. lib.* 2. *cap.* 23. *pag.* 288. Rocchum Pirrum *Siciliæ Sacræ lib.* 4. *pag.* 280. Placidum Reinam *in histor. Messan. par.* 2. *pag.* 525. Iosephum Ambrosium *in Relatione Solemnitatis Epistolæ Marianæ pag.* 387. & Benedictum Chiarellum *in monumẽtis Sacris Messanæ pag.* 173. Edidit

In Concessione Placentinæ Arcis ad Illustris. & Excellentiss. Octavium Franciscum Placentiæ, & Parmæ Ducem Carmen Encomiastichon. Placentiæ apud Ioannem Bazachium 1585. in 4.

Feralem Pompam Serenifs. Margaritæ Austriacæ Farnesię Caroli V. filiæ per RR. DD. Monachos Casinenses in Monasterio S. Sixti de Placentia commorantes, celebratam anno Dom. 1586. *à R. D. Jacobo Tramontana &c. descriptam.* Ibid. apud Antæum Comitem 1586. in 4.

Brevem, & dilucidam narrationem ad Senatum Nob. Urbis Messanę de advectione, & oblatione Sacri Reliquiarii Sanctor. Placidi, & Sociorum Martyrum. Vallisoleti apud Ioannem Godinez de Millis 1605. in 4.

Orationem de Sanctis Placido, & Sociis Martyribus ad Philippum III. Hispaniarum Regem. Hanc Italicè versam edidit Ioseph Bonfilius *hist. Sicil. par.* 3. *lib.* 1. *à pag.* 8. *ad* 23. Scripsit alia nonnulla ex Wione cit.

IACOBUS VIRGA Camaratensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor. Claruit anno 1598. ediditque Italicè

Historia di S. Stefano Protomartire, Panormi apud Ioan. Antonium de Franciscis 1598. in 8.

Compendio della Vita, e Miracoli del Glorioso San Gregorio Vescovo di Girgenti. Ibid. apud eumdem 1597. in 8.

IACOBUS VITALIS Panormitanus Sacerdos, equestri familiâ ortus, doctrinâ, ac morum integritate ornatus claruit. Postrema vitæ suæ spatia, Deo dicatus, in Congregatione Oratorii Panormitani S. Philippi Nerei produxit, in qua literas, & eruditionem virtutum studio illustravit. Obiit Panormi 3. Ianuarii anno 1673. Scripsit Italicè

Relatione del Trionfo fatto in Palermo nella solennità dell'Inventione di S. Rosalia Vergine Palermitana. Extat apud Franciscum Baronium *de Maest. Panorm. lib.* 3. *à pag.* 65.

IACOBUS VIVIANUS. v. Stephanus Vivianus.

IACOBUS URBANUS Panormitanus Societ. Iesu, vir sanè egregius, qui decursis studiorum spatiis, virtutum omnium splendore exornatus refulsit. Morum suavitate ita fuit insignis, ut tum in Societate, tum extra, veluti magneticâ polleret virtute, omnium animos etsi ferreos, ad se dulciter attrahebat. Præstantissimo ingenio munitus, ejus felicitatem in graviorum disciplinarum palestra patefecit; sed ex naturali propensione ad eloquentiæ studia protractus, in concionibus habendis, ea ex ejus ore effluebat dulcedo, ut omnes faterentur, quòd alius fuisset Chrisostomus, ni fracta valetudo ab eo munere revocasset. Sacras literas Panormi è suggestu explicavit in Templo Domus Professorum magna cum auditorum frequentia, majori laude, ac maximo animarum fructu. Inter memorabilia virtutis illud non prætermittendum castitatis exemplum; cùm enim eximio viro parentes, ut ipsius valetudinem instauraret, opulentissimam offerrent sponsam, ab egregiis naturæ, & fortunæ donis commendatam, maluit Deo vitâ, immo mortem dicare, quàm ab ipso sejungi, cui trium votorum sacramento se adstrinxerat. Obiit in Collegio Panormitano 7. Septembris 1653. Edidit orationem inscriptam:

Panormus Siciliæ Caput studiis sapientiæ coronatur.

tur. Oratio habita ad Illustriss. Senatum Panormitanum in Aula Collegii Societatis Jesu ipso anni literarii renascentis exordio à Partu Virginis 1642. Panormi typis Decii Cyrilli 1642. in 4.

JACOBUS ZUMMUS, vulgò *Giaimo Zummo*, Syracusanus Eques Militaris Ord. Hierosolymitani, cui ascriptus fuit anno 1594. Vir generis splendore clarus, sed virtute, immò sanctimoniæ famâ longè clarior. Panormi in Ecclesia D. Vito sacra, unà cum fratre Nicolao Zummo, Cœnobium excitavit, quod sanctimoniam redolet, cui nomen D.Mariæ de Conceptione, sive de Gratia. Magnâ prosequutus veneratione vixit Panormi, ubi sanctè decessit circa annum 1640. Consule Abb. Pirrum *not. Eccl. Panorm. pag.* 222. & *not. Eccl. Melit. pag.* 655. Carolum de Amico *in Vita Philippi de Amico cap.*11. *pag.* 98. & *cap.*26. *pag.*284. P. Blasium à Purificatione *in Vita Soror. Mariæ Magdalenæ à S. Augustino lib.*1. *cap.*10. *pag.* 62. Andream Minutolum *in monumen. Prioratus Messanensis pag.* 29. 47. & 244. qui Raimum vocat, & Joann. Mariam Amatum *in Elogio Francisci Sclafani*, quòd vitæ Sor. Elisabeth à Passione præfixit. Ejus vitam scripserat Pat. Glicerius ab Annunciatione Panormitanus Congregat. Matris Dei Scolarum Piarum Sacerdos, quam edere curabat, vidique ego jam operis exordium typis traditum: collegerat etiam hujus, & Nicolai fratris epistolas, quarum partem jam editam habes hoc titulo:

Lettere Spirituali di D. Giaimo, e D. Nicolò Zummo. Panormi in 4. sed libri finis desideratur.

JANUS VITALIS Panormitanus Sacerdos nobili genere ortus, Theologus, & Poeta celeberrimus. Joannis nomine fuit verè insignitus, quod in Janum inflexit; floruit enim cùm ea invaleret insania apud literatos, ut nomina in baptismate accepta, in alia inverterent: hinc Joannes Pontanus Jovianus vocari voluit: Jacobus Sannazzarius Actii Sinceri, Petrus Valerianus Pierii nomina accepere, aliique alia, quod notavit Paulus Jovius in elogiis Sannazarii, & Callimachi, Ideoque noster Vitalis Joannis nomen in Janum detorsit. A teneris adhuc annis in Italiam digressus, diu Neapoli, & Bononiæ, ac longius Romæ vixit: ibique eo animi ardore literarum studia amplexus est, ut mirabiliter profecerit: egregio enim instructus ingenio gravioribus disciplinis seipsum abundè locupletavit. At validiores ingenii vires Musis devovit; eâque ubertate, lepore, cultu carmina latina concinnavit, ut à doctioribus summis laudibus, plausuque excepta, immortalem comparaverit sibi gloriam. Leoni X. viro ne dum docto, verùm etiam literatorum studioso, in primis gratissimus fuit; hic enim cùm Jani poema de SS. Trinitate percurrisset, ipsius ingenium, eruditionem, ac pietatem eximiis laudibus exornavit: præclarissimùm Vatem præclaris muneribus magnificentissimè donatum voluit; ac inter alia palatinâ veste exornavit, ut omnibus innotesceret, Janum ob egregiæ virtutis, ac doctrinæ dotes, inter suos amicos, familiaresque adscriptum; & Janus ipse ab bonarum disciplinarum studium, præmiorum stimulis urgeretur. Inde etiam ab eodem Leone Comitis Palatini titulo fuit insignitus. Romæ diu vixit celeberrimus, amplissimâ veneratione prosecutus, & arctissimo fœdere cum præcipuis sui ævi literatis devinctus, inter quos non ultimus Lilius Gregorius Gyraldus, & Joannes Pierius Valerianus: hic enim amore veluti fraterno unicè Janum dilexit, ipsumque ob egregium ingenium, morum suavitatem, ac singularem vitæ integritatem commendat. Romæ tandem decessisse non longè ab anno 1560. puto. Si ejus laudes cupis, consule Gyraldum memoratum *de Poetis nostrorum temporum dial.* 1. *pag.* 396. & in epistola de incommodis urbanæ direptionis *pag.* 626. Honorium Dominicum Caramellam *in Museo Poetar. pag.*136. & Michaelem Foscarenum *in notis*, Leonardum Orlandinum *in discursu de Sicil. pag.* 81. Franciscum Baroninm *de Maestat. Panorm. lib.* 3. *cap.*3. *pag.* 113. Joann. Pierium Valerianum *in Hieroglyph. lib.*40. ipsi nuncupato *pag.*420. Sixtum Senensem *Biblioth. Sanctæ lib.* 4. *pag.*252. Joannem Bap. Ricciolium *in Chronolog. Refor. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.*243. Joannem Matthęum Toscanum in libro: *Peplus Italiæ lib.* 4. *num.* 180. *pag.* 107. Petrum Angelum Speram *de nobilitate Profess. Grammat. lib.*4. *pag.* 287. Josephum Galeanum *in Musis Sicul. tom.*1. *par.*2. *pag.*510. Ludovicum à S. Carolo *in Biblioth. Pontif. lib.*2. *pag.* 348. Possevinum *in apparatu sacro tom.* 2. *pag.* 90. Vincentium Auriam *in Elogiis m. ss. Literatorum Panormitanorum*, Achillem Bochium *in deliciis Poetarum Ital. pa.* 452. Ioannem Iacobum Hofmannum *in lexico tom.*1. *pag.*806. aliosque. Paulus Iovius in calce elogiorum scribit, Iani effigiem cum præstantissimis viris, literarum gloriâ conspicuis, in suo Musæo collocasse, quorum laudes in secunda elogiorum parte paraverat. Hi autem sunt Petrus Bembus Card. Baptista Egnatius, Iacobus Sadoletus Card. Georgius Trissinus, Hieronymus Fracastorius, Hieronymus Vida, Ioan. Pierius Valerianus, Romulus Amaseus, Andreas Alciatus, Marcus Antonius Flaminius, Ioannes Vitalis, Reginaldus Polus, Daniel Barbarus, Antonius Mirandula, Basilius Zanchus, aliique. Edidit noster Ianus cultissima

Epigrammata XXXIII. in libro: *Deliciæ CC. Italorum Poetarum hujus superioris &c. ævi illustrium Collectore Ranutio Ghero tom.* 2. *à pag.* 1431. & *seq.* Prostant in Officina Ionæ Rosæ 1608. in 16. & inter Ill. Poetas Italos.

Epigrammata XXVII. apud Paulum Iovium *in Elogiis virorum literis illustrium.* Antuerpiæ 1557. & Basileæ ex typographia Petri Pernæ 1597. in fol. & alibi. Italicè vertit Hippolytus Orius Ferrarensis. Venetiis apud Ioannem de Rossis 1558. in 8.

Epigrammata XIII. apud Paulum Iovium *in Elogiis Virorum bellica virtute illustrium.* Basileæ typis Petri Pernæ 1596. in fol. & alibi: ex latina in Italicam vertit linguam cum Iovii elogiis Ludovicus Domenichi. Venetiis apud Ioannem de Rossis 1557. in 8.

Hymnos de SS. Trinitate. Basileæ apud Oporinum cum aliis quibusdam, & Bononiæ apud Anselmum Giaccarellum 1553. in 8.

Elogia Romanorum Pontificum Maximorum, *& in Julii III. Pontif. Max: electionem, & coronationem, gratulationem*. Bononiæ 1550. Hæc in suis Romanorum Pontificum vitis exscribit Alphōsus Ciacconius.

Elogia Julii III. Rom. Pontificis, *& Cardinalium ab ipso creatorum*. Romæ 1553. in 12. ex Lud. Jacobo à S.Carolo *in Biblioth. Pontificia lib.* 2. *p.* 348. & Teisserio *in Catalog. librorum pag.* 153.

Meditationes in Psalmum Miserere. Bononiæ apud Anselmum Giaccarellum 1553. in 8. & ex Sixto Senensi *in Bibliot. Sancta lib.* 4. *pag.* 252.

Paraphrases in Psalmos de Profundis, *& Deus Misereatur nostri*. Bononiæ typis Anselmi Giaccarelli 1553. in 8. ex Possevino: *In Psalmos* 51. 66. *&* 113. Bononiæ excudit Ioannes Jaccarellus ex Biblioth. Classica *pag.* 535.

Hymnos in Angelos: & Archangeli Poema. Basileę apud Rob. Winter. ex Gyraldo, Possevino, Gesnero, & Bibliotheca Exotica *pag.* 1156.

Epithalamium Christi, & Ecclesiæ. Banoniæ apud Giaccarellum 1553. in 8.

De Elementis, de Pietate erga Rempub. & Hymnum de Pace. Romæ 1554. ex iisdem, & Bibliotheca Exotica. *pag.* 1160.

Theratorizion. Romæ 1514. (melius forsan 1554.) ex Bibliotheca cit. Gesnero, & Fortunio Liceto *de Monstrorum natura pag.* 82.

Triumphum Ferdinandi Francisci Davali Aquinatis Magni Piscariæ Marchionis, *& lacrymæ in eumdem*. Romę ex Possevino, & Gesnero.

Bellum Africæ, quæ capta fuit à Siciliæ Prorege Joanne Vega. ex Joanne Iacobo Adria *de Valle Mazariæ*.

Tandem Joannes Felix Astolfus *in offic. histor. lib.* 2. *cap.* 10. nostri Iani aliqua Italica adducit carmina, ex quo deducimus etruscis etiam numeris cecinisse.

IBYCUS celeberrimus Poeta Lyricus, de cujus patria longa apud scriptores disceptatio. Nōnulli in Rhegio Calabriæ urbe natum volunt, ut tradunt Cicero *Quæst. Tuscul. lib.* 4. Neantes Cizicenus apud Athenæum *lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 175. & Idem Atheneus *lib.* 13. *cap.* 8. *pag.* 601. Ælianus *de animalib. lib.* 6. *cap.* 51. Carolus Stephanus *in diction. pag.* 1095. Lilius Gregorius Gyraldus *de Poetar. hist. dial.* 9. *pag.* 341. Raphael Volaterranus *anthropol. lib.* 16. Franciscus Patritius *Poetic. decad. histor. lib.* 1. *pag.* 67. Heronymus Marafiotus *in chron. Calabriæ lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 45. Faber *de Poetis Græcis par.* 1. *pag.* 36. His addit P. Ioannes de Flores *in Calabria Illustrata lib.* 4. *cap.* 3. §. 5. *pag.* 370. Laurētium Beyerlinck *in Theatro Vitæ hum.* Hieronymum Ruscellum *in Indice Viror. Illustr.* Ravisium Text. *in officina tit. Historiographi*, Petrum Crinitum apud Politianum *lib.* 2. & Ughellum *Italiæ Sacræ tom.* 9. Alii verò Siculum, & Messanensem putant, ut placuit Francisco Pharaonio *in Instit. Grammat. de Cosmographia*, Mario Aretio *de situ Siciliæ pag.* 37. Fazello *dec.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 49. qui Laertium citat, Lascari apud Maurolycum *hist. Siciliæ lib.* 1. *pag.* 17. *&* 18. Bonfilio *hist. Siciliæ par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 25. (non in historia Messanæ, ut cit. de Flores) Ioanni Iacobo Adria *de Situ Vallis Mazariæ m. s.* Petro Ricordato *Histor. Monast. die* 4. *pag.* 446. Iosepho Carnilivario *in hist. Siciliæ lib.* 2. *pag.* 178. Matthæo Silvagio *de trib. peregrinis cap.* 42. *pag.* 149. Vinc. Littara *in Conradiade lib.* 3. *pag.* 152. Leonardo Orlandino *in discur. Siciliæ. pag.* 74. Placido Reinę *in hist. Messanæ par.* 1. *pag.* 118. Huberto Goltzio *hist. post. Siciliæ pag.* 89. qui aliorum etiam opinionem pro Rhegio retulit, Placido Samperio *in Iconologia M. V. lib.* 1. *pag.* 32. Christophoro Scanello *in Chron. Siciliæ*, Leandro Alberto *in descrip. Siciliæ p.* 41. Thomæ Porcacchio *in Insulis pag.* 40. Carolo Ciāgolino *in Hedengraphia digres.* 3. *cap.* 109. *pag.* 734. Fulgentio Arminio *in Prosis Officinæ lib.* 1. *pag.* 46. Josepho Ambrosio *in descrip. solemnitatis Epistolæ Marianæ pag.* 123. Hieronymo Ragusæ *in elogiis Siculor. pag.* 143. *& in Siciliæ Biblioth. Veteri pag.* 144. Joanne Baptista Pacichello *in epist. famil. tom.* 2. *pag.* 163. aliisque. Ludovicus Morerius *in diction. tom.* 2. *pag.* 216. duos Ibyci nomine insignitos commemorat, quorum unum, suppresso patriæ nomine, à Latronibus interfectum prædicat, ut infra; alium Rheginum credit: at *pag.* 585. ubi de Messana, Messanensem fuisse scribit. Lascaris, & Samperius tradunt, ideo exorta opinio quòd Rheginus fuerit, quia ejus pater fuit Rheginus: & hoc innuere videtur Suidas *tom.* 1. *pag.* 1217. ubi ait: *Ibycus genere Rheginus*, idest origine, non patriâ Rheginus: licèt Vossius *de hist. Græcis lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 432. *& de Poetis Græcis pag.* 91. & Gyraldus cit. contrarium velint: nempè, quòd pater Messanensis, Ibycus Rheginus fuerit. Lascaris verò, qui inter Siculos Ibycum collocat, inter Calabros etiam recenset. Messanæ fautoribus adhærens Messanæ Ibycum adscribo. P. Joannes de Flores *in Calabria Illustr. loc. cit.* Messanensium rationes infringere conatur, ac Reinam oppugnare nititur; ait enim quòd cùm Ibicus floruisset anno Mundi 3474. ex ejusdem Reinæ sententia, cùm adhuc hæc Urbs Zangla vocaretur, & Messanæ nomen anno 3551. accepisset, quomodo hoc componi potest ut ad Messanam Urbem Ibycus trahi possit. Sed huic primo argumento facillimè respondetur: lippis enim, & tonsoribus satis compertum est, Messanam, ac Zanglam eamdem esse Urbem: hanc etenim Zanglam vocatam, cùm Messenii ex Peloponneso digressi in habitandam suscepissent, Messanam vocavere: ideoque idem sonat Zangleus, ac Messanensis. Consule scriptores, quos abundè congessit Reina cit. *ann.* 3551. *pag.* 139. Nec mirùm scriptores Ibycum Messanensem non Zangleum vocasse, hi enim tunc scripsere, quando deleto jam Zanglæ nomine, Messanæ nomen vigebat. Hinc laude digni recensiores, qui Messanensem dixere Ibycum non Zangleum, cùm nomine magis vulgato appellaverint. Adde, quòd pervia est Acronismi, sive Prolepsis figura, quâ per anticipationem locum quemdam eo

eo vocatur nomine, quo ævo subsequenti fuit appellatus. Ita Octavius Caetanus *tom. 1. SS. Sicular. pag.* 35. & 36. observat de S. Peregrino, quòd cum Sanctus Triocolam venisset, attamen ejus vitæ scriptor per prolepsim, in oppido Calatabillottæ, non dum in eodem loco condito, appulisse tradit: & *in animad. pag.* 26. ait, quòd in actis S. Niconis, hunc Constantinopolim venisse legitur, cùm venisset Bizantium, exinde Constantinopolim vocatum. De hac figura cōsule Udenum Nisielum, seu verius Benedictum Florettum *Progymnasm. vol.* 1. *prog.* 4. & *seq. à pag.* 27. Josephum Baptistam *in Poetica cap.* 6. *pag.*87. & 91. & Vincentium Auriam *in observat ad Batillum Jo: Bapt. de Judice pag.* 392. & 393. qui innumera ne dum Poetarum, verùm etiam & aliorum exempla deferunt; nam ego ne extra chorum saltare videar, hoc unum nostro Adversario exemplum exhibeo ex Reina cit. *p.*1.*pag.*112. hic enim rectè perpendit quòd Eusebius, vel ejus interpres D. Hieronymus *in Chronica* de hac Urbe loquens an. Abrahæ 250. tempore Sicanorum ait: *Messana, quæ & Mamertina conditur*; cùm hæc nomina posterioribus sæculis huic Urbi obtigissent. Ideoq; Reina *pag.* 118. ex Vossio, & Gyraldo scribens, Ibycum Polizeli Messanensis filium extitisse, haud ineptam protulit sententiam, quasi divisset, filium patre vetustiorem: scilicet quòd Polizelus Messanensis natus, ut ipse putat, post annum 3551. cùm hæc Urbs Messanæ nomen accepisset, haud poterat pater esse Ibyci, qui anno 3474. floruit, cùm adhuc Zāgla vocaretur: hæc enim ineptisima Calabri de Flores interpretatio est. Quòd autem Polizelus Messenius ex Peloponneso fuerit, ut eidem de Flores placet, hoc probandum, non tātummodo proponendum. Sequitur de Flores, ait enim, si ex quo Patre Messanse natus Ibycus, fuit Messanensis, cur verius non dicendū, Ibyci pater fuit Cardans Rhginus, ergò Ibycus Rheginus? Cui ego ita respondendū puto: opinio hæc, quòd Ibycus Messanensis fuerit non eo innixa est argumento, quòd ejus pater Polizelus fuerit Messanensis, sed scriptorum auctoritate: hæc autem de Flores ratio prævaleret, si ut Polizelus fuit Messanensis, ita fuisset & Cardans Rheginus: sed antiquiorum nullus, qui Jbycum renunciat Cardantis filium, hunc Cardantem Rheginum dixit; excepto Hier. Marafioto *in Chron. Calab. lib.* 1. *c.* 19. *pag.* 45. qui sine ullo autoritatis fulcimento, Cardantem Rheginum protulit: ideoq; haud affirmare licet, Cardans Pater Rheginus, ergò Ibycus filius Rheginus. Instat de Flores, quòd ex Reinæ sententia Ibyci pater fuit Rheginus, ex quo ortus error, ait Reina, quòd Ibycus à plerisq; dictus fuerit Rheginus, qui verè fuit Messanensis: hinc exageratas demirationes exhibet ob Siculam dialecticam, quâ efformatum hoc argumentum putat: Polizelus Ibyci pater fuit Messanensis: Cardans Ibyci pater fuit Rheginus, nec ideò Ibycus fuit Rheginus, sed Messanensis. At hæc argumentandi species non Reinæ est, sed calabram redolet ruditatem, ex Calabri de Flores capite exorta, qui Reinæ falsò adscribit. Reina enim tantummodo primùm scriptorum sententiam retulit, qui Ibycum Rheginum voluere; mox aliorū opinionem, qui Messanensem putarunt: inde Lascaris verba exscripsit, qui Ibycum voluit Messanensem patre Rhegino; ideoq; Rheginum existimatum: inde alios detulit, qui patre Messanense Ibycum Rheginum dixere: demum Lascarem adduxit, qui inter Siculos, ac Calabros Ibycum recensuit: hinc Reina eorum vestigia sequutus, qui Messanensem voluere Ibycum, inter Messanenses optimo jure collocavit: nec ad hujus sententiæ propugnationem vel rationem aliquam, vel argumentum addidit: ideoque argumentationem à de Flores allatam Calabram, non Siculam dialecticam sapit: nec Reinæ opinionem ab auctoribus primùm editam, sine contrariæ sententiæ oppugnatione, tanto tædio Calabrum de Flores afficere potuisse putaverim; cùm & ipse, etsi levissimis innixus conjecturis, magnâ vi, sed frustra, nōnulla ad Calabros attrahere nitatur, quæ ad historicæ veritatis lumen penitus evanescunt. Sed de eo nunc satis. Hinc ego gavissimos sequutus auctores, qui Ibycum Messanensem prædicant, Messanensibus adscribo. Polizelo Messanensi historico natus est, teste Vossio *de histor. Græc. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 432. post Gyraldum *dial.* 9. *de Poet. hist. pag.* 341. & Suidam *tom.* 1. *pag.* 1217. etsi alii Phytii, alii Cardantis filium putent, ut Suidas, & Gyraldus tradunt. Ab avibus Ibycis, nutritum, & nominatum scribit Balthasar Bonifacius *in hist. ludicra lib.* 1. *cap.* 6. *p.* 9. ubi nonnulla Ibyci collegit. Poeta fuit celeberrimus, & inter novem Poetas, qui lyricâ gloriâ clariores apud Græcos floruere, adscriptus ex Isacio Tzetze *in Cassand. Lycophronis*, Lascare, & Fazello cit. Quoddam carminū genus adinvenit, quo amores suos cecinit, ab eo dictum Ibycum, ut affirmat Franc. Patritius *in Poetica lib.* 1. *pag.* 67. Arnaldus Ponticus *in not. ad Euseb. pag.* 387. & Crassus *in hist. Poet. Græc. p.* 292. Fuit etiā & historicus, ut testatur Lascaris cit. Volaterranus, Marafiotus, & Saperius cit. quibus addo Ravisiū Text. *in offic. tit. historiographi.* Insanos sequutus est amores ex Cicerone *quæst. Tuscul. lib.* 4. Gyraldo, Suida, Athenæo, & Carolo Stephano cit. ideoque Græci nonnulli Poetæ epigrammata in ipsum acuere, ut ait Reina *cit. pag.* 119. Adolescentum amore turpissimè exarsit ex Suida, Volaterrano, & Crasso cit. qui ex Antologia de hac re nonnulla carmina exscribit. Hæc autem fœdissima amorum incendia usq; ad senectutem fovit. Hinc Plato *in Parmenide*, Manutius *in adagiis pag.* 1650. & Gyraldus cit. scribunt, quòd cum longævum haberet equum, olympicis certaminibus jam detritum, & ad certamen iterum currui adjungeret, hic onus subire renuebat; expertus enim difficillimam cursus aleam, nimiùm pavidus laborem extimescebat: at ridenti populo ait Ibycus: Equus domino haud absimilis est; nam & ipse jam senex ad amandum compellor. Ex quo ortum adagium: *Ibyci Equus*, quod dicitur de iis, qui inviti supra ætatem, viresque ad difficillima urgentur. Hinc Manutius loc. cit. observat, allusisse

videtur Horatius *epist.1. lib. 1. v.8.*

Solve senescentem maturè sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Musicum instrumentum, Sambucam vocatum, adinvenit, quod lyræ triangularis speciem exprimebat, ut testantur Neantes apud Athenæum *lib.4. cap.23. pag.175.* Suidas, Volaterranus, Gyraldus, cit. Patritius *lib.1. pag.67. & lib.7. p.* 310. Laur. Crassus *hist. Poet. Græc. pag.* 292. Goltzius *histor. post. Siciliæ pag.* 89. Hofmannus *in lexic. tom.* 3. *v. Trigonon pag.* 102. Lascaris apud Maurolycum *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 17. & 18. Fazellus, Samperius, Reina cit. & Celius Rhodiginus *lect. antiq. lib.* 9. *cap.* 4. qui ex Athenæo Lyrophœnicam appellat. Erat Sambuca quatuor composita cordis, ac sonum reddebat acutum. At Patritius cit. & cum eo Marafiotus *in Chronic. Calabriæ lib.* 1. *cap.* 19. *pag.* 45. eâdem, vel simili formâ fuisse ait, quâ est illud instrumentum, quod vulgò appellant *Arpa*. Fazellus cit. putat, duabus in longum extensis cordis conditum, profundam, ac tremendum sonum edebat. Jambycam vocabant alii, ait Gyraldus ex Suida, nam cum ipsius sono jambea canebantur. Aliud etiam musicum instrumentum excogitasse tradunt Suidas, & Gyraldus, ab ipso Ibycinum vocatum, quo Galli, & Romani in bello usi sunt. Horum instrumentorum cùm ingens numerus Romani adversus Celtas adduxissent, nimium profecere. Appellatur etiam Ibycaneta ab Ibyco inventore. Omnium primus etiam variantia quinque Planetarum nomina excogitavit ex Vossio *de Idololatria lib.2. cap.33.* apud Hofmannum *in lexic. tom.* 1. *pag.* 895. E patria digressus Samum petiit, eo tempore, quo illam Rempublicam Polycrates pater moderabatur, & Crœsi ævo olymp.54. ex Suida: vel circa olymp. 50. ex Gyraldo. Cùm autem per nonnullas Græciæ Urbes magnâ nominis gloriâ excurrisset, tandem in latronum manus incidit, & jam occidēdus supervolātes Grues obtestatus est; & ut essent mortis suæ vindices obsecravit. Paulò post cùm latrones in foro, vel ut aliis placet, in theatro sederent, & rursum supervolantes transirent Grues, illorum unus alteri insusurravit: *Ecce Ibyci ultores, & testes*: quod cùm quidam assidentium accepisset, suspicione conceptâ, Iudicibus retulit: ideoque in judicium deducti latrones, tormentorum vi facinus confessi, debitas pœnas Ibyco soluti sunt. Hoc autem aliquantulum diversè narratur à Statio *lib.* 5. *sylvarum in epicedio in patrem*, Ausonio *in Monosyllabis*, Plutarcho *de garrulitate*, Antipatro, & alio *in Anthologia n.60. & 61.* S. Gregorio Nysseno *lib.8.* qui ait, hoc divinâ providentiâ obtigisse, Iosepho Barberio *de miseria Poetar. pag.* 76. Suida, & Crasso loc. cit. quibus adde Lascarem, & Samperium citat. qui in Calabria hoc accidisse tradunt. At Gregorius Nyssenus, & Faber *de Poetis Græcis par.* 1. *pag.*19. Corinthi vindictam Ibyci contigisse volunt. Ptolomæus Ephæstion apud Photium *in Biblioth. cod.* 190. *pag.* 478. scribit, quòd Hercules Ibyci servus vivus concrematus est, quia cum latronibus in Ibycum conspiravit. Hinc in proverbium abiere *Ibyci Grues*, ut Suidas, & alii ex supracitatis tradunt: dicitur autem quoties sceleribus improviso eventu proditis, flagitiosi emeritas luunt pœnas læsis, ex Paulo Manutio *in adagiis pag.*534. vel ex Lascari apud Græcos, Latinosque Iurisperitos frequens est hujus adagii usus, cùm occulta res aliquibus indiciis proditur. Floruit olymp. 50. ex Gyraldo, vel olymp. 54. ex Suida, Patritio, & Crasso cit. vel an. 1. olymp. 60. ex Eusebio *in Chron.* & Joann. Bap. Ricciolio *in Chronol. Refor. tom.4. ind.1. pag.176.* ante Virginis Deiparæ partum 540. Ex Morerio *in dict. tom.* 2. *pag.* 216. & Fabro cit. claruit tempore Crœsi Regis; hoc est, ante Christum natum annos circiter 600. Dubitat Vossius *de Poetis Græcis cap.4. pag.21.* an ille Poeta sub Hippici nomine Eusebio *in Chron.* memoratus, sit noster Ibycus. Scripsit doricâ linguâ

Annorum libros septem, ex Suida, Patritio, Crasso, aliisq: sed libros octo ex Volaterrano *anthropol. lib.16.* qui perperam Suidam citat. Poema, cui nomen *Certamina*, citatur ab Athenæo *lib.* 4. *cap.21. pag.172.* ac dubitat sitne Ibyci, an Stesichori. Marafiotus *in Chron. Calabriæ cit.* ait: *Carminum libros LX.* scripsisse, citatque Athenæum *lib.* 4. sed falso; hoc enim apud Athenæum non leges. Scripsit & alia tria Poemata ex Patritio, Gyraldo, & Crasso, nempè

Gorgiam. Raptum Ganimedis. Pithonem.

Joannes Jacobus Adria *de situ Vallis Mazariæ* scripsisse tradit:

Plura de Sicilia, & laudes Heroum Siculorum.

Nonnulla Ibyci fragmenta extant ab Henrico Stephano collecta, ac edita cum Lyricorum Poetarum fragmentis: & in libro: *Carmina novem illustrium Fœminarum, & Lyricorum Græcè ex Bibliotheca Fulvii Ursini, & latino versu reddita à Laurentio Gábara* Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1568. in 8. & Pindaro subjuncta. Ibid. 1569. in 8. Ibycum pluries citat Athenæus, ac aliqua ipsius carmina adducit, nempè *lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 57. ubi citat librum quintum carminum, *lib.* 9. *cap.* 10. *pag.*388. *lib.*13. *cap.*2. *pag.*564. *cap.*8. *pag.*601. & *lib.*15. *cap.* 8. *pag.* 681. adducitur etiam sine carminis testimonio *lib.3. cap.9. pag.86. & lib.13, cap.* 8. *pag.* 603. citatur etiam à Plutarcho *in Numa*, Æliano *de animalibus lib.6. cap.* 51. Pausania *lib.2. pag.96.*

JEREMIAS PANORMITANUS Ordinis Capuccinorum ex familia de Gregorio natus anno 1645. Regularem disciplinam amplexus est in Cœnobio Calatanissectæ 23. Maii 1661. Gravioribus facultatibus egregiè excultus Philosophiā, ac Theologiam non sine magna ingenii laude pluries docuit. Vir omnigenæ eruditionis thesauro locupletatus, tum inter suos, tum extra Ordinis sui limites in Sicilia, & Italia magnâ æstimatione prosequutus est. Literarum, literatorumq; studiosissimus, Cœnobii Panormitani Bibliothecam nova semper librorum accessione amplificare curavit. Multa rexit Ordinis Cœnobia Custodis munere: pluries in Panormitana Provincia Definitor claruit, quàm etiam Provincialis

lis munere rexit: & ejusdem Provinciæ Custos in Generalibus Comitiis interfuit. Uisitator Generalis electus Messanensem Provinciam perlustravit. Doctrinâ, morum suavitate, ac prudentiâ insigniter instructus, venerationem haud exiguam promeruit. Demum multis podagræ doloribus diu cruciatus, decessit Panormi 13. Decembris 1703. Ipsum laudat Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinor. pag.* 171. qui edidisse testatur

Elogia varia, & Epigrammata lepida, & ingeniosa.

IGNATIUS BALSAMUS Messanensis Soc. Jesu, alius ab Ignatio Balsamo Apulensi ex eadem Societate, qui obiit anno 1618. ex Bibliotheca Soc. Jesu *pag.*392. Fuit noster Messanensis magni ingenii vir, Ecclesiastes celebris, & omnium sciẽtiarum ornamento instructus refulsit. Decessit in Collegio Saccensi 10. Maii anno 1659. Ipsum laudat Placidus Reina *in histor. Messanens. par.* 2. *pag.*526. Edidit Italicè

Oratione per la solennità della Lettera di Nostra Signora alla Città di Messina. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1653. in 4.

Lettera di Nostra Signora alla Città di Messina Canzone. Ibid. apud eosdem 1653. in 4.

Martirio de' SS. Placido, e Compagni Canzone, e Rime. Ibid. apud eosdem 1653. in 4.

IGNATIUS CAMERATA Messanensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, natus 22. Julii 1647. emensis studiorum spatiis sacri Oratoris partes, non sine nominis laude, ac famâ explevit. Solitudinis amantissimus literarum studia impensè excoluit. Pluries præfuit sodalibus suis Correctoris, & Visitatoris munere. E vita migravit Messanæ 19. Augusti 1706. Edidit sub anagrammatico nomine Gratiani Cremata librum Italicè inscriptum:

Amorosi Affetti, e spasimi dell'Anima innamorata di Giesù, esercizii per l'interiore occupazione nel tempo della sagra Communione. Messanæ typis Vincentii de Amico 1689. in 12.

Scripsit hæc alia, quæ morte præventus in lucem emittere non potuit, nempè

De Eminentia judiciorum Dei erga Deiparam Virginem Mariam tam ad intra, quàm ad extra indicandorum libros II.

Normam Pœnitentiæ.

IGNATIUS GALEANUS Panormitanus, Josephi Medici celeberrimi filius, Monachus Benedictinus Congregationis Casinensis, cujus habitum in Cœnobio S. Martini propè Panormum suscepit 14. Septembris an. 1644. Ingenii eximii vires, ad amœniores literas proni, oratoriâ, ac poeticâ facultate insigniter patefecit; & nonnulla concinnavit ornatissima ingenii monumenta. In eadem Congregatione præfuit Decani munere; & dum Ordinis tyrones ad exactam perfectionis regulam instituebat, decessit Panormi 9. Decembris anno 1681. Ipsum laudant Joan. Evangelista Panormitanus *in anagramm. pag.* 164. & Josephus Galeanus *in Musis Siculis par.*4. *pag.*226. ubi Ignatii habentur vernaculâ linguâ

Canzoni sacre Siciliane. Panormi typis Josephi Bisagni 1653. in 4.

IGNATIUS GASTONE nobilis Catanensis, Ingenii Baro, lucis usuram accepit 7. Februarii 1640. patre Jurisperito Mario Gastone Ingenii Barone. Iurisprudentiæ studiis eâ animi contentione operam dedit, ut Doctoris laureâ donatus, in doctissimorum Jurisconsultorum catalogum sit meritò cooptatus, & ad honorum fastigia evectus. Pontificia Jura in Catanensi Academia septẽnio magna cũ eruditione explanavit: septies etiã in patriæ Urbis Prætorio, semel Messanæ prȩfuit Judex. Ad eminentiores accersitus dignitates, quatriennio Bellici Consilii fuit Consultor: & excitato novo in Urbe Messanæ Tribunali, quod Junctam vocant, ut bona Regio Fisco adjudicata administraret, in eo etiam Jus dixit, ac Regii Patrimonii Fisci Patronum egit: ibique tandem primus ejusdem Juridici Senatus Minister electus est. In Magnæ Regiæ Curiæ Foro ter Judicis, ac Regii Consiliarii dignitate cohonestatus claruit. In eodem Tribunali, & Regii Patrimonii subselliis Fisci Patronus, & à Rationibus Magister constitutus, longè, latèque effulsit. Tandem anno 1693. Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Præses, cum magna sui gloria præficitur. Vir sanè doctrinâ instructissimus, ne dum legali scientiâ ornatus eminuit, verùm etiam humanioribus literis, & eruditione clarus effloruit. Poesim præsertim latinam, ac civilem doctrinam mirificè coluit. Eo mentis ardore literarum studiis addictus vixit, ut tunc quieti indulgere videbatur, cùm detractis somno nonnullis horis, in libris evolvendis, ac eruditis, doctisque lucubrationibus exarandis desudaret. Mores elegantiâ, & integritate præstantissimi egregio viro venerationem conciliarunt. Ut tanti viri promerita plenius cumularet honoribus Catholicus Rex Carolus II. Marchionis titulum in sui, ac posterorum ornamentum regiâ munificentiâ concessit. Elapsis demùm paucis ab accepta Prȩsidis dignitate mẽsibus, vitæ spatium absolvit Panormi 19. Augusti an. 1693. & in Ecclesia Immaculatæ Conceptionis Patrum Reformatorum S. Mariæ de Mercede conditus est, ubi hæc legitur inscriptio.

D. O. M.

Hoc silet sub marmore
Siculorum eloquentissimus;
Quem ab incunabulis studio addictum
Patrio ubere lactavit Catina:
Ingenii Baro ingenii specimen protulit,
Nunc jura ministrans in Prætorio, nunc tonans ex Cathedra,
Eâ dicendi suavitate,
Ut Apes in ejus ore mellificasse crederetur.
Humanioribus excultus literis, inter seria Politiæ studia,
Musarum lusus, & laxamenta non respuit.
Siculas adeò oras sui nomine implevit,
Ut bis Messanensis, ter Magnæ Regiæ Curiæ Aula
In Triumviratu sedentem viderit.
Inde Zanclam reversus,
Regiæ Junctæ fascibus Olympiade præsedit:
Cujus reditum Regni Caput Panormus
Suspiravit;

Tan-

Tantaque desideria
In Regii Patrimonii Senatu Fisci Patroni Curâ explevit.
Grassantibus inde prædonibus, turbata Siculorũ quies,
In Criminalem Areopagum avocavit;
Ubi
Fiscalia protegens Jura,
Bannitorum tempestatem extemplò
Palladio mentis Iride serenavit:
Hinc
Formidarunt sontes, insontes peramarunt,
Severum in puniendo, placidum in absolvendo.
Patrimonialis Senatus virum tàm eximium
Jure sibi meritò revendicavit,
Collato Magistri Rationum munere:
Cui
Totius Trinacriæ tractus
Ad Tribunalis Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ
gubernium assumpto
Benemerentissimo plausit, gratatus est;
Munifica Regis voluntas
Tanti viri doctrinam, fidelitatem, labores,
Marchionis Titulo in posteris mansuro rependit.
Quæris nomen Viator?
Sat Fama tot operibus excusis
Ubique Terrarum
Vulgavit, aperuit, detexit:
Clariùs expetis?
D. Ignatius Gastone
Patritius Catinensis, Regiusque Consiliarius
Anno 1693. 19. Augusti
Denatus.

Hujusce laudes leges apud Dominicum Guglielminum *in Catana destructa pag.* 122. Franciscum Mariam Pisanum *in Animad. Juris, animad. 19. n. 63. pag.* 408. Agetam ad Moles *par.1. in notitia Ærarii Universitatis* §.2. *pag.65. n.4. & in addict. ad quæst.4. num.12. pag.* 20. Pasqualinum *in Comment. Pragm. Regni Neapol. pag.* 510. Sanctorum Olivam *in alphabetica vir. illustr. Corona*, Seraphinum à S. Catharina Senensi *in vita P. Petri à Matre Dei cap. 8. pag.* 83. & Jacobum Longum *in linea triumphanti pag. 7. & 23.* Edidit

Consultationem pro stipendiis Militum, Messanæ apud Vincentium de Amico 1687. in fol.

Disceptationes Fiscales notis politicis illustratas, & in supremis Siciliæ Prætoriis definitas. Tomum Primum, in quo Messanensis Rebellionis series, & perfecti Principis Idea in civitate perduelli armis superata delineatur. Panormi typis Hæredum Petri de Isola 1684. in fol.

Disceptationes Fiscales, & Civiles notis politicis illustratas, & in supremis Siciliæ Prætoriis definitas. Tomum Secundum posthumum. Ibidem apud Ignatium Calatrum 1696. in fol.

Disceptationes Juridicas notis politicis illustratas, in quibus propugnatur antiquissimi, & famigerati Catanensis Gymnasii singularis erectio, & privata possessio, quo ad omnes alias Civitates in toto Siciliæ Regno. Messanæ typis Vincentii de Amico 1686. in fol.

Juridicas disceptationes notis politicis illustratas, in quibus justa, & rationabilis proponitur Illustrium Deputatorum Regni petitio super novæ legis promulgatione: ut Dotes de Paragio deinceps constituendæ descendentibus fœminis, Baronum prole extinctâ, ad feuda revertantur. Panormi apud Petrum Coppolam 1690. in fol.

Hispanicè

Justificaciones por la Regia Gran Corte. Matriti in fol. sine anni, & Typographi nomine.

Reliquit etiam has alias lucubrationes m.ss. quas edere curat vir sanè insignis Franciscus Gastone ejus filius, de quo suo loco, nempè

Consultationes Politicas.

Disceptationes Criminales.

Disceptationes Patrimoniales.

IGNATIUS GUGLIELMUS Messanensis, natus anno 1622. Sacerdotio initiatus, apostolico spiritu mirum in modum æstuavit. Sodalitia Messanæ Jesu, Mariæque nomine insignita instauravit: ipse verò primario eorumdem diu præfuit, in quo animarum lucra sedulò curavit: in aliorum enim salute procuranda indefesso labore desudavit. Hinc innumeri viri, ac virgines ad perfectam vivendi regulam ipsius monitis instructi, sæculi pericula effugientes, regulares Ordines illustrarunt. In Quadragesimali curriculo concionatoris officia magno confluentium fructu nobilier explevit. Messanæ præsertim in principe Téplo, & Panormi in Ecclesia S. Ignatii Congregationis Oratorii summo cum plausu, & concursu conciones habuit, ac multos ad meliorem frugē revocavit. Egregias coluit virtutes: vigiliis, jejuniis, ciliciis, aliisque pœnitentiæ admirabilis operibus corpus macerabat: sævissimis flagellis ita sua membra diverberabat, ut copiosus effluerct sanguis, & non immeritò sui ipsius martyr vocaretur. Quotidie per integræ horæ spatium in sepulchrum descendens ibi, velut in sapientiæ schola, æternæ vitæ documenta eliciebat. Eo animi ardore Deiparæ Virginis illibatam Conceptionem venerebatur, ut singulo anno in ejusdem festo, Votum defendendi hoc Mariæ privilegium edebat proprio subscriptum sanguine: quod in præcipuis Urbis viis publicè exponebat: alios verò ad eumdem emittendum votum verbo, & exemplo, ac solemni festorum pompâ excitabat. Puellarum Virginum gynæceum sub Immaculatæ Virginis nomine Messanæ fundavit. Eximiâ munitus prudentiâ in conciliandis diffidentium animis, & in pertractandis magni momenti negotiis multùm valuit: ideoque Principibus, ac Dynastis gratissimus. Doctrinâ insignis apud S. Officii Judices Consultorem egit. Tandem numeris omnibus absolutus, magnâ sanctitatis famâ decessit Messanæ 2. Decembris anno 1664. & in peculiari sepulchro conditus est. De eo Franciscus Andalorus *in Corona duodecim Stellarum pag.80.* & Josephus Ambrosius *in relatione solemnitatis epistolæ Marianæ pag. 238. &* 509. Italicè edidit suppresso nomine

Brevissime considerationi della Sordidezza del Peccato. Messanæ apud Jacobum Matthæi 1653. in 12.

Orologio della Morte. Ibidem apud eumdem 1656. in 12.

IGNA-

IGNATIUS MAZZARA nobilis Siclensis, Sacerdotio insignitus non modò graviores Philosophiæ, ac Theologiæ studia, verùm etiam & mathematicas disciplinas magna cum laude amplexus est. Elegantissimas, vividasque ingenii dotes politioribus literis impensè addictas, insigniter patefecit. Musas præsertim etruscas mirificè coluit; ac quæ edidit ingenii monumenta ejus styli cultum, eruditionis ubertatem, leporesque adblandientes abundè testantur. Hinc magno cum plausu in celebrioribus Italiæ Academiis adscriptus, literatorum amorem promeruit. Siclensis Ecclesiæ Cantor, vulgò *Ciantro*, electus, ejus possessionem litis jurgia exturbarunt. Ætate adhuc florente dum 26. ageret annum obiit Sicli mense Junii 1696. Ipsum laudant Balthasar Pisanus *in armoniis ferialibus pa.* 77. 222. & 336. & Franciscus de Marinis *in epistolis par.* 1. *pag.* 244. 248. & 269. Edidit Italicè

De' Sudori al Mariggio Poesie Liriche Parte Prima. Neapoli ex typographia Dominici Antonii Parrini, & Michaelis Aloysii Mutii 1692. in 12.

Epistole Eroiche. Ibidem apud eosdem 1692. in 12.

Euterpe Ufficiosa Odi. Parte Prima. Ibidem apud eosdem 1692. 12.

Prælo paraverat

Poesie Parte Seconda, e Terza.

Plettro Simbolico. Elegie.

Epistole Eroiche.

Lettere missive tomi due.

IGNATIUS TEDESCHIUS, ET PATERNO' Catanensis Patritius, nobili genere natus, vir Poesi, ac amœnioribus literis apprimè ornatus: in Catanensi Academia Clarorum pluries Principem egit, ac literatorum laudes promeruit. Decessit Catanæ 11. Januarii anno 1693. in honorifico Siciliæ terræmotu oppressus. Edidit Italicè

Il Creonte Dramma per musica. Catanæ apud Bisagnium 1686. in 12.

Il Nerone. Catanæ. Prælo paraverat

L' Eluisa Dramma per musica.

La Calpendra Tragedia Morale.

Rime varie.

IGNATIUS TIMPANARUS, Panormitanus Societatis Jesu, cui se addixit 30. Novembris anno 1628. Doctrinâ, ingenio, & eruditione clarus humaniores literas Rhetoricam, ac Philosophiam magna cum laude docuit. Obiit Panormi anno 1654. Edidit

Orationem in literariis anni lustralis auspiciis ad Illustriss. Senatum habitam in aula Collegii Panormitani. Panormi typis Decii Cyrilli 1641. in 4.

IGNATIUS DE VIO nobilis Panormitanus Soc. Jesu natus primo Decembris 1659. Societatem ingressus est 27. Octobris 1675. in qua solemnia emisit vota 2. Februarii 1693. Studiorum curriculum summa cum ingenii commendatione confecit, ac quatriennio humaniores literas docuit: Rhetoricam tum publicè biennio in Panormitano Collegio, tū privatim per annum Societatis junioribus tradidit, quâ ingenii elegantiam patefecit, ac summam sibi laudem comparavit. In eodem Collegio Moralem, & Scholasticam Philosophiam quatriennio non sine plausu docuit. Hebraicam linguam per anni cursum, ac Mathematicas disciplinas sexennio explanavit, & nunc etiam, dum hæc typis consignamus, doctissimè exponit. Ab ingenio, eruditione, eloquentiâ, morumque integritate non immeritò celebratur. Ipsum laudant Franciscus Mannellus in relatione solemnitatis S. Joannis de Deo p. 85. & Vincentius Auria *in hist. Crucifixi Panor. pag.* 42. Edidit Italicè suppresso nomine

I Giorni d' Oro di Palermo nella Trionfale solennità di S. Rosalia Vergine Palermitana celebrata l' anno 1693. Panormi apud Petrum Coppolam 1694. in 4.

Le Gare di scambievole Amore tra la Rosa Verginale S. Rosalia, li Gigli Reali di Filippo V. Nostro Signore, e l' Orto della Sicilia Palermo: intrecciate nella solenne festa di S. Rosalia Vergine Palermitana nell' anno 1702. Ibidem apud Josephum Gramignanum 1702. in 4.

La Mitologia Sacra, o vero il Panteon della Gentilità consegrato alle glorie di S. Rosalia Vergine Palermitana nella Trionfale solennità dell' anno 1703. Ibidem typis Cortesii 1703. in 4.

L'Emporio delle Glorie Palermitane, ò vero il Cōpendio di molti pregi della Città di Palermo consecrato à S. Rosalia Vergine Palermitana nella solennità di quest' anno 1704. Ibidem apud Dominicum Cortesium 1704. in 4.

Brieve Ragguaglio delle virtù del Gran Servo di Dio il P. Gio: Scorso della Compagnia di Giesù. Edito cum libro ejusdem Scorsi inscripto: *Varie Instrutioni per indrizo spirituale della Congregatione della SS. Vergine del Fervore.* Ibidem apud eumdem 1704. in 12.

Prælo paratam habet

Vitam, & res gestas P. Balthasaris Loyolæ de Mendez Societatis Jesu, Fessani, & Maroccani Regis Filii.

ILLUMINATUS MESSANENSIS Ordinis Capuccinorum ex nobili familia de Cuzanitis exortus: vir doctrinâ clarissimus, Theologus eximius, ac celeberrimus ecclesiastes. In sua Messanensi Provincia ad omnes honorum gradus evectus, demum Provincialis munere functus est anno 1622. Commissarium, ut vocant, & Generalem Visitatorem egit in Castellæ Provinciis apud Hispanos, quo in munere zeli disciplinam, ac justitiæ leges summa cum laude omnibus palam fecit. In omnibus verò muniis insignes virtutum splendores effudit. Demum in Messanensi Cœnobio sanctè decessit anno 1656. De eo Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinor. pag.* 173. qui edidisse testatur

Orationem de Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione, quam habuit Romæ anno 1618. *coram SS. ac Beatissimo Papa Paulo V. nec non ad Eminentissimos Cardinales, omnesque S.R.E. Præsules.*

ILLUMINATUS ODDUS Collesanensis Ord. Capuccinorū, vir doctrinâ excultissimus, qui diu in Messanensi Cœnobio Philosophiam, & scholasticam Theologiam sodales suos docuit; ac ob sub-

subtilissimas ingenii dotes non immeritò laudes promeruit singulares. In Messanensi Provincia, & alibi Concionatoris partes explevit, ac pluries Custodis, ac Definitoris munere præfuit. Surditate laboravit; ideoque parvâ tubâ in ipsius aures voces insinuabant: eâque causa ferventius studiis incubuit. Virtutibus ornatus claruit; ac præcipuo cultu Deiparam venerabatur; ante cujus imaginem in cubiculo magnâ animi demissione pietatis officia exercebat: hinc in supremo vitæ suæ morbo enixè petiit, ut hanc Mariæ Virginis effigiē ipsius oculis objicerēt, quos per horas octo antequam animam efflaret in ipsam defixos tenuit: & balbutiendo, cū Virgine se alloqui, non obscurè innuebat: vultus verò hilaritate animi suavitatē, & flagrantissimum in Deiparam amorem satis aperiebat. Demū dulcissimo edito risu expiravit in Cœnobio Messanensi anno 1683. Edidit

Logicam Peripateticam ad mentem Scoti, quâ subtilissimi doctrina declaratur. Panormi typis Petri de Isola 1664. in 4. & Neapoli apud Novellum de Bonis 1670. in 4.

Physicam Peripateticam ad mentem Scoti. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1667. in 4.

Disputationes de Generatione, & Corruptione ad mentem Scoti, cum resolutione aliquorum dubiorum ad libros de Metheoris spectantium, quibus additur disputatio Meth. de principio individuationis. Neapoli apud Andream Colicchiam 1672. in 4.

Disputationes de Anima. Ibid. apud eumdem 1674. in 4.

Italicè

La vera pace del Cuore. Messanæ apud Vincentium Amicum 1676. in 12. Panormi apud Petrum de Isola 1677. in 12. & iterum ibid. 1682. in 12.

Edendas reliquit

Disputationes Methaphysicæ.

ILLUMINATUS Panormitanus Ordinis Capuccinorum, ex nobili familia de Martio ortus, patre Augustino Martio Jurisconsulto eximio, de quo suo loco. Antequam ad Ordinem Regularem accessisset, Petrus Martius vocatus, Jurisprudentiæ studiis incubuit, & Doctoris laureâ insignitus est. Annum agens 19. Canonicatu S. Joan. de Eremitis in Panormitana Ecclesia cohonestatur anno 1576. A literarum ornamento laudatus floruit; ideoque Cæsar Marullus Archiepiscopus Panormitanus in suum Generalem Vicarium Illuminatum delegit anno 1582. quo in munere eminuit usque ad annum 1584. Sed arctioris vitæ desiderio æstuans, spretis sæculi honoribus clam ad Fratres Capuccinos confugit, & assumpto Illuminati nomine, inter eos vitæ innocentiâ, doctrinâ, & virtutum ornamento mirum in modum refulsit. Theologiam magno cum plausu docuit: eruditione verò insigniter excultus claruit. Honores quos extra Ordinis claustra declinare studuit, in Regulari Ordine accipere coactus fuit, ad munera Definitoris Panormitanæ Provinciæ pluries assumptus: bis eādem Provinciam rexit; & tandē ad Definitoris Generalis gradum virum eximium promerita evexere. Nec ipsi supremum totius Ordinis Generale gubernium defuisset, si morte præventus, vitam numeris omnibus absolutam nō reliquisset. Obiit circa an. 1620. Hujusce laudes leges apud Roc. Pirrū *not. Eccl. Panorm. pag.* 184. *& lib.* 4. *de Abbatiis pag.* 229. & Dionysium Genuensem *in Biblioth. Capuccinor. pag.* 174. *& in appendice*, ubi ex Matina familia ortum prædicat. Scripsit

Compendium Annalium Cardinalis Baronii cum annotationibus, & glossis. m. s. in fol. Authographum vidi in Bibliotheca Cœnobii Panormitani.

Annales Ecclesiasticos in duodecim Tomos distributos. m. ss. in fol. Hoc opus non sine ingenti labore, ac studio scripsit, ad instar annalium Cardinalis Cæsaris Baronii: & jam à superioribus approbatum sub Mediolanensi prælo erat: sed mors editionem abrupuit: & quæ ediderat folia diu in officina typographica delituere. Hujus operis authographum m. s. in eadem Bibliotheca Panormi asservatur.

INGHILFREDUS Panormitanus unus ex antiquioribus Poetis Etruscis, qui unà cum Friderico II. Imperatore, aliisque carmina condidit, teste Vinc. Auria *in epist. ad lectorem in fine par.* 1. *carminum Jo: Baptistæ de Judice pag.* 478. *& in Siciliæ Inventrice cap.* 9. §. 5. *pag.* 31. Ex rudibus ipsius carminibus inter vetustiores Poetas recensendum esse satis liquet. Id ipsum putat Jo: Marius de Crescimbenis *in comm. histor. Poesis Vulgaris vol.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *pag:* 39. qui inter antiquos etiam reponit *in eadem historia lib.* 4. *pag.* 278. Hujus etiam meminit Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculor. pag.* 144. at in nova libri editione inscripta: *Siciliæ Bibliotheca Vetus*, nescio qua ratione è Siculorum literatorum albo delevit; ni verius dicas, ex ejus memoria Inghilfredum excidisse. Claruit circa annum 1240. Scripsit Italicè

Rime. Cantionem quamdam, ex his quæ scripsit, edidit Leo Allatius in Antiquis Poetis. Neapoli apud Sebastianum Alecci 1661 in 8. eādem etiā protulit paululum diversam laudatus de Crescimbenis *in comm.* cit. Alia ipsius Carmina exscribit Io: Georgius Trissinus *in Poetica divis.* 3. *pag.* 31.

INNOCENTIUS MARCINONIUS Calatajeronensis Ordinis Capuccinorum lucem aspexit anno 1589. 24. Octobris, & in Ordinem admissus est anno 1607. Gravioribus disciplinis eruditus, Philosophiam, ac scholasticām Theologiam doctissimè tradidit. Virtutes assequutus egregias, Ecclesiastem egit ferventissimum summo cum animarum fructu. Meritis abundè instructus, cùm pluries Provincialis munus exercuisset, tandem anno 1643. extra omnium expectationem ad supremum Ordinis fastigium evectus est. Ea virtutum, prudentiæ, & sanctimoniæ documenta in Ordine moderando exhibuit, ut adhuc regiminis sui fama nunquam consenescenda perduret. Deo enim, & hominibus dilectus vix credibile est, quot plausus, ac venerationis argumenta in perlustrandis Europæ Provinciis expertus sit. Innumeri cujusvis ordinis viri per plura passuum millia extra urbium mœnia egrediebantur, ut ipsum avidissimè

nè intuerentur, ac genibus flexis recolerent. In Transalpinis regionibus ipsius effigies ære insculpta, ac precariæ coronæ ab ipso benedictæ magno pretio æstimabantur. Hanc venerationem egregio viro conciliarunt miracula, quibus Deus ipsius sanctimoniam illustravit. Principes, Dynastæ, Reges singulari obsequentis animi sensu Innocentium excepere; & præclara ejus gesta inspexere obstupescentes. Ferdinandus III. Imperator præcepit, ut dum urbem ingrederetur campanas pulsarent, et propriæ capellæ Musicorum chorus hymnum Te Deum decantaret: vetuit nè è Cœnobio discederet, sed præmisso aurei velleris equite, inde sequenti die Cœnobium adiit, Innocentium amplexus est: in Fratrum cœnaculo cum eodem Generali vires reficere voluit, & in ipsius cella in genua provolutus eumdem compulit, ut sibi benedictionem impertiret. Inæstimabile Sanctarum Reliquiarum Thesaurū à præcipuis Europæ Magnatibus accepit, dum Ordinē perlustraret, quod in Ecclesia patrii Cœnobii reposuit. Singulares ipsius virtutes Romæ Summi Pontifices, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Præsules demirati sunt. Insigni prudentiâ instructus, magni momenti negotia Innocentii X. jussu pertractavit: & ad Regem, Reginamque Galliæ, & Ducem Aurelianensem legatus missus est, ex diplomate dato Romæ 20. Maii 1645. Demum sanctitatis famâ celeberrimus obiit Calatajerone 16. Novembris an. 1655. Funus publico sumptu celebratum est summâ pompa, ac magno confluentis populi concursu. Ipsius corpus post quatuor annos, totidemque menses integrū invenere, licet loci humiditate corrumpendum fuisset: tunica verò, ac reliquo corporis indumento in pulverem resolutis. Admiranda vitæ gesta Episcoporum auctoritate in publicis, juratisque actis digesta asservantur. De eo multi præsertim Eligius Basseus in libro *Flores totius Theologiæ editionis tertiæ*, Gregorius Ambianus *in scholiis, & obseru. in Tertullianum Redivivum tom. 2.* Maximilianus Saudæus in libro *Religio S. Francisci*, Romanus Sambriocensis *in Reformat. Calendarii Gregoriani*, Ludovicus Franciscus Avenionensis *in Theatro Epidemico*, Joannes Burdigalensis *in synopsi institutionum Hebraicarum*, Antonius à Cryptalcis *in Capuccino Scotico*, Lucas Wadignus *tom. 7. Annal. Minor. addit. tom. 4. in fine an.* 1400. apud Petrum Paulum Morrettam *de Calatagirono c.* 10. *pag.* 40. quibus adde Joannem Rhò *in Variis Virtutum historiis lib. 3. cap. 5. pag.* 320. Michaelem Frazzettam *in Vita Bernardi Corleonensis lib. 2. cap. 9. pag.* 114. Benedictum Sanbenedictum *in Vita ejusdem lib. 1. cap. 4. pag.* 20. *& lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 117. Franciscum Prevum *in Vita B. Luciæ Calatajeronensis cap. 9. pag.* 83. Marianum Perrellum *in Vita S. Luciæ pag.* 60. aliosque. Scripsit ex Morretta citato *pag.* 39. Italicè

Itinerario della Visita. m.s. apud Calatajeronenses Capuccinos, in quo multa scitu digna, & Europæ memorabilia complectuntur; ideoque publicā promeretur lucem. Editioni paratos reliquit

Quaresimale Primo, e Secondo. m. ss.

Apud Perrellum citatum extat:

Epistola delle Reliquie di S. Lucia V. e M. Siracusana.

INNOCENTIUS ROCCAFORTIS Panormitanus, in lucem editus 5. Iulii 1666. literisque apprimè addictus, Doctoris lauream accepit Catanæ anno 1686. ac eodem anno Cathedralis Ecclesiæ Catanensis Canonicus electus est ab ejus avunculo F. Michaele Angelo Bonadies, ejusdem Ecclesiæ Episcopo. In terræmotu anni 1693. immaniter concussa Civitas Catanensis, in publicum eversæ Urbis beneficium egregiam navavit operam. Ioanni Roano Archiepiscopo Montisregalis gratissimus in nonnullis honorificè adhibitus est muniis; nam anno 1696. ab ipso Visitator missus est, ut Monasterium SS. Salvatoris in oppido S. Marci lustraret. Anno 1698. Delegatum Apostolicum substituit in causa Abbatiæ S. Iosephi in oppido Biscaris. Anno 1701. Vicarium Generalem, & Visitatorem præfecit in oppidis Brontis, & S. Marci: & pro eodem Archiepiscopo Metropoliticum Montisregalensis Ecclesiæ jus Romæ propugnavit; ubi Prothonotarius ex numero, ut vocant, Participantium constitutus est. Anno 1702. & 1703. Andreæ Regii Catanensis Episcopi vices, Delegati munere, gessit Adernioni, & Platiæ: & Capituli Ecclesiæ Catanensis privilegia defendere curavit. Eruditione clarus; præsertim in Sicularum rerum versatissimus, apud literatos haud exiguam æstimationem sibi comparavit. Nunc vir eximius Catanæ laudabiliter vivit, multis naturæ, ac doctrinæ bonis ornatus. Breviter evulgabit Italicè

Giornale Istorico di Sicilia dalla creatione del Mondo fino all'anno 1700. Tomi due in fol.

Aggiúte alle Chiarezze Istoriche di Sicilia di Don Pietro Carrera, cujus authographum servat, cum aliis Sicularum rerum monumentis.

INVOLUTORUM ACADEMIA Siclensis, vulgò degl'*Inviluppati*, claruit in urbe Siclis. Quamquam ejus origo, & interitus penitus ignoretur, hoc attamen pro certo habemus, quòd ante annum 1673. jam ipsius gloria occubuerat. Ejus Phrenoschema Bōbyx erat proprios inter labores advolutus: lemma verò: *nil nisi quod prodest*. Politiores literas hujus Athenæi alumni apprimè coluerunt; ac posteritati Italicè tradidere

Gli Honori de' Valorosi Guerrieri tessuti in varie foggie di compositioni, e presentati dagli Accademici Inviluppati della Città di Scicli all' Eccell. Sign. Don Gio: Alfonso Enriquez de Cabrera Almirante di Castiglia. Panormi typis Decii Cyrilli 1639. in 4.

IOANNES Siculus historicus, qui circa annum 866. floruit. Joannes Gerardus Vossius *de historicis Græcis in addict. pag.* 542. dubitat sitne ille, qui à Joanne Carapolata, & Cedreno *in proœm. histor.* Magister Siculus appellatur; an verò intelligendum de Michaele Glyca, vel Petro Siculo historicis: at ipse in Joannem hunc propendit. Subdit verò idem Vossius *lib. 4. cap. 21. pag.* 499. ubi de Joanne Siculo scribit: Philippum Labbæum *in delineatione apparatus ad historiam Bizantinam pag.* 44. hanc dubitationem alibi se soluturum promisisse. Sed Matthæus Raderus *in observationibus* ad

ad Petrum Siculum de vana, & stolida Manichæorum doctrina, de Petro Siculo intelligendum suspicatur. Octavius Caetanus *in Animad. ad tom. 2. SS. Siculor. pa. 18.* putat de Michaele Glyca loquutos, additq; quod hoc ex ipso historiæ Michaelis Glycæ fine, & ex alia Petri Siculi historia non obscurè colligitur. Præter Vossium cit. de Joanne Siculo scribit Sylburgius *in Saracenica præfatione* edita anno 1595. apud Vossium citatum. Scripsit Joannes

Chronicon usque ad tempus, quo Michaeli, Theophili filio, successit Basilius Macedo anno 866. Græcè m. s. servabatur in Bibliotheca Electorali Palatina, ex ejus indice digesto per Fridericum Sylburgium editum in libro: *Monumenta Pietatis, & literaria Virorum in Republica, & literaria illustrium selecta pag. 123.* at nunc in Bibliotheca Vaticana Romæ, ut testatur Vossius. In Bibliotheca etiam Cæsarea Viennæ servatur m. s. in 4. ex Gesnero *in Biblioth. pag. 496.* qui Joannem Sicceliotem vocat. Eumdem opus puto, quod hoc titulo nempè: *Historia Ecclesiastica Græcè m. s.* enunciatur à Ludovico à S. Carolo *in Bibliotheca Pontificia lib. 2. pag. 374.* & ab Augustino Oldoino *in Athenæo Romano pag. 676.* & citatur ab Andrea Victorello *in addictionibus ad Ciacconium in Vitis Pontificum.*

JOANNES alter Siculus Astronomus. Scripsit

Tabulas Toletanas super Canonibus Arzarchelis. m. s. in fol. extant in Bibliotheca Veneta S. Antonii, ex Joanne Philippo Thomasino *in Biblioth. Venet. m. ss. pag. 5.*

JOANNES AGLIATA Panormitanus Jurisconsultus Doctissimus, in Sicilia primarius causarum patronus: comite doctrinâ ad nonnullas Jurisprudentiæ dignitates evectus est; nam pluries in Panormitano Prætorio, in Magnę Regiæ Curiæ, & Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ subsellis præfuit Judex. Inde Regii Patrimonii Fisci Patronus, Concistorii Præses, ac tandem ejusdem Regii Patrimonii etiam Præses electus fuit. Amœnissimo ingenio munitus, politiores etiam coluit literas: ideoque inter Reaccensos Academicos Panormi recensitus, Italicis, ac vernaculis numeris multa cum laude cecinit. Cùm Mylis esset eo tempore, quo Regia Aula ibi consederet, ob bellum inter Hispanos, ac Gallos exortum, ea in Urbe decessit 6. Aprilis 1675. ejus verò cadaver Panormum translatum 29. Iunii ejusdem anni, in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium tumulatur. De eo Franciscus Strada *in quietationibus pag. 14. & 15.* Vincentius Auria *in hist. Chronolog. Proregum Siciliæ pag. 301.* Joannes Baptista de Judice *in carmin. par. 1. pag. 77.* & Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pag. 322.* ubi Joannis extant Siculo idiomate

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOANNES ALBERGHINUS Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci, natus anno 1574. Ordinis insignia suscepit anno 1590. Vir doctrinâ clarissimus adhuc adolescens Sacræ Theologiæ Magister, & Doctor renunciatus, studiis Regentis munere præfuit. Philosophiam, ac scholasticam Theologiam summa cum laude tradidit, ac discipulos ita erudivit; ut inde doctrinæ splendore Ordinem illustraverint. Eloquentiâ etiam enituit; ideoque non sine plausu conciones habuit, ac non vulgarem nomini suo gloriam comparavit. Nonnullis fuit honoribus cohonestatus; plura etenim rexit Cœnobia: Siculæ Provinciæ Definitorem egit: & eamdem Provinciam semel, & iterum gubernavit. Panormitanum Cœnobium S. Mariæ de Misericordia nonnullis ædificiis exornavit. In propugnandis Fidei Catholicæ rebus zelo æstuavit insigni: & S. Officii Consultor, & Censor electus, eam in hoc Tribunali sapientiæ sublimitatem detexit, ut apud S. Inquisitionis Judices magna æstimatione valuerit: & in rebus difficillimis ad ipsum veluti ad oraculum, confugerint. Mirâ eminuit prudentiâ. Virtutes coluit egregias. Erga Deiparam præsertim singularem fovit amorem: in cujus obsequiũ omnibus anni Sabbatis, & Marianarum festivitatum pervigiliis pane tantùm, & aquâ jejunabat. Demum cum nominis sui fama ubique diffusa effulgeret, obiit Panormi in Cœnobio S. Mariæ de Misericordia 26. Septembris anno 1644. Justa funebria amplissimâ pompâ celebrata sunt, præsentibus ad solemnitatem Inquisitoribus, ac Nobilium concursu. Defuncti virtutes funebri oratione exornavit Ludovicus Monachò concionator celebris ex Clericis Minoribus. De nostro Joanne Franciscus Bordonus *in Chron. Tertii Ordinis cap. 35. nu. 79. pag. 456. & cap. 38. pag. 557.* & Vincentius Coronellus *in Biblioth. tom. 2. num. 2986. pag. 554.* Edidit

Manuale Qualificatorum SS. Inquisitionis, in quo omnia, quæ ad illud Tribunal, ac Hæresum censuram pertinent brevi methodo adducuntur. Panormi apud Decium Cyrillum 1642. in 8.

Nonnullas etiam edendas reliquit *Lucubrationes scholasticas, & Moralis Theologiæ: & Breve Chronicon Tertii Ord. S. Francisci.*

JOANNES ALBERGUS ex oppido S. Stephani Vallis Mazariæ, Medicinæ Doctor. Adhuc superstes medicam facultatem in patria non sine laude exercet. Evulgavit

Summam Tractatuum Chirurgiæ Praxis, in qua continentur duo capita Chirurgiæ Praxis, in primo discurritur de morbis Capitis solutæ unitatis. In secundo de morbis externis humani corporis; comprehendendo quinque Tractatus, de Tumoribus, de Vlceribus, de Vulneribus, de Fracturis, & Laxationibus. Panormi apud Felicem Marinum 1703. in 12.

JOANNES ALBERTUS A S. JOSEPHO Panormitanus Carmelita Excalceatus, ex familia Pasquali natus anno 1613. Ordinis habitum suscepit Panormi 19. Martii 1637. & 19. Martii 1638. solemnia emisit vota. In ipso regularis vitę exordio contemplationis documenta mirum in modum hausit; ac breviter insigni regularis observatiæ studio, ad eam vitæ rationem pervenit, ut undique perfectionis argumenta diffunderet. In diti-

dirigendis ad Deum animabus singulares ipsi fuere dotes; ideoque ad ipsum innumeri rerum cœlestium amore æstuantes, confluebant. Ordinis tyrones instruxit, ac magnâ solertiâ ad sarvenctioris vitæ institutum excitavit, non modo D. Theresiæ doctrinâ, verùm etiam & præclaro virtutum exemplo. Matritum ablegatus, ut aliqua Provinciæ negotia pertractaret, ibi egregiis virtutibus exornatus ad Deum evolavit Mense Septembri anno 1678. Edidit Italicè

Spirito dell' attioni della vita humana. Panormi apud Petrum de Isola 1651. in 8.

La Pietà Palermitana per ajuto de' Moribondi. Ibidem apud Petrum Camagnam 1672. in 12.

JOANNES ALOYSIUS LELLUS Panormitanus, nobili loco natus, mathematicis, aliisque disciplinis abundè instructus refulsit: quibus politiores literas, ac poesim addidit. A secretis fuit Ludovici Torres S.R.E. Cardinalis, & Archiepiscopi Montisregalis. Floruit an. 1594. & cùm alieno ære gravatus in villâ suam propè Panormum secessisset, ventus validissimus quadam nocte exortus, murum imminẽtem evertit, ac Aloysium oppressit, ut testatur Vincentius de Joanne *in Panormo Restaurata m. s. lib.* 2. qui etiam de eo *in Panor. Triumph. pag.* 127. & Ipsius cum laude meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Montisregagal. pag.* 435. Scripsit Italicè

Descrittione del Real Tempio, e Monasterio di S. Maria Nuova di Monreale. Romæ apud Franc. Zannetti 1588. in 4. & iterum cum addictione italica inscripta:

Vite degli Arcivescovi Abbati, e Signori di Monreale, e Sommario de i Privilegii dell' Arcivescovato di Monreale. Romæ apud Aloysiũ Zannetti 1596. in 4. tandem cum addictione eruditissimi P. D. Michaelis de Judice Panormitani Monachi Casinensis. Panormi apud Augustinum Epirum 1702. in fol. At non prætermittendum quòd etsi, ut Pirrus cit. testatur, aliqui hoc nostri Lelli opus Ludovico Torres adscribant, ut inter alios P. Augustinus Oldoinus *in Athenæo Romano pag.* 471. Prosper Mandosius *in Biblioth. Romana vol.* 1. *cent.* 5. *n.* 6. *pag.* 284. & Antonius Teisserius *in Catalogo librorum pag.* 226. attamen compertum est apud eruditos, Ludovicum tantummodo aliqua ex historicis notitiis Lello exhibuisse. Addit & Oldoinus cit. eumdem Cardinalem sub nomine Aloysii Lelli *Vitam Joannis Verzeræ Poetæ Hispani* clarissimi edidisse, quæ an nostro Lello tribuẽda, exploratum non est, cùm eamdem vitam nec viderim, nec rationis radium eluceat. Scripsit etiam Lellus Italicè

Rime.

JOANNES ALOYSIUS DE SEPTIMO Baro Terræ, & Castri Sambucæ, nobilis Panormitanus, patrem habuit Nicolaum, avum verò Antoniũ, sive Antoninum progenitum ex antiquis Comitibus de Septimo in præpotenti Republica Pisana; qui pluries in ea supremum gessere Magistratum, deque eis monumenta leguntur ab anno salutis 996. in quodam privilegio Imperatoris Othonis III. Postquam autem Urbs illa dominio æmulæ Reipublicæ Florentinæ prodita fuit, illustriores familiæ servitutis impatientes, aliò transmigrarunt: è quibus Antoninus de Septimo cùm ibi supremum Prioris egisset Magistratum anno 1431. eo deposito, cum uxore, & liberis, totaq: familia Panormum se contulit; ibique magnis domibus emptis domicilium fixit: & acquisitâ per Alphonsi Aragonum Regis munificentiâ, pro filio Simonetto ejusdem Regis Camerario, Baroniâ oppidi Jarratanæ, quæ deinde anno 1569. fuit evecta in titulum Marchionatus, fato cessit anno 1457. & sepultus in abside Templi S. Dominici ejus expensis extructa, sub lapide marmoreo jacet cum hac epigraphe: *Antoninus de Septimo Baro Jarratanæ* 1457. Nicolaus alter ex filiis Antonini, uxorem duxit Aloysiam filiam Petri Caetani Baronis Clarimontis ejus consanguinei, pariter è Pisis Panormum profecti: creatus à Joanne Rege anno 1459. Vice-Magister Justitiarius Regni Siciliæ, eoque in munere claruit usque dum vixit ad annum 1475. His natus parentibus Joannes Aloysius, & in puerili ætate relictus, totum se dedit honestioribus disciplinis addiscendis, & præcipuè Jurisprudentiæ; in qua tantùm profecit ut omnibus ævi sui Jurisconsultis excelleret. Hinc Primarius causarum Patronus, ob singularem doctrinam non modò apud omnes maximâ valuit auctoritate, verùm etiam Catholico Regi Ferdinando fuit summè carus, & amplissimis honoribus cumulatus: etenim in Panormitano Prætorio, & Magnæ Regiæ Curiæ subsellis anno 1510. Judex sedit: anno verò 1511. ascitus à Rege fuit ad Sacrum Regium Consilium Magister Rationalis, diuq; Regium Patrimonium rexit. Inde ad Hispaniam evocatus, in supremo Aragonicæ coronæ Senatu Regentis munere præfuit. Anno 1514. coactis ab Hugone Moncata Siciliæ Prorege Generalibus Regni Comitiis, ut leges in his sancitæ Regio assensu firmarentur, aliaque assequerentur, unanimiter à Præsulibus, Baronibus, & Regni Civitatibus Joannes Aloysius fuit electus Orator ad Regem, tamquam is, qui gratus admodum Regi, plenissimè intelligebat, quæ magis ad Reipublicæ beneficium conferrent. Fuerat enim pluries à præcedentibus Comitiis, nempè anno 1499. 1505. & 1508. (ut etiam anno 1518.) constitutus unus è duodecim viris Deputatis Regni, qui Rempublicam administrant. Ideoque Joannes Aloysius Regni Siciliæ Orator se contulit Burgos in Regno Castellæ ad Catholicum Regem Ferdinandum, ac suâ dexteritate, & prudentiâ die 24. Junii 1515. confirmationem obtinuit eorum omnium, quæ Regnum postulanda decreverat; ex Regni Capitulis in illis Ferdinandi *cap.* 75. Patrimonium à Nicolao patre sibi relictum adauxit, cui addidit novem feuda nuncupata *Serradifalco, Tarbuna, la Salina, Salaci, Gallidauro, Gratiano, la Pergola, & la Scala:* ut etiam oppidum Sambucæ. Honores meritò assequutos eximiæ virtutes illustrarunt, præsertim amor justitiæ integerrimus, singularis prudentia, munifica liberalitas, atque summa religio. Christianæ pietatis insignia monumenta re-

 quit;

liquit: etenim anno 1499. unà cum Aloysia matre fundavit, ac perfecit Panormi Monasterium Montis Virginis Ordinis S. Francisci sub invocatione Divæ Mariæ de Gratia, sive de Nive. Ad ornandam supremam majoris Panormitanæ Ecclesiæ partem, quam Tribunam appellant, propriis expensis unam contulit ex elegantissimis statuis, quæ in circuitu demirantur: opus celeberrimi Antonii Gagini Panormitani sculptoris. In Tribuna Ecclesiæ S.Dominici,gẽtilitia ejus familiæ de Sepeimo, ex testamento in tabulis Joannis Francisci Formaggio 29. Decembris anno 1522. construendam duxit, sculptili opere è marmore, sacram Domini Cœnam, cum Jesu Christi, & Apostolorum iconibus, ut in eo marmoreo opificio locaretur tabernaculum etiam marmoreum, ad asservandum sacrosanctum Panem Eucharisticum: ad hæc autem perficienda 375. aureos legavit, prout Antoninus ejus hæres, & filius perfecit. Tandem honoribus plenus Panormi ultimum clausit diem 23. Novembris anno 1525. ætatis suæ anno 60. & in memorata S. Dominici Tribuna in urna marmorea sepultus est. Uxorem duxerat anno 1490. Constantiam de Diana nobilem Panormitanam, Friderici de Diana Regii Militis filiam, ex qua filios suscepit Antoninum [hic anno 1531. supremum Urbis Magistratum Capitanei Justitiarii gessit] Nicolaum, Petrum,& Lauriam nuptam Joanni Michaeli Spatafora Baroni Maleti, & Roccellæ, è qua Principes Maleti, & Venetici, & Marchiones Roccellæ descendunt. Hæc ex authenticis scriptis apud D. Hieronymum de Septimo Jarratanæ Marchionem virum doctrinâ, & eruditione clarissimum, ac singulare suæ familiæ ornamentum. Hujusce viri non sine laude meminere Franciscus Baronius *de Maest. Panorm. lib.3. cap.5. pag.119.* Rocchus Pirrus *not. Eccl. Panorm. pag.* 222. Andreas Marchesius in libro: *Parlamenti di Sicilia pag.377. & 378.* Augustinus Inveges *in appar. tom. 3. annal.Panormi pag.* 125. Vincentius de Joanne *in Panor. Triumphante lib.* 12. *pag.*126. Petrus Ansalonius *de sua familia pag.*380. Franciscus Strada *in lib. quietationum pag.* 14. *aliique.* Quæ doctissimi hujus viri extant, hæc sunt.

Consilium. in selectis Consiliis Petri Lunæ. Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol.

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Regiá Pragmaticam Alphonsi Regis de Censibus Adnotationes. apud Petrum de Gregorio *de Censibus.* Ibidem typis Joan. Ant. de Franciscis 1609. in 4.& apud Franciscum Ciotti 1622. in fol.

Adnotationes super Ritu Regni Siciliæ. in Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Ibidem apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in fol.

Consilium. apud D.Marium de Gregorio *in consultatione super constitutione Præsidis Regni facta per Ducem Machedæ in personam Marchionis Elicis.* Ibid. typis Ioan. Ant. de Franciscis 1602. in 4.

In materia Prælationis inter Primogenitum imperfectum, & secundogenitum Tractatum. ex Baronio citat.

In Cap. Volentes de feudis. Hoc opus citant quamplures; inter quos Franciscus Milanensis *decis.*1. *lib.*1. *pag.*9. *decis.*8. *pag.*44. & 46. & alibi; Marius Muta *in Cap. Regni tom.*1. *cap.*33. *nu.* 203. Cannetius *in cap.Volentes* 78. & 80. aliique.

Repertorium feudale. m.s. citatur à Roccho Pirro *in Chronolog. Regum Siciliæ pag.*91. qui in prima editione ejusdem *pag.* 30. apud Josephum Centorbium Jurisconsultum Mazarẽsem asservatum; & non vulgari eruditione refertum testatur in epistola ad lectorem. Memoratur etiam à Francisco Milanense *decis.* 8. *lib.*1. *pag.* 47. & Muta citat. *tom.*2. *cap.*28. *num.* 65. Hinc à Camerario Beneventano in quadam responsione edita à Cannetio cit. *pag.*369. unà cum aliis celeberrimis Siculis rerum feudalium scriptoribus nominatur. Scripsit etiam

Allegationum Volumina varia, quæ per Jurisconsultorum Bibliothecas vagantur m.ss. horum quædam citantur à nonnullis Doctoribus, nempè

Allegationes Tonnariæ Pachini, seu Capi Passari. ex Muta *tom.*5. *in Cap.* Regni 456. *num.*25. & Mastrillo *decis. lib.*1. *decis.*56. *num.*17.

Allegationes in causa Nasiliæ, seu Naphiliæ. ex Mastrill. *cit. decis.* 56. *num.* 30. & Cannerio *pag.* 334.

Allegationes Burgetti. ex Muta *cit. tom.* 1. *cap.* 22. *n.*25.

Allegationes Linguægrossæ. ex eodem *tom.*1. *cap.* 33. *num.*56. *cap.*39. *n.*17. & alibi.

Consilium in causa Sclafani. ex eodem *tom.*2. *cap.* 28. *n.* 104. 165. & alibi.

Allegationes in causa Roccellæ. ex eodem *tom.*1. *cap.*33. *n.*216.

Allegationes pro Marchione Jeracis, in successione Alcami, & Caccabi. ex eodem *tom.* 1. *cap.* 33. *n.* 524.

Allegationes in causa Palazzoli. ex eodem *tom.* 2. *cap.*28. *n.*97.

Scripsit etiam

Apostillas ad Capitula Regni. ex eodem *tom.* 1. *cap.*1. *n.*1. & *cap.*7. *n.* 1.

JOANNES AMBROSIUS PRIAROGGIA Panormitanus, origine Genuensis, natus 26. Junii anno 1644. literisque humanioribus instructus ad graviora properavit studia. Iurisprudentiæ placita assequutus, ab eximia doctrina clarus innotuit. Historicâ eruditione exornatus literatorum amorem sibi devinxit. Tabellionis munere dum fungitur Panormi, publicæ fidei integritatem, ac doctrinæ præstantiam publicè profitetur anno 1707. quo hæc typis traduntur. Habet sub prælo opus inscriptum:

Fasciculus Florum ultimarum Voluntatum Theoricæ, & Practicæ ad usum publicorum Notariorum congestus. Panormi typis Joann. Bapt. Ajccardi 1707. in 4.

JOANNES ANCONA Erycinus Sacerdos, Orator, & Poeta celebris, Ecclesiæ S. Mariæ Annunciatæ Drepani Capellanus. Obiit in patria sua 15. Maii 1593. & in majori ejusdem Urbis Ecclesia sepelitur: ut habeo ex Roccho Pirro *not. Eccl.Mazar. pag.* 569. & Relatione D. Viti Carvini Erycini. Edidit *Divi*

Divi Alberti Officium secundùm Romanæ Curiæ ordinem approbatum, & indulgentiis decoratum. Panormi per Nob. Joannem Matthæum Maidam 1557. in 8.

Historiam S. *Alberti, & alia oratoria & poetica, inter quæ aliquà heroica paemata.*

Joannes de Ancona citatur inter Summistas *in summa Angelica,* teste Gesneto *in Biblioth. p.* 399. sed alium à nostro puto.

JOANNES ANDREAS BARTOLUS Panormitanus Iurisconsultus. Edidit

Selectas Juris Quæstiones. Extant in libro inscripto. *Selectæ Quæstiones Juris variæ in utramq: partem disputatæ & ex veritate decisæ diversorum clarissimorum I. C.* Coloniæ 1570. in fol. ex Fontana *in Biblioth. legali par.* 1. *pag.* 70. & 72.

JOANNES ANDREAS A CRUCE Panormitanus Carmelita Discalceatus, in sæculo Nicolaus Ruscianus, Ioannis Andreæ Rusciani Panormitani, de quo infra, filius. Natus anno 1640. regulari instituto nomen dedit Panormi 3. Maii 1656. ac solemnia nuncupavit vota 6. Maii 1657. Prudentiæ, ac modestiæ leges in eo mirificè effulsere; adeout externo conspectu animos rapiebat, moresque intuentium componebat. Eminuit in egregio viro patiencia; heroica enim simulatione internos etiam cruciatus constantissimè toleravit; nam & suspiriis egressum denegabat, & levi hoc adjumento angores sibi lenire non permittebat, ut absolutissimam sui victoriam consequeretur. Regulari observantiâ singularis, constitutionum zelo flagravit, quas tyronum instructor vulgari idiomate loquentes faciebat, ac explanabat, ut in juniorum cordibus facilius imprimeret: hos autem ad eminentissimæ perfectionis metam non modò verbis incendere curabat, verùm etiam & exemplo omnes precurrebat. Doctrinâ instructissimus Theologiam sodales suos docuit; eloquentiâ clarus vividas ingenii vires in exornandis Sanctorum laudibus è sugestu adhibuit, & eximii panegyristæ laudes promeruit. Pluries Prioris munere functus, disciplinæ regularis zelum suavitate temperavit egregiâ. Tandè virtutum splendore refulgens, dum Cœnobium Catanense moderabatur, prenunciato mortis die ante nonnullos menses, ad cœlestem patriam evolavit 16. Augusti 1681. Edidit Italicè.

Il Secolo di ferro reso d' oro dalla vita, e virtù esemplari della Ven. Suor Geltruda di Giesù Maria Maltese Carmelitana Scalza. Romæ apud Mancinum 1671. in 4.

Suppresso nomine

La Pace combattuta, o vero la Tranquillità di Catania conturbata da i vomiti di Mongibello, successo lagrimevole dell' inondatione del fuoco del Monte Etna scappato alle falde di detto Monte à di 11. *di Marzo dell'anno* 1669. Panormi apud Petrum de Isola 1670. in 12.

JOANNES ANDREAS GATTUS nobilis Messanēsis Ordinis Prædicatorum, natus anno 1440. Patre Gerlando Gatto Agrigentino, Messanæ incola. Ordinem ingressus, ac studiis addictus ob singularem ingenii sublimitatem, ad altissimum doctrinæ fastigium ascendit. Scientiis propè omnibus instructissimus; Philosophus præsertim, ac Theologus nulli secundus, Mathematicus, Astronomus, Jurisconsultus clarissimus fuit, ac dissertissimus Concionator. Hebraicis, Latinis, Græcisq; literis egregiè excultus, eruditionis, ac doctrinæ thesaurus meritò prædicabatur. Ut Græcas edisceret literas in Græciā digressus est, ibiq; breviter iis abundè munitus Romam remeavit. Fuit illi ingenium præstantissimum, ac memoriæ vis admiranda: hinc ea omnia, quæ semel legendo percurrebat, constantissimè retinebat, & ex occasione fideliter reddere consueverat. Ideoque amicis sæpe dixit: si sacros libros amittere fortè contigerit, ob memoriæ firmitatem omnes posse rescribere. In celeberrimis Bononiæ, Florentiæ, ac Ferrariæ Academiis diu ære publico Theologiam professus est, & per totam Europam in scolasticis concertationibus famigeratus, omnibus admirationi fuit, & summam nomini suo gloriam comparavit. Cùm in Generalibus Ordinis sui Comitiis Romæ coactis coram Nicolao V. Sum. Pont. acutissimè disputaret, ejus doctrinæ sublimitas inclytam Pontificis mentem in admirationem traxit: ipsumq; interrogavit an Doctoris Lauream publico decreto accepisset, cui respondens, se nulla ad huc doctoris insignia assequutum; ipsemet Pontifex ad doctoralem gradū evexit, imposito propriis manibus apice. Romæ magnâ floruit æstimatione præsertim apud Bassarionem Cardinalem, cui gratissimus fuit; ejusq; operâ Abbas electus est SS. Petri, & Pauli de Itala, & SS. Petri, & Pauli de Agrò in Sicilia anno 1468. ubi & contra hereticam pravitatem Inquisitorem egit. Ferdinando etiam II. Regi percarus, regiam ipsius munificentiam expertus, ad Episcopalem Cephalædii infulam evectus est, & à Sisto IV. P. M. inauguratus an. 1472. cui ab eodem Rege ter Orator missus fuit ad pertractanda magni momenti negotia. Anno 1475. à memorato Pontifice ad Catanensem cathedram translatus est, ac apostolicis literis datis 18. Decembris 1477. ad Clerum Catanensem, Joannis promerita exaltare curavit; ait enim: *dedimus Vobis in Episcopum, & Pastorem venerabilem Fr. Joannem Gattum virum magnæ doctrinæ, & probitatis, & omni honore dignum,* &c. Hanc Ecclesiam aliquandiu pastorali solertiâ moderatus est: sed cùm hanc electionem Rex egrè ferret, tum quia ad ipsum electionis jura spectabant, tum etiam quia alium ad hanc dignitatem evexerat, ad eliminanda jurgia inter Regem, & Pontificem exorta, anno 1478. noster Joannes relictâ Catanensi Ecclesiâ, ad Cephaledensem regressus est, quam summâ cum laude rexit; ibique sui memoriam reliquit, extructo porticu ante majoris Ecclesiæ januam. Senio confectus Messanam adiit, & in Cœnobio S. Dominici, ubi religiosæ vitæ, ac doctrinæ exordium posuerat, lætali morbo correptus anno 1484. vitam absolvit. Messanensis Civitas non sine lacrymarum copia Civi benemerenti justa persolvit, ac marmoreo extructo tumulo in Cathedrali Ecclesia, contra suggestum sepelivit: at decurso

decurso sæculo anno 1585. ad Ecclesiam amplificandam, & exornandam, tumulo deleto, alibi Joannis corpus translatum est. Multi emeritis laudibus Ioannem exornant, ut Rocchus Pirrus *not. Eccl. Messan. pag.* 362. *not. Eccl. Catan. p.* 58. *not. Eccl. Cephal. pag.* 460. *& lib.* 4. *de Abbatiis pag.* 106. *&* 113. Vinc. Fontana *in Theatro Dominic. par.* 1. *cap.* 5. *tit.* 151. *pag.* 161. *tit.* 159. *p.* 164. *c.*6. *tit.* 2. *p.* 331. *p.* 2. *c.*6 *tit.* 4. *p.* 495. *& p.* 3. *c.*3. *tit.* 58. *p.* 598. *& in Monum. Dominicanis p.* 3. *c.* 5. *pag.* 357. *c.* 6. *pag.* 364. *&* 366. *& c.* 7. *pag.* 371. Antoninus Senensis *in Biblioth.* Fernandez *in concert. prædicat. an.* 1462. Sylvester Maurolycus *in Mari Oceano lib.* 3. *pag.* 244. Benedictus de Passaflumine *in orig. Eccl. Cephalœd pag.* 70. Io: Lopez *in hist. S. Dominici par.* 5. *lib.* 2. *cap.* 60. *pag.* 369. qui in designando mortis anno lapsus est, ait enim obiisse anno 1500. contra omnium Scriptorum mentē. Ambrosius Altamuranus *in Biblioth. Dominic. pag.* 208. Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 1. *pag.* 101. *& lib.* 2. *pag.* 238. Io: Michael Pius *de viris Illustr. Ord. S. Dominici par.* 2. *lib.* 3. *pag.* 44. Lucius Marineus *lib.* 5. *epist.* Bartholomæus Carandinus *in descrip. Eccl. Cephal. pag.* 18. *&* 124. Leonardus Orlandinus *in disc. de laudib. Sicil. pag.* 81. Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 28. *pag.* 262. Iosephus Bonfilius *in sua Messana lib.* 2. *pag.* 14. *& lib.* 7. *pag.* 54. *& hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 1. *pag.* 62. Vincentius Auria *in hist. Cephal. pag.* 76. Jo: Bapt. de Grossis *in decac. Cat. to.* 2. *cord.* 10. *pag.* 165. *& Catan. Sacra pag.* 220. Placidus Reina *in hist. Mess. p.* 2. *pag.* 518. Iosephus Ambrosius *in descrip. solemn. Epistolæ Marianæ pag.* 317. *& pag.* 416. Fazellus *de reb. Sicul. dec. prima lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 50. Maurolycus *hist. Sicil. lib.* 1. *pag.* 24. *&* 33. *lib.* 5. *pag.* 185. *&* 186. Cl. Marius Aretius *de Situ Sicil. pag.* 33. Jo: Michael Cavalerius in libro: *Galleria de' Som. Pontef. &c. dell'Ord. de' Predicatori to.* 1. *Chronol.* 1. *p.* 293. *& tom.* 2. *Chr.* 2. *pag.* 16. aliique. Scripsit ex Fazello, Fontana, Pirro, Altamurano, & aliis ex supra citatis

Orationes aliquot coram Romanis Pontificibus habitas, variâ eruditione, ac mirâ arte elaboratas. Has autem editas numquam vidi, sed in Bibliotheca Panormitani Cœnobii S. Dominici Ord. Prædic. in libro m. s. in 4. aliquæ Ioannis orationes servantur, nempè:

Joannis Gatti Præsulis Catanensis Oratio coram Paulo Pontifice Maximo in festo Annunciationis Dominicæ.

Ejusdem oratio coram Paulo Pontifice Max. in Dominica de Passione.

Ejusdem oratio coram Sixto Pontif. Max. quando Oratores Regis Aragonum obedientiam exhibuerunt.

Ejusdem oratio in funere Latini Cardinalis in æde S. Salvatoris.

Ejusdem oratio in funere Alani Cardinalis in æde S. Praxedis.

JOANNES ANDREAS ROSCIANUS Panormitanus ingenii aciem non modò Philosophiæ, & Theologiæ addixit, verùm etiam & Jurisprudētiæ, cujus lauream obtinuit. Gravioribus studiis, mitiores literas intermiscere curavit: hinc Poesi latinâ, Etruscâ, & vernaculâ summa cum laude lusit. Florente adhuc ætate obiit Panormi 1648. Laudatur à Josepho Galeano *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 342. *& p.* 4. *pag.* 145. Ipsius extant Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *to.* 1. *par.* 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis Siculis *Par.* 3. Panormi apud Bisagnium 1651. in 12.

Canzoni Sacre Siciliane. In Musis Siculis *par.* 4. Panormi apud eumdem 1653. in 12.

JOANNES ANSALONIUS Catanensis Jurisconsultus, à generis claritate, doctrina, animique dotibus celeberrimus. Ad egregia honorum culmina virum egregium evexere promerita. Familiam, novis acquisitis feudis, locupletavit. Pluries Magnæ Regiæ Curiæ Judex electus effloruit, nempè annis 1482. 1489. 1493. & 1479. hoc etiam anno Cęsaragustæ apud Ferdinandum Regem moras protrahebat, in pertractandis magni momenti negotiis adhibitus; ut ex Regni Capitulis *an.* 1479. patet, ubi cum primariis Regni Proceribus obsignatum observo. Fuit etiam Regni Siciliæ, ut dicunt, Magister Secretus; & anno 1458. & 1462. Regni Generalis Vicarius, ut perditos viros suppliciorum terrore coerceret; ac etiam anno 1485. eodem munere cohonestatus est, collatâ sibi amplissimâ juris licentiâ; quibus ejus prudentia, justitiæ zelus, in Regis obsequium fervor, ac aliæ inclyti viri dotes, liquidò patent. Nonnulla feuda, & Pittinei oppidum pretio acquisivit, quibus familiæ gloriam amplificavit. Doctrinâ singularis inter ævi sui Jurisperitos eminuit, ac eloquentiâ, & eruditione clarus mirum in modum refulsit: hac ex causa ut etiam ex corporis maestate, ac elegantia alter Apollus passim vocabatur. In consiliis ne dum maturitate, verùm etiam, & celeritate admirandus fuit. Allegationes edidit doctrinâ refertissimas, quarum vi nonnulla Jurisconsultorum vota revocavit. Vivebat anno 1493. ejusque laudes post Matthæum Silvagium *de tribus Peregrinis cap.* 44. *pag.* 164. & Joann. Bap. de Grossis *in decacord. Catan. cord.* 9. *pag.* 148. ipsum meritò extollit Petrus Ansalonius *in sua familia pag.* 101. *& seq.* Scripsit ex Silvagio

Tractatum de feudis. ideoque à Joanne Antonio Cannetio *in extravag. Friderici Volentes, & Jacobi si aliquem* pluries citatur, ut etiā à Josepho Cumia *de successione feudalium* passim inter celebres Jurisconsultos. Et licet Ansalonius cit. dubitet an Cannetius de hoc nostro Joanne Ansalonio scribat, an verò de alio ejusdem nominis vetustiore, cùm utriusque meminerit; attamen de hoc nostro intelligendum opinor, qui & celebrior, & Cannetii ævo propinquior. Idem Cannetius, qui *pag.* 334. Regni Prothonotarium vocat, ipsum citat cum Gualterio *in quibusdam consiliis,* de rebus feudalibus, quos ineditos puto.

Allegationes in causa Nafrisiæ de S. Angelo: citantur à Mario Mastrillo *decis. lib.* 1. *decis.* 56. *nu.* 21.

JOANNES ANTONIUS BRANDUS Salemitanus Tertii Ordinis S. Francisci, vir doctrinâ, ac sanctimoniâ clarus. Siculum Salemitanum fuisse testantur Octavius Caetanus *in Idea Sanct. Siculor. pag.* 42. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 570. Franc. Bordonus *in Chron. Tert. Ord. cap.* 25. *nu.* 2. *pag.* 413. *nu.* 74. *pag.* 455. *& cap.* 38. *pag.* 558. Leonardus Orlandinus *in discursu Siciliæ pag.* 84. Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Marian. par.* 1. *pag.* 665. & ipsemet in suis operibus editis infra notandis; quibus adde Epitaphium sepulchri Romæ in Cœnobio Sanctor. Cosmæ, & Damiani, in quo legitur: *Joannes Antonius Brandi á Salem.* Hinc Wadigui lapsum facillimè deprehenditur, qui in libro *de Scriptoribus Minorum pag.* 190. (quē sequitur Joannes Maria Vernon *in Annal. Tertii Ord. par.* 3. *pag.* 624.) Joannem Siculum Salernitanum Diœcesis Mazariensis prædicat: scripsit enim Salernitanus pro Salemitanus; Salemis enim Siciliæ oppidum est Mazariensis diœcesis, ut omnibus compertum est. Hinc potius mendum typographi incuriæ adscribendum. Sed omninò repellendus error Nicolai Topi, qui inter Neapolitanos scriptores Joannem recenset *in Bibliotheca Neapolitana pag.* 124. & Salernitanum renunciat, & in eundem errorem traxit Antonium Teisserium *in Catalogo librorum pag.* 159. Fuit Joannes doctissimus Sacr. Theologiæ Magister, Concionator disertissimus, Historicus, ac Poeta eximius. Ob egregiam doctrinam, eruditionem, vitæque integritatem magnâ veneratione ab omnibus prosequutus est. Rhetoricæ præcepta, Philosophiam, Theologiam, aliasque scientias docuit. Virtutes coluit singulares, quibus mirificè refulsit. In animarum salute curanda nimiùm desudavit. Conciones magno cum fructu, populique frequentiâ Panormi, & alibi habuit. Regularis observantiæ cultor eximius fuit. Durissimas pœnitentiæ regulas amplexus, asperrimum cilicium numquam deposuit. In rerum Cœlestium contemplatione, ac SS. Patrum lectione multus fuit; eâque vixit vitæ sanctimoniâ, ut undique ejus famâ diffusâ, Clemens VIII. Romam advocaverit, ut ad aliquam Ecclesiastici Ordinis dignitatem pro animarum beneficio extolleret: ibique nonnullis honorificè obitis muneribus, in quibus profundæ humilitatis exempla reliquit, lætali morbo aggressus est. In ægritudinis incommodis nunquam lectulum molestiis obrutum dimoveri permisit: tunica semper præcintus recubuit, quam nunquam in toto vitæ spatio dimisit. Properante mortis hora ea Divi Martini verba magno animi ardore ingeminabat: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Demum unà cum fratribus sibi assistentibus Psalmum 141. recitare curavit, & ad ea verba: *me expectant justi donec retribuas mihi*, sanctè decessit Romæ 13. Maii anno 1608. non anno 1626. ut Wadigno placet. Evulgata ipsius morte, magnus populi concursus ad viri corpus confluxit: ideoque vix sequenti die sepulturæ tradi permissum fuit in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani; & nonnulla edita miracula viri sanctimoniam prodidere. Hujusce viri laudes invenies apud auctores præcitatos; ut etiam apud Octavium Potenzanum *in Poemate de SS. Decem millia Martyr. can.* 5. *pag.* 73. Leonardum Orlandinum *in Imaginib. pag.* 44. *&* 67. aliosque. Hìc advertendum Joannem Mariam Vernon *in annal. Tertii Ordin. par.* 1. *pag.* 30. *& par.* 3. *pag.* 624. pluries per oscitantiam à vero aberrasse: ait enim *pag.* 30. de Cœnobio Romano SS. Cosmæ, & Damiani: *Honestatur sepulchro Beati Joannis Baptistæ Brandini, natione Siculi ex illustri familia de Provenzano Salernensi oriundi &c... Beatus iste Pater bis Generalatus dignitatem administravit... tádem diem ultimum clausit an.* 1500. exinde alia distinctè de Joanne Antonio Brando addit, quasi de alio scriberet: hinc ex Bordono *in Chronologio* cit. patet, confundisse Joannem Antonium Brandum Salemitanum, cum Joanne Baptista Provenzano Drepanitano, de quo infra suo loco; hic etenim ex nobili familia de Provēzano, bis ad supremam Ordinis dignitatem evectus est. Salernensem vocat Brandum, at *pag.* 624. Salernitanum fuisse tradit, diœcesis Mazariensis: *pag.* 30 anno 1500. decessisse scribit, & *pag.* 624. anno 1626. sed ex Bordono anno 1608. mortalitatem explevit. Hinc utriusque gesta sejuncta exhibere opus erat, ad erroris labem declinandam, ut Bordonus exponit, & nos hìc, & ubi de Joanne Baptista Pvovenzano efficimus. Epitaphiū, sub quo Joannes Antonius Brandus, & Joannes Provenzano jacent, quia adhuc integrum non habeo, forsan in operis appendice exscribam. Joannes Antonius in lucem emisit Italicè

Rosario di Maria Vergine Santissima Poema Sacro, & Eroico. Panormi apud Joannem Franciscum Carraram 1595. in 8. & Romæ apud Carolum Williettum 1601. in 16. cum aliquibus carminibus Italicis, & Latinis. Accessere secundæ editioni discursus aliqui à nonnullis literarum cultoribus editi in operis, & auctoris laudem.

Accorgimento fatto à i clarissimi Signori Venetiani. Viterbi, & Panormi apud Joan. Ant. de Franciscis 1607. in 4.

Chronologia de' Sommi Pontefici. Romę typis Hieronymi Discipuli 1608. in 4. Senis 1616. & alibi sæpe.

Vita, e Morte di S. Filippo d'Argirone. Romæ apud Carolum Williettum 1606. in 16. cum aliquibus carminibus in calce. Panormi apud Decium Cyrillum 1623. in 16. & iterum ibidem apud Buam, & Portamnovam 1646. in 12.

JOANNES ANTONIUS CANNETIUS Ragusanus Juris utriusq: Doctor illustris, accelebcrrimus. In Comitatu Motycæ Magnæ Regiæ Curiæ diu præfuit. Panormi aliquando delatus, statim Regii Consiliarii honore cohonestatus fuit: anno 1544. in Magnæ Regiæ Curiæ Tribunali Fisci Patronum, & 1551. ac 1552. Judicem egit: & ob egregiæ doctrinæ eminentiam summâ æstimatione prosequutus est. Primum Ragusæ N. Javāti, Caroli Javanti Baronis Buxelli sororē, uxorem duxit: quâ defunctâ secundò in oppido Claramontis

montis N. Eliam duxit, Matthæi Eliç sororem cum ingenti dote: ideoque eo in oppido magnificentissimum sibi extruxit Palatium, ubi diu habitavit. Ex hoc orta opinio Cannetium Claramontanum fuisse, ut putavit Rocchus Pirrus *not. Eccl. Sirac. pag.* 259. perperam verò à Placido Carafa *in Motuca illustrata pag.* 98. Motycensis renunciatur. Ragusanum fuisse elucet ex nonnullis monumentis, & ex relatione quorumdam ejusdem familiæ, quæ mihi obtulit Clar. Franciscus Paternionius nobilis Ragusanus de patriis rebus benemerentissimus. Obiit Cannetius Ragusæ ex improvisa morte circa annum 1580. & in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium conditus est. Inscriptio ad lapideum ipsius sepulchrum temporis injuria delevit. Cannetii meminit præter citatos auctores Antonius Possevinus *in appar. sacro tom. 2. pag.* 107. & inter illustres Jurisconsultos recensetur à Joanne Clessio *in Elencho vir. literat. pag.* 215. Edidit

In Extravagantem Volentes Friderici, & in Extravagantem si aliquem Jacobi Siciliæ Regum enarrationes perspicuas. Venetiis apud Guerreos fratres, & socios 1576. in fol.

Consilium. apud Petrum Lunam in selectis Cōsiliis. Panormi apud Erasmum Simeonem 1627. in fol.

JOANNES ANTONIUS GIUFFUS Panormitanus Jurisconsultus, & astronomicarum rerum peritissimus. Publici Juris fecit

Tractatum de Eclipsibus, per quem videtur quid debeant considerare in pronosticatione Eclipsium. Neapoli ex typographia Octavii Beltrani 1621. in 4. Italicè

Pronostico Perpetuo, e naturale per il quale si potrà sapere in ogni giorno la bontà del tempo, di serenità caldo, e siccità. Panormi 1597. in 8.

In Bibliotheca S. Josephi Patrum Clericorum Regularium Panormi servantur m. ss. Tomi duo *de rebus Astrologicis* in fol.

JOANNES ANTONIUS JOPPOLUS Ragusanus juris utriusq; doctor, cùm doctrinâ ornatus inter eximios Siciliæ Advocatos effulsisset; multis Jurisprudentiæ honoribus cohonestatus fuit. In Panormitano Prætorio, in Magnæ Regiæ Curiæ, & Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Foro pluries præfuit Judex, & Regii Consiliarii honore illustratus claruit. Ob annonæ egestatem Generalis, ut vocant Comissarius constitutus est, & ut tritici inopiç consuleret per Siciliam missus. Messanç Generalem egit Vicarium pro adulterinæ monetæ correctione. Gentis bellicæ Generalis Auditor electus est; & in novo Tribunali Regiæ Junctæ bonorum consiscatorum Judex, Fisci Patronus, & supremus Moderator. Exinde in Regii Patrimonii subselliis Præsidis dignitate adauctus est, & in magni momenti negotiis à Siciliæ Proregibus persæpè adhibitus. Demum in Hispaniam accersitus fuit, ut in supremo Italiæ Concilio Regentis munere fungeretur, ubi dum hæc typis traduntur anno 1707. senex vivit, à prudentiæ dotibus non immeritò laudatus, & Ducis Cæsarò de Insula titulo insignitus. Ipsum laudant Ignatius Gastone *in discept. Fiscalib. to. 1. discep. 4. n.* 27. & Vincentius Auria *in hist. Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 300. Editas vidi

Allegationes in causa status Campi-Franci V. J. D. D. Caroli Mirabella, & Jo. Ant. Joppolo. Messanæ ex typographia Jacobi Matthæi 1654. in fol.

JOANNES ANTONIUS PROVINA Netinus historicus, ac Geographus insignis; ob eximiam doctrinam, & in rebus agendis præstantiam, à Summo Pontifice Nuntius missus est in Hiberniç Insulam. Fuit à secretis Ferdinandi Siciliæ Regis, floruitq; circa annum 1494. Ipsius cum laude meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 227. & Vincentius Littara *de rebus Netinis pag.* 125. & 142. Scripsit

De Hibernia, & Thyles situ populorumque moribus, quem librū Ferdinando Acunæ Siciliæ Proregi nuncupavit, & in Cœnobio Netino Fratrum Minorum de Observantia servabatur.

JOANNES ANTONIUS REITANUS Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor; vir gravioribus Philosophiæ, ac Theologiæ scientiis excultissimus, & historicâ eruditione clarus. Fuit Alicatensis Archipresbyter, & in Diœcesi Agrigentina Judex, & Examinator Synodalis. Ut ex Synodo Agrigentina Frācisci Traing Episc. *p.* 147. & 149. patet. Obiit Leocatæ 29. Martii ann. 1640. & in Ecclesia majori sepultus est. Hujus meminit Rocchus Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 340. & Baronius in libro *Palermo glorioso pa.* 189. Scripsit

De Adventu Pauli Apostoli Messanam, de Bacchylo eis à D. Paulo imposito Episcopo, deque Epistola, quam à Virgine scriptam autumant Censurā, atq; Judicium. Extant in libro Francisci Baronii inscripto: *Vindicata veritas Panormitana.* Venetiis ad Candentis Salamandræ insigne 1629. in 4.

JOANNES ANTONIUS SALONIA Siculus incertæ patriç, humanioribus literis apprimè exculptus, Christophori Schobaris Hispani, Canonici Syracusani discipulus. Floruit anno 1520. Ipsius extat opusculum grammaticale inscriptum:

Joannes Antonius Salonia L. Christophori Scobari Discipulus in Callilia carcinomata elegans annotatio. Extat inter ejusdem Scobaris opera. Venetiis per Bernardinum Bernalium 1520. in fol.

JOANNES ANTONIUS SCLAFANUS, aliter SCROFANO Ragusanus, natus 4. Julii anno 1605. cùm medicæ facultati operam dedisset, Messanæ Doctoris Lauream accepit 9. Maii 1625. Doctrinâ insigniter cumulatus Archiatri dignitatem in Motycensi Comitatu cohonestatus est anno 1645. Siclensem Civitatem aliquandiu inhabitavit, ubi uxorem duxit: ibique in propriis ædibus amœniorum literarum Academiam excitavit: & elegantissimi ingenii dotes non obscurè detexit. Mathematicas, & Astronomicas facultates apprimè coluit sub Joannis Baptistç Hodierne disciplina. Musices etiam peritus nonnulla armonica instrumenta tractavit, ac modulis musicis multa composuit. Poeta eximius plura cum laude cecinit. Motycç tandem vivere desiit 14. Novembris anno 1681. & in Sacello, quod ipse ære suo ędificaverat in Ecclesia S. Mariç de Succursu sepultus est. In lucem emisit

De

De Febri populari, quae vagata est per totum Siciliae Regnum anno 1672. *Epistolam*. Panormi ex typographia Petri de Isola 1673. in 8.
Scripsit etiam Italicè
Il Santo Alesio dramma per musica. m. s. asservatur Motycę.

JOANNES ANTONIUS TRIGONA Platiensis Juris utriusque Doctor celeberrimus, Mariani Soccini Iurisconsulti clarissimi in Academia Patavina discipulus, ut ipsemet in singularibus testatur. Ad eum doctrinae fastigium sese extulit, ut sommo cum plausu in eodem Patavino lyceo Caesarea Jura doctissimè explanaverit. Floruit anno 1540. Consule Pirrum *not. Eccl. Catan. pag.* 105. Jo: Paulum Chiarandanum *in hist. Platiae lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 265. Franciscum Baronium *in Siculae nobil. amphit.* ubi de Marco Trigona. Edidit

Singularia. Venetiis 1541. & 1578. in 8. & in volumine secundo inscripto: *Singularia omnium Doctorum tunc temporis existentium collecta à Gabriele Sarayna*. Lugduni 1560. in fol. & ibid. 1570. in fol.

JOANNES ANTONIUS VIPERANUS Messanensis, perperam à Nicolao Toppio *in Biblioth. Neapolit. pag.* 128. inter Neapolitanos recensitus. Messanensem proclamant Leonardus Nicodemus Neapolitanus *in Addictionibus ad eamdem Toppii Bibliothecam pag.* 110. qui Toppii errorem ipsiusmet Viperani testimonio evincit: hic enim in epistola nuncupatoria libri *de conscribenda historia* ad Cardinalem Antonium Perenottum ait: *Cum valetudinis causa me ad meos Messanam recepissem incidi in ea tempora &c.* Messanensem etiam renunciant Ferdinandus Ughellus *in Ital. Sacra tom.* 7. *de Episc. Juvenacensibus pag.* 999. Petrus Angelus Spera *de nobil. Profess. Gram. lib.* 5. *pag.* 576. & omnes Siculi Scriptores infra adducendi, ut etiam & ejus operum inscriptiones. Apud Antonium Possevinum *in appar. Sacro tom.* 2. *pag.* 107. legitur: *Jo: Ant. Viperanus Mesconensis Siculus*, pro Messanensis, ex typographi incuria; cujus errorem sequutus est Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Marian. par. prima pag.* 665. & in libro *Antist. Mariani pag.* 594. Natus Messanae parentibus Nicolao Viperano, & Francisca Arculeo, sub patris disciplina, viri pietate inclyti, christianâ religione, ac virtutibus eruditus est, ut ipsemet in exordio libri *de summo bono* testatur. Literis addictus, ac clericali habitu insignitus Philosophicis, Theologicisq: scientiis eminuit. Orator etiam fuit desertissimus, Poeta eximius, graecè, latineq: doctus; & omnigenâ eruditione refertus claruit. In Hispaniam delatus Philippi II. Regis aestimationem promeruit, qui in suum Regium Capellanum, & historicum delegit: & ab ipso primùm ad Cantoris dignitatem Regiae Capellae S. Petri in Palatio Panormitano evectus est anno 1581. Anno verò 1587. Canonicus in Ecclesia Agrigentina constitutus; & anno 1588. ad Episcopalem Juvenacensium Cathedram in Apulea delectus, à Sixto V. P. M. an. 1589. consecratus est. Refulsere in inclyto viro egregiae virtutes, christiano Praesule dignae; praesertim humilitas, & in Deiparam studium singulare. Vitae integritate, verbo, & exemplo populos instruxit; & cùm Ecclesiam sibi creditam per annos 21. laudabiliter gubernasset, senio confectus, Martio mense anni 1610. decessit, & in Sacello SS. Crucifixi in Cathedrali Juvenacensi sepelitur; ubi Julius Masus in Episcopatu successor, ad perennem tanti viri memoriam, hoc epitaphium inscripsit.

Glor. & Hon. Deo,
Et lux perpetua luceat ei, cujus cineres hìc requiescunt.

Jo: Antonius Viperanus Messanen. doctrinâ, & integritate conspicuus de Philippo II. Hispan. Rege optimè meritus, ad ejusdem Regis nominationem Juvenacensis Episcopus, à Sixto V. Pontifice Maximo creatus; qui plurium scientiarum libros edidit, Populumque verbo, & exemplo instruxit. XXIII. anno sui Praesulatus senio confectus obdormivit in Domino Anno M. DC. X.

Praeter citatos Auctores de hoc Praesule scripsere Melchior Inchofer *de epistola Beatae Mariae Virginis ad Messanenses cap.* 98. *pag.* 297. Antonius Possevinus *in Bibliothec. lib.* 16. *sect.* 1. *cap.* 7. Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 1. *pag.* 37. & 102. Placidus Reina *in histor. Messanae par.* 2. *pag.* 227. & 517. Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 28. *pag.* 265. Petrus Ansalonius *de sua familia pag.* 402. Joannes Vigintimillius *in Poetis Siculis Bucolicis pag.* 40. 87. & alibi, aliique. Viperani Vitam edidit Venetiis anno 1663. Antoninus Mirella, & Mora, ut patet ex *Bibliotheca Aprosiana Angelici Aprosii pag.* 432. quam tamen diu perquisitam nunquam vidi. Publicae luci tradidit

De Summo bono libros V. Neapoli ex officina Horatii Salviani 1575. in 8.

De Poetica libros tres. Antuerpiae ex officina Christophori Plantini 1579. in 8.

De scribendis Virorum illustrium Vitis sermonem. Perusiae apud Valentem Panutium 1570. in 8.

In M. T. Ciceronis de Optimo genere Oratorum Commentarium. Antuerpiae ex officina Christophori Plantini 1581. in 8.

De componenda oratione libros tres. Ibid. apud eumdem 1581. in 8.

Orationes VI. de Naturali sciendi cupiditate. De utilitate scientiarum. De consensu disciplinarum. De perfecto habitu hominis. De Philosophia. De Legibus. Ibid. apud eumdem 1581. in 8.

De scribenda historia librum. Ibidem apud eumdem 1569. in 8. Perusiae apud Valentem Panutium 1570. in 4. Basileae 1576. in 8. & iterum Basileae in opere inscripto: *Artis historicae Penus.* 1579. *tom.* 1. *à pag.* 838.

De obtenta Portugallia à Rege Catholico Philippo historiam. Neapoli apud Horatium Salvianum 1588. in 4. *& in Hispania illustrata.* Francofurti apud Claudium Marinum, & Haeredes Joannis Aubrii 1603. in fol. tom. 2. *à pag.* 1031.

De ratione docendi librum. Romae ex typographia Francisci Zannetti 1588. in 8.

De Divina Providentia libros tres. Romae apud eumdem 1588. in 8.

De Virtute libros IV. Neapoli apud Horatium Salvianum 1592. in 4.

De Rege, & Regno librum ad Philippum Caroli V. Imp. filium. Antuerpiæ ex officina Christophori Plantini 1569. & 1618. in 8. & Perusiæ apud Valentem Panutium 1570. in 4.

Conciones aliquot celebrioribus anni festivitatibus habitas. Venetiis apud Joannem Bapt. Ciottum 1599. in 8.

Orationum Dominicalium expositionem. Neapoli typis Horatii Salviani 1597. & 1600. in 8.

Laudationem funebrem Caroli V. Imper. habitam Messanæ anno 1558. Messanæ apud Petrum Spiram 1558. in 4. & in Volumine: *Germanicarum rerum Scriptores tom.* 3. *collectore Marquardo Frebero.* Hannoviæ impensis Claudii Martii hæredum, Ioann. & Andreæ Martii, & Consort. 1611. in fol. *à p.* 511. Hæc recusa, ut infra.

Laudationes tres habitas Messanæ in funere Caroli V. Imp. Philippi II. & Isabellæ Reginæ. Perusiæ apud Valentem Panutium 1570. in 4.

Ode Joanni Austriaco Turcarum Victori. in libro: *In fœdus, & victoriam contra Turcas juxta finem Corinthiacum non. Octobris* 1571. *partam Poemata varia.* Venetiis ex typographia Guerræa 1572. in 8.

Carmina varia de Beata Maria Virgine. ex Marraccio, & Ughellio.

Omnia Viperani opera, vel saltem eorumdem pars magna, in tria volumina distributa prodiere hoc titulo.

Joannis Antonii Viperani Messanensis Operum Pars Prima, continens res Oratorias, Historicas, & Poeticas. Neapoli apud Joan. Anton. Carlinum 1606. in fol.

Pars Secunda continens res Naturales. Ibid. apud eumdem 1606. in fol.

Pars Tertia continens res Morales, atque Divinas. Ibid. apud eumdem 1606. in fol.

JOANNES ARAGONA Siculus incertæ patriæ, ex Octavio Caetano *tom.* 2. *Sanctor. Siculor. in animad. pag.* 67. & Josepho Perdicaro *in Vitis Sanctor. Siculor. pag.* 270. Scripsit Italicè

Vita di S. Cono.

JOANNES AURISPA Netinus Sacerdos, vir Græcè, latinèque doctissimus: ne dum politioribus literis, verùm etiam & severioribus omnibus disciplinis instructissimus fuit, quibus summam nomini suo famam comparavit. Præcipuè eximii Oratoris, ac Poetæ singularis gloriâ floruit, eo tempore, quo in Italia amœniores literæ penè incultæ delitescebant. In patria primùm Cantoris dignitate cohonestatus est: inde Romam digressus, detectâ ingenii sublimitate, Poetæ Laureati titulo fuit insignitus, & ab Eugenio IV. Summo Pontifice à secretis Sedis Apostolicæ electus; in quo etiam munere à Nicolao V. confirmatus est: huic enim gratissimus fuit, immò ipsius familiaris, ejusque doctrinam magni fecit. Hinc anno 1449. ad Abbatiam S. Philippi de Grandi; inde anno 1451. ad aliam pinguiorem S. Mariæ de Roccadia Abbatiam in Sicilia evexit. Ferrariæ diù vixit usque ad extremam senectutem, ubi maximam Ferrariensium Ducum æstimationem expertus est, qui profusâ magnificentiâ Joannem locupletarunt. Coævos etiam omnes literatos, per totam Italiam florentes, in sui amorem traxit. Apud Antonium Panormitam, cui erat arctissimæ amicitiæ nexibus devinctus, nonnulla nostri Joannis testimonia leguntur: in epistolis enim suis *lib.* 3. *pag.* 62. & 64. ait: jam Sacerdotio initiatum, ad Parochi munus Ferrariæ evectum fuisse: *lib.* 5. *pag.* 96. & 97. duobus epistolis ipsi datis, Joannem hortatur, ut Homeri vitam è græco in latinum sermonem vertat: *pag.* 105. cùm jam ætatis annum 70. attigisset, Romam regressum maturasse testatur: *pag.* 110. cujusdam militaris operis meminit, quod latinitate donabat, ac ut ad umbilicum perduceret Maria Alphonsi Regis filia exoptabat: *pag.* 112. Joannem suadere conatur, ut jam senio confectum, relictâ Ferrariâ, sub Alphonsi Regis patrocinio se reciperet; cùm Alphonsus hoc ardentissimè concupisceret: cujus munificentiâ ad supremos honores faciliter extollendum non dubitabat: eique suam operam etiam promittebat. Ibidem aliâ epistolâ suasiones ingeminat, ut Neapolim veniat, ubi Alphonsus honores, suos supremis dignitatibus afficiendos meditabatur. At si ad Alphonsum venerit ex Panormitæ epistolis haud elucet. Ad ipsum contendisse puto, dum Pandulphus Colenutius *in hist. Neapol. lib.* 6. *pag.* 270. in Alphonsi Regis aula magnâ æstimatione floruisse testatur. Sed ubinam obierit, & quando incompertum est. Joannem nostrum celebrant auctores gravissimi, ut Antonius Panormita loc. cit. & *in suis carminib. pag.* 127. Iacobus Philip. Bergomensis *in suppl. Chron. lib.* 15. Æneas Sylvius, inde Pius II. Franciscus Filelphus *in suis epistolis*, Leander Albertus *in Insulis pag.* 56. Christophorus Scanellus *in Chron. Siciliæ*, Raphael Volaterranus *anthropol. lib.* 21. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 403. Laurentius Valla, qui se Aurispæ discipulum fatetur, Thom. Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 109. Vincentius Littara *de rebus Netinis pag.* 103. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 225. & *lib.* 4. *de Abbatiis pag.* 97. qui Littaræ lapsum notat: hic enim obiisse ait anno 1416. cùm Pirrus superstitem anno 1457. ostendat: Lilius Greg. Gyraldus *de Poetis nostror. temporum dial.* 1. *pag.* 386. qui Ioannis carmina improbat: sed tumida Gyraldi cēsura à Dominico Caramella, & Michaele Foscareno *in Musæo illustrium Poetar. pag.* 142. retunditur. Vide etiam Laurentium Crassum *in hist. Poetar. Græcorum pag.* 265. Vincentium Coronellum *in Biblioth. tom.* 4. *num.* 6900. *pag.* 1682. Josephum Perdicarum *in vitis Sanctor. Sicul. pa.* 300. & Philippum Brietium *annal. tom.* 7. *an.* 1459. *pag.* 18. Scripsit ex iisdem

Epigrammata.

Epistolarum opus egregium. Quædam Joannis Epistolæ extant in codice m. s. apud Patres Eremitanos Patavii, unà cum aliis virorum illustriū, teste Apostolo Zeno viro clarissimo *in Epistola ad Abb. Justum Fontaninum de Meditationibus Philosophicis Bernardi Trivisani Patritii Veneti*, & doctissimi *p.* 14.

Phi-

Philisci consolatoriam M. T. Ciceroni dum in Macedonia exularet è græco in latinum traductam. Parisiis 1510. in 8. editam per Godofredum Torninum cum Probo de interpretandis Romanorũ literis, aliisque opusculis.

Hieroclis librum in Pythagoræ aurea carmina latinitate donatum. Basileæ apud Henricum Petrum 1543. in 8. ex Gesnero.

Opuscula. ex Collennutio cit.

Transtulit etiam ex Gesnero cit. *Archimedis opera*: & ex Panormita *Homeri vitam.*

IOANNES BAPTISTA ARATA Panormitanus Clericus Regularis, Rapallo in ora Orientali Ligustici maris oriundus, lucis usuram accepit Panormi 22. Februarii 1621. parentibus Ioanne Augustino Arata, & Virginia Segni: Augustini Arata, de quo supra, Francisci Liparensis Episcopi, & Ioannis Vincentii Canonici Basilicæ Vaticanæ germnus frater. Clericorum Regularium institutum amplexus est mense Iulio an. 1636. & solemni votorum professione se astrinxit Panormi in D. Iosephi Templo 25. Novembris 1637. Studiis addictus ob ingenii præstantiam Theologus evasit egregius, ac verbi Dei Concionator eximius. Hinc evangelicâ eloquentiâ, & animarum zelo primarias Italiæ Urbes illustravit: Neapoli enim, Bononiæ, Mediolani, Perusiæ, Romæ, & alibi non sine laude conciones habuit. Romæ Sacræ Congregationis Indicis librorum prohibitorum, & Sacrorum Rituum Consultor, diu non sine laude enituit. Ad multa etiam Ordinis munia admotus est: fuit etenim Generalis Ordinis sui Consultor, & Procurator Generalis: ac domum Romanam S. Andreæ de Valle Præpositus rexit: quibus in muneribus singularis prudẽtiæ, ac doctrinæ lumina patefecit. Anno 1690. cùm fato cessisset Franciscus Arata Episcopus Liparitanus ejus frater, ejusdem Ecclesiæ infulam, ipsi sponte oblatam ab Alexandro VIII. P. M. constanter recusavit: ab honoribus enim alienus vixit. Tandem per anni curriculum ejus virtute ægritudinũ molestiis probatâ; præsertim stomachi doloribus cruciatus, totus in Dei voluntate conformis, obiit Romæ 5. Septembris anno 1696. in domo S. Silvestri anno ætatis suæ 75. magnumque sui desiderium omnibus reliquit. Hujusce laudes invenies apud Iosephum Silos *in hist. Clericor. Regul. par. 3. lib. 12. pag.* 587. Michaelem Iustinianum *de Scriptoribus Liguris pag.* 315. *& in epist. memorabil. par. 2. pag.* 565. *& par. 3. pag.* 594. Augustinum Oldoinum *in Athenæo Ligustico pag.* 310. & Vincentium Coronellum *in Biblioth. univ. tom. 4. num.* 1193. *pag.* 285. Edidit Italicè

Orationi Sacre. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1659. in 4.

La Bocca della Verità all'orecchie, & à i cuori de' Prencipi. Discorsi Christiani-Politici. Romæ apud eumdem 1669. in 4.

JOANNES BAPTISTA DE BALLIS Panormitanus Jurisconsultus doctrinâ præstantissimus, inter præcipuos causarum patronos innotuit. Nõnullos promeruit Jurisprudentiæ honores, præsertim in Magnæ Regiæ Curiæ Foro præfuit Judex anno 1575. 1593. & 1601. fit etiam in Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ subselliis. Dum autem in memorato Magnæ Regiæ Curiæ Tribunali eximiâ effulgebat integritate, corporis exuvias Panormi deposuit 31. Martii 1603. & in Ecclesia S. Nicolai de Calcia sepultus est. De eo Philadelphus Mugnòs *in Theatro Geneolog. par. 1. pag.* 98. & Vinc. de Ioanne *in Panorm. Restaur. lib.* 2. Edidit

Allegationes in causa Feudi Favarottæ. Panormi in fol.

Allegationes pro D. Baptista Cuvello. Ibid. in fol.

IOANNES BAPTISTA BASILIS Catanensis, Sacræ Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Catanensis Canonicus, in Catanensi Diœcesi Confessariorũ, & ordinandorum Examinator. Apud patriæ Præsules magnâ æstimatione valuit. Eruditione refertissimus claruit: & rerum Sicularum scientissimus fuit. Obiit Catanæ 21. Ianuarii anno 1692. & in Cathedrali Ecclesia sepultus est. Scripsit

Discursum, sive factum juridicum super concessionibus terrarum per Episcopos Catanenses per plura sæcula factis. Catanæ typis Pauli Bisagni 1685. in fol.

Innumera reliquit m. ss. præsertim de rebus, & familiis Siculis, quæ apud Catanensis Ecclesiæ Capitulum asservantur.

JOANNES BAPTISTA BISSUS Panormitanus Societatis Iesu, cui nomen dedit 6. Martii anno 1639. Præstantissimo ingenio munitus, egregiam sibi doctrinam comparavit. Hinc præter humaniores literas, Rhetoricam magna cum approbatione docuit; & non minori doctrinæ laude Philosophiam, ac Scolasticam Theologiam tradidit. Græcis, & Hebraicis literis instructissimus fuit, quas in Collegio Panormitano docuit; ubi etiam Sacras Literas diu explanavit. Morum integritate, ac animi candore præclarus, decessit Panormi in eodem Collegio 18. Ianuarii 1696. Septuagenario major. Ipsum laudat Vinc. Auria *in histor. Crucifixi Panormitatæ Eccl. pag.* 240. Edidit Italicè suppresso nomine

Palermo Festivo, o le feste nell' Inventione di S. Rosalia Vergine, per protettione, e per nascita Palermitana, fatte in Palermo l' anno 1654. Panormi typis Nicolai Bua 1654. in 4.

Aliquæ ipsius inscriptiones extant in libro, cui titulus: *Dichiaratione del nuovo Teatro, che l'Illustr. Senato di questa felice Città di Palermo drizzò alla Invittissima Maestà del Re Filippo IV. il Grande.* Panormi apud Petrum de Isola 1663. in 4.

JOANNES BAPTISTA DE BLASCIS Messanensis, Iuris utriusque Doctor, celebris causarum Patronus. Eximiâ doctrinâ claruit, quæ ad nonnullos honores virum inclytum non immeritò evexit. Pluries in Messanensi Foro Straticoti, & in supremis Magnę Regiæ Curię, & Concistorii Tribunalibus Iudex integerrimus sedit. Prȩfuit etiã in Regii Patrimonii subselliis à Rationibus Magister; & ibidem Præsidis munere effulsit, hac dignitate 21. Novembris an. 1615. insignitus. Demum 15. Iunii 1619. Magnę Regię Curię etiã Prȩses electus est. Integritate conspicuus numquam à justitię tramite deflexisse fama prædicat; nar-

narrant etenim proprium filium, ob raptam quędam mulierem, morti damnasse: quam subiisset ni Proregis clementia, in tantę virtutis gratiam, liberasset. Decessit Panormi 21. Octobris an. 1636. & in Ecclesia S. Iosephi Cler. Regul. sepultus jacet, ubi hęc legitur inscripto.

Cineres
Eximii Primorum Tribunalium
Præsidis Blasci
Spiritus
Mediis Protovirginibus jugalibus
Verbi sanguinem Agni misericordias
Canit:
In novissimo
Idem Joannes Baptista
Gloriosius canet.

De eo Franciscus Baronius *in Siculæ Nobilitatis Amphiteatro pag.* 1. Vinc. Ferrarottus *de officio Straticoti disc.* 2. *pag.* 26. *&* *disc.* 24. *pag.* 135. Marius Muta *in capit. Regni Siciliæ tom.* 1. *cap.* 20. *n.* 16. Marius Cutellus *de donationib. tom.* 1. *tract.* 1. *disc.* 2. *partic.* 6. *n.* 146. Vincentius de Ioanne *in Panor. Triumph. pag.* 126. Petrus Ansalonius *de sua familia pag.* 239. Franciscus Strada *in Quietationib. pag.* 19. & Vincentius Auria *in histor. Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 299. *&* 300. Multa scripsit, at solùm editum vidi

Responsum pro insigni Civitate Messanæ contra MM. D.D. Hæredes D. Philippi Lucchini. in fol.

IOANNES BAPTISTA BONFANTES ex oppido Montismellis, vulgò *Mussomeli*, Iurisconsultus doctrinâ insigniter instructus. In patria Iudicem egit, claruitque anno 1650. Scripsit

Allegationes, in quibus eruditè differitur, quando adversus executionem contractus bullalis, præventio locum habeat, & juramenti absolutione indigeat præveniens, ad intellectum Pragmaticalis Constitutionis Comitis Castri §. 3. Extat in libro inscripto: *Praxis circa modum procedendi Caroli Carusi.* Panormi apud Dominicũ Anselmum 1663. in fol. *à p.* 365.

IOANNES BAPTISTA BRUNUS Ennensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci natus 2. Iunii 1647. à teneris adhuc annis literis admotus, humaniores literas, ac Philosophiam didicit non sine ingenii laude. Anno 1666. Ordinis insignia suscepit, & anno sequenti in patrio Cœnobio solemnia emisit vota. Decursis graviorum disciplinarum spatiis, Baccalaurei gradum obtinuit, & eximiâ instructus doctrinâ, sodales suos Philosophiam docuit Messanæ, Panormi, & Ennæ. Sed cùm nonnulli rerum eventus egregio viro studiorum progressus interdixissent, ad alias facultates se vertit: hinc Mathematicas disciplinas coluit, & hæreditario quodam jure pingendi artificium amplexus est: ideoque penicillo indulgens, caloribus elegantissimè illustravit Cathedralem Catanæ Ecclesiam; aliique sui penicilli labores demirantur Platiæ, Buteræ, Terrenovæ, & Panormi. Musas etiam recoluit, & non injucunda protulit ingenii monumenta. Vivit dũ hæc prælo submittuntur vir eximius, morum integritate laudabilis. Edidit vernaculâ linguâ

Fascetto di Mirra, ò vero Mazzetto di diverse Canzoni Siciliane Sacre, Morali, e Proverbiali. Panormi apud Felicem Marinum 1701. in 12.

Scripsit etiam hæc alia Italicè

Anatomia di Prospettiva Ottica, Anottica, e Catottica.

Idea de' Buoni Superiori.

Il San Clemête opera tragica in verso drammatico.

JOANNES BAPTISTA CAMPANILIS Panormitanus Sacerdos, vir ingenio, ac memoriâ inclytus, doctrinâ verò clarissimus. Adolescẽs in Panormitano Clericorum Seminario exceptus, doctrinæ eminentiam hausit ex Collegio Panormitano Soc. Jesu; & Theologicâ Doctoris laureâ donatus est. Inde aliquandiu in eodem Seminario Philosophiam non sine laude docuit. Jurisprudentiam, Astronomicas disciplinas, cæterasq; scientias omniũ capax didicit. Sacræ eloquentiæ etiam operam dedit, ac ob floridam, cultamque dicendi copiam non vulgarem sibi laudem conciliavit. Eruditione, ac politioribus literis excultus, inter Panormitanæ Academiæ Reaccensos adscriptus, egregias ingenii dotes patefecit. Hinc meritò nonnullis fuit cumulatus honoribus, primùm Ecclesiæ Panormitanæ, ut dicunt, Vivanderius; Hispanorum militum Siculæ legionis Capellanus, & à confessionibus, sacrisque Cæremoniis D. Anelli de Moura, & Gusman Castri Roderici Marchionis, & Siciliæ Proregis, cui gratissimus fuit; qui in singularis æstimationis argumentum ad Judicis gradum Tribunalis Regiæ Monarchiæ evexit. Abbatiâ etiam S. Annæ de Monforte donatus, & Canonicatu Regię Capellę S. Petri in Palatio Panormitano insignitus fuit. Inde Parochus, primùm Ecclesię S. Hippolyti, inde S. Iacobi, nunc verò S. Crucis in Urbe Panormi electus inclaruit, quo in munere nunc laudabiliter vivit. Aliis etiam exornatus est muniis; Deputatum enim novarum vectigalium pluries Panormi egit. Apud D. Ferdinandum de Bazan Archiepiscopum Panormitanum Confessariorum, & Ordinandorum fuit Examinator, ac Monasteriorum Deputatus. S. Officii Siciliæ Consultor, & Regius Oeconomus. Vidimus tandem virum egregium à sacris Cæremoniis Francisci de Judice S. R. E. Card. Siciliæ Proregis. His verò aliisque præclarè gestis sui venerationem excitavit. Ipsum laudat Augustinus Dentice *in Paraphras. Evangelic. pag.* 301. 351. *& in fine in epistola ad Philippum Sidotem*, & Vincentius Calabrò *in carminib. pag.* 89. Edidit Italicè

Il Fiore Oratione sacra predicata nella Regia, & Imperial Capella di S. Pietro del Real Palazzo della felice Città di Palermo. Catanæ apud Bisagnium 1680. in 12. inde in sequenti libro recusa.

I Tocchi del Campanile distinti in Quaresimali, e festivi. Prediche della Quaresima recitate nell' Imperial Capella di S. Pietro del Real Palazzo della Città di Palermo. Panormi apud Hæredes Insulæ 1692. in 8.

I Tocchi del Campanile. Panegirici, & orationi Sacre. Panormi apud eosdem 1692. in 8.

Grandezze, e divotione del glorioso S. Giuseppe Panormi apud Coppolam 1672. in 16.

Prælo parat opus inscriptum:

Parochus Panormitanus.

Et

Et Italicè:

Palermo Antico riscontrato al Moderno.

JOANNES BAPTISTA CARAMBA Catanensis Tertii Ordinis S. Francisci, vir sanè singularis, qui omnium bonarum disciplinarum encyclopędiâ instructissimus floruit: ideoque passim naturæ miraculum vocatus. In Philosophicis, ac Theologicis scientiis nulli secundus: in latinis, hebraicisque literis versatissimus; concionator item disertissimus fuit. Pluries sacram Theologiam in Catanensi Academia publicè docuit, ac per nonnullos annos Patres Casinenses in Cœnobio Catanensi S. Nicolai de Arenis erudivit. Romæ demirata est incomparabilis ejus doctrinæ profunditas, ac eruditio cùm anno 1628. & 1638. in Generalibus Ordinis sui Comitiis triduum in publicis disputationibus Philosophiæ, Theologiæ, Geometriæ, Astronomiæ, Sacræ Scripturæ, & Medicinę conclusiones ipse solus problematicè propugnavit, summo cum omnium plausu. Fuit ipsi memorię vis ad miraculum egregia; ideoque narrant, quòd audita semel concione è suggestu è quodam verbi Dei Pręcone, ipsam exscripserit, ne detortâ minimâ dictione, propriumque ingenii fœtum finxit, à Concionatore clam sibi sublatum; ut vanam ipsius jactantiam retunderet. Sed nè exinde Concionatoris opinio vilesceret, se memoriæ beneficio id effecisse detexit. Aliquandiu extra Ordinis claustra, depositis sui instituti insigniis, vixit; sed ad illa regressus tandem Catanæ mortalitatem explevit anno 1646. in Cœnobio S. Nicolai. Tanti viri meminere cum laude Io: Bapt. de Grossis *in decacord. Catan. tom. 1. cord. 2. modul. 8. excurs. 4. pag. 154.* Franc. Bordonius *in Chron. Tertii Ord. S. Francisci cap. 25. num. 16. pag. 431. & cap. 38. pag. 560.* Joannes Petrus Crescentius *in suo Præsidio Romano lib. 3. narrat. 2. num. 40. pag. 97.* & D. Joannes Brancaccio *in arte memoriæ vindicata cap. 3. pag. 173.* De Grossis ait: *multa scripsisse opera*: & Bordonius: *Volumen super sacram scripturam*, quòd m. s. in Bibliotheca PP. Casinensium Catanæ servabatur.

JOANNES BAPTISTA CARMINATA Panormitanus Societatis Jesu, vir à doctrinâ, prudentiâ, & vitę sanctimoniâ celebris, Theologus insignis, & eximius Ecclesiastes, illustrium virorum gloriam æquavit. Cùm non adhuc Sacerdotio initiatus concionatoris munus accepisset, Apostolici viri partes usque ad supremam senectutem explevit summo cum animarum fructu. Ipsius eloquentiam tum Sicilia, tum Italia mirabiliter detonantem audivit. Romæ annum agens 26. in Ecclesia Professorum Societ. Jesu eâ dicendi vi declamavit, ut S. R. E. Cardinales, ac literarum studiosos ad ipsum audiendum confluentes in admirationem traxerit, & sui venerationem excitaverit. Ab hoc concionatoris munere nunquam cessavit; ideoque etsi senio gravatus, adeout vix se ipsum regere possit, bacillo innixus, suggestum ascẽdebat, ut ad permaximã multitudinem, singulis quibusque festis diebus, conciones haberet. Prudentiâ instructissimus Messanæ domum Professorum, & Collegium rexit; ubi magnâ æstimatione prosequutus inclaruit: ideoque ea in urbe, grassante pestilentiâ, ægrotorum curam ipsi demandarunt Civitatis Moderatores. Siculam Provinciam iteratò gubernavit: ejusdem Provinciæ Procurator electus est: Polonam, Venetam, ac Romanam Provinciam Visitatoris munere perlustravit. Romę etiam in Assistentem cooptatus est; ubi tum doctissimus Robertus Bellarminus, exinde S. R. E. Cardinalis, tum Præsules, & viri primarii ipsum frequenter consulebant. Scientiam moderandi Fidelium conscientias mirificè calluit. Rerum divinarum contemplatione insignis, severiorem disciplinam usque ad senectutem nunquam remisit. Humilitate admirabilis conceptam sui opinionem, & sanctimonię famam post mortem delere studiosè tentavit. Virginalem puritatem custodivit. In Divam Annam ferventissima fouit amoris officia, cujus cultum magno studio amplificare curavit, & ejus nomine multa admiranda patravit. Demum, ut omnia paucis absolvam, virtutum omnium ornamentis cumulatus mirum in modum refulsit. Panormi sanctè decessit in domo Professorum 16. Junii anno 1619. ętatis suę 83. Societatis 63. ejusque animam ad superos statim evolantem SS. Ignatium, Franciscum Xaverium, & Aloysium Gonzagam excepisse tradunt. De eo Franciscus Baronius *De maest. Panorm. lib. 3. cap. 6. pag. 125.* Placidus Samperius *in Iconologia M. V. lib. 2. cap. 13. pag. 214. & lib. 3. cap. 7. pag. 339.* Joannes Rhò *in virt. histor. lib. 3. cap. 5. pag. 325. & lib. 7. cap. 10. pag. 848.* Joannes Nadasi *in ann. dier. memorab. pag. 317.* Dominicus Albertus *in histor. Sicul. Soc. Jesu par. 1. lib. 2. cap. 3. pag. 125. lib. 3. cap. 8. pag. 248. lib. 4. cap. 2. pag. 292. cap. 4. pag. 306. cap. 10. pag. 346. lib. 5. cap. 1. pag. 425. cap. 5. pag. 457. cap. 7. pag. 481. lib. 6. cap. 1. pag. 551. cap. 9. pag. 628.* qui in altera ipsius historię parte plura dabit. Extat ejus Vita m. s. ab Anonymo quodam condita, in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu. Baronius cit. ex aliorum relatione edidisse testatur,

In omnia Quadragesimæ Evangelia ad Concionatoris munus obeundum opportuna Volumina IX. at forsan ea edenda reliquit, nunquam etenim lucem aspexisse scimus.

JOANNES BAPTISTA CASTELLUS nobilis Messanensis, Juris utriusque Doctor, disertissimus causarum Patronus; ingenio, doctrinâ, & integritate conspicuus, sui venerationem excitavit. Pluries Messanæ in Straticoti foro præfuit Judex, nempè annis 1617. 1622. 1625. 1627. 1634. & 1642. ex Antonino Ferrarotto *in libro de praeminentiis Straticoti pag. 136. & 137.* In supremis etiam Magnæ Regiæ Curiæ Subsellils Iudicem egit. Claruit summa cum laude anno 1640. Ipsum celebrant Marius Giurba *in observ. decisis. obser. 45. n. 26.* Marius Cutellus *de donationibus tom. 1. tract. 1. disc. 2. partic. 6. n. 104.* Carolus Tapia *decis. 23. n. 39.* Franciscus Magrettus *ad constit. pragmat. Ducis Sermonetæ §. 2. obser. 7.* Philadelphus Mugnòs *in Theatro Geneolog. par. 1. pag. 243.* & Placidus Reina *in hist. Messanæ par. 2. pag. 282.* Edidit

Res-

Responsum pro Nob. Urbe Messanæ contra Regium Fiscum super impositione vectigalis exactionis serici ex ejus portu indicti anno 1612. per Ill. & Excell. Ossunæ Ducem. Messanæ 1612. in fol.

JOANNES BAPTISTA CHIAVETTA Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor egregius. In Panormitano Clericorum Seminario doctrinæ excellentiam hausit, quam eruditione tum sacrâ, tum prophanâ illustriorem reddidit: in historiis præsertim antiquis, ac recentioribus versatissimus sui opinionem apud literatos insigniter excitavit. In ecclesiastico ordine non immeritò multis auctus est honoribus; primùm etenim fuit unus ex his, quos in Panormitana Ecclesia Vivanderios vocant; inde ad Regium S. Petri Sacellum in Palatio Panormitano transiit anno 1636. ubi Conrendatus, ut dicimus, mox Scholę Magister electus, tandem ad Canonici gradum evectus est. Ex hoc Regio Sacello ad Metropolitanam Panormi Ecclesiam rediit, Canonicus S. Joannis de Eremitis enunciatus. Ob eximiam doctrinam, quâ eminuit, & in rebus agendis dexteritatem, summam promeruit æstimationem: hinc ab Aloysio de los Cameros Episcopo Pactensi, & inde Archiepiscopo Montisregalis in suum Vicarium Generalem pro utraque Ecclesia fuit assumptus; in eoque munere obeundo sui prudentiam singularem laudabiliter patefecit. Obiit demum Panormi primo Novembris an. 1664. & in Cathedradi Ecclesia Canonicorum sepulturę traditus est. Ipsum commendant Joannes Augustinus Lenguеglia *in epist. ad Lectorem par. 1. familiæ Moncadæ*, Augustinus Inveges *in Carthagine Sicula l. 2. c. 6. pag.* 175. & 176. & Joannes Evangelista Panormitanus *in anagramm. pag.* 133. In lucem emisit

Trutinam, quâ D. D. Joseph Balli sententia eo libro contenta, cujus titulus est: Ænigma dissolutum, *de modo existendi Christi Domini sub speciebus Panis, & Vini in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento ad æquissimum examen expenditur*. Monteregali apud Petrum Scaglionium 1643. in 4. Liber hic Romanam censuram expertus est, à Sacra Congregatione Indicis prohibitus, ut ex indice librorum prohibitorum anno 1683. edito Romæ *pag.* 289. patet.

Notitiam Ecclesiarum Sicularum. m. s. in 4. Opus hoc, ut à P. Jeremia Panormitano Ordinis Capuccinorum accepi, ad egregium virum Petrum Valerium Siciliæ Visitatorem pervenit; & cùm libri editionem pararet, eidem Jeremię editionis curam demandaverat: sed discendente Ualerio, opus ineditum apud ipsum servari putamus.

Geneologia della Famiglia Moncada Tomi due m. s. in fol. Hoc opus Inveges loc. cit. & Lenguеglia sæpiuscitat, è cujus penu omnia historica eruit Lenguеglia, quibus suos de familia Moncada libros condidit, ut ipsemet fatetur in epistola ad lectorem. Servatur in Hispania apud Duces Montisalti.

JOANNES BAPTISTA CRISTADORUS Panormitanus Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci natus anno 1591. adhuc tertium nō attigerat lustrum, cùm memoratum S. Francisci institutum amplexus est, & ad virtutes adipiscendas non impigrè sese direxit. Vix expleto probationis anno, sacrę eloquentię studiis operam dedit; & anno ętatis suę 18. Quadregesimales habuit conciones: exinde per annos 35. per Quadragesimale curriculum in pręcipuis Sicilię, & Italię Civitatibus declamavit summo cum fructu, & plausu: eruditione etenim uberrima, eloquentiâ, ac politioribus literis ornatissimus claruit: divinis, humanisque literis abundè instructus. Profluentes facundiæ latices summâ felicitate, ex insita naturę vi, profundebat: hinc sępius ad extemporales orationes in Defunctorum laudem dicendas, in magnis temporis augustiis vocabatur: at nunquàm jejunus inventus, in sui laudem confluentes excitabat. Musis aliquando indulsit, & in Panormitana Reaccensorum Academia fuit adscriptus. In gravioribus disciplinis eminuit: doctissimus enim Sacrę Theologię Magister, Philosophicas, ac Theologicas disciplinas Regentis munere docuit in Panormitano, Messanensi, ac Melitensi lyceo; cujus Discipuli insigniter edocti, singularem pręceptoris doctrinam apertissimè contestati sunt. Hinc Definitoris perpetui munere anno 1634. cohonestatus fuit. Apud S. Officii Sicilię Judices Consultoris, & Qualificatoris munus exercuit. Ordinis sui Cœnobium in oppido Sambucę in commodiorem locum transferre curavit: ac tandem meritis plenus anno ętatis suę 60. decessit Panormi 8. Octobris 1651. Benemerenti viro justa persolvere magna cum pompa haud neglexerunt sodales sui, & funebrem orationem in sui laudem habuit P. D. Andreas Cirinus Cler. Reg. Messanensis. Hunc laudibus ornant Philippus Cagliola *in Manif. Provinciæ Siculæ Min. Conv. explor.* 2. *manif.* 6. *pag.* 37. & 38. *explor.* 3. *manif.* 1. *pag.* 87. & *manif.* 2. *pag.* 98. & Ioannes Franchinus *in Bibliosophia n.* 174. *pag.* 302. Edidit Italicè

Il B. Gerardo, ò vero l'Humile Esaltato, opera spirituale divisa in sette libri. Panormi apud Alphonsum de Isola 1644. in 4.

Il Festevole Trionfo per la Concetione dell' Immaculata Reina col Diadema di 12. Stelle, ombreggianti li 12. Privileggi rimbembrati nella corona del SS. Stellario, celebrati à 28. d' Agosto 1644. nella Chiesa de' Minor. Conv. di Palermo. Ibid. apud eumdem 1644. in 4.

Franchinus edidisse ait:

Un Tomo di Orationi Funebri.

At ego, hęc typis tradidisse comperi, nempe

Oratione Funerale per la morte del M. R. P. M. Vincenzo Giancardò da Palermo Provinciale di Sicilia dell' Ordine de' Padri Predicatori. Panormi apud Decium Cyrillum 1632. in 4.

Oratione Funerale nell' Esequie della Serenissima Infante Catarina Emmanuela di Savoja. Ibid. apud Alphonsum de Isola 1641. in 4.

Scripsit etiam:

Breve compendium totius Sacræ Theologię subtilissimi Scoti. Italicè

Pre-

Prediche diverse
Panegirici.
Quaresimale.
Annuale.
Hæc m. ss. delitescunt.

JOANNES BAPTISTA DAVERUS Panormitanus, ingenio clarus Musas coluit Siculas. Vivebat anno 1647. ut ex Iosepho Galeano *in Musis Siculis par. 2. to. 1. pag.* 378. habemus: ibique extant vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

JOANNES BAPTISTA DE FRANCHIS, ET SPINOLA Cephaledensis Ordinis Prędicatorum, vir doctissimus, & ab eximiis virtutibus clarus. Nobili genere ortus anno 1594. adolescens Prędicatorum Instituto nomen dedit. Studiis admotus scientiarum omnium thesauro locupletatus refulsit: in Rhetoricis presertim, Poeticis, Philosophicis, Theologicis, Sacrisque Literis eminuit. Diu in Cœnobio Cephaledensi Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam summa cum doctrinę laude tradidit: & eruditione, & eloquentiâ refertus non sine magno animarum fructu in multis Ordinis Ecclesiis conciones habuit. Fuit illi eruditio mirum in modum copiosa, quam in omni studiorum genere, indefesso labore desudando, sibi comparavit. Vir tenacissimæ memoriæ, ideoq: vix illi auctoris librum nominabant, cùm statim quicquid complecteretur minutissimè enunciabat. In SS. Patrum lectione versatissimus cùm multi aliquam eorum sententiam frequentissimè inquirerent, illorum librum ubi comperienda esset fideliter innuebat. Per 40. annos Sanctiss. Inquisitionis Siciliæ fuit librorum Censor: & Pater Surdus passim vocabatur, audiendi sensu orbatus. Doctrinæ, vitæ integritatem, immò sanctimoniam devinxit, quâ Panormi magnâ veneratione apud omnes floruit. Diuturnæ orationis studio clarus, nonnullis sacris quotidie aderat, & in genua provolutus Canonicas horas quotidie persolvebat. Tandem virtutibus egregiis insigniter instructus, decessit Panormi in Cœnobio S. Dominici 13. Septembris 1660. anno ætat. 66. Evulgatâ morte, per omnium ora vox frequentissima invaluit: jam Sanctum obiisse; magnusque populi concursus convenit, ut viri corpus in Ecclesia expositum recoleret: tertiò discissa ejus vestis, à confluentibus, ut frustula veluti reliquias servarent: ideoque intra Chori cancellos eum occludere opus fuit, ut de more Patres sacra solemnia celebrarent, quibus Fidei Quesitores interfuere. Hujusce viri laudes leges apud Vinc. Auriã *in hist. Cephalœdii pag.* 70. Abb. Michaelem Justinianum *in Scriptor. Liguris pag.* 325. qui ex falsa aliorum relatione anno 1657. decessisse tradit; obiit enim ex P. Joanne Maria Bertino in fine indicis libri inscripti: *Sacratissimæ Inquisitionis Rosa Virginea*, teste oculato anno 1660. quòd etiam Ordinis Patres mihi testantur; vide etiam P. Augustinũ Oldoinũ *in Athenæo Ligustico pag.* 319. in eumdem errorem à Justiniano tractũ.

Edidit Italicè

Brieve Relatione della felice morte di molti servi di Dio Domenicani, apportati negli atti del Capitolo Generale di Roma del 1650. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1656. in 8.

I Sacri Misterii discorsi predicabili per la devotione del SS. Rosario Parte Prima. Ibid. apud Decium Cyrillum 1653. in 12.

Devotione delli XV. Santi Ausiliatori, e brievi racconti delle lor vite. Ibid. apud Iosephum Bisagnium 1657. in 8.

Vita, e Miracoli del B. Pietro Geremia dell'Ordine de' Predicatori di Patritia, e Senatoria famiglia Palermitano. Panormi apud Augustinum Bossium 1658. in 8.

L'Assunta di M.V. SS. Madre di Dio opera drammatica. Ibidem apud Petrum Scaglionum 1646. in 8.

I sacri Racconti della devotione delli SS. Nomi di Giesù, e Rosario. Ibidem in 8.

Prælo paraverat hæc alia.

De Passione Domini ad mores.
De Sacra Eucharistia.
Mystica Monstra.
Specilegium in Ruth, sive conceptus scripturales.

Italiè verò

Selva in lode di M. V.
Tre Ottave, e Tre Novene del SS. Sacramento.
Tragedia di S. Erasmo. cujus meminit Leo Allatius *in drammaturgia indic. 6. pag.* 596.
Discorsi, e concetti del SS. Rosario.
Trattati del Nome di Giesù.
Panegirici di S. Domenico.
Vita di S. Agatone nativo di Palermo Pontefice Romano.
Prediche Quaresimali.
Prediche de' Santi.
Commentarii sopra S. Matteo de Passione Domini.
Vita di S. Giacinto.
Giobbe figurato.
Historia sacra della Legione Tebea, quam citat Joseph Riccius *in Idyll. sacro de S. Octavio pag.* 72.

Hæc omnia m.ss. asservantur Panormi in Bibliotheca S. Dominici.

Vita di S. Nicasio m.s. in 4. servatur apud Vincentium Auriam.

JOANNES BAPTISTA GIATTINUS Panormitanus Soc. Jesu vir doctissimus, lucis usuram accepit anno 1600. & quidquid honoris indoles egregia, & hæreditariæ opes ipsi faciliter promittebant constantissimè contemnens, ad Societatis asylum confugit, cujus habitum accepit 13. Octobris 1615. ac solemnia emisit vota anno 1634. Fuit Giattino ingenium præstantissimum, omnium capax, quod indefesso excoluit studio: ideoque omnibus scientiis exornatus mirum in modum refulsit, quas inde summa cum laude aliis explanavit. Panormi Rhetoricam docuit; Orator, & Poeta eminentioribus addendus. Inde in Collegio Romano Soc. Jesu Græcas literas; ubi etiam Mathematicas disciplinas quinquennio, Philosophiam novennio, Theologiam scholasticam octennio, Moralem triennio tradidit; & ingenii

genii

genii eminentissimi dotes summo cum plausu sẽper patefecit. In eodem etiam Collegio usque ad supremam vitæ lineam per annos tredecim studiorum Præfectum egit. Eumdem Societatis lyceum ne dum doctrinæ splendoribus illustravit, verùm etiam & annuo sex millium aureorum proventu locupleravit: nam amplissimi patrimonii opes unà cum Vincentio patre, & Antonina sorore eidem Collegio legavit. Polyglottus peritissimus Græcam, Hebraicam, Caldaicam, Syriacam, Arabicam, aliasque minoris momenti linguas egregiè calluit. Hinc Pontificum jussu unà cum Athanasio Kircherio, Ludovico Marraccio, aliisque doctissimis viris ad explicandas Arabicas quasdam inscriptiones in Hispania adinventas adhibitus; ut etiam eorumdem iussu in Arabicæ Sacræ Bibliæ versione, ac editione desudavit, & præfuit: ac illius Congregationis fuit Theologus, quam pro ejusdem Bibliæ editione, ac versione excitaverant Pontifices. Mechanicis etiam rebus industrias admovit manus; ideoque nonnulla artificiosa excogitavit, & horologia rotis circumacta concinnavit elegantissima. Virtutibus claruit egregiis: regularis paupertatis cultor insignis: in omnes beneficentissimus: & in promovenda animarum salute fervidus. Hinc etsi ad innumeras studiorum curas vocatus, attamen, ut omnibus prodesset, sæpius magno cum ardore, ac fructu concionabatur: & in excipiendis aliorum confessionibus patientiam exposire non prætermisit. Cùm sexagesimum ætatis annum excessisset, ab editis libris jam claras, ad Catholicæ fidei gloriam, non sine omniũ admiratione, versionem Historiæ Concilii Tridentini Card. Sfortiæ Pallavicini suscepit; quam aggressus, feliciss imè absolvit. Tandem acerbissimis calculi doloribus cruciatus, annum agens 72. religiosè, ut vixerat, in Collegio Romano decessit 19. Novembris 1672. Hujusce inclyti viri laudes extant apud Biblioth. Soc. Jesu *pag.* 411. Hippolytum Marraccium *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 676. Franciscum Baronium *de Maiest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 149. Hieronymum Genninum *in anagramm. pag.* 156. Diarium literatorum Romæ anno 1672. *pag.* 4. Thomam Strozzum *in controv. de Conceptione M. V. par.* 2. *lib.* 8. *cap.* 17. *pag.* 350. Sfortiam Pallavicinum *in epist. pag.* 51. *&* 311.

Edidit

Perorationem sanguinis, orationem in Sacello Vaticano coram Urbano VIII. Pontif. Max. habitam anno 1637. Romæ typis Francisci Corbelletti 1637. in 4. & recusam in libro: *Orationes quinquaginta de Christi Domini morte, habitæ in die sancto Parasceves à Patribus Societ. Jesu in Pontificio sacello.* Romæ typis Vitalis Mascardi 1641. in 12. & tertiò in libro orationum ejusdem Giattini infra notato.

Panacrides Apes carmina in laudem Francisci Cardinalis Barberini. Romæ 1627.

Orationes XXIV. habitas ad Summ. Pontifices, & S. R. E. Cardinales. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1661. in 12.

Logicam. Romæ typis hæredum Corbelletti. 1651. in 4.

Physicam. Ibid. iisdem typis 1653. in 4.

Historiam Concilii Tridentini ex Italica Sfortiæ Pallavicini translatam. Tomos tres. Antuerpiæ typis Baldassaris Moreti 1672. in 4. & iterũ in fol.

Orationem habitam in lustratione studiorum in Collegio Panormitano Soc. Jesu ad Illustrissimum Senatum. Panormi typis Decii Cyrilli 1630. in 4.

Nascenti Virgini universitatis obsequia in Seminario Romano habita.

Primæ Innocentiæ Radium habitum in eodem Seminario.

Galliambum in laudem Magni Ducis Hetruriæ. Florentiæ.

Leonem Philosophum. Tragœdiam. Romæ typis hæredum Corbelletti 1646. in 8. Hanc Italicè vertit Nicolaus Biffi Bergomensis ex Donato Calvo *in Scena Literaria Scriptor. Bergomens. par.* 2. *pag.* 49.

Cafres. Tragœdiam quinquies habitam in Seminario Romano. Romæ typis iisdem 1649. in 8. & 1651. in 8.

Antigonum Tragœdiam Moralem. Ibidem 1661. in 8.

Ariadnam Augustam Tragœdiam habitam in Seminario Romano anno 1662. Ibid. typis Ignatii de Lazaris 1662. in 8. Hæ Tragœdiæ quatuor (ni sint aliæ) prodiere simul Dilinguæ 1682. in 12. ex Bibliographia Anissoniana 1702. *pag.* 353.

Inclinationum Appendicem, sive Epistolam de libello. Romæ typis hæredum Corbelletti 1650. Italicè

Relatione della gran Monarchia della Cina del P. Alvaro Semedeo dall'idioma Portughese tradotta in Italiano. Romæ apud Erasmum Scheum 1643. in 4.

Inedita hæc alia reliquit.

Cyrilli Alexandrini in Evangelium secundum Joannem librum quintum & sextum advectos Chio, quibus usus est celeberrimus Cornelius à Lapide, quos cùm adhuc ineditos prælo pararet, præoccupavit editionem alius.

Volumen Controversiarum contra Hæreticos hujus temporis, quo prosequutus est Controversias Roberti Cardinalis Bellarmini.

Tractatum de Horologiis.

Tragœdias, & Comœdias plurimas, quas ferè quotannis agunt Romani Seminarii Adolescentes. Harum Tragœdiarum has protulit, præter supra allatas, Leo Allatius *in drammaturgia pag.* 816. nempè

Belisarium.)
S. Idam.)
Theodobertum.) *Tragœdias.*
S. Vvenofredam)

Tandem

Novam Aristotelis versionem latinam aggressus fuerat; quam non absolvit.

JOANNES BAPTISTA GRAPHEUS Messanensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, vir humanioribus literis apprimè excultus, quas in Messanensi Clericorum Seminario docuit magno cum adolescentum progressu. Poesi tum etruscâ, tum latinâ valuit, multaque elegantissimè protulit laudibus excepta. Annum agens 45. obiit Messanæ anno 1698. Edidit Hu-

Humanitatis Cursum, cujus breviora ad bonarum artium semitâ consequendam praecepta sexdecim annos Mamertinae Palladis candidatis in eodem Seminario dictaverat. Messanae typis Vincentii de Amico 1698. in 4. Italicè

Il Necessario esercitio de' Giovani per crescere nelle Scienze. Messanae apud Dominicum Costam 1688. in 8.

I Trionfi di S. Fede, ò pure la mirabile conversione di Messina alla S. Fede, Dramma da Musica. Messanae 1692.

JOANNES BAPTISTA DE GROSSIS Catanensis Sacerdos, Prothonotarius Apostolicus, Sacrae Theologiae, & Juris utriusque Doctor; natus anno 1605. ingenio eloquentiâ, doctrinâ, & eruditione clarus, aliquandiu in Catanensi lyceo publicè jura pontificia docuit, quibus instructissimus fuit: ideoque à Catanensis Ecclesiae Praesulibus meritò nonnullis honoribus insignitus; Confessariorũ enim Examinator fuit, Curiae Episcopalis Assessor, Camilli Astalli S. R. E. Cardinalis, & Episcopi anno 1663. Vicarius Generalis in decursu Visitationis, & tandem Collegiatę Ecclesiae S. Marię de Eleemosyna Canonicus. Unà cũ aliis Sodalitatem Sacerdotum fundavit in Ecclesia S. Mariae de Auxilio, vulgò *dell' Agiuto*, cui addictissimus fuit. Obiit Catanae 20. Augusti 1666. & in memorata Collegiatae Ecclesia tumulatur; cui D. Sanctorus Oliva ex sorore nepos, de quo suo loco, è marmore extruxit sepulchrum, cum ejusdem icone, & hac inscriptione.

D. O. M.

Joannes Baptista de Grossis S. T. & V. J. D. Prothonotarius Apostolicus, ac Regiae, & Insignis Collegiatae Ecclesiae Canonicus, ut mente priusquam corpore ingrederetur saxeam hanc molem, sibi jam jam morituro vivens, moriens posuit Anno M. DC. LXVI
Obiit die XX. Augusti ejusdem.
Ossibus erexit tumulum, famaeque figuram
Marmoris, ut celebrent saxa Joannis opus.
V. J. D. D. Sactorus Oliva Eccl. Cathed. inde Canonicus
Nepos Amantissimus Anno M. DC. LXXXIV.

Idem Sanctorus anno 1686. Catanę edidit Catalogum Auctorum, qui ejusdem doctrinam, ac promerita laudum praeconiis celebrant, hoc titulo: *Alphabetica Virorum illustrium corona, quâ Jo: Baptistae de Grossis S. T. & V. J. D. Prothon. Apostolici, ac Canonici Cat. frons redimita praeeminet*: ideoque ad ipsam lectores remitto; cui hos etiam addo Scriptores, qui Io: Baptistam etiam laudant, nempè Dominicum Guglielminum *in Catana destructa pag.* 61. & 90. Ignatium Gastone *in disceptat. Juridicis pro Studio Catan. pag.* 6. Marcellum Catanensem *in Apolog. pro Catanensi deitate*, Franciscum Priviteram *in Annan. Catanensi pag.* 235. *& Vita S. Agathae pag.* 36. Phil. Amicus *in Reflex. hist. Mylarum pag.* 3. Edidit

Catanense Decacordum, sive novissima Sacrae Catanensis Ecclesiae notitia. Tomum Primum. Catanae typis Ioannis Rossi 1642. in fol.

Catanense Decacordum &c. Tomum posteriorem. Ibidem apud eumdem 1647. in fol.

Abbatem Vindicatum, sive D. Nicolai de Tudiscis Siculi Catanensis S. R. E. Cardinalis Archiepisc. Panormitani Vitam. Florentiae typis Amatoris Massae 1651. in 4.

De Appulsu Reliquiarum S. Agathae V. & M. Callipolim conjectationem. Licii apud Petrum Michaelem 1656. in 4.

Catanam Sacram, sive de Episcopis Catanensibus, rebusque ab iis praeclarè gestis à Christianę Religionis exordio ad nostram usque aetatem. Catanae typis Vincentii Petronii 1654. in fol.

Agatham Catanensem, sive de Natali Patria D. Agathae dissertationem historicam, Apologeticam. Catanae apud eumdem 1656. in fol. cui abundè satisfecit P. Iosephus Bonafides in libro, cui titulus: *Palermo Patria di S. Agata.*

Theori-Praxis ad Constitutiones Pragmaticales Ill. & Excell. D. Comitis Castrensis in hoc Siciliae Regno olim Proregis. Ibidem apud eumdem 1651. in fol. & iterum Catanae apud Iosephum Bisagnium 1667. in fol.

Controversiarum Forensium Judiciorum Tomum Primum. Ibidem apud Vincentium Petronium 1662. in fol.

Commentarium ad Cap. 78. Regni Caroli V. Caesaris de cõtractibus per minores non celebrandis absq; auctoritate Curatoris, vel Iudiciis. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1663. in fol.

Tutamen Veritatis trium propositionum, quas in commentario ad cap. 78. Regis Caroli V. Caesaris semper Augusti de contractibus per minores 18. annis non celebrandis absque auctoritate Judicis, vel Curatoris ediderat. Messanae ex typographia Iacobi Matthaei 1664. in fol.

Pręlo paraverat haec alia, nempè:

Gentilitia Celestris familiae nobilitas.

Agathonem Restitutum.

Iura omnia Regiae, atque insignis Collegiatae Catanensis Ecclesiae B. Mariae de Eleemosyna.

Annales Catanenenses.

Relectioné in §. Divi Severus, & Antoninus de l. filius familias ff. de legatis primò: quâ universa fideicommissorum materia breviter, ac dilucidè explicatur.

Diarium Catanense, quem m. s. passim citat Franciscus Privitera *in libro Annuario Catanese.*

Lyceum Catanense, sive de Scriptoribus Catanensibus: quod opus m. s. servat D. Innocentius Roccafortis Panormitanus, ac Catanensis Canonicus. Haec opera m. s. servabantur in Bibliotheca Seminarii Catanensis, cui unà cum Bibliotheca Io: Bap. de Grossis legaverat D. Sanctorus Oliva nepos; sed anno 1693. in horrifico Siciliae terręmotu sub ruderibus sepultâ Bibliothecâ, ex Guglielmino cit. *pa.* 61. nonnulla ab aliquibus eruta servantur.

JOANNES BAPTISTA GVARNERIUS Catanensis, vir politioribus literis excultus, Poesi etruscâ, & eruditione clarus: fuit à Secretis Catanensis Senatus, & inter Claros Catanae Academicos recensitus. Occubuit Catanae primo Augusti 1665. & in Ecclesia Ascensionis Societatis Jesu sepultus est. Ipsum laudat Jo: Bapt. de Grossis *in Catan. decacord. tom. 2. pag.* 152. Edidit Italicè.

L' Amorose Smanie Comedia. Catanae apud Russum

sum & Petronium 1625. in 12.

Il Precursor di Christo Tragedia Sacra. Ibidem apud Joannem Russum 1633. in 12.

Le Zolle historiche Catanee. Narrative. Ibidem apud eundem 1651. in 4.

La Penna ultrice. Invettiva agli Argomenti publicati dal M. R. P. Fulgentio Arminio, che S. Agata V. e M. non sia nata nella Clarissima Città di Catania. Ibidẽ apud Vincentiũ Petronium 1656. in 4.

I Trofei della Prothomartire S. Agata Tragedia. Ibidem apud eumdem 1659. in 4.

Esercitio d' un hora per la Communione Spirituale ogni giorno avanti il Santissimo nell' Oratione di quarant' hore. Ibid. apud Joannem Russum 1656. in 24.

L' osseqnio di Gio: Battista Guarneri alla Gloriosa sua Patrona S. Agata V. e M. Ibidem apud Vincentium Petronium 1659. in in 16.

Scripsit etiam

L' Amiritia fatale Comedia. m. s.

JOANNES BAPTISTA GUCCIONUS Vizinensis. Edidit Italicis numeris

La Gloria di Beatrice Tragicomedia Heroica. Panormi apud Angelum Orlandum, & Decium Cyrillum 1614. in 12.

JOANNES BAPTISTA HODIERNA Ragusanus Sacerdos natus 15. Aprilis anno 1597. à teneris annis literarum studia amplexus est, & præstantissimo ingenio munitus ad doctrinæ fastigium sese evexit. Hinc Sacræ Theologiæ laureâ insignitus claruit; & diu in oppido Palmæ Archipresbyteri munere præfuit. Philosophicis studiis nimium addictus, à doctrinæ profunditate mirum in modum affulsit. Maximam verò sui gloriam Mathematicis, & Astronomicis disciplinis assequutus, celeberrimum sibi nomen comparavit; ne dum enim in Sicilia apud viros doctissimos, verùm etiam & extra Regni limites permagnam æstimationem promeruit; præsertim apud Carolum Mariam Viginimillium Panormitanum, Jo: Alphonsum Borrellum Neapolitanum, laudatissimum Ioannem Caramuelem, aliosq; doctrinâ instructissimos. Tanta apud omnes opinione valuit ob indefessum in astrorum contemplatione studium, & astronomicas prædictiones, ut communi omnium voce, Astrologi nomine vocaretur. Ingenii vi multa in stellarum examine omnium primus adinvenit; nam Vincentius Auria *in Sicilia Inventrice cap. 7. §. 13. pag. 19.* tres stellas ex fixis primum observasse tradit; quibus & alias addidi *in observationibus meis ad eamdem pag. 132.* ex opusculo ejusdẽ Hodiernæ *de Admirandis Cœli caracteribus sect. 4. pag. 30.* Ipse etiam primus oculum muscæ, & viperæ dentem subtiliter examinavit: & primus Ephemerides Medicæorum elucubravit, precibus Magni Etruriæ Ducis, quibus longè, latèque enituit, *ut in addict. ad eamdẽ Siciliam cap. 20. pag. 238.* scripsi. Eruditione refertissimus claruit. Mechanicis etiam rebus Dædaleas admovit manus; ideoque sibi astronomicas lineas, ac tabulas æri eleganter incidebat. Tum ob doctrinæ excellentiam, tum ob eximias virtutes, quibus ornatissimus vixit, ipsum magno in pretio habuere Carolus, & Julius Thomasius Palmæ Duces, viri sanctimoniâ insignes. Panormi quoq; magnam venerationem consequutus est à literatis, ubi in Reaccensorum Academia recensitus innotuit. Demum cùm immortalem sui gloriam excitasset, summo omnium dolore in oppido Palmę decessit 6. Aprilis anno 1660. ętatis suæ 63. ibique in principe Templo sepultus est. Ipsum laudant Franciscus Maria Magius *in Vita Alipii à S. Josepho cap. 10. pag 163.* Auria loco citato, clarissimus Franciscus Redi *in observationibus de Viperis pag. 162. 200. & 202.* Michael Etmullerus *dissert. 9. de morsu viperæ pun. 4. §. 4. & pun. 11. §. 2. & 4.* Joannes Caramuel *in Mathesi nova, in meterologicis ar. 11. pag. 1331.* de Astronomicis *par. 2. n. 142. pag. 1499.* ubi ait: *D. Hodierna Astronomorum Choripæus, qui omnium mortalium primus Medicæorum syderum Ephemerides in lucem edidit, & multis libris clarus Philosophiam quà Scholasticam, quà Mathematicam condecoravit in epistola Astropholis scripta Italicè 12. Julii 1659. & Romæ edita eodem anno ... Interim feliciter prodeat discursus ille, & scholam illustret, quidquid enim à tali ingenio prodit semper est magnũ:* laudatur etiam *par. 3. n. 98. pag. 1615.* & in proœmio *pag. 1365.* Vide etiam *Miscellaneam Medico-Physicam Academiæ Curiosorum Germaniæ &c. Parisiis an. 1672. pag. 57.* Joannem Alphonsum Borrellum *in Theoric. Medicæorum Planetarum,* & Silvium Bocconum *in Musæo pag. 224.* ubi doctissimas Hodiernæ lucubrationes in remotissimis Germaniæ, & Londini regionibus avidissimè expetitas, & magni habitas testatur: quòd ex ejus ore etiam accepi. Multa scripsit Hodierna, sed quæ in lucem emisit hæc sunt.

Universæ facultatis directorium Physiotheoricum, opus astronomicum in duas partes divisum, quarum prior de promissorum ad significatores progressionibus physicè agit: posterior vero de circulis positionum sub qualibet horizontis obliquitate speculationem facit. Panormi typis Alphonsi de Isola 1629. in 4.

Thaumantiæ miraculum, seu de causis, quibus objecta singula per trigoni vitrei transpicuam substantiam visa, elegantissima colorum varietate ornata cernuntur. Opusculum opticum, vel manuductio ad novam scientiam de causis colorum. Ibidem apud Nicolaum Buam 1652. in 4.

De Admirandis Phasibus in Sole, & Luna visis. ponderationes opticæ, physicæ, & astronomicæ. Ibid. apud eumdem 1656. in fol.

Mediceorum Ephemerides nunquam hactenus apud Mortales editæ cum suis introductionibus in tres partes distinctis. nempè

Menologiæ Jovis compendium, seu Ephemerides Medicæorum in usuductionum Pars prima. Ibid. apud Cyrillos 1656. in 4.

Introductionum in Ephemerides Medicæorum Pars secunda, in qua de latitudinibus, de illarum inconstantia, de magnitudinibus periodicis, de causis apparentis inæqualitatis illarum, de æquandis longitudinibus, & de causis eclypsium, deque illarum vicissitudibus. Ibid. apud eosdem 1656. in 4.

Canonum, ac Tabellarum astronomicarum Series, Index, & Usus ad computandas Medicæorum longitudi-

tudines cùm simplices, tum & apparentes, earumque ad invicem latitudines comparandas, vel etiam pro libitu, ad condendas, ac producendas Medicaorum Ephemerides cœlitus deducendas. Introductionum Pars tertia. Ibid. apud eosdem 1656. in 4.

Medicaorum elaboratæ Ephemerides in sinu Jovis lucidissimo circumgredientium, ad mentis raptum, in profundum altissimi opificis contemplationem exhibitis observationibus sub meridiano XXXVII. Palmæ Siculæ. Ibid. apud eosdem 1656. in 4.

De Systemate orbis Cometici, deque admirandis Cœli characteribus. Opuscula duo. Ibid. typis Nicolai Bua 1654. in 4.

Protei Cœlestis vertigines, seu Saturni systema. Ibid. apud eosd. 1657. in 4.

Dentis in Vipera virulenti anatomia. Panormi typis Decii Cyrilli 1646. in 4.

Novæ Stellæ circumscriptio. Ibid. ex typographia Didaci Bua in folio expanso.

Italicè

L'occhio della Mosca discorso fisico intorno all' anatomia dell'occhio in tutti gli animali annulosi detti insetti. Panormi apud Decium Cyrillum 1644. in 4.

Opusculi cioè: Il Nuntio della terra. La Nuvola pendente. L'occhio della Mosca. Il Sole del microcosmo. Ibidem apud eumdem 1644. in 4. Opusculum secundum recusum invenies apud Silvium Bocconum in Musæo cit. *pag.* 225.

Archimede Redivivo con la stadera del momento, dove non solamente s'insegna il modo di scoprir le frodi nella falsificatione dell'oro, e dell' argento; ma si notifica l'uso delli pesi, e delle misure civili presso diverse nationi del mondo, e di questo Regno di Sicilia. Ibid. apud eumdem 1644. in 4.

La Colomba Volante Cometa nuovamente comparsa Mercoledì la notte delli 18. di Decembre 1652. discorso fisico, morale, ed astronomico mistico. Ibidem apud Nicolaum Buam 1653. in 4.

Il Nuntio pio della stella nuova recentemente comparsa nel Cielo nella via Lattea nella croce stellifera. Ibid. apud eumdem 1659. in 4.

De Saturni satellite Epistola, extat apud Caramuelem *in Mathesi nova syntag.* 10. *de Astronomia par.* 3. *pag.* 1615.

La Stella nuova, e peregrina comparsa l'an. 1600. sul petto del Cigno scoperta nuovamente. Romæ 1659. ex Caramuele Ibidem *par.* 2. *num.* 142. & 143. *pag.* 1499.

Apud eumdem Caramuelem nonnullæ extant Epistolæ de rebus Astronomicis præsertim *par.* 3. *num.* 98. *pag.* 1615. 1621. & 1625. ad eumdem Caramuelem, Julium Thomasium, & Christianum Hugenium Batavum.

Huic nostro Hodiernæ, ab Hononymiæ vitio deceptus, perperam adscribit *Additiones ad decis. Surdi* Joan. Baptistæ Hodiernæ Neapolitani, Auctor Indicis Bibliothecæ Collegii Panormitani Soc. Jesu *pag.* 356.

Prælo paraverat hæc alia, quæ apud hæredes m. ss. servantur in oppido Palmæ, nempè

Peram viatoriam peragrantium ad Sophiam, plurimis, ac variis ad animi lassitudines levandas, mentemque refocillandam, Opsoniorum, vel Tragematum generibus refertam.

De præmeditandis mundanis excessibus, seu de septem Naturæ detrimentis, Fame, Peste, Bello, Terræmotu, incendiis, diluviis, & Sectis.

Rerum Cœlestium peculiares observationes.

De Objectu sensibili novam scientiam: videlicet, de causis Diaphanitatis, & Opacitatis. De causis Albedinis, & Nigredinis. De causis Caloris, & Frigiditatis. De causis Iridis, & Antiridis, & de causis colorum in genere, & in specie. De causis quarundam passionum in visione tum theoricè, tum practicè.

De temporum dimensionibus ad præscientiam effectuum producendorum ex ipsis Cœli stellarum afflatu: ad Astrophilos, ubi Lunæ, & Planetarũ latitudines non simplices, sed apparentes considerandas esse demonstratur, atque scitu digna considerantur.

De magnitudinibus stellarum inerrantium visis, non rectè suis quibusque ordinibus recensitis; & quod jubarum coloribus illarum facultates respondeant.

Floris, Mellis, & Apis Anatome, ubi Mellis scaturiginem, non de floris à rore, sed intrinsecus à stipite in calicem floris, fieri demonstratur.

Encomia Orbis terrarum, ubi cùm Opticè, tum Geometricè, & Astronomicè molem Telluris, stellæ cujusvis, vel omnium simul errantium, Sole excepto, magnitudinem physicam excedere demonstratur, ac convincitur.

Resolutiones compendiosas Problematum quorumdam, quæ dum ab amicis proponuntur physicè, opticè astronomicè, vel astrophysicè solvendæ veniunt.

De arcanis quibusdam Naturæ Juribus.

Calendarium Astrologicum ad auspicandas mutationes temporum.

Italicè

Le cause della Gravità di tutti i movimenti fisici così elementari, come celesti.

L'Aria spirante)
Il Tuono lampeggiante)
L'Acque scaturienti) *Discorsi Meteorologici.*
La Stadera del tempo)
L'Empedocle Redivivo)

L' Equità della Natura in distribuire diverse corteccie, e coprimenti ai frutti.

Le cause della tenacità nel Gesso, e in tutte le materie viscose.

Discorso Meteorologico intorno alle cause d'una mostruosa apparitione, e ostento mirabile di cinque spaventevoli Dragoni aerei, detti nel greco idioma Typhoni, che à 29. di Settembre dell'anno 1648. si viddero pendenti dalle nuvole sul mare di Montechiaro al cospetto della Terra di Palma, che à guisa di grandissime Balene, spargendo l'acque marine facevano di se orribil mostra.

Rutilio Benincasa Illustrato, e suo Almanacco Ristorato.

Rapimento della mente humana dalle bellezze delle cose sensibili alle intelligibili.

Il Cielo stellato distinto in cento mappe, ò tavole, dove con facilità si insegna à conoscer tutte le costellationi stellificate nel Firmamento.

Le vere cause della salsezza del Mare.

Istoria della Città di Girgenti.

JOANNES BAPTISTA JALUNA Menensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Sacrę Theologię Magister, & celeberrimus Astronomus, quem laudant Rocchus Pirrus *not. Eccles. Syrac. pag.* 242. & Philippus Cagliola *in manifest. Provinc. Siciliæ Ord. Minor. Conv. explor.* 3. *manif.* 4. *pag.* 131. qui edidisse tradit

Introductionem, Regulas, & Tractatus Astronomiæ.

JOANNES BAPTISTA DE JUDICE nobilis Panormitanus, D. Cæsaris de Judice Jurisconsulti, de quo suo loco, filius. Lucem aspexit vitalem 18. Februarii 1636. & Jurisprudentiæ admotus Doctoralem accepit lauream. At ex naturali propensione ad amœnissima Poesis studia, & ad politiores literas animum appulit: hinc ex naturæ beneficio fœcundâ, facilique venâ ditatus innumera venustè, lepidèque protulit: ejusque ingenii monumenta tum solutâ oratione, eloquentiâ, & eruditione referta, tum lyricâ suavitate ornatissima in Academia Reaccensorum Panormitana, cui nomen dedit, semper cum plausu excepta: ideoque eximium literatorum, ac Principum amorem promeruit. Et sicuti ingenuâ morum lenitate, præcipuâ circa Deum, Deiparamque Religione, & virtutum omnium concentu Panormi Concives omnes allicuit; ita etiam extra Regni limites Exterorum, eruditione illustrium, animos sibi familiares, armonicæ Poesis lenocinio, devinxit. Librorum edendorum pro Regia jurisdictione tuenda fuit Censor, à D. Joanne Ramondetta Magnæ Regiæ Curiæ Præside electus, cui gratissimus fuit. Decessit tandem Panormi 5. Augusti anno 1686. non sine literatorum dolore. Hujusce laudes recensent P. Joannes Evangelista Panormitanus *in anagram. pag.* 154. Balthasar Pisanus *in Poes. par.* 2. *pag.* 157. & *in armoniis ferial. pag.* 142. Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 550. Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 349. D. Vincentius Auria in epistola ad lectorem in calce *par.* 1. *Poes. ejusdem Joannis Baptistæ*, & Paulus Ortalis *in relatione familiæ Dentis pag.* 36. Edidit Italicè

Poesie Liriche. Panormi apud Buam, & Camagnam 1670. in 12. quarum magna pars fuit recusa in opere infra notato, nempè:

Poesie liriche Parte prima. Panormi apud Petrũ de Isola 1678. in 8.

Poesie sacre, e morali Parte seconda. Ibid. apud eumdem 1678. in 8.

Vernaculâ linguâ edidit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 1. *tom.* 2. Panormi apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Li quereli Amurusi di Battillu Ecloga Pasturali. Ibidem apud Thomam Romulum 1685. in 8. sub nomine Joann. Bap. Basilis.

La luntananza di Battillu Ecogla Piscatoria. Ibidem apud D. Cyllenium Hesperium 1684. in 8. sub eodem nomine. Hæc autem Eclogh æ, unà cum aliis duabus recusæ sunt, hoc adjecto titulo:

Il Battillo Poema Buccolico. Ibid. apud Petrum Coppolam 1686. in 12. cui eruditissimas addidere observationes D. Octavius Bellia Baro Camemi, D. Gutterra à Valle Baro Vallis aureæ & D. Vinc. Auria Panormitani, de quibus suis in locis.

I Trionsi dell' Innocenza riportate dal gloriosissimo Patriarca de' Monaci S. Benedetto nell'avvolgersi tra le spine Dialogo. Panormi apud D. Cyllenium Hesperium 1685. in 4. suppresso nomine.

Extant præterea nostri Jo: Baptistæ Argumenta ad Poema Heroicum Josephi Galeani inscriptũ: *Il Pelagio*, editum Panormi apud Didacum Buam, & Petrum Camagnam 1670. in 8.

Inedita reliquit hæc alia:

Poesie Tragiche, e Drammatiche.

Discorsi Accademici.

JOANNES BAPTISTA LARTIUS Netinus, Philosophiæ, Medicinæ, & Jurisprudentiæ Doctor eximius: vir eruditione, solidâque doctrinâ excultissimus. Claruit anno 1590. quo in lucem emisit

De Perfectionibus humanæ mentis librum unum, ad Illustriss. & Reverendiss. Dom. D. Simonem de Aragona S. R. E. Cardinalem amplissimum. Venetiis apud Nicolaum Morettum 1590. in 4.

JOANNES BAPTISTA MACARELLUS Panormitanus Poeta, & Academicus Accensus Panormi. Obiit Panormi circa annum 1571. ut ex Antonino Alfano, Bartholomæo Bonanno, & Leonardo Orlandino colligitur, qui *in Poes. Accensorum lib.* 1. *pag.* 10. 78. & 131. ejus mortem deplorantes, Ioannem Baptistam laudant. Edidit Italicè

Rime. in libro: *Rime dell'Accademia degli Accesi di Palermo.* Panormi apud Matthæum Maidam 1571. in 8.

JOANNES BAPTISTA MIGNIA Panormitanus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor; historicâ eruditione, & gravioribus disciplinis instructus claruit anno 1632. quo scripsit Italicè

Compendiosa Relatione della Nobilissima Famiglia del Bosco, Casa del Regno di Sicilia, da che fè cambio dell'antichissimo, e proprio cognome di Ventimiglia in quel del Bosco. m. s. in fol. Vidi in Bibliotheca D. Josephi de Bosco Catholicæ Principis. Hoc opus citat Augustinus Inveges *in Appar. tom.* 3. *annal. Panormi pag.* 44.

JOANNES BAPTISTA NICOLOSIUS Paternionensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, & Geographus prętantissimus. Natus 14. Octobris anno 1610. literasque amplexus, ob ingenii perspicui nitorem, primò Sacræ Theologiæ lauream obtinuit: inde eloquentiæ vi, ac omnimodâ eruditione instructus enituit. Linguam Italam, Latinam, Hispanam, Gallicam, & Theutonicam egregiè calluit. Consilio plurimùm valuit; & in rebus agendis eximiâ dexteritate excelluit; nam singulari prudentiâ munitus, res maximâ sedulitate aggredi, & feliciter absolvere consuevit. A veritatis tramite animum nunquam deflexit; ideoque amicis, Principibusq; viris eâ libertate res aperiebat, vel scriptis tradebat, ut nunquam simulatione verum occultare permiserit. Ideoq: iis sibi commendatis, vel disciplinis imbundis susceptis, nil illi antiquius fuit, quàm tria hæc altè cordibus imprimere, nempè: Dei cultũ: pro-

proprii nominis æstimationem; amoremque veritatis. Hinc ipsius veritatis amore versutias, & calumniantium insultus robusto, constantiq; pectore non semel sustinuit. Animi sui candor egregius liquidò inter alios innotuit Sigismundo Chisio S. R. E. Cardinali,& Jo: Baptistæ Burghesio Sulmonis Principi, qui ejusdem præclara merita, vitæq; integritatem, innumeris argumentis probatam, summâ dilectione complexi sunt. Morum suavitate, modestiâ, ac beneficentiâ, æstimationem, amoremque omnium promeruit. Ejus ardor in Deum, religio in sacras ædes, charitas in proximos mirabiliter effulsere. In pauperes liberalis, verbo, & exemplo amicos,Magnatesque ad eleemosynas erogandas extimulabat. Conscientiæ recessus numquam gravi labe fœdavit. Acerrimus odiorum, simulationis, adultationisq: hostis fuit. Diuturnis morbis vexatus,patientiam mirabiliter expolivit; ac, etsi durissimè excruciatus,numquam in ore quærulam admisit notulam; sed ea tantummodo ingeminabat verba: *si adhuc sum necessarius non recuso laborem*: vel, *fiat voluntas tua*. Mathematicas disciplinas ardentissimè complexus, ex his Geographicum studium unicè dilexit; ideoque, eâ animi contentione illi mentis vires admovit, ut brevi temporis intervallo, hac in facultate, literatorum omnium calculo, principatum obtinuerit. Hanc verò disciplinam aliis, præsertim viris principibus summo cum plausu Romæ docuit. Anno 1652.à Sacra Congregatione de Propaganda Fide electus est, ut Sacri Evãgelii præconibus totum Orbem in plures, magnasque tabulas descriptum oculis obiceret,quod omninò sacris expeditionibus pernecessarium decreverat: ideoque Nicolosius intra sesquianni limites in decem tabulas, magnitudine admirabiles, totum Orbem distributum exhibuit: ab elegantia, & exacta descriptione à peritissimis Geographis laudum præconiis commendatas. Alexandri VII. Pontificis meruit encomia, cùm enim Raymundo Capisucchio, tunc Sacri Palatii Magistro, alloqueretur, hæc habuit de Nicolosio. *Sanè doctus ipse est & pius*. cui respondit Capisucchius: *quin immò Pater Sancte doctissimus,& quã maximè docilis, affabilisque*. Ac iterum alia de Geographia subortâ differendi occasione, cùm nescio quis, quẽdam in hac facultate versatum extolleret, respondit Alexander: *Plures quidem huic circa praxim notitiæ sunt; verùm Nicolosius longè in Theorica, & Praxi excelluit*. Clemens item IX. anno 1667. Nicolosii studium Geographicum demiratus, eidem Nicolosio ait: *ipse quidem opus dignum perfecit,ac multum Respublica eidem debere profitendum est, summè enim utile est, & Nobis acceptissimum*. In eamdem sententiam abiit Leopoldus Imp. aliique viri sapientiâ, & eruditione præstantes, apud quos maximâ doctrinæ opinione valuit. Amicos nobilitate, moribus, doctrinâque præclaros sibi delegit; inter quos Magnates nonnulli refulsere: & in aula Romana Cardinales non paucos,ac Rotæ Auditores:& in dissitis etiã regionibus Dynastas inclytos amicitiæ vinculis sibi devinctos habuit: nec inter ipsos ultimi recensendi Badensis familiæ viri Principes, quibus omnibus summum,sincerumque amorem devovit; eorumque gratiâ, eximiâ alacritate difficillima aggressus est. Sed etsi Dynastarum patrocinium, & venerationem sibi cõparasset, ac facili negotio ad primarias dignitates aditum sibi reseratum vidisset; semper ambitionis stimulos neglexit; & majora, quàm promeruisset à Deo se accepisse prædicabat. In Germania aliquãdo profectus in aula Ferdinandi Maximiliani Badensium Principis Oeconomum egit. Romæ in Basilica Liberiana, sive S.Mariæ Majoris pro Burghesiorum Sacello Capellanus fuit. Tandem multos ante annos jam ad mortem paratus, inter sacras allocutiones,& ferventissimis virtutum argumentis,erga Deum, ac Deiparam ejus Patronam editis, obiit Romæ 19. Januarii 1670. & in memorata Liberiana Basilica sepulturæ, jam ab anno 1663. sibi paratæ, traditus fuit; ibique hoc legitur epitaphium, quod ipsemet sibi inscripserat.

Joannis Baptistæ Nicolosi
Servi indigni, & Capellani
Virginis Sanctissimæ
Lipsana hìc jacent.
Anima ad Deum rediit XIX. Januarii Anni
M. DC. LXX.

Hujus vita extat in ejus libro inscripto: *Hercules Siculus*: ipsius etiam meminit Michael Antonius Baudrand *tom. 2. Geograph. pag.* 446. & Vincentius Coronellus *in indice Auctorũ in Atlante Veneto*. Edidit

Herculem Siculum, sive studium Geographicum. Tomum Primum. Romæ typis Michaelis Herculis 1670. in fol.

Tomum Secundũ continẽtem tabulas, sive descriptiones Geographicas. Ibid. apud eũdem 1671. in fol. Italicè

Guida allo studio Geografico composta in gratia di coloro, che desiderano essere instruiti di quelle parti della Cosmografia, le quali si presuppongono dal Geografo. Romæ apud Vitalẽ Mascardum 1662. in 4.

La Teorica del Globo terrestre. Ibid. apud Manelfum Manelfi 1642. in 12.

Scripsit etiam alia non dum edita: nempè

Orbis descriptionem in decẽ magnas tabulas distributam,ac in aula S.C.de Propaganda Fide expositam.

Ecclesiasticæ ditionis descriptionem in magna tabula Alexandro VII. oblatam: adjecto libello m. s. ad ejusdem intelligentiam.

Regni Neapolitani descriptionem Leopoldo I. Imperatori oblatam: addito item libello facilitatis gratiâ: quam tertiò perfecit, ac tribus illius Regni Proregibus successivè obtulit, nempè Comitibus Castrilli, Pignorandæ, & Card. Aragonio. Quibus addi potest alia, quasi ad umbilicum perducta, cum Hispaniæ descriptione: hisque omnibus regulam addidit, Meridianã mobilẽ dictam,& ab ipso inventore Nicolosiam, quâ omnia in tabulis contenta facillimè reperiuntur.

Tabulas quinque Geographicas.

Alexandrum Magnum, sive Q. Curtium notis Geographicis locorum, & Provinciarum, de quibus in Axandri vita loquitur, elucidatum.

Sex

Sex primos libros Methamorphoseos Ovidii notis Geographicis illustratos.

Italicè

L'Artegliaria, e la ragione dell' Architettura militare, ò sia fortificatione moderna.

La Sergentaria, o sia disciplina militare.

Interessi de' Regnanti d'Europa, e dell' Asia, e Religione degli Africani.

Ragguaglio del viaggio di Germania fatto dall'Autore in compagnia del Serenifs. Principe Ferdinando Massimiliano di Baden, communicato per diverse Lettere al Serenifs. Principe Cardinale Rinaldo d' Este.

Informatione dello stato antico, e presente della Serenifs. Casa di Baden.

Notitia della Persona, e stato del Seren. Principe Hermanno di Baden.

Notitia della Persona, e stato del Ser. Sig. Principe Gustavo Adolfo.

Consulta data all'Ill. & Eccell. Sig. D. Paulo Giordano Orsino Duca di Bracciano sopra la descrittione fatta dell'Inferiore Etruria.

Risposta data all' Em. Sig. Cardinale Fabio Chigi, dopo Alessandro VII. sopra il sito de' Triburiani, e del Concilio Triburiense.

Le Contrarie Passioni.)
L'Amore del sangue.) Comedie.
La Gatta.)
La Rogna.) Poemi.

Scripsit tandem, Opuscula quædam Arithmetica, & nonnulla alia, quæ omnia m. ss. asservantur Romæ apud Joannem Baptist. Nicolosium ejus nepotem.

JOANNES BAPTISTA PAGANUS Hyccarensis Tertii Ordinis S. Francisci, natus an. 1644. adolescens Ord. institutum amplexus est. Emensis studiorum spatiis Doctoris, ac Magistri lauream obtinuit. Amœniores coluit literas; ideoque Orator, & Poeta eximius in Reaccensorum Academia Panormitana recensitus inclaruit. Severioribus facultatibus egregiè instructus, has aliis non sine laude explanavit. Philosophiam præsertim Panormi sodales suos, ac Patavii scholasticam Theologiam docuit. Ibi etiam per annos viginti Philosophiam tum Ordinis junioribus, tum exteris tradidit; è cujus schola doctissimi prodiere, qui in publico illius Urbis lyceo scholasticas scientias docuere. Mathematicas quoque disciplinas, & Astronomicam facultatem insigniter callet. Hinc doctrinâ clarus, magnâ æstimatione prosequutus effulget. Fuit à secretis Bonaventuræ Guglieri totius Ordinis Generalis: & dum hæc typis consignantur anno 1707. vivit. Florente adhuc ætate edidit Italicè

Lo Sprone della Virtù, cioè l'utile che si cava dalle lingue maldicenti discorso Accademico. Panormi apud Petrum de Isola 1671. in 12.

Prælo paravit

De Cyclo Paschali Tractatum.

Dissertationem de Cyclo Paschali pro Calendarii Gregoriani correctione.

JOANNES BAPTISTA PANORMITANUS Ordinis Capuccinorum, vir pietate, & doctrinâ insignis; suppresso nomine edidit Italicè, ut poeticis numeris cordium affectus excitaret,

Orticello serrato, aperto solo à Dio, in cui si trova un frutto, che pasce l' Universo, coltivato per onor della Purissima Concezione di Maria. Panormi apud Jo: Bap. Aiccaidum 1703. in 8.

JOANNES BAPTISTA PILUS Panormitanus Clericus Regularis, nobilissimo ortus genere, patre D. Vincentio Pilò Marchione Marinei, & Capacii Comite, ac Julia Bononia matre, lucis usuram accepit anno 1611. A teneris annis non obscura præbuit futuræ sanctitatis indicia. Ad pietatis enim studia pronus erumpentes vividissimæ naturæ motus ciliciis, ac pœnitentiis cohibuit; & inter corpusculi cruciatus innocentiæ cādorem intemeratum servavit. Duodecimum ætatis annum agens Regulari Ordini nomen dedit; eñq; à proposita vitæ ratione haud dimovere potuerunt, nec ægritudo, quâ in tyrocinio fuit aggressus; nec matris preces, & oblectamenta: ideoque solemnia emisit vota 24. Februarii anno 1627. Etsi nimiâ corporis imbecillitate donatus, attamen nervosâ animi firmitate, regularis observantiæ labores ferventissimè amplexus est, & ad eminentissimum vitæ fastigium animi vires admovit. Hinc egregiis ditatus virtutibus, mirum in modum, omnibus venerabilis, refulsit. Nil illi suavius quàm humilitatis abjectiones, ac corporis divexationes. Orationis studio addictus, sæpius magnâ lacrymarum profusione Christi Domini cruciatus meditabatur; eoque sensu, ut ad solum passionis Dominicæ verbum, cor mirabiliter confossus in lacrymas erumperet. In Regulari disciplina excolenda exactissimus: in observandis paupertatis legibus insignis; solitudinis, & cubiculi amantissimus, ac patientiâ clarus fuit. Virginalem puritatem usque ad supremam vitæ lineam intemeratam servavit, cujus candor eximius vel etiam in vultu elucebat. Dei, ac proximorum amore mirum in modum æstuavit: ideoq; anno 1630. in Lombardiæ Provincia grassante pestilentiâ, ut aliorum obsequio vitam dicaret, enixè efflagitavit, ut ea in regione delatus, morbo affectis ministraret; & ut facilius facultatem obtineret ad hoc voto se adstrinxit: sed denegatâ ab Ordinis Generali facultate, eximio viro non defuere fervidæ voluntatis promerita. In recolenda Deipara singularis, ad cujus amoris officia incendenda mirificè profuit consuetudo cum P. D. Francisco Olympio Cl. Reg. ejusdem Virginis studiosissimo. Obedientiâ admirabilis, ideoque scrupulorum angustiis excruciatus, ad solius superioris nutum conquiescebat. Et ut omnia verbo absolvam, Sanctos Patres, qui Eremum admirandis vitæ gestis illustrarunt, laudabiliter æmulatus est. Hinc nōdum trigesimum ætatis annum attigerat, cùm satis idoneum, ut alios sanctis moribus informaret, arbitrati Patres domus Panormitanæ S. Josephi, anno 1638. communi omnium calculo tyronum Magistrum elegerunt, ac ætatis dispensationem à Sacra Cardinalium Congregatione negotiis Regularium præposita impetrarunt; nondum enim annos ad munus necessarios juxta Clementis VIII. Constitutio-

tionem expleverat. Munus, etsi cunctis humilitatis nervis oblitteret, ex obedientia suscepit: & mirâ prudentiâ, sanctisque documentis sibi commendatos ad eximiam vitæ sanctimoniam direxit, summo cum Ordinis commodo. Demum numeris omnibus absolutus annum agens 33. decessit Panormi in domo S. Josephi 13. Februarii 1642. magno cum omnium dolore. Hujusce viri cum laude scripsere Josephus Silos *in histor. Cler. Regul. par.3.lib.3.pag.73. & lib.12. pag.594.* Franciscus Maria Magius *de sacris Cæremonis tom. 1. opusc.3. pag.* 226. & Philippus Setajolus *in hist. Cataluniæ par. 2. in epist. ad lectorem, & pag.* 154. extat & ipsius vita in ejus libro posthumo Italicè scripto, cui titulus:

L'Eremo Sacro, ò vero Vite de' Santi, e Beati Eremiti, col modo di allontanarsi l'anima dal Mondo, e viver Romita al suo Dio tra le Piaghe del Crocifisso. Panormi apud Didacum Buam 1661. in 4.

JOANNES BAPTISTA PROVENZANUS Drepanitanus Tertii Ordinis S. Francisci, Patritio genere ortus, adolescens Ordinis insignia assequutus est. Literarum studiis dicatus, doctrinâ apprimè insignitus claruit. Theologicâ Magistri laureâ donatus, inter egregios Theologos cooptatus est: & Sacrorum Canonum eruditione ornatissimus eminuit: quibus & politiores literas innexuit. Ecclesiastes insignis conciones habuit magno cum auditorum fructu; & morum integritate conspicuus, regularis disciplinæ zelo æstuavit. Hinc summam promeruit æstimationem; ac Paulus Æmilius Sfondratus S. R. E. Cardinalis, Gregorii XIV. nepos, in suum Theologum delegit. Ad totius Ordinis fastigium Generalis munere evectus est 9. Iunii 1601. & iterum ad eamdem dignitatem assumptus 25. Maii 1613. Dum Ordinē laudabiliter gubernabat anno 1614. 11. Aprilis Romæ vivere desiit, relictis sanctissimæ vitæ exemplis. Tanto viro à Paulo V. Pontif. Max. Vicarii Apostolici titulo, substitutus est usque ad generalia comitia proximè celebranda, P. Sanctorus Pecorella Siculus Salemitanus, vir morum innocentiâ, ac vitæ sanctimoniâ insignis, qui Prior perpetuus constitutus est in Cœnobio S.Pauli ad Arenulā, quod ipse anno 1619. pro fratribus Siculis excitavit, ac ex bulla Pauli V. Siculæ Provinciæ adscriptum, & ab Innocentio XII. confirmatum; nunc sub patrocinio Regum Hispaniæ, ex privilegio Philippi IV. Catholici Regis, claret: in eoque multi gravioribus scientiis, & regulari observantiâ celebres effloruere. De Joanne Baptista Provenzano Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 551. qui perperam Provincialem obiisse tradit: Franciscus Bordonus *in Chronol. Tertii Ord. cap. 25. num. 2. & 6. & c. 13. num. 49. & 51.* Silvester Maurolycus *in Mari Oceano pag.* 261. Leonardus Orlandinus *in discrip. Drepani pag.* 52. Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito cap.23. pag.780.* & Joannes Maria Vernon *in annal.Tertii Ordinis par. 1. pag.* 30. ubi Provenzanum cum Joanne Antonio Brando confundisse animadverti supra, de Brando agens *pag.* 319. Edidit

Statuta Generalia, sive decreta Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci. Rhegii apud Flavium, & Flaminium Bartholi 1601. in 4.

JOANNES BAPTISTA ROMANUS COLUMNA Nobilis Panormitanus, Resuttanæ Baro: poeticis numeris, vernaculâ linguâ editis, eximiam pietatem patefecit: in explicandis enim ferventissimis animi affectibus admirabilis sese prodidit. Hinc religionis studio, aliisque animi, ac naturæ dotibus egregiis sui veneratione excitavit. Obiit Panormi circa annum 1640. Ipsum laudat Iosephus Galeanus *in Musis Siculis par. 4. pag.* 3. Siculâ linguâ scripsit

La Nenia della Beatissima Vergine, quando addormentava il suo benedetto Figlio Giesù Cristo Bambino. Panormi apud Rossellum 1630. in 8. Ibidem sæpius recusa.

La Strada dell' Inferno delle Donne vane in ottava rima Siciliana. Ibidem apud eumdem 1639. in 8. Sub nomine Vincentii Romani ejus filii.

Canti Spirituali in lingua Siciliana sopra alcuni Misterii della B. Vergine, e Cristo Nostro Signore. Ibidem typis Decii Cyrilli 1635. in 8. suppresso nomine: inde harum cantionum selectiores recusæ, apposito auctoris nomine, hoc titulo: *Canzoni Spirituali in lingua Siciliana di Cristo Nostro Signore, e Maria Vergine.* Ibid. apud Iosephum Bisagnium 1651. in 12. & apud Petrum Coppolā 1665. in 12. in hujus editionis principio Auctoris elogium invenies à Vincenzo Auria editum.

Canzoni Siciliane Sacre. In Musis Siculis *par.* 4. Ibidem apud Josephum Bisagnium 1653. in 12.

JOANNES BAPTISTA ROMANUS COLUMNA nobilis Messanensis Juris utriusque Doctor, ac sedulus causarum Patronus. Doctrinâ insignitus in Messanensi Academia tractatum de Feudis publicè explanavit. Nonnullos Jurisprudentiæ honores obtinuit; fuit etenim Urbis Messanensis perpetuus Advocatus, & ordinarius Assessor. Messanæ quoque in Regiæ Siclæ foro Fisci Patronus, & Archimādritæ Assessor. In Straticoti Messanensis Tribunali Judicem egit, & Straticoti vices gessit. Pluries in nonnullis causis loco Magnæ Regiæ Curiæ, Regii Patrimonii, & Tribunalis Sacræ Regiæ Conscientiæ Iudex constitutus; aliaque assequutus est. Graviori Iurisprudentiæ facultati amœniores literas innexuit, præsertim Poesis, ac eloquentiæ studia; ideoque in Messanensis Officinæ Academia, & Panormitana Reaccensorum adscriptus, persæpè ingenii monumenta cum literatorum laude exposuit. Exinde immutata rerum facie, inter belli turbines involutus, anno 1678. relictâ patriâ nonnullas Italiæ urbes profugus petiit, & in Veneto foro Advocatum egit. Nūc Romæ vivit dum hæc scribimus anno 1707. apud Sacram Rotam causarum Patronum. Ipsum laudant Placidus Reina *in hist. Messanæ par.2. pag.* 515. & Angelus Matthæus Bonfantes in libro: *Cigno provocato pag.* 30. Edidit Italicè

Poesie. in libro inscripto: *Poesie Volgari degli Accademici della Fucina Parte Seconda.* Messanæ apud hæredes Breæ 1658. in 12. & in libro: *Duello delle Muse Trattenimento IV.* Neapoli typis Andreæ Colicchia 1671. in 4.

La

La Fede di Zangla Oratorio nella Solennità della festa della Sacra Lettera scritta dalla Gloriosa Vergine Maria a i Messinesi. Panormi typis Nicolai Bua 1659. in 8.

La Sensualità depressa oratorio. Messanæ apud Amicum, & Juream 1662. in 4.

La Luna ecclissata Ode Pindarica in lode dall' Ecc. Frà D. Gregorio Caraffa Priore della Roccella, Generale delle Galere di Malta. Ibidem apud eosdem 1658. in 4.

La Mamertina Colomba discorso augurico con avvertimenti politici. Messanæ apud Matthæum la Rocca 1676. in 8.

La Sicilia ammiratrice, Oratione Panegirica. Ibidē apud eumdem 1676. in 8.

Parte Prima della Congiura de i Ministri del Re di Spagna contro la Città di Messina Racconto Istorico. Messanæ apud Matthæum la Rocca 1676. in 4.

Parte Secōda. Ibidem apud eumdem 1676. in 4.

Parte Terza. apud eumdem 1677. in 4.

Sed ex Decreto Sacræ Cōgregationis Indicis 18. Iunii 1680. hoc opus proscriptum: cui etiam respondit Franciscus Strada in libro: *la Clemenza Reale.* Panormi apud Petrū Coppolā 1682. in fol. Edidit etiam

Allegationes Criminales contra Fiscum. Panormi, & Messanæ 1656. & 1658. in fol.

Et nonnullas etiam *Allegationes* editas Romæ quorum editionem nescio: & alia suppresso nomine. Scripsit etiam

Confutationes legales piis Animadversionibus Politicis exornatas ad exclusionem perduellionis, & læsæ Majestatis criminis. in fol.

Apologema Iuris, & Facti adversus disceptationes Fiscales D. Ignatii Gastonis Catanensis. in fol. Italicè

Messina abbandonata da i Francesi sotto il governo del Marescial Duca della Fogliada l'anno 1678. in fol.

Cerbero incatenato Risposta Apologetica. in fol.

Mescugli di Assiomi Politici, e Precetti Morali con notitie historiche. in fol.

Li quattro Elementi della Giurisprudenza tradotti in lingua Italiana. in fol.

Messina Primogenita della Fede, e Chiave dell' Italia. in fol.

Il Profitto del Regio Erario nella Scala Franca di Messina. in fol.

JOANNES BAPTISTA LA ROSA Panormitanus Patritio ordine natus anno 1552. Sacerdos, Juris utriusq; Doctor, & Prothonotarius Apostolicus. Ob eximia promerita, quibus ornatus refulsit, multa in Ecclesiastico ordine obtinuit; fuit etenim Canonicus, Decanus, ac Thesaurarius Majoris Panormitanæ Ecclesiæ, Judex Synodalis, & Curiæ Archiepiscopalis Panormi Fisci Patronus. Vir apprimè doctus, eruditione clarus, & in historiis versatissimus. In propugnandis Patriæ Privilegiis, & Ecclesiæ juribus imperterrito pectore semper apparuit: ideoq; veluti Pater Patriæ, ac sedulus custos demiratus. Obiit Panormi 30. Novembris 1637. & in Sacello S. Andreæ in Ecclesia S. Nicolai de Calcia sepultus est, in cujus sepulchro è marmore hęc legitur inscriptio.

D. Joanni Baptistæ la Rosa, & Spatafora Patritio Panormitano Decano, Canonico, & Thesaurario Metropolitanæ Panormitanæ, Viro illibatæ veracitatis ad tuenda Ecclesiæ Jura, & cæterum bonum publicum strenuo, Abbas D. Marcus Gezio Magister Capellanus, Oeconomus Apostolicus Regius, hæres sui benevolentissimo, immortalis amoris, & doloris monumentum posuit. Obiit pridie Kalendas Decembris M. DC. XXXVII. ætatis LXXXV.

Ipsum laudant Franciscus Baronius *in Siculæ nobilitatis Amphiteatro*, & Rocchus Pirrus *not. Eccles. Panorm. pag.* 207. & 209. Edidit Italicè

Discorso, e Traditione per l'Imagine della Gloriosissima Vergine Maria Madre di Dio, la quale si ritrova nella Metropolitana Chiesa di Palermo. Panormi apud Ioannem Antonium de Franciscis 1597. in 4.

Ipsius etiam servantur aliqua Volumina m. ss. in Thesauro Panormitanæ Ecclesiæ de rebus ad Ecclesiam, Urbemque Panormi pertinentibus. Ac librum etiam m. s. in 4. de eisdem rebus in Archivio Montis Pietatis Panormi.

JOANNES BAPTISTA RUBEUS, alius à Joanne Baptista Rubeo Januense, de quo Michael Justinianus *de Script. Ligur. pag.* 343. & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 333. Prodiit noster Siculus ex oppido Militelli Vallis Neti: Medicus, ac Philosophus fuit doctissimus. Claruit circa annum 1560. Hujus filius Joannes Rubeus Baro Nicchiaræ inter nobiles Leontinos adscriptus est: ideoque non immeritò conjectamus, medicā facultate familiā extulisse suam. Ipsum laudat Petrus Carrera *in epigramm. lib.* 3. *pag.* 130. Edidit

Physicam. Panormi apud Jo: Bapt. Maidam 1559. in 8.

JOANNES BAPTISTA DE SEPTIMO Panormitanus ex nobili famlia Panormitana, etsi nothus, in lucem editus est. Perperā à Philadelpho Mauro *in hist. SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini lib.* 1. *cap.* 10. *pag.* 72. inter illustres Leontinos recensitus. Panormitanum fuisse Joannis Baptistæ gentiles testantur; quod ipsemet publicè fatebatur, ex Angelico Aprosio, sub nomine Joannis Petri Jacobi Villani in libro: *Visiera alzata pag.* 115. id ipsum prodit idem Aprosius *in indice fautorum Bibliothecæ Aprosianæ pag.* 39. Joannes Maria Amatus *in notis ad orationem secundam pro studiis Collegii Panormitani num.* 50. & Vincentius Auria *in elogiis m. ss. literatorum Panormit.* Ne dum armis, quàm literis illustris, in Germaniam profectus, ibi Martis studia amplexus est, & ob eximiam animi fortitudinem Vexilliferi, ac Militum Ducis munere cohonestatus effulsit: ibique à Ferdinando III. Cæsare Comes Palatinus electus est. In Italiam regressus amœniores literas egregiè coluit. Hinc Venetiis ubi diu vixit, inter Incognitos Academicos adscriptus, cultissimis, lepidisque ingenii monumentis literatorum amorem assequutus est; & præstantiorum virorum benevolentiam sibi conciliavit: hos inter collocandi Ioannes Franciscus Lauredanus, Petrus Michael, Cyrus de Pers, Michael Angelus Torcilianus, alii-

aliique multi literarum gloriâ effulgentes. Apud Franciscum Estensem Mutinæ Ducem aliquando vixit, cui gratissimus fuit, & ipsius à secretis. Claruit anno 1650. Angelicus Aprosius *loco cit.* nimiùm severè censoriâ virgulâ Joannem Baptistam notat; virum etenim inscium vocat; additque carminum librum,& Enonem infra notatos, sub Joannis Baptistæ nomine editos, Petri Michaelis lucubrationes esse. At Angelicum, virum etsi clarissimum, in his, qui de nostro Joanne Baptista scripsit, ab aliquo ipsius æmulo forsan deceptum puto:nisi dicas,in opusculum Angelici, post decennium ab ejus morte editum, aliqua ab alienâ manu immissa ex maledicendi libidine. Ex his enim quæ hactenus scripsi apertissimè liquet, Joannem literis instructissimum claruisse: quibus addo aliorum testimonia: ipsum etenim celebrat laudatus Petrus Michael in libro:*Benda di Cupido par.* 2. *pag.* 214. & in epistolis datis ad Michaelem Angelum Torcilianum in libro ejusdem Torciliani, cui titulus: *Eco Cortese par.* 1.*pag.* 32. *&* 42. Idem Torcilianus in Epistola ad librum inscriptum: *Favole Boscareccie di Pietro Michiele*, hæc de Joanne Baptista scripsit: *Acciò poi che l'opera compiuta in tutte le sue parti rimanga, hò procurato, ch'esca alla luce, accompagnata dagli argomenti del Sig. D. Gio: Battista Settimo, Cavaliero d'ugual preggio nell' armi, e nelle lettere. Son ben note à Vostra Eccellenza le conditioni di questo soggetto; poiche da quel saggio Poetico, publicato i mesi addietro non senza applauso, & ammiratione del secolo, quasi dal calzare condotto dall'Aquila à Menfi, havrà potuto conoscere, quanto riguardevole sia la Rhodope, che lo porta; onde per non dimostrarmi soverchio interessato nelle sue glorie, tralascio di qui registrarle.* Hæc oculatus testis Torcilianus. Demum Clemens Barrera apud Scipionem Glarianum (sub hujus nominis Larva idemmet Angelicus Aprosius latet) in libro inscripto: *Scudo di Rinaldo cap.*31.*pag.*233.Joannem Baptistam emeritis laudibus exornat. Edidit Italicè

Poesie. Venetiis apud Guerilios 1642. in 12

Enone, & altre Poesie. Ibid. apud Franc.Valvasensem 1644. in 12.

Epitalamio nelle gloriose Nozze dell'Illustriss. & Eccellentiss. Signori D. Costanza Orsino, e D. Carlo Carafa Signore della Casa, Duca d'Andria. Neapoli typis Camilli Cavalli 1649. in 8.

Novella Settima, & Ottava in libro inscripto: *Cento Novelle Amorose de i Signori Accademici Incogniti. Parte seconda.* Venetiis apud Guerilios 1651. in 4.

Argomenti alle Favole Boscareccie di Pietro Michiele. Ibid. apud eosdem 1643. in 12.

JOANNES BAPTISTA SIDOTI Panormitanus Sacerdos, præstantissimo ingenio munitus à teneris unguiculis literarum studia complexus est; & gravioribus disciplinis addictus in Panormitano Collegio Societatis Jesu Theologiæ laureâ donatus. Adolescens Majoris Panormitanæ Ecclesiæ Vivanderius, ut vocant, electus est. Juri Cæsareo, ac Pontificio etiam operam dedit, & Romam delatus Doctoris insignia obtinuit: ibique causarum patrocinio eximias ingenii dotes, doctrinamque præclaram laudabiliter patefecit; & in pertractandis magni momenti negotiis dexteritatem. Hinc præcellentes illius Urbis viros in sui æstimationem traxit. Florente adhuc ætate à Thoma Maria Ferrario, statim ac in Cardinalium Collegium anno 1695.fuit cooptatus, in suum Auditorem delectus est. Severioribus scientiis, amœniores etiam literas tum solutâ oratione, tum poeticâ dulcedine insigniter devinxit, quibus elegantissimo ingenio se instructum demonstravit. Demum anno 1702. Carolo Thomæ Maillard de Tournon Patriarchæ Antiocheno additus est cũ aliis Apostolicus Missionarius in expeditione Sinensi: ideoq; summa itineris incommoda in Sanctæ Sedis obsequium aggressus, dum hæc typis traduntur anno 1707. in Sinensi Vinea impegrè desudat. Ipsum laudat Marius Reiranus in poemate inscripto: *Il Rogiero in Sicilia,Cant.* 10.*stanz.*61.*pag.* 277. Hujus quoq; meminit laudatus Maillard *in Relatione itineris sui pag.* 7. Edidit

Orationem habitam in Sacello Quirinali coram SS. D.N. Innocentio XII. Pontifice Maximo die S. Joannis Apost. & Evangelis. Romæ ex typographia Joannis Jacobi Komarek 1693. in 4.

JOANNES BAPTISTA SPINOLA nobilis Cephalædesis, Juris utriusque Doctor, & Poeta insignis; natus 9. Januarii 1609. eximiam ingenii sui felicitatem amœniores literæ maximè probarunt. Inter Academicos Messanenses in Regia Sicla fuit adscriptus: & in nobilium Messanensium ordinẽ cooptatus.Decessit Cephalœi 22. Iunii anno 1643. Ipsum laudat Vincentius Auria *in hist. Cephalæditana cap.* 9. *pag.* 70. Edidit Italicè

Il Belvedere Idillio favoloso. Messanæ apud hæredes Petri Breę 1632. in 12.

Scripsit & alia multa, quæ immaturâ morte præventus non absolvit: inter hæc

Il Rogiero Rappresentatione Tragi-mari-satiri-comica, quam ab inventione, artificio, stylique elegantia plurimum laudat Auria citatus.

JOANNES BAPTISTA VALDINA filius nothus D. Caroli Valdinæ, Principis Valdinæ, ac Rocchæ Marchionis: natus in oppido Rocchæ circa annum 1644. ac literarum studiis admotus, Juris utriusque Lauream accepit. Politiores etiã literas coluit,& in Messanensi Officinæ Academia recensitus inclaruit.Cùm hæreditario jure titulis, aliisque familiæ bonis successisset, paulò post Messanæ decessit 13. Decembris an. 1695. Edidit Italicè

Il Cannocchiale Siciliano, Oratione funerale per la morte di D. Gio: Ventimiglia Cavalier della Stella: ut etiam

Quanto sia fallace la speranza di trovar felicità nella cognitione delle buone discipline; e quanto vana quella di acquistar gloria nel possesso della medesima, e delle belle lettere discorso. Extant *in Prosis Academicis Officinæ lib.* 1.Monteleoni apud Dominicum Ferrum 1667. in 4.

JOANNES BAPTISTA VALLEGIUS Panormitanus, à teneris annis literarum studiis ingenii

nii excellentiam devovit; magnâque mentis felicitate Philosophiam, Theologiam, ac Jurisprudentiam didicit: ideoque in his omnibus, cum egregia doctrinæ laude, Doctoris insignia obtinuit. Inde Regii Patrimonii negotiis addictus, in eodem à Rationibus fuit: & tum ob eximiam peritiam in pertractandis magni momenti rebus, tum ob morum integritatem à Siciliæ Moderatoribus, ac supremis Tribunalis Regii Patrimonii Ministris magnâ æstimatione prosequutus est; Ideoq; jam senescente, ut animi quietem assequeretur, ex eo munere, sese eripere curavit; at numquam ejus preces admisse, ne tanto viro destitueretur Regis Patrimonium: sed tantummodo illi permissum, ut Ecclesiasticæ militiæ nomen daret, & Sacerdotio insignitus eodem munere fungeretur. Inter Fori negotiis graviora nunquam studia, & politiorum literarum vigilias intermisit: suiq; ingenii monumenta solutâ oratione, numerisque lyricis alligata in Reaccensorum Academia Panormitana semper cum laude excepta. Uberi eruditionis copiâ locupletatus refulsit: ideoque Literatis gratissimus vixit. Obiit Panormi 18. Aprilis anno 1678. & in Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo sepultus est. Ejus laudes habes apud D. Alphonsum Salvum *in prosis pag.* 134. Jo: Baptistam de Judice *in carm. par.* 1. *pag.* 93. 394. 401. & 406. Iosephum Galeanum *in lyricis carm. pag.* 97. & *in Musis Siculis p.* 2. *tom. primo pag.* 369. Angelum Matthæum Bonfantè in libro: *Cigno provocato pag.* 98. Edidit

Lelvaggio Poema Buccolico in lingua Siciliana, con l'osservationi del medesimo Autore. Panormi apud Buam 1660. in 4. sub anagrammatico nomine D. Aloysii Gastoni, e Bavalotta.

Discorso à favore dell'Acqua fredda, con alcune Rime. Ibidem apud eundem 1664. in 4.

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *tom.* 1. *par.* 2. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. sub nomine Jo: Baptistæ Silvagii, & iterum Panormi apud Josephum Bisagnium 1662. in 12. sub nomine Jo: Baptistæ Hernandez Vallegio.

JOANNES BAPTISTA VIZZARI Messanensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, vir muneribus, ac literis clarus. Lector Jubilatus, & in Messanensi Lyceo studiorum Regens: Messanensis Provinciæ Definitor, & inde Provincialis anno 1672. Sacram eloquentiam professus, magno cum plausu conciones quadragesimales habuit pluries Messanæ, & alibi. Obiit circa annum 1700. Messanæ. Edidit Italicè

Il Cielo di S. Chiesa, il cui primo mobile è il Prencipe degli Apostoli S. Pietro, quattro altre Sfere i SS. Martiri Cirilla, Donato, Eugenio, e Concordio, & il fermamento stellato le Sacrate Reliquie de' Santi. Panegirico in lode de' Medesimi Santi recitato nella Chiesa Collegiata di S. Pietro di Modica. Neapoli apud Novellum de Bonis 1689. in 4.

La Regata de' Secoli Panegirico per le glorie della dolcissima Lettera scritta dalla Vergine SS. a' Messinesi. Messanæ apud Dominicum Costâ 1693. in 4.

La Felice Vittoria riportata sopra il Mondo, e vano piacere dalle nobilissime Signore D. Felice, e D. Vittoria Turingo de Bonfiglio, recitata nel monacato delle medesime. Messanæ apud eumdem 1697. in 4.

Geneologia della Casa Turingo de Bonfiglio. m. s. servatur apud Principem Condrò.

JOANNES BERNARDINUS NOCETUS Messanæ natus 22. Junii anno 1635. parentibus exteris, nempè Fulvio Noceto Florentiâ oriundo, licèt in Parmensi Urbe ortum habuerit, ac Livia de Rosis nobili Romana. Joannis Bernardini Genitor Fulvius clarissimam traxit originem ex Comitibus Nocetis, qui in Lunigiana Provincia, & valle Macræ inter Etruriæ, & Galliæ Cisalpinæ regiones, plurium Oppidorum dominatu libero potiti sunt, inter quæ recensentur *Ripola, le Tavernelle, Taponico, la Vela, Varano, Rocca Sigillina*, unà cum ejus Comitatu, *Terra Bagnonis*, ac etiam *Civitas Pontremolensis.* Anno 1460. praeclarissima Familia hæc Reipublicæ Florentinæ aggregata dignoscitur, atque in ea viri floruerunt tam armis, quàm literis percelebres; & signanter tres in Secretarii Status munere trium Summorum Pontificum ministeriis addicti, nimirum Nicolai V. Sixti IV. & Clementis VII. quibus addendus est Comes Petrus Franciscus, à Francisco Primo Galliarum Rege Cubicularii sui, & Oratoris in Italiam dignitate insigniter auctus. Cætera hujus perlucidæ prosapiæ omitto monumenta, ne instituti mei excedam limites; ideoq: lectores remitto ad Historicos Guicciardinum, Ammiratum, Adrianum, aliosque; atque ad authenticas tabulas, pro suæ nobilitatis vetustate fundanda, Messanæ anno 1637. constructas, cùm Fulvius prædictus (postquam ea in Urbe uti Serenis. Ferdinandi Cardinalis Infantis Hispaniarum Procurator Generalis domicilium fixerat) inter Nobiles Messanenses cooptatus, atque ad munia in ordine Nobilium subeunda habilis effectus est. Vix Joannes Bernardinus quartũ ætatis annum attigerat, cùm Romam delatus, sub Avunculi Mutii de Rosis directione, tunc unius ex duodecim Prælatis Signaturæ Votantibus, exinde in Regno Neapolitano Theanensis Episcopi, literarum studia amplexus est: ac præstantissimo ingenio instructus, gravioribus disciplinis seipsum abundè locupletavit. Hinc anno 1653. Romæ Jurisprudentiæ laureâ donatus claruit; ac statim à laudato Mutio ejus Avunculo Theanum accersitus, anno ætatis suæ 18. ab eodem Generalis Vicarius Theanensis Ecclesiæ cõstitutus est. Mense Decembris 1658. ad paternorum bonorum nanciscendam curam Messanam rediit; inde anno 1660. Panormum adiit, ubi cum Joanne Valdina Principe Valdinæ, Marchione Roccæ, arctissimæ amicitiæ nexum contraxit. Anno 1670. Archidiaconus Messanensis Ecclesiæ electus est à Clemente X. Pont. Max., cui planè ipsius promerita innotuerant; antequam enim ad Pontificiæ sedis fastigium ascenderet, haud exiguo cordis affectu Joannem Bernardinum dilexerat. A præfato claræ memoriæ Joanne Valdinæ Principe, testamentariæ ipsius voluntatis Executor destinatus, anno ab ejusdem Principis obitu, nempè 1693. Panormi iterum advenit, ut hære-

hæreditarias opes, piis operibus mancipatas, recuperaret, ac plurima super eis exorta litigia componeret. Honorificentissimo diplomate anno 1697. ab Innocentio XII. Pontifice, Prælati domestici honore insignitus est. Ad Valdinæ Præsulatum pro Nobilibus è Trinacria sub ejus Familiæ cognomenti assumendi lege, ab eodem Principe institutum, fuit Joannes Bernardinus primo loco nominatus. Ipse verò in hac dignitate Marcellum Cremonam, ex sorore nepotem, in Romana Curia clari tunc nominis Advocatū, juxtà sibi attributam à Testatore facultatem, ac Sanctæ Apostolicæ Sedis accedente beneplacito, substituit anno *1699*. Inter litium molestias pro hæreditatis prædictæ tuitione involutus, & à variis persæpè animi mœroribus abstractus, nunquam tamen literarum studia neglexit, omniumque scientiarum genera apprimè excoluit: ac insigni doctrinâ, & omnigenâ eruditione instructissimus semper effulsit. In amœniores etiam literas mirificè pronus, sui opinionem excitavit, & quotidie adauxit. Hinc in Officinæ Academia adscriptus, poetica, & oratoria ingenii monumenta summa cum laude protulit: ac tum in Sicilia, tum Romæ Literatos omnes in sui commendationem accendit. Musas enim Latias, & Etruscas ab adolescentia propitias habuit, quibus adhuc, ætate, curisque ingentibus gravatus, gratissimus vivit. Eloquentiæ leges insigniter callet: atque in scribendis epistolis, non tantùm Italico, & Latino, sed etiam Hispanico, & Gallico idiomate, styli cultu, ac dictionis elegantiâ excellere, doctiores ultrò fatentur. Vivit nunc Panormi vir undique egregius ab eximia doctrina, morum elegantia, aliisque animi dotibus veneratus. Plura scripsit, verumtamen moderatissimè sentiens de se ipso: nunquam induci potuit ad suas typis committendū lucubrationes, detecto in eis nomine, præter paucissimas, quæ inter Officinæ Academicorū poetica scripta adnumerantur. Nonnulla autem sub aliorum larva, sive suppresso auctoris nomine, prodiere. Quæ verò palàm apparent, hæc sunt:

In honorem S. Philippi Nerii Rhythmus. Romæ ex typographia hæred. Josephi Vannaccii 1703. in fol. & in 4. In cujus calce hæc perleguntur, nempè. *Cùm ad manus cujusdam Alumni S. Philippi Nerii hic Rhythmus à Doctissimo, & Religiosissimo viro Joanne Bernardino ex Comitibus de Nocetis Sanctissimi Domini Nostri Prælato Domestico, unà cum Antiphona, & Oratione compositus, pervenisset, & magno hominum plausu fuisset exceptus, iccircò dignus visus est, qui vel inscio Authore, ad excitandam, augendamque in eumdem Sanctum omnium pietatem, luce publicâ frueretur.* Idem postcà Rhythmus pluribus in locis denuò impressus, & præsertim Neapoli, & Venetiis, ab ipsomet Noceto Auctore mendis, quæ in impressionibus Romæ, & alibi efformatis irrepserunt, expurgatus, atque à se Italicis carminibus etiam Paraphrasticè, metro endecasyllabo concinnatus, prodiit Panormi ex Typographia Dominici Cortesii 1705. in fol. Quia verò Rhythmus idem Bononiæ ab ignoto Auctore in italicum sermonem poeticâ, & laudabili paraphrasi, octosyllabo metro translatus, in lucem prodivit Romæ 1706. typis Buagni, illum Nocetus novâ æqualis metri paraphrasi Italicâ exornare voluit, quæ sub prælo est in præfati Cortesii typographia.

Melodramma cum insertione Rhythmi in honorem S. Philippi Nerii. Panormi apud eumdem Cortesium 1706. in 8.

Italicè

Rime. in libro: *Duello delle Muse, ò vero Trattenimenti Carnevaleschi degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo*. Neapoli apud Andream Colicchiam 1670. in 4.

Dogmi di Amore, e di Dolore, insegnati al genere umano da un Monte di durissimo marmo, spezzatosi nella Morte del Redentore Crocefissio, e contemplati nel Monte medesimo, dedicato alla SS. Trinità, situato sopra la Città di Gaeta, da S. Filippo Neri nella sua prima giovanezza. Meditatione Poetica. Panormi Typis Dominici Cortesii 1707. in 4.

Amicis instantibus alia in lucem emittet, nempè

Rhythmicum latinum.

Carmina, & Rhythmos varios.

Italicè

Tragedia Sacra sopra il Martirio de' SS. Placido, e Compagni.

Poesie diverse. Quibus carmina latina, & Etrusca addet Comitis Francisci Noceti Fratris, de quo in Operis appendice.

Sermoni Sacri.

Discorsi Accademici.

Appendice, & Emendatione del Rimario di Girolamo Ruscelli, sì nell'aggiunta di molte voci mancanti, sì ancora ne i difetti, ed errori commessi dal medesimo Ruscelli circa le Rime tronche, e le voci sdrucciole.

Ponderazioni intorno ad essenziali circostanze nello stile Epistolare Italiano, per le proporzioni de' Vocaboli, con alcune formole di Lettere, instruzione circa il Titolario, e suoi annessi, ed osservazioni sopra la varietà dello stile ne i linguaggi Italiano, Latino, Spagnuolo, e Francese.

Riflessioni circa il Cerimoniale de' Vescovi nelle Sacre Funzioni alla presenza di uno, ò più Cardinali.

Discorsi varii Apologetici.

Avvertimenti circa il fare con savia providenza le testamentarie disposizioni, specialmente in benefizio dell' Anima. Quibus Allegationes nonnullas juridicas laudati Præsulis Marcelli olim Cremonæ, nunc Valdinæ, ejus Nepotis, interiiciet.

Orazioni preparatorie, e ringraziatorie per la Messa, e Communione, adattate alle Feste correnti del Signore, della Beatiss. Vergine, e de i Santi, spiegate in lingua Latina, e Italiana. Con un discorso intorno alla brevità ò lunghezza nella celebrazione del Sacrosanto Sacrificio dell' Altare.

Notizia delle lodevolissime azioni del Venerabile Servo di Dio Gioseppe Filingeri Sacerdote Palermitano, Figlio Primogenito del Principe di Santa Flavia.

Tandem alia nonnulla meditatur, quæ vitâ superstite scribere curabit; præsertim

Astronomicas observationes, & defensionem contra irrisiones gravium Auctorum circa Astrologiam, cum ali-

aliquâ methodo, ut ab ea utilitas prudenter extrahatur, & in nimiam credulitatem non labatur.

JOANNES BONAJUTUS Siculus æques incertę patriæ, vir eruditione, & in rebus agendis dexteritate insignis. Claruit an. 1610. Edidit Hispano idiomate

Discurso para assegurar el Reyno de Sicilia, y Advertimiéto à su Magestad para la Reforma de la Miliciá à si de a cavallo, como de a piè en el Reyno de Sicilia, sin detrimento del Patrimonio Real. Prodiit anno 1614. in 4. sine loci & typographi nomine.

JOANNES BONASERA Panormitanus Poeta clarissimus: Poeticâ venâ dives, quæcumq; in votis habebat, insigni facilitate õnia mirabiliter numeris alligata concinnabat. Musica nonnulla instrumēta peritissimè pertractare consuevit, & ad cordarũ sonum dulciter cantabat: hinc harũ rerũ lenocinio vitæ suppetias ab amicis ultra recipiebat. Demum in morbum lapsus diuturnum, cùm utramque facultatem exercere haud posset, mœrore affectus obiit Panormi circa annum 1600. Ipsum laudant Vincentius de Joanne *in Panormo Restaurata lib. 2.* & Josephus Galeanus *in Musis Siculis par. 1. pag.* 158. ubi ejus ingenii extant vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOANNES BONONIA nobilis Panormitanus, Francisci Bononia Cæphalæ, & Capacis Baronis filius, quarto loco genitus. Familiæ claritatem literarum splendore præclarius illustravit: nam gravioribus disciplinis admotus in Parisiensi lyceo, ibi Baccalaurei munus exercuit, exinde Sacræ Theologiæ lauream assequutus est. Theologicâ doctrinâ mirum in modum instructus, & in sacrarum literarum, Sanctorumque Patrum libris versatissimus effulsit. Hinc meritò ad nonnullos honorum gradus evectus est; florente enim ætate in Majori Panormitana Ecclesia fuit Subcantor; inde in eadem Ecclesia Canonicus anno 1545. Thesaurarius, & tandem anno 1551. Archidiaconus. Petro Tagliaviæ Archiepiscopo Panormitano gratissimus, ab ipso in suum Generalē Vicarium delectus est. Carolus etiam V. Imperator eximiam æstimationem, quâ Joannem prosequutus est, non obscurè significavit, nam Capellani sui munere insignitum voluit. Anno 1544. SS. Trinitatis Deliæ Priorem constituit. Anno 1556. Abbatiâ S. Angeli de Brolo cohonestavit cum fructibus sedis vacantis: ac annuis, pinguisque pensionibus è mensa Episcopali Pactensi, & Mazarensi educendis munificentissimè donavit. Virtutibus, meritisque clarus decessit Panormi 22. Maii anno 1564. ex Roccho Pirro *lib. 4. de Abbatiis pag.* 85. at ex libris defunctorum Ecclesiæ Panormitanæ 20. Junii 1564. & in eadem Ecclesia sepultus est. De eo etiam idem Pirrus *in not. Eccl. Panorm. pag.* 206. & 208. & *not. Eccl. Mazar. pag.* 573. Bernardinus Bononia *in descript. familiæ Bononiæ pag.* 35. Aubertus Miræus *in Biblioth. tom. 2. cap. 63. pag.* 56. Edidit

Compendium dialectices totum artis usum dilucidè tradens. Lovanii ex officina Bartholomæi Gravi 1550. in 8.

De æterna Dei Prædestinatione, & Reprobatione ex scripturis, & Patrum attestationibus depromptam sententiam. Ibidem apud Antonium Mariam Bergagne 1554 in 8.

JOANNES BRANCACCIUS Nobilis Panormitanus natus 15. Octobris anno 1673. à teneris annis literarũ studia amplexus est, & emēso Philosophię curriculo se totũ Jurisprudentię tradidit. Doctoris laureâ insignitus, ac doctrinâ egregiè instructus, causarum patrocinium non sine laude feliciter egit. Præstantissimi ingenii dotes gravioribus aliis disciplinis admovit, & amœnioribus etiam literis expolivit: hinc omnigenæ, ac singularis eruditionis copiâ refertissimus mirum in modum locupletatus effulsit. Memoriæ vi celeberrimus undique inclatuit: ipsius etenim facultatis præcepta sedulò perscrutatus, eâ animi contentione hujusce artis excellentiam sibi comparavit, ut admirationi sit omnibus: plura enim centena nomina semel audita, statim fidelissimè repetit, ne dum eodem ordine prolata, verum etiam inverso, & interpositione adjecta, ut libuerit. Ex innumeris Cæsarei, ac Pontificii Juris legibus statim ac nomines unam, sine hæsitatione ubi inveniendam, quibus concordandam extemplo innuet: ideoque tum in Sicilia, tum extra Regni limites sui admirationem excitavit. Anagrammatum artificio excellit, græcisque literis, satis munitus effulget. Morum suavitate, ingenio, doctrinâ, & eruditione insigniter ornatus, omnibus gratissimus floret, & honorum gradus latè promeretur. Nec silentio involvam, quòd de literato Orbe benemerentissimus, ejus operâ hæc Sicula Bibliotheca evulgatur. Vivit vir egregius studiis impensè dicatus, & sui opinionem in dies adauget. Laudatur ab Auctore operis, cui titulus: *Galleria di Minerva tom. 4. par. 11. p.* 224. à Vincentio Auria *in Sicilia Inventrice cap. 11. §. 3. pag* 50. & *in meis ad ipsam observationibus pag.* 170. & 194. in Actis Eruditorum Lipsiæ *Mens. Februarii Anno* 1703. *pag.* 65. *ad* 68. & in Monumentis Gallicis Trevolcianis *ann.* 1702. *mense Maii pag.* 172. & *mense Junii an.* 1706. *à pag.* 933. *ad* 941. Edidit

Artem Memoriæ vindicatam. Panormi typis Josephi Gramignani 1702. in 12. quam Acta Lipsiæ citata non immeritò celebrant.

Anagrammata Numeralia Purissima, quibus non solùm Caroli II. Hispaniarum Regis absque sobole mors, & Serenissimi Philippi de Borbon legitima successio: verùm etiam dies, mensis, & annus, quo ille mortuus, & hic Monarcha Hispaniarum futurus demonstratur. Ibidem apud eumdem 1700. in fol. Hæc recudere curavi in opusculo meo inscripto: *Il Trionfo Palermitano nella solenne Acclamazione del Cattolico Re delle Spagne, e di Sicilia Filippo V.* Panormi typis Felicis Marini 1700. in 4.

Prælo parat multa ingeniosissima, & præsertim

Uberrimum Artis Memoriæ Tractatum tribus distinctum libris; quorum Primus quidquid ad eruditionem tam sacram, quàm profanam pertinet, indicabit;

tabit: libellum etiam de naturali memoria fovenda, ex selectissimorum Medicorum mente excerptum suppeditabit. Secundus Artis praecepta fusissimè exprомet; & ita ut quilibet sine doctore illa, ex semetipso percipiat, atque experiatur. Tertius praxim, sive expeditam methodum Artis applicandæ in omnibus scientiis, artibusque liberalibus patefaciet.
Opus sanè à toto orbe literato desideratissimum: quidquid hujus Artis calumniatores insulsè dicant, in quorum confusionem verba, quæ in Actis Lipsiensibus *loc. cit. pag.* 68. leguntur, transcribere non gravabor. *Ipsemet quidem Auctor Præ-Nobilissimus Artem tam divinam latius hic non persequitur: quia verò eam nemini invidere cupit, idcirco præ manibus jam habet uberrimum tractatum, in quo omnia, quæ ab aliis obscuritatem affectantibus hausit, methodo expedita, atque ad singulorum captum accommodata proponet, multa utilissima, ac jucundissima, de quibus majores, ne cogitaverant, adjiciet, ut ita longissimam illi vitam apprecari debeamus, quo libro hoc proficuo literatam Rempublicam beari queat.* Ita de nostro Joanne, deque ejus Arte illi eruditissimi Viri non immeritò loquuntur.

JOANNES BURGIUS Calatajeronensis, vir sanè clarissimus, & in ecclesiastico ordine sat notus. Patritio exortus genere, antequam claricali militiæ nomen dedisset, medicâ facultate excelluit; immò inter ævi sui Medicos primas obtinuit. Doctrinâ ornatissimus Principum ęstimationem, ac laudum præconia assequutus est. Patritii munere (Juratum vocant) Calatejeronem pluries gubernavit: anno 1446. ibidem Syndicum egit, eoque anno ab ipsa urbe Orator missus ad Alphonsum Rege m Caetæ degentem, ab eodem multa in sui, ac patrię beneficium obtinuit. Ibi cùm Alphonsus graviter ęgrotasset, medicâ Joannis ope saluti restitutus est. Hinc ecclesiastico habitu insignitus plura ab ipso in grati animi argumētum accepit, & Abbas Novę Lucis electus est. Eo instante à Nicolao V. Pont. Max. Sipontinus Antistes constitutus fuit anno 1449. 12. Aprilis. Primùm Sipontinum, exinde Manfredonię Archiepiscopum vocat Rocchus Pirrus *not. Eccl. Panor. pag.* 168. at Manfredonię Archiepiscopatus idem est ac Sipontinus; sedes enim Sipontina in novam Manfredoniæ urbem fuit translata, cùm Manfredus Sicilię Rex ob aeris inclementiam novam, ac propinquam urbem Manfredoniæ, à se appellatam, ædificasset, & Sipontinis in habitandam dedisset anno 1258. ex Joanne Antonio Summonte *Histor. Neapolit. tom.* 2. *lib.* 2. *p.* 148. 149. & 156. Ferdinando Ughello *Italiæ Sacræ tom.*7. & clariss. Pompeo Sarnello *in Chronolog. Episcop. & Archiep. Sipontinorum p.* 215. Ex facultate Calixti III. anno 1456. plures Sanctorum Reliquias, præsertim ossis frustulum è manu S. Iacobi Majoris Apostoli, Calatajeronensium Patroni, è Sipontina lipsanotheca abstulit, & ad Cives suos transmisit, quas Nicolaus Monteneus, sive Monsleo Archidiaconus Garganicus, exinde Syracusanus Canonicus anno 1457. ad ipsos detulit. Cùm Sipontinam Ecclesiam laudabiliter rexisset, anno 1464. ex Pirro *not. Eccl. Panor. pag.* 168. & *not. Eccl. Mazar. pag.* 514. sive anno 1458. ex Ughello *cit. pag.* 1167. & Sarnello etiam citato *pag.* 301. 25. Januarii, Ferdinandi Regis Neapolitani precibus, ad Episcopalem Mazariensis Ecclesię sedem trāsfertur, & Abbatiâ S. Annæ de Portella, sive de Scalis cohonestatus est. Anno 1465. in Generalibus Regni Comitiis Orator electus est ad Joannem Siciliæ Regem, apud Terraconam in Hispania tunc agentem, ut Regni Capitula, & decreta regiâ auctoritate sanciret: & ab eodem Rege honorificè exceptus, omnia ex voto feliciter obtinuit: ac nonnulla in Ecclesiæ suæ commodum, & pro Calatajeronensibus, Netinis, ac Mazariensibus accepit. Bassarioni Cardinali Nicæno gratissimus fuit, qui Abbatiis suis in Sicilia præfecit, ac vices suas prębuit. Paulo II. Pontifici etiam acceptissimus vixit, cui graviter ęgrotanti sanitatem restituit, ac à mortis limine revocavit: ideoque ab eodem anno 1467. ad Archiepiscopalem Panormi Ecclesiam evectus est, quam virtutum, ac doctrinæ splendore illustravit. Supremum vitę diem sibi instare præsentiēs Calatajeronem adiit, ut in dulcissimæ patriæ sinu vitam absolveret; ibique decessit 16. Januarii 1469. & in majoris illius urbis Ecclesia sepultus fuit. At excursis 84. annis, cùm Joannes Vega Siciliæ Prorex an. 1553. nimis humilem tanti Præsulis sepulchrum animadvertisset, jussit, ut ipsius cadaver effossum, ac integrum adinventum, in elegantiorem tumulum collocaretur, cui hæc addita fuit inscriptio.

Illustrissimo, ac Reverendissimo Joanni Burgio
Episcopo Sipontino, Mazarensi, & tandem
Archiepiscopo Panormitano,
Suorum Temporum toto ferè Orbe celeberrimo,
Calathayeronensi ornamento
D. Vespesianus Bonanno, Franciscus Rizzari,
Franciscus Monteleone, ac Nicolaus de Monardo
Anno MDXXXXIII.
Civitatis Patres, antiquitatum non immemores
Tumbam hanc instaurare fecerunt.
Naturæ cessit anno MCCCCXLVI.

Sed mendum in annorum nota irrepsit; obiit enim Joannes non anno 1446. sed anno 1469. ut supra innui. De eo Rocchus Pirrus locis citatis, & *not. Eccl. Syrac. pag.* 233. Vincentius Auria *in Chronolog. Archiep. Panorm. in fine histor. Crucifixi Panormit. pag.* 207. Joannes Jacobus Adria *in topographia Mazariæ*, Vinc. Littara *de rebus Netinis pag.* 123. qui Jacobum vocat, Ughellus cit. *pag.* 1166. qui primùm Salentinum Episcopum, mox Sipontinum, inde Mazariensem Episcopum enunciat: id ipsum habent Pompeus Sarnellus *in Chronolog. cit. pag.* 298. & seq. Petrus Paulus Morretta *de Calatagirono cap.* 11. *pag.* 41. (qui de eo quoque *cap.* 12. *pag.* 53.) & eruditissimus Prosper Mandosius in libro: *Theatrum in quo maximorum Christiani Orbis Pontificum Archiatros spectandos exhibet pag.*118. Sed advertendum Salentinā, seu potius Selinuntinam Ecclesiam, eamdem esse ac Mazarensem; Selinus etenim Urbs antiquissima ex Adria, & aliorum sententia floruit ubi nūc Mazara; sed verius alii alibi constituunt, nempè in loco

loco ubi eversæ urbis rudera spectantur, quam Terram Pulicorum vocant. Consule Thomam Fazellum *de Rebus Siculis dec.* 1. *lib.* 6. *cap.* 4. *pag.* 148. & seq. & Philippum Cluverium *Siciliæ Antiquæ lib.* 1. *cap.* 18. *pag.* 225. Hinc Joannes primùm Ecclesiæ Sipontinæ, exinde Mazarensis & tandem Panormitanæ præfuit. Adverte etiam, Ughellum, Sarnellum, & Mandosium scripsisse, à Joanne Vega Siciliæ Prorege Burgium in patria urbe sepultum; inde anno 1543. in honestiori tumulo conditum: at scribendum, Burgium defunctum, ac sepultum anno 1469. Vegam verò meliorem sepulchrum decrevisse post annos 84. non anno 1543. ut habet vitiosa inscriptio apud Pirrum *not. Eccl. Pan. pag.* 169. Mandosium cit. & Hieronymum Ragusam *in Siciliæ Biblioth. veter. pag.* 150. (hic etiam annum mortis in epitaphio exscripsit 1466. pro 1446. ut verè in inscriptione mendosè legitur.) sed anno 1553. ut tradit testis oculatus Gregorius de Augustino *in supplemento m. s. ad Fazellum in fine*; & rectè; Vega enim ab anno 1547. ad annum 1557. Siciliæ præfuit ex Pirro *in Chronologia Regum Siciliæ pag.* 111. Antonino Amico *in Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 23. & 24. & Vinc. Auria *in hist. Chronolog. Proregum Siciliæ à pag.* 40. *ad* 44. Multa de re medica scripsit, ac Mandosius citatus *pag.* 119. olim se vidisse testatur apud Franciscum Falabellam, S. Severinæ Archiepiscopum, olim Romæ degentem ingens opus m. s. nostri Joannis, cui titulus:

Secreta verissima ad varios curandos morbos. In hujus voluminis calce summarium Vitæ Joannis extabat ab Anonymo auctore exaratum.

JOANNES DE CAMPO Nobilis Panormitanus Poeta eximius: eruditione, ac multiplici doctrinâ excultus claruit. Floruit circa annũ 1570. Ipsum laudat Joannes Guidiccionus *in epist. ad Antonium Minturnum inter epistolas XIII. Virorum Illustr. pag.* 91. ubi arctissimis amicitiæ vinculis cum Hieronymo conjunctum se vixisse tradit. Scripsit Italicè

Rime. Sed temporis injuriâ periere. Aliqua ipsius carmina habes in Antonii Minturni laudem, in Minturni carminibus *pag.* 74. & in libro: *Rime di diversi Belli Spiriti della Città di Palermo in morte della Signora Laurea Serra, e Frias*. Panormi 1572. in 8.

JOANNES CARROZZA Messanensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor eximius, natus 8. Iunii 1678. literarum studiis ingenium devovens, humaniores literas, ac Philosophiam cum laude didicit. Sed dum ad alia properabat, à domesticis curis abstractus studia intermisit. Exacto biennio medicam facultatem aggressus est sub celeberrimi Dominici la Scala disciplina. At eo Defuncto, proprio ingenio duce, ac doctore, doctrinam de morbis, ac de febribus, & chimicam artem didicit. Medicus Civitatis S. Luciæ electus, ibi triennio medicam opem ęgrotis eâ felicitate attulit, ut ex quatuor millia incolarũ, aliorumq; ex propinquis oppidis, solùm sexagenaria mulier extrema clauserit. Messanam regressus anno 1702. ac doctrinâ, & omnigenâ eruditione apprimè instructus publicas propugnavit theses, hoc titulo editas: *Conclusio universalis, idest de omni scibili*. Messanæ typis Vincentii de Amico 1702. in 4. Ludovicus Alexander Borbonius Tolosanorum Comes, cui hanc conclusionem nuncupavit, Dominum Leonardum Medicum Gallum misit, ut in literaria, ac publica concertatione argumenta obiiceret; at ea in disputatione amplissimam mentem omnium scientiarum capacem omnibus patefecit. Vivit nunc vir eximius doctrinâ ingenio, & eruditione instructissimus, gravioribus studiis insigniter addictus; & vel aliis scientias tradat, vel ægrotis medicam adhibeat curam, sui opinionem excitat; ac mores Philosopho dignas servare curat. Edidit

Contra vulgò-scientias acquisitas per disciplinam opusculum. Rothomæ typis Leonardi Simonelli 1702. in 4.

Anthropologiam. Tomum Primum, in quo facilior, & utilior medendi Theoria, & Praxis palam fit absque Electuariis, Confectionibus, Lohoc, Tabellis, Syruppis, Julep, Rob, Apozematis, Saccharis, Catharticis, Sternutatoriis, Masticatoriis, Epithematibus, Sacculis, Vesicantibus, Phlebotomia, tandem sine quibusdam Decoctis, Vinis medicatis, Emplastris &c. Messanæ apud Dominicum Costam 1704. in 4. In lucem emittet hæc alia:

De Vita, Tomum I.

De rerum initiis, Tomum I.

Galeni querelam contra Galenistas.

Præcepta moralia.

JOANNES CASTAGNA Panormitanus Jurisconsultus doctrinâ excultissimus, & eximius causarum patronus. Ob egregiam jurisprudentiæ eruditionem, quâ instructus abundè claruit, ad Judicis gradum anno 1615. fuit meritò evectus in Magnæ Regiæ Curiæ subselliis. Regii Consiliarii honore cohonestatus vixit. Regiarum Triremium Siciliæ, & Hispaniæ Auditor Generalis per annos quindecim, & Pauperum Advocatus electus effulsit. Floruit anno 1626. Edidit

Tractatum de beneficio deducto ne egeat, sive Quæstiones utiles, & practicabiles, seu aurea notabilia de iis, qui non tenentur ultra quod facere possunt iuxta eorum qualitatem. Panormi apud Joann. Baptistam Maringum 1626. in fol. & Romæ typis Nicolai Angeli Tinassii 1659. in fol.

JOANNES CRISPUS Drepanitanus, Philosophus, ac Medicus doctissimus; inter excellentiores ætatis suæ Medicos non immeritò recensitus claruit anno 1630. Ipsum laudat Franciscus Valcassar *in oratione funebri pro Antonio Crispo ejus filio pag.* 23. Scripsit

De Aquis Thermalibus compositiones, quas edidit Antonius Crispus in libro: *de SS. Cosmæ, & Damiani Thermalibus Aquis*. Drepani apud Josephum Barberam 1684. in 4.

IOANNES DIES Catanensis Poeta; vernaculâ linguâ multa cecinit, & ex Petro Carrera *in hist. Catanæ vol.* 2. *lib.* 2. *pag.* 240. & 358. & *lib.* 3. *pag.* 571. Scripsit

Martirio di S. Agata in Rima Siciliana. Messanæ 1499. in 8.

Idem

Idem Carrera cit. *pag.*574. aliud opus de S.Agatha scripsisse innuit.

IOANNES DOMINICUS BALLUS Panormitanus, Fabii Balli filius, de quo suo loco, Juris utriusque Doctor eximius, causarum patrociniũ egit summa cum laude: inde Clericali militiæ adscriptus, Sacerdotio fuit insignitus. Poesi claruit; ideoque Latinâ, Etruscâ, ac vernaculâ linguâ magna cum ingenii vividissimi commendatione cecinit, ut testatur Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.*1. *par.*2. *pag.* 381. ibique extant Siculis numeris

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum Ibid. apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

IOANNES DOMINICUS CANDELA ex oppido S. Philadelphi Societatis Jesu, natus anno 1541. Societati nomen dedit anno 1563. in eaque non modò Theologus fuit eximius, verùm etiam concionatoris gloriâ mirificè claruit: per annos enim viginti Ecclesiastem magno cum fructu egit. Prudentiâ insignis Collegium Panormitanum, Messanense, ac Syracusanum, & domum Panormitanam Professorum gubernavit. Societatis tyrones instruxit: ac tandem Siculam Provinciam moderatus est. Magna cum probitatis fama decessit Catanæ 24. Augusti 1606. Hujus meminere Antonius Possevinus *in appar. sacro tom.* 2. *pag.* 168. Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 439. Philippus Labbæus *in Chronolog. Pinacotheca scipt. Soc. Jesu anno 1606. pag.* 315. & Dominicus Albertus *in hist. Sicula Soc. Jesu lib.* 4. *cap.* 14. *pag.* 376. 377. *lib.*5. *cap.*1. *pag.* 423. *& lib.* 6. *cap.* 1. *pag.*552. Edidit Italicè

Del Bene della Verginità discorsi XIV. Panormi apud Jo: Bap. Maringum 1599. in 4.

Dello stato della Verginità. Ibid. apud eumdem 1599. in 4.

De Costumi delle Vergini. Ib. apud eũdẽ 1599. in 4. Hæc recusi Moguntiæ 1613. in 8. ex Augustino Fontana *in Biblioth. legali pag.*181.

JOANNES DOMINICUS CARDULLUS Messanensis, edidit Italicè

Teriaca di Andromaco. Messanæ apud Petrum Bream 1637. in 4.

JOANNES DOMINICUS DE CAVALLARIS Panormitanus ex Francisco Strada *in suis quietationibus pag.*15. Messanensis ex Vincentio Ferrarotto *de officio, & praem. Straticoti pag.*7. & Petro Ansalonio *de sua familia pag.* 259. at verè Randatiensis, & ductâ vxore Marianâ Bellone, Joannis Andreæ Mercurii Messanensis, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopi Messanensis ex sorore nepote, inter Messanenses ascitus, ut ex Vincentio Auria *in histor. Chronolog. Proregum Siciliæ pag.*299. patet. Randatiensem etiam fuisse tradit Joannes Franciscus de Castillo *decis.* 125. *nu.* 31. Jurisprudentiæ laureâ insignitus à doctrina effulsit, inter celebres causarum patronos recensitus. Literarum studio impensè addictus vixit, cui omnia temporis spatia, quæ à negotiis supererant, magno animi ardore concedebat. In historiis, ac nonnullis scientiis insigniter versatus inclaruit: ac Græcam, & Gallicam linguâ perfectè calluit. Hinc meritò honoribus nõnullis cohonestatus effulsit; fuit etenim pluries Messanę Judex, ubi Straticoti vices tenuit: ibique eo justitiæ zelo præfuit, ut bannitos, sontesque ab urbis finibus maximo labore penitus eliminaverit. Ideoque ad eminentiora vocatus, pluries Magnę Regiæ Curiæ electus est Judex: in Regii Patrimonii foro Fisci Patronus: Regni Siciliæ Deputatus: & tandem, concurrentibus doctissimis Jurisconsultis, ob eximias ipsius virtutes, ac insignem viri integritatem aliis prælatus, ad Præsidis dignitatem in Regii Patrimoni Senatu evectus est. Vir sanè integerrimus, morumque probitate clarissimus: ideoque apud Siciliæ Moderatores, & Regni Dynastas magnâ æstimatione valuit; ac permaximâ veneratione ab omnibus prosequutus enituit. Panormi decessit 25. Martii anno 1590. relictâ insigni integritatis famâ: hinc paupertatis incommoda cum virtutum exemplo, non bonorum copiam ad posteros transmisit. Hujusce ornatissimi viri meminere præter auctores supra relatos, Placidus Samperius *in Iconologia M.V. lib.* 1. *pag.* 103. Andreas Marchesius in libro: *Parlamenti di Sicilia pag.* 381. Ferrarottus cit. etiam *pag.* 26. & 134. Ansalonius cit. Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Præsidem falsò scripsit, cùm Regio Patrimonio præfuisse liquidò constet. Strada verò cit. in Prætorio Panormitano Judicem sedisse ait: at ambiguitate deceptum scimus; Perotta enim de Cavallariis Judex in Panormitani Prætorii Foro eluxit. Vide etiam de Joanne Dominico Testes receptos Panormi 21. Iunii 1602. per Magnam Regiam Curiam, instante Josepho de Cavallaris ejus filio; ubi quæ jam de Joanne Dominico scripsimus testantur viri omni exceptione majores, inter quos Archiepiscopus Panormitanus Didacus de Hajedo, Franciscus de Bosco Misilmerii Dux, Vincentius Bononia Marchio Marinei, aliique. Horum testium exemplar vidi apud D.Franciscum de Cavallaris Jurisconsultum Panormitanum, virum doctissimum, ab obitis preclarè muneribus conspicuum. Io: Dominicus multa in jure scripsit, at solum editum inveni

Consilium. In diversorum Illustrium Siculorum Consiliis à Petro Luna collectis. Panormi apud Erasmum de Simeone 1627. in fol.

Marius Muta *tom.* 4. *Capitulorum Regni Siciliæ cap.* 135. *num.* 23. ipsius citat

Allegationes contra Basconium.

JOANNES DOMINICUS EPISCOPUS Panormitanus, Philosophiæ & Medicinæ Doctor eximius, ob peritiam in restituendis sanitati ęgrotis meritò commendatus: ideoque ætate adhuc florente Triemium Siciliæ Archiater electus fuit, magna cum laude. Politiores quoque literas coluit; & latinâ, etruscâ, ac vernaculâ linguâ laudabiliter cecinit: ideoque magnâ apud literatos æstimatione effloruit propè annum 1647. Ipsum laudat Josephus Galeanus *tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 388. *Musarum Sicularum*, ubi Joannis extant

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JO-

JOANNES DOMINICUS PROSIMUS Messanensis, Patritio genere ortus, Philosophiæ, Mediciaę, & Jurisprudentiæ Laureâ insignitus claruit. Neapolim profectus, ibi Medicinæ præceptis apprimè instructus, inter doctiores enituit. In Messanēsi Academia publicè Methaphysicam docuit; ac magnâ nominis famâ, magnâque auctoritate excelluit. Obiit Massanæ anno 1651. Edidit

De faucium & gutturis anginosis, & pestiferis ulceribus Medicam Consultationem. Messanæ apud Joannem Franciscum Biancum 1633. in 4.

Pro calumnia orationem ad Illustr. & Excell. Dominum D. Petrum Faxardum, & Marchionem de los Velez in nobilissimo Siciliæ Regno Regias vices, & clavum moderantem. Messanæ in 4.

Epistolam Medicam Clarissimo, Eruditissimoque Viro Antonio Sanctorello Neapolitani Gymnasii Medicinæ Theoricæ Professori Primario. Ibidem in 4.

Collegit, ediditque librum inscriptum

Prima Messanensium Musarum Rudimenta, Proregis adventum extemporali plausu Urbi Patriæ gratulantium. Ibidem typis Jacobi Matthæi 1644. in 4. in hoc libro extat Prosimi: *Oratio Illustr. & Excell. Domino D. Petro Faxardo, Zunica, & Requesens Marchioni amplissimo de los Velez Proregi, & Generali Capitaneo Regni Siciliæ.*

Edidit etiam ex relatione D. Antonini la Guidara Sacerdotis Messanensis:

Medicam consultationem de sanguinis missione.

Tractatum de Pleuritide.

JOANNES DOXOPATER sive DOXAPATER Siculus, cujus Patria, & ætas in obscuro est. Rhetoricâ eruditione, ac pietate clarum vixisse ex scriptis operibus colligimus; scripsit enim Græcè

In librum Hermogenis de Inventione. Extat m. s. Venetiis in Bibliotheca Bassarionis Cardinalis ex Jacobo Philippo Thomasino *in Biblioth. Venetis m. ss. pag.* 55. & in Bibliotheca olim Iacobi Barocii Patritii Veneti, postea Thomæ Comitis Arundeliani, qui in Britanniam transtulit, ex eodem Thomasino cit. *pag.* 76.

Scripsit etiam ex Octavio Gaetano in libro nuper edito, cui titulus: *Isagoge ad historiam Sacram Siculam cap.* 42. *num.* 10. *pag.* 353. hęc alia, nempè:

De Universa Christi Oeconomia.

De Secundo Adam Christo.

De Vita Spirituali, & Angelica.

In Aphtonii progymnasmata.

JOANNES EVANGELISTA PANORMITANUS Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, natus Panormi ex familia Florentia anno 1617. Ordinis insignia accepit in Panormitano Cœnobio S. Martini 30. Septembris 1632. Inter suos ab ipso ætatis flore usque ad suprema vitæ momenta, tanquam Regularis observantiæ exemplar effulsit: præsertim à morum candore, virginali verecundiâ, & studii assiduitate conspicuus. Philosophiam, ac Theologiam per multos annos sodales suos docuit, non sine magna doctrinæ laude. Latias Musas egregiè coluit: & à laborioso anagrammatum artificio celebris, undique innotuit. Quinquennio Ordinis tyrones instruxit. Prioris munere tum in patrio Cœnobio, tum alibi pluries præfuit. Clarorum virorum æstimationem promeruit. Mutinæ ab Estense Cardinali, & Romæ ab Innocentio XI. Pont. Max. honorificè fuit vocatus, quibus gratissimus vixit. Ad Abbatis dignitatē evectus, sexennio Monasterium S. Martini, quatriennio Cœnobium SS. Benedicti, & Aloysii Panormi rexit. Tandem, ut ab omni humana cura solutus, Deo tantùm viveret, dignitatem resignavit, & in patrio Cœnobio secessit, ubi editis supremis virtutum exemplis, inter eximia spiritualia exercitia sanctè decessit 5. Ianuarii anno 1694. Ipsum laudant Ioannes Bap. de Iudice *in carmin. par.* 2. *pag.* 388. Ioannes Andreas à Cruce in libro: *la Pace combattuta pag.* 77. Edidit

Anagrammata Sacra Spiritualis Animæ desuaviatione velut in holos cōstructa. Panormi apud Dominicum de Anselmo 1661. in 8. Pluries cum nova anagrammatum accessione recusa Messanæ 1671. Ticini, Rhegii: Mutinæ ex typographia Andreæ Cassiani 1671. in 8. cum anagrammatibus non sacris.

Musas Recentiores Sacras Morales jucundum animi oblectamentum. Panormi apud Petrum de Isola 1677. in 8.

Musas Regulares memoriales tyriunculorum instructiones. Ibidem apud Iacobum Epirum 1686. in 8. sub anagrammatico nomine Angelini Sātavie.

JOANNES FILINGERIUS nobilis Catanensis è nostra Bibliotheca haud excludendus; hic enim familię splendorem rebus pręclarè gestis, eloquentię, ac Poesis studiis mirificè propagavit. Richardi Filingerii filius, primò uxorem duxit Richardam de Cavaleriis, quâ defuncta ad secundas transiit nuptias, quas cum N. Spinola celebravit. Extra Siciliam profectus tum in Cypro, tum in Armenia, & alibi contra Turcas strenuissimè pugnavit, & egregia bellicè fortitudinis edidit argumenta. Cypro pręfuit Gubernatoris munere: & Romę sub Eugenio IV. & Nicolao V. Pōt. Max. eminuit almę Urbis Senator amplissimus. In Sicilia Comitis S. Marci titulo primus effulsit. Tandem Panormi decessit circa annum 1450. ubi ab anno 1440. sepulchrum è marmore sibi construxerat in Cœnobio S. Francisci Minorum Conventualium, adiecto epitaphio, quod vernaculâ linguâ, rudique carmine sibi confecerat, ut ex Petro Cannizzario *de Religione Panormi pag.* 400. habemus, & hìc exscribere non gravabor: nam anno 159. . ut ipse Cannizarius addit, amoto sepulchro, ut Societati Immaculatæ Conceptionis Deiparæ cederet, & alibi non sine maxima incuria projecto, Epitaphium aureis literis exaratum Carolus Vigintimillius, vir clarissimus, antiquitatis studiosus, à temporis injuriis vindicavit, eumque exscripsit, ac Cannizario obtulit. En ipsum:

Chistu pittafiu fù fattu pri Janni,
Lu figliu di Riccardu Filingeri
A milli quattru centu quarant'anni.
Kà c'è Riccarda di li Cavaleri,
kà c'è la bella Spinula Ginuisa,
Ch' intrambu visti foru soi muglieri.
Chistu fù chillu chi pigliau l'imprisa

Con-

Contra lu stolu di lu gran Suldanu
Quandu l'amara Nicuxia fù prisa.
Chistu fù Sirvituri di Re Janu,
E jiu in Armenia contra di lu Turcu,
Livau di campu lu gran Caramanu.
C'una galera misi setti a fulcu,
E poi ci fici dari la prua in terra,
Ch'a so dispettu succursi lu Turcu.
Piglian chidda Citati, e chidda Terra,
Undi chi stetti lu muntun fatatu,
Caxiuni, e causa di l'antica guerra.
Fù Sirvituri di lu svinturatu,
E penultimu Re di Lusignani
Prisu di Mori, e poi fù riscattatu.
Fù Senaturi sutta lu Papatu
Di Papa Eugeniu, e di Papa Nicola
Deu lu pirdugna d'ogni sò peccatu.

Joannis cum laude meminere Matthæus Silvagius *de tribus peregrinis*, Jo: Bap. de Grossis *in decacordo Catan. cord.* 9. *pag.* 157 & Petrus Ranzanus *tom.* 8. *annal. lib.* 46. m. s. in Bibliotheca Cœnobii S. Dominici Ord. Prædicatorum, cujus verba hìc exscribere operæ prætium duxi, cùm Joannis doctrinam, ejusque ingenii monumenta detegant. *Cùm Catinam*, ait, *hoc anno VIII. Calendas Octobris venissem, conveni Joannem Filingerium, virum, & Siculâ nobilitate, & excellenti ingenio præstantem. Hujus visendi studio cò profectus sum, quòd viri nomen erat in omni Sicilia admodum celebre. Sæculo enim nostro in componendis vulgari linguâ carminibus nemini secundus fuit. Eam ob rem Conterranei mei omnes ipsum & mirificè diligunt, & in primis admirantur. In quo autem scribendi genere versatur, tanto utitur artificio, adeoque est tersus, copiosus, gravis, & (ubi opus aliquando est) lascivus, & facetus; ut poeticâ, oratoriâq; virtute, quod maximè est mirùm, sine literarum vel mediocri notitia, maximè præstare videtur. Extant vulgò ejus penè infinita* opuscula *magno apud Siculos, & usu & prætio habita. Rei itaque famâ incitatus cùm ipsum adiissem, post multa ultro, citroque dicta, exhibuit mihi perlegendum opus quod scripserat*

De bello in Cypro à Sultano gesto: quo ipsius Insulæ Rex Janus captus, & in Ægyptum à Saracenis diligẽti custodia observatus transuectus est. *Cujus rei historiam me supra scripsisse mihi memoriæ est. &c.* Hæc Ranzanus. Joannis etiam meminit Joan. Vigintimillius in indice Poetiarum, quem suo Poetarum Siculorum libro præfixit. Quæ scripsit Joannes omnia penitus periere.

JOANNES FORMICA Messanensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Sac. Theologiæ Magister doctissimus, qui ob egregiam doctrinam in Salmaticensi Academia scholasticam Theologiam publicè docuit. Siculam Provinciam anno 1397. moderatus est, & non sine nominis fama claruit. Hujus meminere Philippus Cagliola *in manif. Prov. Siculæ Ord. Min. Conven. explor.* 2. *manifest.* 1. *pag.* 31. *& explor.* 3. *pag.* 58. & Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *pag.* 179. qui edidisse testatur *multa opera Theologica*, quæ adhuc non vidi.

JOANNES DE FRANCHIS Catanensis Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, & Prothonotarius Apostolicus, vir humanioribus literis instructissimus. Ut animæ profectum virtutum studio plenius assequeretur, in Eremum S. Pauli, quam *la Mecca* vocant, juxta Catanam, secessit; ubi severissimas vitæ leges amplexus est. Catanam regressus primùm Ecclesiæ S. Mariæ de Eleemosyna, inde anno 1604. Cathedralis Canonicus electus est: & ob egregiam virtutem, doctrinamque eximiam, venerationem assequutus, anno 1607. vacante Catanensi sede, Vicarius Generalis renuntiatus effulsit. Hujus meminere Joannes Bap. de Grossis *in decacord. Catan. tom.* 1. *cord.* 2. *modul.* 14. *pag.* 168. & *tom.* 2. *pag.* 152. & Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Mariana. par.* 1. *pag.* 729. Edidit Italicè

Di Santa Maria de' Miracoli d' Andria libri tre. Neapoli apud Tarquinium Longum 1606. in 4.

JOANNES FRANCISCUS AMAGRIMA. vide Franciscus Maria Magius.

JOANNES FRANCISCUS ASSARUS Platiensis Medicus, & Mathematicus insignis. Anno 1587. in publicis disputationibus Medicos celeberrimos devicisse scribunt: ideoque ob egregiam doctrinam Comiti Albalistæ Siciliæ Proregi apprimè gratus vixit. Ipsius meminere Joannes Paulus Chiarandanus *in hist. Platiæ lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 264. qui scripsisse tradit Italicè

Historia della Città di Piazza, cujus fragmenta adducit *lib.* 1. *cap.* 6. *pag.* 27. *& lib.* 3. *c.* 1. *p.* 148.

JOANNES FRANCISCUS AURIA nobilis Panormitanus, origine Genuensis, Jurisconsultus doctissimus, Friderici Aurię, de quo suo loco, frater. Ob doctrinæ promerita multis auctus fuit honoribus. In Panormitano Prætorio quartùm sedit Judex, nempè anno 1626. 1629. 1633. & 1639. Claruit etiam Pauperum Advocatus, Regii Fisci Procurator, Sicularum Triremium Auditor Generalis, ac Sancti Officii in Siciliæ Regno Consultor. Doctrinam morum integritate illustravit, ac plura promeritus obiit Panormi primo Februarii anno 1641. & in Ecclesia Januensium S. Georgii sepultus est. Hujus viri meminere Hippolytus Maja *in consultationibus par.* 1. *consult. unica n.* 37. Iosephus Faccila *de recta administr. Justitiæ pag.* 20. & Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 548. Multa scripsit ex eodem Oldoino, quæ m. ss. asservantur apud Vincentium Auriam, ipsius ex fratre nepotem, nẽpe

Repertorium legale in sex tomos distributũ. in fol.

Tractatum de Jure offerendi.

Allegationes Varias.

Repertorium feudale.

Tractatus de solutionibus. De Advocatis Pauperum. De Procuratore Fiscali. De Auditore Cameræ. De Vicario. De Assessore. De Casibus militaribus.

Disputationem de Regum Siciliæ Monarchia adversus Cardinalem Baronium. Extat m.s. apud Petrum Guerrerum in supremo Italiæ Consilio Regentẽ. Italicè

Successi nel tempo della Peste di Palermo nel 1624. m. s. in fol. autographum servatur apud me ex dono laudati Vincentii Auriæ.

Hæc omnia m. ss. Prodiere verò sub nomine Bernardi Rivalora Genuensis.

Allegationes in causa Angeli Mariæ Rivalora. Panormi in fol. quæ ex relatione ejusdem Vincentii, fuerunt scriptæ ab Antonio Bononia, studio & labore Friderici, & Jo: Francisci Auria fratrum.

JOANNES FRANCISCUS DE CASTILLO Panormitanus: patre Balthassare de Castillo Hispano, militum Hispanorum in Sicilia degentium Instructore, & ut dicunt *Sergento Maggiore*, cujus descendentes titulo Marchionis S. Isidori insigniti refulgent. Jurisprudentiæ admotus, & Doctoris laureâ donatus, inter præclariores Siciliæ Advocatos enituit. Ob egregiam doctrinam, integritatem, vitæq; probitatem eximiam, ad nonnullos Jurisprudentiæ honores fuit meritò evectus. Pluries Prætorii Panormitani, & Tribunalis Concistorii Sacræ Regię Conscientiæ Judex, ac etiam ter in Magnę Regiæ Curiæ Senatu eodem munere præfuit. Archiepiscopalis Curiæ Panormitanæ Assessor; & copiarum Hispanarum, ac gentis bellicæ, quæ in Sicilia stipendia merent, Auditor Generalis, à Philiberto Emmanuele Sabaudo Siciliæ Prorege electus est. Tandem Regii Patrimonii à Rationibus Magister renunciatus inclaruit. His in muneribus ejus integritas, doctrina, vitæque inculpatæ candor latissimè effulsit. Obiit Panormi 31. Decembris anno 1632. & in Ecclesia S. Ignatii M. Congregationis Oratorii sepulturæ traditus est, ex libris defunctorum Majoris Panormitanæ Ecclesiæ. Hujusce laudes recensentur ab Augustino Inveges *in appar. ad tom.* 3. *annal. Panormi pag.* 61. Philadelpho Mugnòs *in Theatro Geneolog. par.* 1. *pag.* 253. Vincentio Auria *in Chronolog. Proreg. Sicil. pag.* 93. Mario Muta *tom.* 1. *in Capit. Sicil. cap.* 21. *num.* 4. Francisco Strada *in Quietationibus pag* 15. Mario Giurba *decis.* 52. *num.* 22. Francisco Merlino *controvers. Forens. to.* 1. *cap.* 66. *nu.* 28. & Nicolao Antonio *in Bibliot. Hispan. tom.* 1. *pag.* 528. qui ex falsa aliorum relatione sexagenarium decessisse tradit 3. Januarii 1643. Edidit

Decisionum Tribunalis Cōcistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Regni Siciliæ librum Primum. Panormi apud Erasmum Simeonem 1613. in fol. & iterum cum addictionibus Panormi apud Angelum Orlandum 1626. in fol.

Decisionum Tribunalis Cōcistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ Regni Siciliæ librum Secundum, quibus accedunt aliquæ notabiles Decisiones, & præsertim Magnæ Regiæ Curiæ. Ibidem apud Joannem Franciscum Ciottum, ex typographia Angeli Orlandi 1622. in fol.

Decisiones Magnæ Regiæ Curiæ, quibus accedunt aliquæ Causarum Delegatarum. Ibid. apud Io: Bap. Maringum 1629. in fol.

JOANNES FRANCISCUS MUSARRA Bidinensis Societatis Jesu natus 18. Octobris 1649. Societatem amplexus est 3. Novembris 1664. cui solemni votorum nuncupatione se adstrinxit. Humaniores docuit literas, & Rhetoricam Motycæ, Neti, & Catanæ, & absoluto Theologiæ curriculo statim Philosophiam aliis tradidit, & septennio Moralem Theologiam in variis Societatis Collegiis. Mathematicas disciplinas egregiè callet; ideoque non sine plausu biennio easdem explanavit in Panormitano Collegio. Inde Sinensi expeditioni destinatus est, ut vineam illam laboribus suis excolendam susciperet, ubi & Mathematicæ facultates magnâ æstimatione prosequuntur. In Lusitaniam delatus, cùm ejus digressionem nonnullæ detinerent difficultatum repagula; interim biennio Mathematicas facultates in Eborensi Collegio docuit. In Italiam reversurus, Regis Portugalliæ jussu, Conventui interfuit eorum, qui belli Senatum constituunt, in ædibus illius, qui tunc à Regis secretis erat, ut de nonnullis, ad illius Regni propugnationem spectantibus, dissereret. In Siciliam regressus Messanæ laudatas disciplinas exposuit, ut etiam nunc in Panormitano Collegio id ipsum magna cum laude præstat. Edidit

Introductiones ad Artem Oratoriam, & Poeticam. Genuæ apud Antonium Casamarā 1696. in 12. & Panormi typis Dominici Cortesii 1705. in 12.

Astronomiam breviter expositam. Messanæ typis D. Antonini Maffei 1702. in 8.

Geometriæ Elementa, Theodosii sphærica, Trigonometriæ, & Arithmeticę praxes. Panormi apud Dominicum Cortesium 1705. in 8.

JOANNES FRANCISCUS TURANUS. vide Franciscus Turanus.

JOANNES GATTUS. vide Joannes Andreas Gattus.

JOANNES GOTHUS nobilis Messanensis, Poeta eximius, non sine plausu in Officinæ Messanensis Academia semper auditus, apud eruditos innotuit. Ex parte prima carminum ejusdem Academiæ *pag.* 130. propè annum 1656. defunctum colligimus: ibique laudatur, ut etiam *pag.* 133. Ipsius etiam cum laude meminere Fulgentius Arminius *in Prosis Officinæ lib.* 1. *pag.* 73. sub nomine Academico dicto *lo Stemperato*, & Carolus de Gregorio *lib.* 2. *earumdem pag.* 186. Hujus extant Italicè

Poesie. in libro: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina parte prima.* Bononiæ apud Joannem Baptistam Ferronum 1642. in 4. & in libro: *le Poesie volgari degli Accademici della Fucina parte seconda.* Messanæ 1658. in 12.

JOANNES IACOBUS ADRIA Mazariensis Historicus, & Medicus celebris. Humaniores literas didicit Mazariæ, Rhetoricam Panormi, Philosophiam, & Medicinam Neapoli sub disciplina celeberrimi viri Augustini Niphi: & Doctoris lauream accepit Salerni anno 1510. Doctrinâ apprimè excultus claruit; ideoque Carolus V. Imperator in Medicum suum delegit, qui Medici, & Equitis Imperialis titulo insignitum voluit: & Regni Siciliæ Archiatrum constituit. Floruit magna cum laude Panormi, ubi ex privilegio, ejusdem Urbis Civis renunciatus est, & eximiâ æstimatione fuit prosequutus. Fato cessit anno 1560. & in Ecclesia S. Francisci Ord. Min. Conventualium tumulatus est, ubi hoc legebatur epitaphium.

Hic

Hic jacet in suo sepulchro excellens Artium, & Medicinæ Doctor Joannes Jacobus Adria de Paulo Siculus, & Mazarensis Miles, & Medicus Imperialis, Siciliæ Protomedicus, & Concivis Panormitanus. Anno M D LX.

Celebrant Joannem Rocchus Pirrus *in not. Ecc. Mazar. pag.* 543. & Antonius Venetianus *in operib. pag.* 99. Edidit

Topographiam inclytæ Civitatis Mazariæ. Panormi apud Ioan: & Antoninum Pastam 1515. in 4.

Epistolam ad Conjugem. Ibidem apud Antoninum de Mayda 1516. in 4. carminibus concinnatam.

Scripsit etiam

De Situ Vallis Mazariæ ad Hectorem Pignatellum Proregem. Hoc opus m. s. servatur, manu ipsius auctoris exaratū, in Bibliotheca Marchionis Madoniæ Panormi, ut Augustinus Inveges *in annal. Panorm. tom.* 1. *pag.* 82. & Vincentius Auria *in observat. ad Battillum pag.* 331. testantur. Scripsit etiam ex Pirro, & topographia edita hæc alia, quæ inedita reliquit; nempè:

De laudibus Mazariæ, illud forsan opus citatum à Ioanne Vigintimillio *in suis Poetis Siculis p.* 437.

Legendam SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ ad Mazarienses.

De laudibus Christi, & de laudibus B. Mariæ V. ad Clementem PP. VII. Panormi typis Antonii de Mayda 1529. in 4.

De conservatione Pestilentiæ ad Antoninum filiū.

De Medicinis ad varios morbos hominum.

De Phlebotomia ad Carolum Imperatorem. Authographum m. s. in 4. servatur Panormi apud Ludovicum de Miceli.

De Balneis Siculis ad Antoninum filium.

Addit Stephanus Maurus *in sua Messana c.* 2. *p.* 13. scripsisse

Historiam Siculam, quæ m. s. plurimorum manibus teritur, eamque citat Albertus Piccolus de Mamertinis immunitatibus *pag.* 130.

JOANNES IACOBUS CUFFARUS ex oppido Nasi, Philisophus, & Medicus Doctor expertissimus: Poeta etiam non vulgaris. Floruit anno 1645. Ipsum laudat Didacus de Mastro *in causa Poetarum Medicorum pag.* 57. Edidit Italicè

I Biasmi del Tabacco, ò vero l'uso pernicioso d'esso, discorso. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1645. in 4.

Il Ritratto di San Francesco Saverio Panegirico. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1635. in 12.

La Figura di S. Francesco d'Assisi. Messanæ apud eosdem 1635. in 12.

Vita del Glorioso S. Cono Nasitano Poema sacro. Ibidem apud Ioannem Franciscum Biancū 1636. in 12.

JOANNES JARDINA nobilis Panormitanus, Musas coluit Siculas, & amœniores literas. Obiit Panormi anno 1650. Ipsum laudat Iosephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 399. ubi editas habes vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

JOANNES JUFFREDUS Nobilis Panormitanus, Argistri Juffredi, de quo in hac Bibliotheca *pag.* 84. filius, Poeta præstantissimus; cujus cantiones vernaculâ linguâ concinnatas, juxta literatorum sententiam, secundum obtinent locum post celeberrimi Antonii Venetiani monumenta. Claruit anno 1610. Laudibus ornatur à Josepho Galeano *in Musis Siculis par.* 1. *pag.* 163. ibique editas habes Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12. Harum aliquas invenies etiā in libro: *Raccolta di Canzoni Siciliane di diversi buoni Autori sopra diversi soggetti, scelta per Paulo Cesarea.* Messanæ typis Hæredum Petri Breæ 1638. in 12. ubi nonnullæ, in Musis non editæ, extant.

JOANNES DE LEONE Panormitanus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor egregius: vivido exornatus ingenio enituit: & eumdem amœnioribus literis expolivit. Inter Academicos Reaccensos Panormi relatus, Poesim Etruscam, Latinam, ac Siculam maxima cum sui laude coluit. Floruit anno 1660. & in oppido Pattannæ decessit. Hujusce mentionem invenies apud Didacum de Mastro *in causa Poetarum Medicorum pag.* 56. & Josephum Galeanum *in Musis Siculis par.* 4. *pag.* 179. ubi nostri Ioannis invenies Siculâ linguâ

Canzoni Sacre Siciliane. Panormi apud Josephū Bisagnium 1653. in 12.

JOANNES LUCAS BARBERIUS Netinus, claruit anno 1500. In Hispaniam profectus, ibi virtute insignis Catholico Regi innotuit. Lucas Marineus, cui amicitiæ vinculis adstrictus vixit, ipsum multis laudat *in epist. lib.* 16. & 17. Equitem præsertim nobilissimum, præstantissimum, ac Regium Secretarium vocat. Hujus etiam meminit Rocchus Pirrus *in epist. ad lectorem Siciliæ Sacræ, & lib.* 2. *pag.* 462. Regiâ auctoritate scripsit

Capibrevia Ecclesiarum: duo scilicet libri, in quos quidquid ad regium Ius Patronatus Ecclesiarum Sicularum pertinet, magno labore, & insigni solertiâ congessit. Authographum servatur in Regia Cancellaria Panormi, ex quo nonnulli exemplaria extraxerunt.

JOANNES MANNUS Drepanitanus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, vir doctrinâ, morumque innocentiâ clarus. Cœnobium Drepanitanum laudabiliter rexit, ubi vitam traduxit regulari viro dignam: & ob egregias virtutes, quibus ornatus effulsit, magnâ apud omnes æstimatione valuit. Numeris omnibus absolutus Drepani fato cessit 25. Novembris anno 1646. In Ecclesia Cœnobii Drepanitani sepultus jacet, his carminibus laudatus.

Hic subsunt Manno Venerabilis ossa Joannis,
Quem Drepanum genuit, Virginis Ordo tulit.

Hujus laudes recensent Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 755. & Vincentius Nobilis *in Thesauro abscondito cap.* 23. *pag.* 775. & *cap.* 24. *pag.* 803. Edidit Italicè

Brieve Descritione dell' Effigie della Gloriosissima sempre Vergine Madre di Dio Signora Nostra, e del modo, che fù trasferita, e posta nel Venerabile Conven-

to dell'Annuntiata de'Padri Carmelitani fuori delle mura della Invittissima Città di Trapani. Panormi apud Decium Cyrillum 1634. in 8.

IOANNES MARIA AMATUS Nobilis Panormitanus, Societatis Iesu, in lucem editus est 15. Iulii anno 1660. parentibus nobilitate clarissimis; mater enim ipsi fuit Francisca Alliata Villæfrancæ Principis filia; pater verò Antonius Amatus Galatis Princeps, Alcantaræ Eques, qui Panormitanum Diarium scripsit ab anno 1649. usque ad annum 1667. & prudentiâ clarus, *Cato Siculus* à Iosepho Amato Iurisconsulto Neapolitano appellatur *in Amanthea laconismo cap. 6. pag.* 159. ejusque eximias virtutes celebravit Sebastianus Caroniti Soc. Iesu in funebri oratione, cui titulus: *Doppio tributo cordiale d'Amore, e dolore.* Ioannes ergo septennis Panormitanum Collegium Soc. Iesu adiit, ibique Grammaticæ, Humaniorum literarum, & Rhetoricæ cursum laudabiliter explevit. Mox ecclesiasticæ militiæ adscriptus 25. Novembris 1675. S. Mariæ Novæ Abbas infulatus electus est suo à parente, uti Caccabi Duce, qui hujusce Abbatiæ jus patronatus possidet. Spretis sęculi curis, Societatis institutum amplexus est 21. Ianuarii 1677. & quatuor votorum professionem edidit 2. Februarii 1695. Scolasticis studiis addictus, ipsum biennio humanioribus literis excoluerunt insignes duo præceptores Placidus Spatafora, & Franciscus Carrera, quorum lucubrationes typis vulgatæ in hujus Bibliothecæ elogiis recensentur. Exacto Philosophiæ, ac Theologiæ curriculo non sine ingenii laude, doctrinâ abundè instructus effulsit. In Panormitano Collegio prima literarum elementa, ac humaniores literas docuit: Rhetoricam etiam biennio tradidit, & per annum Moralem Theologiam. Vivit nunc vir eximius eruditione omnigenâ tum sacrâ, tam profanâ latissimè refertus: præsertim in Siculis rebus versatissimus, & antiquitatis apprimè studiosus, literatorum venerationem promeretur. De eo meminere Iosephus Amatus *in Amanthea laconismo loc. cit.* Iacobus Calafatus *in disc. histor. de admirabili vocatione S. Rosaliæ Virg. Panor. pag.* 35. Vinc. Auria *in Proregum historia chronol. pag.* 236. *& in hist. Crucifixi Panorm. Ecclesiæ ex tertia editione pag.* 202. Honuphrius Fortinus *de natura, & salubritate aeris Panorm. pag.* 7. P. Antonius Ignatius Mancusus Soc. Iesu *in vita S. Rosaliæ par. 3. n. 24. pag.* 198. Ioseph Gargarozius *in ode Sicula pag.* 8. Anonymus *in notis ad Isagogen Octavii Caetani cap. 31. pag.* 225. & ipsemet *in meis ad Siciliam Inventricem observationibus cap. 2. §. 1. pag. 96. & §. 2. pag.* 102. Edidit.

Orationem Primâ in literariis anni renascentis auspiciis ad Illustriss. Senatum Panormitanum habitam. Panormi typis Ioannis Baptistæ Ajccardi 1703. in 8.

Orationem Secundam in solemni studiorum lustratione ad Illustriss. Senatum Panormitanum habitam. Ibid. apud Thomam Pignatarum 1704. in 8.

His orationibus, sub Anonymi Scriptoris nomine, Notas addidit omni eruditionum genere locupletissimas.

Italicè suppresso nomine

La Conca d'Oro in tripudio per l' anno Vètesimo del Cattolico Re delle Spagne, e Gran Re di Sicilia Filippo Quinto nel dì 19. di Decembre del 1703. Ibidem typis Ioannis Baptistæ Ajccardi 1703. in 4. Id opusculum citat Anonymus *in notis ad Isagogen Octavii Cajetani cap. 43. pag.* 372.

Elogio di D. Francesco Sclafani Sacerdote, e Cavaliere Palermitano: ejus operi præfixum, quod inscripsit: *Vita della Ven. Madre Suor Maria della Passione.* Ibid. apud eumdem 1706. in 4.

Habet sub prælo

Concilium Provinciale Panormitanum anno 1388. *constitû à Ludovico II. Bonito Panormitano Archiepiscopo, ac postea S. R. E. Cardinali,* in cujus absolutissimi operis prodromo notitiam exhibet 20. Conciliorum Siculorum hactenus incognitorum: & in ejus fine Notas addit utique copiosas ad sacram, profanamque historiam Siculam illustrandam.

Edet etiam

Siciliam Numismaticam, seu de re nummaria Siculorum libros quinque, in quibus Nummorum tum veterum, ac recentiorum, tum aureorum, argenteorum, cupreorum, coraceorum nomen, materia, forma, pretium, seu valor, antiquitas, ortus, interitus explicantur: adjectis ad singulæ dissertationis calcem observationibus ipsos ad nummos, & ad Siculam historiam pertinentibus.

De Magni Regis Siciliæ Titulis, ubi fusè de ejus Regnis Italiæ, Siciliæ, Hierusalem, Ducatu Apuliæ, Principatu Capuæ, *& Ducatu Athenarum, ac Neopatriæ.*

Appendicem CCC. Numismatum ad Siciliam Philippi Parutæ Nummis descriptam, etiam post additiones Leonardi Augustini, & Marci Mayeri.

Orationem Tertiam de Præstantia Ecclesiæ Montisregalensis ad Eminentiss. Franciscum de Judice S. R. E. Cardinalem, & Archiepiscopum Montisregalensem, cum notis.

Italicè

Vite de'Gran Rè di Sicilia Normanni, Suevi, Angioini, Aragonesi, Castigliani, ed Austriaci.

Historia della Generosissima Città di Caccamo illustrata con titolo di Ducea.

Historia del Principato di Galati.

Oratione funerale di D. Giacomo Palafox, e Cardona prima Arcivescovo di Palermo, e dopo di Siviglia, tradotta dalla lingua Spagnola nell'Italiana.

Ejus operâ nonnullæ prodiere aliorum lucubrationes, aliasque edendas promittit; vulgavit etenim

Binos Quinterniones de antiquissimis Siciliæ Feudatariis an. 1296. *&* 1408. qui sub *Siciliæ Nobilis* titulo circumferuntur, ac typis tradidit sub Bartholomæi Musceæ Caccabensis Archipresbyteri nomine. Romæ apud hæredes Corbelletti 1692. in 8.

Della Cartagine Siciliana di D. Agostino Inveges libro Terzo. Genuæ apud Dominicum Maringum 1706. in 4.

Vita della Veneranda Madre Suor Elisabetta Maria della Passione. Opera postuma del Sac. D. Francesco

sco Sclafani. Panormi apud Joannem Baptistam Ajccardum 1706. in 4. cui addidit appendicem cujusdam Monialis de 88. gratiis ab eadem Elisabetha patratis.

In Orationibus vulgatis, & in Concha Aurea, nonnulla edidit tum antiquorum, tum recentiũ Scriptorum monumenta apud ipsum asservata; plura vita superstite dabit, nempè:

Alphonsi Salvi Doctoris Panormitani dissertationem de antiqua religione Urbis Panormitanæ. quam ipse Amatus citat *in notis ad orationem primam num. 26. pag. 30.* & Anonymus *in notis Isagoges Octavii Caetani cap. 31. pag. 225.*

Vincentii Littaræ Netini dialogos quatuor de Aquila Panormitana.

Viti Sorbæ Drepanitani opusculum de rebus Drepanitanis.

Bartholomæi de Neocastro Acta pervetusta Siciliæ ab anno 1250. usque ad annum 1294. de Bartholomæo, ejusque historia in hac Bibliotheca *pag. 96.*

Fœdus quinque Siciliæ Urbium anno 1411. sancitum pro servanda fide Siculorum erga Regem in Caspensibus Aragoniæ Comitiis eligendum.

Anonymi Chronicon Regum Siciliæ, & suorum Saceratorum, & Illustrissimorum Principum ab anno Domini DCXXIV. ad usque annum MDX.

Vincentii Leti Canonici Syracusani Inventarium S. Ecclesiæ Syracusanæ anno 1640.

Ubertini de Marinis Panormitani Archiepiscopi formulam juramenti præstandi à Baronibus Siciliæ, & à Ferdinando I. Siciliæ Rege ad invicem.

Matthæi Ursini, & Ludovici Boniti Panormitani Archiepiscopi Bina Concilia Provincialia suis cum suffraganeis celebrata.

Joannis Paternionis Panormitani Archiepiscopi Allegationes de Primatu Ecclesiæ Panormitanæ.

Monumenta Sicula Miscellanea, ac spectantia ad historiam Siculam profanam, ac sacram, in quibus coacervantur varia Regum privilegia, & epistolæ, testamenta, pacis tractatus, aliaque id generis.

Italicè etiam prælo committet

Discorsi di Antonio Venetiano sopra le Statue della Fontana della felicissima Città di Palermo, detta del Pretore.

Discorso di Filippo Paruta Palermitano del Titolo antichissimo del Senato di Palermo.

Brieve Cronica di Sicilia dall'anno 822. di Filippo Paruta.

Descrittione delle miglia del Regno di Sicilia, nella quale s'intende distintamente quante miglia sono da Città, à Città, e da loco, à loco, quanto gira per il sito maritimo di detto Regno, e dentro à terra: quante miglia sono da Città à Città, e da terra à terra, per ogni Diocesi di Arcivescovato, e Vescouato, e all'ultimo l'Archimandritato di Messina, cominciando prima il circuito di Mare: e di quanti Principati, Ducati, Marchesati, Contati, Vicecontati sono in detto Regno di Sicilia. Scriptore Anonymo.

Relatione di tutti li Arcivescovati, Vescovati, Badie, Priorati, Commende, e altri beneficii del Patronato Reale, loro introiti annuali, gravezze, penzioni in esse situate, & existenti dal giorno della possessione de' Prelati nell'anno 1698. di Andrea Salemi Palermitano, Rationale del Real Patrimonio.

Vita di Cesare Valdibella, e Bologna Cavaliere Palermitano. Anonymo Auctore.

Historia delle cose occorse in Napoli dal tempo che vi fù Vicerè D. Pietro di Toledo Marchese di Villafranca insino alla ribellione di Ferrante Sanseverino Prencipe di Salerno, e di altre occorrenze seguite, di Antonio Castaldo Napolitano.

Memorie della fondatione dell'Ospedale Grande della Città di Palermo, dotatione, e aggregatione di Abbatie, augumenti, eredità sopraggiunteli, coll'annotatione di tutti li suoi privilegi, Bolle Pontificie, lettere Reali, e scritture, con un distinto ragnaglio della volontà de' Testatori, introiti annuali, e gravezze di esse, una con l'avanzi liberi per l'Ospedale, e deteriorationi secondo lo stato dell'anno 1697. di Antonino Giuseppe Cafora Palermitano.

Diario di Sicilia dell' anno 1598. sino al 1614. Auctore Anonymo.

Il Sestini punito dalla Verità Dialogo di Galvano de Ubertis, cioè Giuseppe del Voglia.

Joanni Mariæ Amato sororem addam, cui nomen ANTONIA FELIX AMATA: hæc iisdem nobilibus parẽtibus orta Panormi 12. Octobris anno 1669. neglectis sæculi pompis, ac nobilissimis nuptiis, septennis Panormitanum Monialium Gynęceum S. Catharinæ Ordinis Prædicatorum ingressa, deposito Rosalię nomine, cum Antoniæ Felicis nomine Ordinis insignia accepit, ac solemnia emisit vota. Cœlesti Sponso dicata, virtutum studio incubuit, & in corporis maceratione, vigiliis, & charitatis officiis omnem adhibuit curam. Divinæ Psalmodiæ in Choro semper interfuit: Deiparæ Virgini addictissima, ipsam ab omni labe immunem, impensè coluit, ac intimo cordis sensu venerabatur. In ejus obsequium quolibet Sabbato solo pani frigidam adhibuit; etsi id medici, & morborum molestiæ vetarent. Sororibus humillimè inserviebat, & pauperum inopiam profusâ liberalitate levabat. Monesterii tyrones instruxit, ac virtutum omnium splẽdore enituit. Demum relictis absolutissimæ regularis vitæ exẽplis piissimè decessit 22. Maii 1701. solemnissimo SS. Trinitatis festo. Ad excitandam suam, aliorumque pietatem edidit Italicè

Ghirlanda Celeste di orationi devote per coronarne tutte le opere buone del giorno offerta alle Sacre Spose del Crocifisso. Genuæ apud Georgium Agnesem 1692. in 16.

JOANNES MARIA BERTINUS Panormitanus Ordinis Prædicatorum; à teneris adhuc annis piè educatus, vix adolescentiæ limites attigerat, cùm regulari instituto nomen dedit. Ob ingenii excellentiam, studiumque diuturnum politioribus literis, ac severioribus disciplinis egregiè instructus eminuit. Emensis studiorum spatiis magna cum laude in Panormitano S. Dominici Cœnobio Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam Moderatoris, ac Regentis munere doctissimè tradidit: ideoque Magistri laureâ meritò donatus claruit. Eumdem Cœnobium semel, & iterum gubernavit, & in SS. Inquisitionis Siculæ Tribunali Consultor, & Censor eximius doctrinâ

ctrinâ refulsit. In Sanctorum Patrum, ac sacrarum literarum lectione multus fuit: & eximii concionatoris partes explevit. In Deiparam Virginem pietatis studium mirificè coluit, & animi sui ardorem in ipsam persæpè detexit, cùm in precariæ coronæ recitatione verba ad populum haberet; tunc enim ad Deiparæ cultum audientium animos singulariter incendebat. Charitate erga sodales suos eminuit, quos solicitè levabat, ac eorum rebus magno cordis affectu consulebat: ideoque ab ipso charitatis studio, tritâ appellatione, Matris nomine vocabant. Plura excitavit sodalitia in eodem Panormitano Cœnobio, unū pro Animabus in purgatorio igne cruciatis, & ab hominum memoria lapsis. Aliud in S. Petri Martyris obsequium. Tertium Sacerdotum in sæculo degentium. Quartum SS. Nominis Jesu. Quintum nobilium mulierum, quæ singulis Lunæ diebus SS. Virginis Rosarium recitant in S. Dominici Ecclesia. Ipse etiam piissimum excitavit ritum, ut postremo Jovis die Bacanalium temporum, SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè exponeretur in eadem S. Dominici Ecclesia, ut à peccandi libertate populos averteret: & ut facilius cives alliceret, numismata argentea, vel ærea, forte extracta, concurrentibus dispertiebat. Regularis disciplinæ observantissimus vixit. Contēplationis studio addictus. Modestiâ, morum innocentiâ clarus, cæterisque virtutibus singularis: ideoque Panormi magnâ veneratione prosequutus eminuit. Decessit vir eximius, numeris omnibus absolutus, in memorato S. Dominici Cœnobio 15. Februarii anno 1669. non sine sanctitatis fama. Vulgatâ ipsius morte, magnus populi concursus ad viri corpus effluxit; ejusque animæ gloriam manifestam voluit Deus, cùm, ut narrant, quodam sodali suo se spectabilem fecit. Hujus cū laude meminere Pius Costa in libro cui titulus: *le Vittorie delle Fenici Penanti lib. 4. cap. 29. pag. 229.* Josephus Marchesius *in memoriali Sacerdotum schol. 4. pag. 175. & schol. 5. pag. 249.* Placidus Carafa *in responso decisivo pag. 29.* & Vincentius Coronellus *in Biblioth. tom. 5. n. 3949. pag. 1293.* qui, ex typographi forsan errore, anno 1665. decessisse tradit. Quæ edidit, sacrâ eruditione, & pietate referta, hæc sunt.

Sacrosancti Rosarii Hortus conclusus, in cujus eloquentissima solitudine divinus Amor loquitur ad cor sibi dilectæ animæ, in contemplationibus sacris humiliter Deum veneranti. Partis Primæ contemplabilis Tomus Primus. Panormi apud Petrum de Isola 1667. in 12.

Sacrosanctus Rosarii Hortus, ex quo Rosæ mysteriorū nostræ Catholicæ Fidei pro Divini Verbi Prædicatoribus colliguntur. Partis Secundæ Prædicabilis Tomus Primus. Ibidem apud eumdem 1665. in 12.

Sacrosanctus Sacratissimi Rosarii Hortus ex quo Sacrarum Rosarum fasciculus ad languentis animæ solamen colligitur. Partis tertiæ operabilis Tomus Primus. Ibidem apud Nicolaum Buam 1658. in 12.

Sacrosanctus Sacratissimi Rosarii Hortus ad languentis animæ solatium, quindecim Mysterium fidei divinitatis odorem suavissimè spirans. Partis tertiæ operabilis Tomus Secundus. Ibidem typis Augustini Bossii 1658. in 12.

Sacrosanctissimæ Inquisitionis Rosa Virginea, in qua Catholicæ Fidei puritas efflorescit virginalis, Dei Verbi, quod carne assumpsit, divinitatis stillicidiis rigata. Ibidem apud Petrum Coppolam 1662. in fol.

Italicè.

Sacrosante Rose raccolte nella sacra solitudine Tomo Terzo. Panormi apud Dominicum de Anselmo 1669. in 12.

Teologia Mistica secondo la dottrina di S. Tomaso. Ibid. apud eumdem 1668. in 12.

Esercitii della Solitudine.

Reliquit m. ss.

Quaresimale, aliaque.

JOANNES MARIA CALATANISSECTENSIS Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, ex familia Amico ortus. Concionator, Lector, ac tyronum Magister: bis Provinciæ Siculæ Vallis Mazariæ Definitor, & anno 1661. Commissarii, & Visitatoris munere in Cosentiæ Provincia cohonestatus. De eo vide P. Petrum Tognolettum *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 574. & cap. 7. pag. 590.* qui scripsisse testatur.

Armamentarium, sive regestum ferè universale pro tyronibus verbi Dei declamatoribus, in quo permulti undequaque Sacræ Scripturæ conceptus à variis Auctoribus elaborati, congesti reperiuntur, ut faciliùs Concionatores suas valeant componere, & perficere conciones. Tomum primum, & secundum in fol.

Italicè

Vita del V. F. Giovanni Duns Scoto raccolta da varii Autori. m. s. in 4.

JOANNES MARIA FERRERUS Panormitanus Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci Concionator, & Lector; regularis vitæ observantiâ clarus; anno 1656. Provinciæ Vallis Mazariæ præfuit. De eo citatus Tognolettus *lib. 5. cap. 1. pag. 575.* Scripsit ex eodem

De Septem Ecclesiæ Sacramentis Tractatus octo, ad quos præter primum, compilatæ ordinantur, & reducuntur ferè omnes P. Dianæ resolutiones in duodecim partibus relatæ m.s.

Italicè

Fontali vene di concetti scritturali raccolti dal quadripartito fiume del Terrestre Paradiso della Divina scrittura, con la dottrina de' sacri Dottori, diviso in due parti, secondo li due testamenti Mosaico, & Evangelico. m.s. in 4.

Vita della Ven. serva di Dio Suor Madalena Battaglia della Città di Termine Tertiaria dell' Ordine del Carmine. m.s. in 4.

JOANNES MARIA HIERACENSIS Ordinis Capuccinorum, in oppido Siculo Hieracis ex clara Prestiphilippi familia exortus, literarum studiis dicatus, Philosophiam, ac magnam Theologiæ partem didicit. Inde Capuccinorum institutum amplexus, pluries easdem facultates non sine laude sodalibus suis tradidit, ac impensius virtutum studio incubuit. Vulgò inter suos *il Padre Pontone* vocabatur; cùm enim Custodis munere Generalibus Ordinis Comitiis Romæ coactis interfuisset anno 1613. ibi singulis noctibus, decan-

decantato matutino, nunquam quietis causa ad cellam revertebatur (ut ejus in propria Provincia mos erat) sed ibidem moras protrahebat usque dum sacrorum celebratio ordiretur, & ab auroræ ortu usque ad decimamnonam diei horam, unà cùm socio F. Bernardino Nicosiensi, Sacerdotibus sacrificia offerentibus inserviebat. Etsi ætate confectus, semper ingenua provolutus, in diuturna oratione constantissimè perseverabat: ideoque sodales omnes in admirationem traducti dicebant: Pater hic Custos, Magnus est Ponto. Hinc ad supremam Ordinis dignitatem ipsum extollere cogitabant: at quia Theologiæ studiis destitutum arbitrabantur, conceptam opinionem deposuere. Pluries Custodis, & Definitoris munus exercuit. Semel, & iterum Messanensem Provinciam rexit, nempè ab anno 1614. & ab anno 1620. usque ad 1622. cùm convocatis Provinciæ Comitiis in Cœnobio Castriboni, dignitati nuncium remisit. In Panormitana Provincia Generalem Commissarium egit. Demum Nicosiæ Cœnobium dum, Custodis munere, moderabatur, ibidem nonagenario major decessit anno 1640. Ipsum laudant Torresiglia *de excellentia Seraphicæ Religionis*, & Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccinor. pag.* 193. Edidit Italicè sub nomine Philippi Platiensis ejus fratris

Il Carro del mistico Elia al Cielo, nel quale si dà il modo di ben orare, e sollevarsi à Dio. Messanæ apud Petrum Bream 1620. in 8.

Alia scripsit, quæ non edidit, nempè

Opuscula Ascetica.

Disputationes varias Theologiæ Scholasticæ, & Moralis.

JOANNES MARIA NETINUS Ordinis Capuccinorum ex familia Minniti exortus an: 1563. à teneris annis futuræ sanctimoniæ argumenta protulit; ab incunabulis enim admirabili abstinētiâ claruit. In Capuccinorum Congregatione cooptatus, in ea à doctrinâ, sanctitatis opinione, ac obitis præclarè muneribus celebris effulsit. In Syracusana Provincia Philosophiam, ac Theologiam docuit. Pluries Definitoris, & Provincialis munere innotuit; & ob eximiam prudentiam, quâ refertissimus vixit, à Clemente Netino Ordinis Generali in suum Consultorem ascitus est. Virtutibus, meritisque cumulatus in Generalibus Comitiis an. 1625. Romæ coactis, ad supremum Ordinis culmen evectus est, ac Seraphicum Ordinem usque ad annum 1631. laudabiliter gubernavit; insigni enim animi magnitudine, pietate, vitæ austeritate ornatus, illustriū virorum virtutes æquavit. Verbo, & exemplo plurimùm valuit. Orationis studio præclarus, in ea persæpè in exstasim raptus, cœlestes dulcedines degustavit. Prophetico spiritu multa prædixit. Regularis disciplinæ zelo mirum in modum æstuavit; ideoq: in firmanda Ordinis observantia, & præsertim arctissimæ paupertatis lege totis animi nervis desudavit: & Capuccinorum familiam omnium virtutum splendore, ac sanctitatis exemplis latissimè illustravit. Post magnos exantlatos pro Ecclesia labores, numeris omnibus absolutus obiit vir egregius Neapoli 4. Februarii anno 1631. ætatis 68. Ad funeris celebrationem omnes confluxere, ab ipsius sanctitatis fama protracti: cor autem ejus in patriam delatum summo pietatis affectu à Netinis receptum fuit: ejusque ope nonnulli ægroti, spe vitæ destituti, pristinæ sanitati restituti sunt. De Joanne Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 220. & 225. Marcellinus de Pise *tom.* 3. *annal. Capuccin. anno* 1631. *pag.* 834. Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capuccin. pag.* 195. & Petrus Antonius Venetus *in fastis Seraphicis pag.* 292. Scripsit ex Dionysio loco cit.

Annotationes in octo libros Physicorum Aristotelis.

Annotationes in libros Methaphysicorum.

Annotationes in quatuor libros Sententiarum.

Epistolam ad universos Religionis Capuccinos fratres, in qua de observantia altissimæ paupertatis, & de Regula Minoritana luculenter disserit. Romæ 1628.

Cæremoniale Patrum Capuccinorum. ex Francisco Maria Magio *de sacris cærem. tom.* 1. *pag.* 136. & alibi sæpius.

JOANNES MARIA PRESTIPHILIPPUS v. Joannes Maria Hieracensis.

JOANNES MARIA TUSENSIS Ordinis Capuccinorum, ex familia Bruno in oppido Tusæ natus anno 1532. statim ac Ordinis instituto nomen dedit Panormi 2. Februarii anno 1548. eâ animi contentione observantiæ regulari operam dedit, ut breviter absolutissimæ perfectionis culmen attigerit. In ipso mirum in modum refulsere omnium virtutum splendores: contemplationis studio altè addictus, totam propè noctem (subducto perbrevi tempore, quo somno indulgebat) orationi vacabat: ab ipsa cœlestes eructabat divini amoris flammas, quibus incensus, ad eminentissimum sanctitatis fastigium ardentius properabat. Quo verò igne fervesceret orantis præcordia, Dominus hoc prodigio ostendit: cùm enim nocte quadam orabat Joannes in Ecclesia, unà cum Hieronymo Montefiorano Ordinis Generali, ignis lucidissimus è tecti Ecclesia prosilire visus: ideoque nonnulli putantes Ecclesiam incendi, ad ipsam confluxere, ut ignem extinguerent; sed pervoluto Cœnobio, & Ecclesia, aliud non invenere nisi Joannem, & Hieronymum, qui ferventissimo divini amoris igne succensi orationi incumbebant. Concionator egregius, apostolico zelo æstuavit; & per annos ultra 22. tum in Sicilia, tum extra in cinerali jejunio conciones habuit, & sacræ eloquentiæ vi corda etsi durissima emollivit. Doctrinâ, & eruditione claruit, sacris literis, ac pontificis juribus instructissimus. Ob eximias virtutes, animique dotes ne dum Custodem, tyronum institutorem, ac Definitorem egit, verùm etiam ad primaria Ordinis munia fuit admotus. Siculam Provinciā rexit anno 1565. dum adhuc Sicilia in tres dissecta partes tribus Moderatoribus non parebat. Post divisionem Provinciis Panormitanæ, & S. Angeli præfuit. Totius etiam Ordinis Procurator Generalis, & tandem Generalis, anno 1581. 10. Maii electus est. Has Ordinis dignitates mirâ

râ humilitate illustravit: ideoq; Gregorius XIII. Pont. Max. qui virum egregium summâ æstimatione prosequebatur, cùm Joannē alloquens eidē dixisset, quòd in ipso caput purpureo galero dignum observabat; statim Pontifici respondit: Parce Pater Beatissime: Deus, & Franciscus Pater meus, caput mihi dedere, ut Ordinis capucio tantummodo tegeretur. Tandem tum pręclaris virtutibus ornatissimus, tum etiam prophetiæ dono conspicuus, & miraculorum gloriâ celebris, Romæ ad supremam vitę lineam accessit: sed antequam animam efflaret, resumptis extemplò viribus magnâ animi exultatione exclamavit: Fratres nonnè Patrem nostrum Franciscum, ac S. Antonium Patavinum videtis, qui me advocant, ut cum ipsis pergam? quo dicto felicissimè extrema clausit anno 1684. Ipsum cœlesti gloria redimitum vidit Sacerdos quidam Capuccinus, dum in Conventu Gibilmannæ apud Cephalædium orabat. Funus magno cum totius Ordinis dolore persolutum, ejusque virtutes funebri oratione exornavit Petrus Trigosus Capuccinus illustris. Scribunt de Joanne Zaccarias Boverius *in annal. Capuc. tom. 2. an.* 1584. *n.* 10. *pag.* 95. Barezzus Barezzi *in Chron. Ord. S. Franc. par.* 4. *tom.* 2. *l.* 7. *cap.* 44. *pag.* 576. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Cephalæd. pag.* 491. Tossignanus *in hist. Seraph. lib.* 2. *pag.* 201. Josephus Cammaratensis *in suo monili rosarum pag.* 307. & Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucc. pag.* 195. qui scripsisse testatur doctè

Expositionem, sive Commentaria super Regulam Fratrum Minorum in 8. Italicè etiam scripsit

Quadragesimale m. s. in 4. extat in Cœnobio Tusæ.

JOANNES MARRASIUS Netinus Philosophiæ, & Medicinę doctor insignis; ac Poeta, ab eximiis ingeniis monumentis per totam Italiam celebris. Floruit circa annum 1446. De eo Fazellus *de reb. Sicul. dec.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 109. quem sequitur Vincentius Littara *de Reb. Netinis pag.* 120. & Pirrus cit. *not. Eccl. Syracus. pag.* 226. Ætate gravatus ex Fazello cit. scripsit opus, cui titulus:

Angelinetus poema amatorium elegiaco versu. Addit Fazellus, Leonardum Aretinum in epistola ad Marrasium scripta, opus valdè laudasse. Alia multa scripsisse testatur cum ingenii præclarissimi laude; subditque, quòd primatū inter Poetas occupasset juxta literatorum sententiam, ni severiora Medicinæ studia à Musarum cultu avertissent.

JOANNES MARTINUS DE AQUINO Patritius Panormitanus, utriusque Juris Doctor, à doctrina commendatus: humaniores literas calluit, ac nonnullis fuit cohonestatus honoribus: Comes enim Palatinus, Caroli V. Imp. vices gessit in munere Conservatoris: Procurator, & Judex bonorum fisco adjudicatorum pro S. Officii Siciliæ Tribunali; S. Cruciatæ, & Magnæ Regiæ Curiæ Judex an. 1530. renunciatus est: & tandē Regii Patrimonii à Rationibus Magister. Non longè ab anno 1540. decessisse opinor; primo enim Novembris anno 1540. testamentum condidit, quo annuas uncias tres Panormitano Cœnobio S. Citæ legavit, ut quotidie sacrum pro ejus anima celebraretur. De Joanne Philadelphus Mugnòs *in Teatr. General. par.* 1. *pag.* 73. Edidit

De Vita, & Gestis Regis Caroli V. Imperatoris Orationem. Panormi 1538. in 4. sine typographi nomine.

JOANNES MARTINUS GAGLIO Pactensis Sacræ Theologiæ, & Medicinæ Doctor, decessit anno 1626. & ex Roccho Pirro *in not. Eccl. Pact. pag.* 421. Scripsit

De Semine.

De Febre maligna.

De Puerperiis, & enixis.

Consilia Medica.

JOANNES MATTHÆUS GIBERTUS nobilis Panormitanus Episcopus Veronensis, vir sanè celeberrimus, & ævi sui laudatissimum ornamentum. Præclariora Giberti tantùm delibabo, in libro enim omnia luculenter enarrata coalescerent: utinam scribendi Pręsulis hujus vitam aliquis curam subiret! Genuensem fuisse falsò putavit Josephus Silos *in hist. Cleric. Regular. par.* 1. *lib.* 2. *pag.* 36. & Antonius Possevinus *in appar. sacro to.* 2. *pag.* 219. inter clariores Ligures ab Oberto Foglietta *in elogiis viror. illustr. Ligur. pag.* 111. recensetur. At Panormi exortum ne dum Scriptores Siculi tradunt, ut Rocchus Pirrus *lib.* 4. *Siciliæ sacræ pag.* 84. Franciscus Baronius *de Maest. Panor. lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 136. Leonardus Orlandinus *in discur. Sicil. pag.* 81. aliique, verùm etiam exteri, & coævi Scriptores, & Giberto amicitiæ nexu cōjuncti, ut Jacobus Sadoletus *epist. lib.* 3. *pag.* 108. M. Antonius Flaminius *lib.* 1. *carm. in epitaphio in Gibertum*, Benedictus Lampridius *in carmin. pag.* 19. Joannes Patavinus *in virid. mathem. pag.* 204. quibus adde Ferdinandum Ughellum *Italiæ sacræ t.* 5. *p.* 993. & Scriptores Genuenses Michaelē Justinianum *de Scrip. Ligur. p.* 392. *ac de Episcop. & Gubern. Tiburis pag.* 125. & Augustinum Oldoinum *in Athenæo Ligustico pag.* 360. At forsan inter Genuenses collocarūnt, quia fuit origine Genuensis; patrem enim habuit Francum Gibertum Patritium Genuensem, (etsi concubitu minus justo natus) sub Julio II. classis Pontificiæ Præfectum ex Adamo Fumano *in oratione* apud Aloysium Novarinum *in opusc. tom.* 1. *pag.* 106. Justiniano, & Oldoino cit. sed omnino à vero aberrat Joannes Matthæus Toscanus *in Peplo Italiæ lib.* 3. *nu.* 145. *pag.* 87. qui Gibertum Romæ natum scribit. Egregio munitus ingenio usq; ad duodecimum ætatis annum Panormi educatus, Etruscis, Latiis, Græcisque literis operam dedit eo animi ardore, ut in præcipuis Italiæ Academiis omnibus ferè tum gravioribus, tum amœnioribus scientiis abundè instructus, omnium merita, ac famam, qui literarum gloriâ sæculum suum illustrarunt, breviter æquaverit. Immo literatorum Mecænas omnes bonarum artium peritos summo fovit studio, in suam amicitiam traxit, & in sui laudem concitavit. Inter hos accenset Binum, Sangham, Zinos, & Berniam; Hercules Joanninus *in Petrar-*

chista

chista pag. 58. quibus adde Hieronymum Vidam, Petrum Bembum, Jacobum Sadoletum, Joannem Casam, M. Antonium Flaminium, Joannem Pierium Valerianum, aliosque. Cæsarei præsertim, ac Pontificii Juris peritissimus, ac in SS. Patrum libris latè versatus claruit. Mathematicas disciplinas, ac Latias Musas etiam coluit: in rebus agendis dexteritate instructus, singulari prudentiâ, ac consilio valuit: & veluti scientiarum oraculum longè, latèque effulsit. Hinc perspectâ Joannis præstantiâ primùm Julii Medices S.R.E. Cardinalis à secretis electus est; qui sub Leone X. patruele Ecclesiasticarum rerum molem sustinuit. Exinde à Leone prædicto, & memorato Julio, Clementis VII. nomine ad summum Pontificiæ dignitatis fastigium assumptus, conferendorum beneficiorum præfectus (Datarium vocant) constitutus est. Ab his gravioribus Sedis Apostolicæ negotiis adhibitus fuit; ac ob morum integritatem, prudentiam, & doctrinam, singulari æstimatione ab ipsis prosequutus enituit. Sub Clemente præsertim (à quo Domesticus Præsul electus fuit) omnia à Giberto moderabantur sūmâ auctoritate, quam in eo collocaverat Pontifex; eique omnia cordis arcana familiariter communicabat, ut ipsius directione, ac consilio cuncta rectius administraret. Hac auctoritate sibi collatâ, ne dum literatorum, ac Principum, verùm etiam S. R. E. Cardinalium, Regumque venerationem assequutus est, qui omnes in pertractandis magni momenti negotiis, ejus operam exoptabant. Ab eodem Clemente Nuntii munere missus est in Angliam, & ad Franciscum I. Galliæ Regem, dum Ticinum obsidione premebat, teste Francisco Guicciardino *in hist. Italiæ lib.* 15. *pag.* 451. ut pacem inter Italiæ Principes pertentaret: Gibertum ad ipsum ablegavit, dum plenè noverat eumdem Francisco gratissimum esse, & in his pertractandis rebus peritissimum. Caroli V. Imp. etiam æstimationem promeruit, à quo Abbas S. Angeli de Brolo in Sicilia anno 1519. electus est, ex Pirro loc. cit. In Barbonici exercitus irruptione, quâ Romæ vastitas illata anno 1527. multa perpessus est, & cum aliis Præsulibus obes datus fuit: sed à Pompeo Columna è carcere, ærumnis, ac vitæ periculo piâ fraude liberatus est. Ante Urbanam direptionem ex Abbate Rosarii anno 1524. 8. Augusti à Clemente VII. ad Episcopalem Veronensis Ecclesiæ sedem assumptus fuerat; ideoque à catenis, & Romanæ aulæ negotiis ereptus, ad Ecclesiam suam regendam concessit, ubi sanctissimi Pastoris partes explere curavit: doctrinâ, ac pietatis studio vitiorum mala, quæ eo absente irrepserant, eradicare proposuit. Hinc accersitis doctissimis, piisque viris horum industriâ inscitiam ab Ecclesiastico ordine eliminavit; eumq; pietate insigniter instruxit; aliosque ad rectam vivendi disciplinam inflexit. At hæc non sine magno labore, ac periculo perpetrata; nam inter ipsum, & Clerum, populumque nonnulla exorta dissidia: quibus Clementi ipsius amantissimo relatis, Pontifex, ut Gibertum ab omni periculo solveret, Romam vocavit, primùm Joannis Baptistæ Sanghæ operâ, qui tunc erat Pontificis ab epistolis; inde literis propriâ manu exaratis. At magnâ animi constantiâ, & S. Caetani Thienensis, ex Silos cit. *lib.* 4. *pag.* 135. vel Joan. Petri Carafæ operâ, ex Ughello cit. *pag.* 1000. Veronensium animos flexit anno 1530. & sanctissimis rectè vivēdi legibus subjecit. Ad Romanā aulā Pōtificē variis obenndis muneribus Gibertum revocasse testatur Ughellus cit. *pag.* 993. & ne Veronensis Ecclesia suo destituta Pastore detrimentum pateretur, Joanni Petro Carafę, uno ex Clericorum Regularium fundatoribus, inde Pauli IV. nomine ad Pontificiam sedem evecto, Veronensis Ecclesiæ curā, & administrationē demandari curavit Gibertus, ex diplomate Clementis VII. apud Ughellum *cit. pag.* 994. Veronensem Diœcesim egregiis operibus illustravit, in qua legati Apostolici munus exercuit. In pauperes profusus, charitatis sodalitiū fundavit, ut egentiū inopiam levaret. Ecclesiis, sacrarū rerū ornamentis, venerationē conciliavit. Ecclesiasticam immunitatem imperterrito pectore propugnavit. Morum suavitate, humilitatis, & patientiæ exemplis, aliisque virtutibus ornatus, tāquā Sāctissimi Præsulis forma refulsit: ideoq: Petrus Franciscus Zinus cùm librum inscriptum, *Typus boni Pastoris* edidisset, omnem juxta Giberti vitam condidit, ut ipsemet in eo fatetur. Et sanè ad ipsius exemplum Pastores multi tunc superstites, ut etiam subsequuti, populorum reformationem in proprias Ecclesias invexere ex Possevino, Foglietta, aliisque citatis. Hoc unum ad perennem Giberti gloriam sit satis, quòd S. Carolus Borromæus S.R.E. Cardinalis, antequam Mediolanensis Ecclesiæ clauum suscepisset, Veronam adiit, ubi paulò ante Gibertus decesserat, ac solertissimâ inquisitione omnia exploravit, quæ in Ecclesiæ gubernatione patraverat: nonnullis ejusdem documentis, scriptisque instructionibus sese munivit, ut Ecclesiam Mediolanensem Giberti exemplo sanctissimè regeret, ex Joanne Petro Giussano *in Vita S. Caroli lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 27. *& lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 35. Carolo Bescapè *in ejusdem vita lib.* 1. *p.* 17. & Silos *cit. lib.* 3. *p.* 89. qui addit *lib.* 4. *pag.* 135. quòd ut præ oculis semper eūdem haberet, inter paucas cubiculi sui imagines, Giberti effigiem servabat, ut ad magna perpetranda viri egregii forma virum undique Sanctissimum extimularet. Hinc summi viri Gibertum in pretio habuere, minores verò veluti è Cœlo delapsum suspexere, teste Toscano *cit. in Peplo Italiæ pag.* 87. Paulus III. Pont. Max. magnâ etiam æstimatione Gibertum prosequutus, ipsum ad Datarii munus revocavit, cujus operam in Ecclesiæ totius beneficium apprimè necessariam arbitratus est, ex Cosma Chero *in epist. ad Gibertum inter epistolas latinas illust. viror. editas Venetiis* 1568. *pag.* 54. Paruit Gibertus: sed inde impetratâ Pōtificiis facultate ad Veronensem gubernium rediit, ex Silos *cit. lib.* 6. *pag.* 223. ab eoque multa in Ecclesiæ Veronensis maestatem privilegia accepit, & Apostolicum Legatum, ut vocant, à Latere constituit in sua Diœcesi, anno 1536.

1536. ut Ughellus tradit *pag.* 1020. Eâ vixit Gibertus Sapientiâ, ut inter Cardinales, & Præsules cooptatus fuerit ad pertractandam ecclesiasticam reformationem constitutos, qui discutienda in Tridentino Concilio præviâ meditatione disponerent: immò multa Concilii Patres, juxta constitutiones à Giberto editas in Diœcesis suæ beneficium, instituerunt ex Foglietta, Silos *cit. pag.* 89. Ughello, & Justiniano citatis. Hinc ob præclarissima doctrinæ, ac virtutum merita in Cardinalium Senatum cooptassent Gibertum Pontifices, quod Clemens præsertim exoptabat, ni natalium rumor obstitisset, ex Justiniano, & Silos *cit. pag.* 36. quod etiam innuit Sfortia Pallavicinus *in hist. Concilii Trident. lib.* 4. *cap.* 5. *pag.* 357 Eximiam animi pietatem multis detexit: Clericorum Regularium Ordo plurimum sibi debere fatetur; ipse enim S. Caetani, & Joannis Petri Carafæ familiaris, nimiùm desudavit, ut in excitando eorum instituto objectas difficultates dilueret: summo amoris affectu eumdẽ apud Clemẽtẽ VII. fovit, ipsum primo sub ævo protexit, profusâ eleemosynarum largitione levavit, Veronam invexit, & in ipsius splendorem amplificandum multa impetravit privilegia, teste Silos *cit. pag.* 35. 82. 140. & 141. Celeberrimæ Lauretanæ domui præfuit Protectoris munere ab an. 1527. ad 1534. ipsamque vigilantissimè custodivit, sacrâ Supellectili ornavit, & ut ipsam Sacerdotes virtute præclari excolerent curavit: quibus sacræ ædi venerationem adauxit, ex Horatio Tursellino *in hist. Lauret. lib.* 2. *cap.* 22. Antonio Solt *in Santuario Lauretano* §. 11. *pag.* 94. & 95. Silos *par.* 1. *lib.* 5. *pag.* 160. & Hippolyto Marraccio *in Pontif. Marianis cap.* 82. *pag.* 176. Demum condito testamento, quo pontificalia indumenta Ecclesiæ Veronensi legavit, & sex aureorum millia Charitatis Monti ad pauperum inopiam sublevandam, magno omnium dolore sanctissimè decessit Veronæ 30. Decembris anno 1543. magnificentissimo funere cohonestatus, in quo orationem in ejus laudem dixit Angelus Castilionus, editam Mediolani 1559. ex Justiniano *in Scrip. Ligur. pag.* 66. Anno 1544. 2. Januarii aliam orationem protulit elegantissimam Adamus Fumanus Canonicus Veronensis, quam habes apud Novarinum *in opusc. tom.* 1. *ep.* 100. *pag.* 106. In sepulchro, quod Ludovico Canossæ Episcopo Bajacensi excitaverat, conditus est, hac inscriptione insignitus.

Juncta Canossæ tuis sunt ossibus
Giberti
Quem pietate gravem, & meritis prælustribus
Haecce servans omnis temperabitur
ætas.
Obiit anno M. D. XLIII. III. Kal.
Januarii.

Aliam edidit inscriptionem M. Antonius Flaminius, quam inter ejus carmina leges. De Giberto præter Auctores supra relatos summa cum laude scripsere Jacobus Sadoletus *in epistolis lib.* 1. *epist.* 1. *pag.* 1. & *lib.* 3. *epist.* 9. 10. & 11. *à pag.* 106. Petrus Bembus *in epist. tom.* 3. *lib.* 3. *pag.* 34. & 35. & in poemate inscripto *Benacus*, Jo: Pierius Valerianus *in carmin. lib.* 4. *pag.* 61. Lilius Gregorius Gyraldus *in epist. de incommodis Urbanæ direptionis pag.* 625. Petrus Opemeerus *in opere Chronogr. pag.* 484. Joannes Genesius Sepulveda *in epistolis lib.* 1. *epist.* 7. *pag.* 133. Hieronymus Fracastorius *in carmin. pag.* 202. & 213. Hieronymus Vida *in epistola ad Gibertum*, & *in carmin. pag.* 182. Simon Majolus *de Irregularitate lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 8. Thomas Porcacchus *in annot. ad hist. Italiæ Guicciardini lib.* 15. *pag.* 451. Antonius Tilesius *in epist. nuncupatoria libri de coronarum generibus*, Horatius Fasitellus, & Benedictus Lãpridius *in deliciis Poetar. Ital. par.* 7. *pag.* 359. & 1296. Julius Camillus *in carminibus*, Claudius Tolomęus *in epist. in libro epistol.* 13. *vir. illustr. lib.* 12. *pag.* 381. Franciscus Scotus *in Itiner. Italiæ de Verona*, Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hisp. tom.* 1. *pag.* 83. & aliis omissis, Joannes Casa in Galateo, in quo multa Giberti transtulit, ut morum elegantiam suaderet. Scripsit Gibertus

Constitutiones editas per Reverendiss. in Christo Patrem D. Io: Matthæum Gibertum Episcopum Veronen. ac in Civitate, & Diœc. Veronen. Legatum Apostolicum, ex SS. Patrum dictis, & Canonicis Institutis, ac variis negotiis quotidie occurrentibus, & longo rerum usu collectas, & in unum redactas. Veronæ apud Antonium Putelletum 1542. in 4. & iterum ab Augustino Valerio S.R.E. Cardinali, & Veronæ Episcopo recognitas, notationibus illustratas, atq; ad Concilii Tridentini decreta renovatas. Veronæ apud Hieronymum discipulum 1589. in 4. Quâ prudentiâ, ac doctrinâ has constitutiones scripserit ex Augustini Valerii verbis, in nova editione exaratis, liquidò patet, ait enim: *Suadebat ipsa meditatio constitutionum à sapientissimo, & optimo Episcopo Joanne Matthæo Giberto conditarũ, quæ tantâ prudentiâ excogitatæ sunt, atque scriptæ, ut non modò Episcopi aliquot ex illis tanquam in fonte constitutiones suas derivaverint, verùm etiam Sacrosanctum Concilium Tridentinum inter sua decreta, quædam ex iidem constitutionibus ferè de verbo ad verbum transtulerit: ac proinde statui constitutiones Vobis notas recognoscere, typisque mandare, idque multas ob causas, primùm quidem ut Jo: Matthæo Giberto optimo Episcopo, quem mihi semper in administratione imitandum proposui, hac ratione debitum honorem præstem, cujus memoria in Veronensi Ecclesia conservare devotissimè percupio.* Hæc Valerius vir doctissimus, qui de Giberto forsan scripsit in libro *de Episcopis Veronensibus*, quem edidit, ex Augustino Oldoino *in Athenæo Romano pa.* 101. sed non vidi. De his etiam constitutionibus consule Obertum Fogliettam *in elogiis cit. pag.* 112. Scripsit etiam Italicè

Constitutioni delle Monache per la Città, e Diocesi di Verona utili anco alle altre Città. Veronæ apud Antonium de Postese 1539. in 8.

Lettere. Extant in Variis Epistolarum collectionibus, nempè in epistolis XIII. Virorum Illustrium à Thoma Porcaccio editis Venetiis 1584. in 8. in epistolis selectis in lucem emissis Taruisi apud Fabritium Zannettum 1603. ab Aldo Venetiis

netiis 1550. & 1551. in 8. in epistolis Principum lib. 1. Ibidem apud Franciscum Zilettum 1581. in 4. in epistolis facetis à Dionysio Athanasio editis ibidem 1572. & 1601. in epistolis latinis Clarorum Virorum ibidem 1568. & in libro Bartholomæi Zucchi inscripto *Idea del Secretario.* Venetiis apud Societatem Minimam 1606. in 4. in quo Giberti epistolæ tanquam benè scribendi exemplum exhibentur; easque etiam Panfilius Persicus laudat in libro cui titulus: *il Segretario lib. 2. cap. 6.*

Epigrammata Pastoralia, ex Bembo *in epist. lib. 3.* qui Gibertum monet, Leonicum Tomeum, virum græcis literis doctum, Romam petere, ibique Epigrammata Pastoralia ipsius Giberti, afferre, ab eodem in Grecam linguam versa. Denique addam quòd Giberti operâ, ac sumptu libri S. Joannis Chrisostomi, aliorumq; Auctorum græcâ linguâ prodiere, ex Matthæo Toscano *in Peplo Italiæ cit. pag.* 87. & Sadoleto *in epist. lib. 3. ep. 9. pag.* 106.

JOANNES MELATIUS Mazariensis Sacerdos, vir doctrinâ exultissimus, Sacræ Theologiæ, & utriusque Juris Doctor, ac Apostolicus Prothonotarius. Nonnullis fuit meritò cohonestatus honoribus; Archipresbyter enim Tuneti, & Gulectæ, ut etiam Calatafimi Archipresbyter renunciatus est. Canonicus, & Cantor Mazariensis Ecclesiæ, & Episcoporum ejusdem Assessor, electus inclaruit. Pluries Vicarius Generalis, doctrinâ conspicuus longè, lateque enituit. In his omnibus obitis muneribus eximiam nedum eruditionem, verùm etiam, & prudentiam singularem patefecit: dum ejusdem Mazariensis Ecclesiæ Vicarium Generalem ageret sede vacante, decessit Mazariæ 26. Decembris anno 1679. ætatis circiter 58. & in Cathedrali Ecclesia sepelitur. Edidit

Patrocinium in causa propria. Romæ 1655. in fol.

Miscellaneam Selectarum Juris utriusque Assertionum. Panormi apud Dominicum Anselmum 1670. in fol.

Partem secundam. Panormi in fol. opus absolutum, sed non dum publici juris, cùm ob auctoris obitum deficiat libri facies, & indicis pars.

JOANNES MISTRETTA Calatajeronensis Jurisconsultus doctissimus. Floruit circa annum 1550. ipsumque laudat Petrus Paulus Morretta *de Calatajerono cap. 12. pag. 52. & 54.* qui scripsisse ait:

Glossam ad patrias consuetudines, per quam diligenter exaratam. m.s.

JOANNES MONTALTUS Syracusanus Jurisconsultus, ac Poeta Officinæ Messanensis Academicus. Vivebat Messanæ anno 1673. Ipsum laudat Ioannes Baptista de Iudce *in carmin. par. 1. pag.* 435. Edidit

Poesie. in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina. Parte seconda.* Messanæ 1658. in 12. & in libro: *Duello delle Muse. Trattenimento terzo.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1670. in 4.

JOANNES NASO Corleonensis, vir doctus, ac eruditus: politiores literas, præsertim Musas summo studio coluit. Historica eruditione ornatus innotuit. Panormitani Senatus fuit à secretis, & à bonarum artium peritis summa æstimatione prosequutus vixit. Celeberrimi Lucii Marinei, de quo suo loco, Præceptor, ex Alphonso Seguritano *in epistola de laudibus Lucii Marinei, inter ejusdem epistolas lib. 6.* Claruit anno 1477. De eo idem Lucius *lib. 5. epist.* in epistola ad Cataldum Parisium, in qua ait: *Obiit, & Joanes Naso, cui Siculus fuit agnomen, qui si non fuisset morte præventus non dubito, quin poeticâ virtute, & carminis maestate cum alios magnos Poetas, tum etiam Virgilium adæquasset.* De eo etiam Vincentius Auria in discursu *de officio, & dignitate Prætoris Panor. pag.* 237. Edidit.

De celebritate rerum, opus heroicum. Panormi ex Alphonso Seguritano loco citato; ait enim de Marineo scribens: *Post annum inde Panormum, ad Joannem Nasonem cognomento Siculum transit. Hic est ille Joannes Naso, cujus extat opus heroicum de celebritate rerum, quas Panormi edidit quum Barcinona Gothalana Civitas rebellis Joanni Regi in ditionem post decem annos se subjecit.*

Consuetudines Felicis Urbis Panormi. Panormi apud Andream de Wormacia 1477. in 4.

Supplementum ad Christophorum Scobar de rebus praeclaris Syracusanis. editum cum lucubrationibus ejusdem Scobaris. Venetiis per Bernardinum Benalium 1520. in fol. *à pag.* 9. ad Scobarem missum à Joanne Giarruto Patritio Syracusano, in cujus epistola anno 1519. scripta legitur: *Vir illo Siculus Joannes Naso nunquam pro merito satis celebratus dictavit; reconditiora daturus si vixisset.* Scobar verò ibidem in responsione ad Giarrutum, Nasonem *Virum consumatissimum* vocat. Inter Siculos Poetas à Joanne Vigintimillio recensetur *in Catalogo Poetarum Siculorum*, quem edidit in libro Poetarum Bucolicorum: at ex ejus carminibus solùm superest distichum celeberrimum de Urbe Panormi, quod primùm edidit Thomas Fazellus *de rebus Siculis dec. 1. lib. 8. pag.* 170.

JOANNES NATALIS Messanensis vir ingenio, & doctrinâ praeclarissimus, in lucem editus 16. Martii anno 1642. à teneris unguiculis literarum studiis admotus, in Messanensi Soc. Jesu Collegio mitiores literas non sine laude didicit. Gravioribus scientiis addictus, exacto Rhetoricę curriculo, Peripateticæ Philosophiæ animum adjecit. Inde sub celeberrimi Dominici la Scala disciplina ne dum Hippocratis, & Galeni medicam doctrinam plenissimè assequutus est, verùm etiam novis inventis apprimè eruditus fuit, quibus anatomia, & chimica ars recẽtiorũ operâ illustrata, mirificè effulget. Ab eo etiã Democraticæ Philosophiæ cognitionem accepit, eâq; ingenii vi hæc omnia amplexus est, ut ad summum medicæ facultis fastigium sese extulerit. Hinc meritò Philosophiæ, ac Medicinæ laureâ donatus est in Messanensi lyceo 6. Octobris anno 1661. magno cum literatorum plausu, ac sine aliquo impendii genere, tamquam civis benemerentissimus: eoq;

æstimationis specimine omnium primus cohonestatus est. Genio indulgens amœniores literas coluit, & præstantissimorum literatorum consuetudine, præsertim Joannis Vigintimillii, & Josephi Mariæ Mazara Soc. Jesu, de quibus suo loco, mirificè profecit. Hinc elegantissimo ingenio munitus inter eximios politioris literaturæ candidatos enituit: & in Messanensibus Academiis Officinæ, Radicatorum, & tandem Clitiæ recensitus, ingenii monumenta summa cum laude protulit, & literatorum amorem, ac venerationem promeruit. Anno 1661. Messanensis Magistratus à secretis electus est per quatriennium, ut moris erat, ac pluries confirmatus, demum anno 1673. perenni electione per omnem vitæ cursum eo in munere cōstitutus est; & à Prorege Claudio Lamoraldo Principe de Ligné eodem anno confirmatus: quod uti raro exemplo patratum, ita honorificentissimum non ambigendum. Sed hæc æstimationis argumenta à Messanensi Senatu satis promeruerat Joannes, tum ob operam sæpius egregiè exhibitam inUrbis obsequiū, tum ob literas, quibus ornatissimus semper eminuit. At muneris hujus nomen, & electio Joannes retinuit, administrationem, ac lucri commoda ex Senatus facultate Carolo Musarræ concessit. Quâ virtute tum in epistolis exarandis, tum aliis lucubrationibus condendis excellet, incompertum est. A styli cultu, dictionis elegantiâ, & eruditionis copiâ celebratus, à viris doctissimis laudes promeruit non vulgares; præsertim à D. Joanne Bernardino Noceto Pontificis Præsule, Domestico, & P. Carolo del Voglia Congregationis Oratorii Panormitani sodale, in hoc scribendi genere nulli secundis. A Messanensi Magistratu oblato Vincentio Gonzagæ Siciliæ Proregi supplici libello, cùm ipse scriptionis nitorem considerasset, ac eumdem Joannem condidisse intellexisset, hunc insigniter laudavit, ac Senatoribus commendare curavit. At præcipuum Joannis studium medicam facultatem inspexit; eoque profectu ut fateantur omnes, Joannem doctrinâ. & eruditione excultissimum præstantioribus Medicis conferendum. Etsi jam abundè edoctus, itaut jam Doctoris laureâ insignitus, ægrotis medicam adhiberet manum, attamen discendi cupidus quatriennio, ab anno 1662. celeberrimum Marcellum Malpighium tunc in Messanensi Academia practicæ Medicinæ Professorem audivit. Joannem Alphonsum Borrellum amicum, & familiarem habuit, qui nostro Joanni primos sex Euclidis libros exposuit. Nec Carolum Fracassatum medicum doctissimum, qui Malpighio successerat, audire neglexit. Unum hic silentio non involvam, quod cum Fracassato accidit; nam anno 1671. quæstione de sanguinis missione exortâ inter hunc, & Joannem; Carolus Phlebotomiam defendebat, Joannes verò Erasistrati, Elmontii, & Præceptoris sui la Scala, aliorumque sectator, contrariam sententiam propugnabat: post multa ex utraque parte argumenta tandem Carolus ingenuè cōclusit, etsi ipse Phlebotomiæ usum amplecteretur, attamen æquè probabilē cōtrariā sentētiā arbitrabatur: quod nō sine literatorum tunc præsentium plausu, ac summâ Joannis laude accidisse mihi testatur vir eximius Joannes Bernardinus Nocetus supralaudatus, qui inter alios literariæ pugnæ interfuit. Addam eumdem Fracassatum, dum in publico lyceo aderat Natalis, lectionem de sanguinis missione instituisse, & editis à Natali argumentis responsiones effusiores, cum summis Joannis laudibus, opposuisse. At absoluta lectione, Natalis gratias Carolo egit ob honorem sibi illatum, sed haud se victum declaravit, cùm eumdem Idræ capita obtruncasse subdidit; è responsionibus enim suis plurima argumētorū capita exoriebantur objicienda. Anno 1678. à Carolo Musarra relicto munere laudato, Joannes ad eumdem revocatus, hanc Provinciam laudabiliter aggressus est, & primarius Philosophiæ Professor in Messanensi Academia fuit honorificè designatus: etsi immutatâ rerum facie muneris electionem haud assequutus sit. In medica facultate impigrè desudat non sine maximo ægrotantium beneficio, qui ejus doctrinæ vi quotidie ad pristinam sanitatem revocantur: ideoque in Sicilia, & extra celeberrimus vivit: ac Principum, & Dynastarum summam venerationem experitur: perenniter experietur, dum ejus fama nunquam consenescet. Ipsum laudant Joannes Baptista de Judice *in carminib. pag.* 338. Fulgentius Arminius *in Prosis Officinæ lib.* 1. *pag.* 73. Angelicus Aprosius, sub Oldauri Scioppii larva, in libro: *Bellezze della Belisa pag.*2. Augustinus Scilla in libro: *Vana speculatione disingannata*, Carolus Balsamus Soc. Jesu in epistola ad Vincentium Alias ante Archimedem Maurolyci edita, & Silvius Bocconus *in Museo physico*. Edidit Italicè

Idea del perfetto Filosofo oratione funerale per la morte di D. Giovanni Ventimiglia. In Prosis Officinæ lib. 2. Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

Poesie. in libro: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina Parte Terza.* Ibidem apud Sebastianum Alecci 1661. in 12. in libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo, e Quinto.* Ibidem apud Andream Colicchiam 1670. & 1671. in 4. in libro: *Fastosi Presagi dell'Accademia degli Abbarbicati per la nascita del Prencipe delle Spagne.* Venetiis apud Bodium 1659. in 4. ac tandem in libro: *Applausi del dì Natalizio di Filippo V. Gran Monarca delle due Sicilie, e della Spagna, espressi ne' componimenti della Real Società degli Accademici della Clizia.* Messanæ apud Dominicum Costam 1704. in 8.

In publicam lucem emittet

Consultationes Medicas, quas ad Medicos tum Siculos, tum exteros scripsit. Italicè

Poesie.

Prose.

Responsum de rebus Medicis ad Bernardinum Blanchinum, cujus authographum extat apud laudatum Bernardinum Nocetum.

Persii Satiras etruscis numeris concinnare meditabatur, quarum ultimam eleganter absolverat, ac cùm

ac cùm Francisci Stelluti versionem vidisset, ab incepto cessavit, ne actum ageret.

JOANNES NICOLAUS RIZZARI Patritius Catanensis à Siculâ poesi clarus; floruit ante celeberrimum Antonium Venetianum, nempè circa annum 1570. & non sine laude carmina panxit, è quibus venustiorem cantionum suarum formam eumdem Venetianum hausisse opinatur Josephus Galeanus *in Musis Siculis par.* 1. *pag.* 153. qui ipsum laudat, ut etiam Jo: Baptista de Grossis *in Decacordo Cat. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 152. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis parte 1. Panormi apud Buam & Portamnovam 1645. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOANNES NICOLAUS RIZZARI nobilis Calatajeronensis, alter à supra relato, ex quo familia Rizzari nobilitate conspicua descendit, quæ Calatajerone refulget. Fuit Ioannes Juris utriusque Doctor, tum jurium doctrinâ, tum Poesi Etruscâ, ac Siculâ clarus. Floruit circa annum 1568. Hujusce meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syracus. pag.* 233. & Petrus Paulus Morretta *de Calatajerono cap.* 12. *pag.* 52. & 54. Scripsit

Ad Consuetudines Calatajeronenses Glossas.

Italicè etiam

Poesie.

JOANNES ONOFRIUS Panormitanus Societatis Iesu, natus anno 1607. Societatem ingressus est anno 1625. in qua solemnia emisit vota 24. Iunii 1640. Ingenio clarissimus præter humaniores literas, Rhetoricam, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam summa cum præstantissimi ingenii laude docuit. Doctrinâ, eruditione, eloquentiâ enituit, quibus Poesim, Græcasque literas addidit. His autem, ut etiam singulari prudentiâ, aliisque virtutibus magnam sui æstimationem excitavit. Nonnulla munera, cum gravissimis laboribus perfuncta, eximiam sui prudentiam, animique constantiam illustrarunt. Rexit Collegium, & domum Professorum Panormi non sine laude, ac fructu. Molestiæ, quibus innoxius exagitatus est, ejus patientiam splẽdoribus exornarunt: adversa enim infractâ animi firmitate omnia pertulit. Sodalibus suis quibus præfuit eximium, sincerumque studium detexit, & ab iis mutuo prosequebatur amore. Egregiis munitus virtutibus sui venerationem excitavit: & morum suavitate, dulcique eloquentiæ vi mirificè illorum animos alligabat, quos semel alloqueretur, eosque ad res etiam difficillimas flectebat. Fato cessit Panormi in domo Professorum 17. Decembris anno 1674. Ipsum laudat Vinc. Tancredus *in quæst. moral. p.* 2. *tr.* 5. *quæst.* 14. *p.* 242. Edidit.

Orationem in solemni studiorum instauratione habitam in Aula Collegii Panormitani. Panormi typis Decii Cyrilli 1640. in 4.

Italicè

Oration Panegirica nella solennità del B. Francesco Borgia. Ibidem apud Dominicum de Anselmo 1652. in 4.

Suppresso nomine etiam Italicè

Il Trionfo di Portolongone raquistato alla Corona del Nostro sempre Grande Cattolico Re di Spagna. Panormi apud Cyrillos 1650. in 4.

La Rosalia Guerriera in ajuto del Re Cattolico contro la forza di doppo mostro pestilenza, e ribellione, dialogo. Ibidem apud Nicolaum Buã 1652. in 4.

La Torre di Babel abbattuta con la diversità delle lingue per lo ricevimento dell'Ecc. Sig. Cardinal Teodoro Prencipe Trivultio Vicerè, e Capitan Generale del Regno di Sicilia nella Casa Professa de' PP. della Compagnia di Giesù di Palermo. Ibidem apud Decium Cyrillum 1648. in fol.

Servantur in Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu m. ss. ut ex ejus indice patet

Physica.

Methaphysica.

JOANNES de PATERNIONE Catanensis, ex antiqua satis, ac nobilissimâ Paternionum familiâ natus, Benedictino Instituto in Catanensi Cœnobio D. Agathæ nomen dedit. Ibi doctrinâ, ac religiosis moribus apprimè instructus, omnibus ad exemplum eluxit. Iurisprudentiæ laureâ insignitus, in eadem profundè versatus, solidissimis doctrinæ splendoribus ita refulsit, ut à Siculis omnibus Jurisconsultis, Doctor Fũdamentalis appellaretur. Egregiâ doctrinâ viam ad emeritas dignitates adipiscendas sibi reservavit: hinc primo Vicarium Generalem Ecclesiæ Catanensis egit anno 1450. inde ejusdem Cathedralis Prior, & Archidiaconus electus est. Anno 1472. Prioris (non Abbatis, ut ait Hieronymus Ragusa *in Sicil. Biblioth. Veter. pag.* 154.) munere Monasterii S. Leonis Assori functus, inclaruit: & anno 1475. Abbas S. Mariæ Novæ Lucis cum annexione Abbatiæ S. Mariæ de Scalis constitus, sui opinionem firmavit. Anno 1478. ob singulares animi, doctrinæque dotes Episcopali Melitensis Ecclesiæ Insulâ cohonestatur, & à Romana Sede Cameræ Apostolicæ Collector renunciatus est, adjectâ facultate retinendi Abbatiam. Magnâ apud Ferdinandum Siciliæ Regem valuit auctoritate, à cujus munificentia quamplurima in Ecclesiæ beneficium obtinuit. Ecclesiam sibi creditam non sine laude usq; ad annum 1490. rexit, cùm novis cumulatus meritis, novis exornatur honoribus; nam ad Metropoliticam Ecclesiæ Panormitanæ dignitatem bonis plaudentibus est evectus. In ea moderanda vigilãtissimi Pastoris partes adamussim expressit. Ecclesiæ jura, ac bona fortiter propugnavit, & Ecclesiæ proventus amplificare curavit. Ad asservandam summâ veneratione SS. Eucharistiam, tabernaculum in Cathedrali è marmore excitavit: & ad augendam ejusdem Eccesiæ maestatem, supremam ipsius partem, quam Tribunam vocant, marmoribus affabrè insculptis vestivit; ubi 42. SS. Simulacra velut artis miracula demirantur. Opus toto orbe celeberrimum, ab Antonio Gagino Panormitano singularis ingenii sculptore, summo studio elaboratum, quo nihil magnificentius, ac elegantius. Palatium Archiepiscopale ędificiorum magnificentiâ exornavit, ubi ejus stemmata adhuc spectantur, eique hortorum, ac fontium amœnitates edjecit. Ejus

opera

operâ ad Archiepiscopalem Ecclesiam postliminii jure rediit Monasterium S. Mariæ Angelorum Baidæ juxta Panormum, cujus ædificia instauravit, ibique in Ecclesiæ janua ejus nomen, ac familiæ insignia insculpit, ac addito Sacello S. Ioannis Baptistæ, huc usque S. Ioannis de Baida vocatur. Ibi etiam Archiepiscopales ædes refecit, quæ nunc deliciis affluentes ad levandas Præsulum molestias servantur, & gentilitiis tesseris insignitas sæpius vidi: aquæ fluenta adinvenit, quibus amœniores effecit. Dum ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ clavum tenebat, ter Siciliæ Regnum moderatus est, anno scilicet 1494. 1506. & 1509. Præses electus, cumq; maxima cum laude rexit. Tandem cùm 80. ætatis annum attigisset, Iulius II. P. M. Romam accersivit, ut purpureo gallero exornatum, Cardinalium Collegio adjungeret, sed antequam Romam peteret fato cessit Panormi 24. Ianuarii 1511. & in Cathedrali Ecclesia marmoreo sepulchro conditus est, in quo gentilitia stemmata, ac ipsius effigies spectantur. Sine sepulchrali epigraphe jacebat; sed anno 1694. Nicolaus Martorana Panormitanus, ejusdem Ecclesię Subcantor, ut tanti viri memoriam innovaret, sepulchro hanc inscriptionem apponi curavit.

Joannes de Paternione Panorm. Archiep. Ordin. S. Benedicti obiit anno M.D.XI. 24. Ian.

De Joanne vide Rocchum Pirrum *in Chronol. Regum Siciliæ pag.* 101. *not. Eccl. Panor. pag.* 170. *Catan. pag.* 93. 94. *Melit. pag.* 600. Jo: Bap. de Grossis *in decac. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *prg.* 143. *&* 148. Jo: Franc. Abela *in Melit. Illustr. lib.* 3. *not.* 1. *pag.* 317. Marius Cutellus *de donationibus to.* 1. *tract.* 1. *disc.* 2. *part.* 11. *n.* 80. *pag.* 354. Antoninus Amicus *in chronol. Proregum Sicil. pag.* 15. *&* 16. & Vinc. Auria *in hist. chronolog. Proregum Sicil. pag.* 27. *in discursu de officio & dignitate Prætoris Panorm. pag.* 237. *in Gagino Redivivo pag.* 27. *in chronolog. Archiep. Panor. in fine hist. Crucifixi Panor. pag.* 209. Ut Ecclesiæ suæ jura defenderet, scripsit

Allegationes de Primatu Ecclesiæ Panormitanæ, ut aliqui ex citatis Auctoribus testantur. Ipsos citat Franciscus Baronius *de maest. Panorm. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 27. & alibi, qui aliqua earumdem fragmenta exscribit; at Rocchus Pirrus *in not. Eccl. Panorm. pag.* 171. apud Philippum Parutam servatas ait. Ego vero legi apud D. Franciscum Paternionem Ragusanum ejus gentilem, virum de rebus Siculis benemerentem. Ipsas etiam citat P. Io: Maria Amatus *in notis ad orat.* 1. *n.* 38. *pag.* 36. qui easdem in lucem emittere curat.

JOANNES PAULUS CHIARANDANUS Platiensis Soc. Jesu, natus anno 1613. in Societatem cooptatus est anno 1631. in qua solemnia emisit vota. Absolutis studiorum spatiis, aliis cum laude graviores disciplinas tradidit; biennio Philosophiam, septennio scholasticam Theologiam, ac novennio Moralem doctissimè docuit. Diu etiam Mathematicas disciplinas explanavit. Bis Collegium Platiense rexit, & S. Officii Censorem egit. Eruditione, ac Arabicis literis apprimè instructus claruit. Octogenario major, decessit Platiæ 22. Januarii anno 1701. De eo lege Biblioth. Soc. Jesu *pag.* 484. Josephum Munebriam in libro *Musa risvegliata par.* 1. *pag.* 223 & Petrus Antonius Tornamira *in Prosap. S. Rosaliæ disc.* 2. *cap.* 12. *pag.* 246. Edidit Italicè

Piazza Città di Sicilia, Antica, Nuova, Sacra, e Nobile. Messanæ apud hæredes Petri Breę 1654. in 4. Prælo etiam paraverat libros de rebus Mathematicis, nempè *de Horologiis rotalibus, & Solaribus. De Segmentis, seu partibus circuli. De Sphæra. De modo erigendi figuram. De Astronomia.*

JOANNES PAULUS AB EPIPHANIA Panormitanus Carmelita Excalceatus, in sæculo Antoninus Parisi: natus anno 1633. Regulare Institutum amplexus est Panormi 6. Januarii 1652. & solemnia emisit vota 25. Martii 1653. Ingenio præstantissimo, celerique munitus refulsit; ad omnia studiorum genera complectenda egregiè efformatus. Exacto cum laude studiorum curriculo, Rhetoricam, Philosophiam, ac pluries scholasticam Theologiam docuit; præsertim Messanæ, ac in sui admirationem alios traxit. Orator celeberrimus, eloquentiâ, & eruditione clarus, inter præcipuos Cōcionatores adscriptus est: & in exornandis Sanctorum gestis Panegyrista singularis existimatus. Ubicumque è suggestu ejus eloquentiæ fluenta effudit, plausus in sui commendationem excitavit; præsertim Messanæ, ubi doctrinæ profunditatem, & egregiâ eloquentiæ vi maximam sibi venerationem comparavit. Sacrâ, profanâq; eruditione locupletissimus excelluit: & aliquando ad animi oblectamentum Musis indulsit. In regendo Motycensi Cœnobio prudentiam detexit eximiam. Virtutibus etiam eminuit: Religionis studium præsertim coluit, quo singulari spiritus fervore incruentum sacrificium quotidie offerebat. Heroicâ patientiâ insignis, labores, ac adversa æquo animo toleravit: & morti proximus compositis in crucis formam brachiis, totus juxtà Dei voluntatem accommodatus, piissimè, ut vixit, fato cessit Panormi 4. Septembris 1676. ætatis 43. ac conceptam sui spem in literario Orbe amputavit. Uirum hunc laudant Placidus Carafa *in responso decisivo pag.* 7. *&* 27. & Placidus Reina *in hist. Messan. par.* 2. *pag.* 81. Edidit Italicè

Le Stravaganze della Natura Pensieri sacri, morali, e politici. Panormi apud Camagnam 1671. in 12.

La Via Lattea, arte brieve di Predicare. Venetiis apud Joannem Antonium Hertz 1671. in 24. & Panormi apud D. Cillenium Hesperium 1684. in 12.

Le Nuove Muse del Paradiso. Elogii di Nuove Religiose Carmelitane Scalze nel Monastero di S. Teresa di Palermo. Venetiis apud Turrinum 1672. in 4.

L'Areopagita d'Ontivero Compendio historico della Vita del B. Gio: della Croce. Panormi apud Bossium 1675. in 12.

Panegirici, ed Orationi Sacre. Ibid. apud eumdem 1676. in 12.

Suppresso nomine etiam typis dedit,

L'Idea

L'Idea del Cavalier Gerosolimitano mostrata nella Vita di F. D. Agostino Grimaldi, e Rosso. Messanæ apud Iacobum Matthæi 1662. in 4.

Il Balsamo della Fama Mamertina discorso sacro Accademico per la sacra Lettera scritta da Maria V. a' Messinesi, ed altri Panegirici. Venetiis apud Petrum Thomasinum 1664. in 12.

La Chiave d'Italia Compendio historico della Città di Messina. Ibidem apud Marcum Philippi 1670. in 4.

Il Cigno moribondo al fiume di cinque foci, ò vero l'anima innamorata delle cinque piaghe del Crocifisso. Pensieri predicabili. Neapoli apud Novellum de Bonis 1671. in 12. sub nomine P. D. Victorii Constantis Canonici Regularis.

Il Grande Oratione funerale per la Morte di Filippo IV. Re delle Spagne. Ibid. apud eumdem 1671. in 12.

Prælo multa parabat, partim jam absoluta, partim adhuc imperfecta, quorum nonnulla hæc sunt.

Commentaria in quinque libros Decretalium. Tom. IV. in fol.

Mundus eruditus, sive sylva eruditionum. Tomi V. in fol.

Anathome Mundi. Tomi III. in fol.

Pantheon universæ moralitatis, sive totius Theologiæ moralis compendium.

Salomon proverbians, seu flores Abbatis Tritemii.

Philosophus Thomista Parvus. Tomi IV. in 4.

Theologus Thomista Parvus. Tomi V. in fol.

Miles Martyr armatus sub vexillis Angelici Præceptoris militans, seu Theologica disputatio de martyrio militum Regularium.

Tractatus de Divini Verbi Incarnatione. Italicè

Quaresimale.

Avvento.

Panegirici Tomi sei.

La Regia di Sicilia Compendio historico della Città di Palermo.

L'Ombre schiarite, la Concettione di Maria V. difesa giuridicamente, con tre discorsi.

Gersone Monastico, formato con le parole, e dottrine della S. Madre Teresa.

Croniche de' Carmelitani Scalzi della Provincia di S. Alberto in Sicilia.

Palermo Austriaco.

Reliquiario Palermitano, ove si notano tutte le Reliquie insigni, che si ritrovano in Palermo.

I Campi Elisi, cioè le delizie di Palermo.

Il Seminario d'Heroi, Vita d'huomini illustri Palermitani.

La Borsa dell' antichità, Medaglie di Palermo dilucidate.

La Santità felice, Catalogo, ed Elogj de' Santi Palermitani.

JOANNES PETRUS CASTELLUS Messanensis Sacerdos, Francisci Castelli filius, ac Bartholomæi, de quo suo loco, frater. Vir pietate insignis. Edidit Italicè

Guida spirituale degli Afflitti condennati à morte, dove si trattan tutti gli ajuti necessarii per la salute d'un anima, di chi è vicino à morire. Messanæ apud Petrum Bream 1595. in 8.

Hoc opus perperam Petro Castello Medico celebri adscribit auctor Indicis Bibliothecæ Barberinæ; Petrus enim Castellus Medicus, Romanus fuit, origine Messanensis, noster autem Jo: Petrus Messanensis.

JOANNES PETRUS CORILANZA Panormitanus, vir eminentissimi ingenii, quod primũ Philosophicis, ac Theologicis studiis mirificè detexit: inde Jurisprudentiæ addictus, ac Doctoris laureâ insignitus ad eum doctrinæ fastigium ascendit, ut spem omnibus dederit non vulgarem, primariis dignitatibus exornandũ: & sanè has accepisset, ni adversus quidẽ evẽtus ipsũ ab aggresso Jurium studio avertisset. Aliquandiu jura Cæsarea, ac Pontificia non sine maxima laude docuit Panormi. Politioribus literis excultus, Reaccensorum, & Animosorum Academiis Panormi nomẽ dedit. Italicâ, latinâ, ac vernaculâ linguâ multa elegãtissimè condita egregiè cecinit, & anagrammatum artificio singularis, magnam sibi laudem comparavit. Floruit anno 1640. Ipsum laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis p. 2. tom. 2. pag.* 188. ubi aliqua ex innumeris eius ingenii monumentis extant, nempè Siculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Epigrammata. extant in libro Selecta Epigrammata. Panormi apud hæredes Jacobi Maringi 1656. in 12.

Servãtur apud Vincentium Auriã hæc alia m. ss.

Solitudo S. Rosaliæ Panormitanæ. Carmina de D. Rosalia. in 4. & Italicè

Panegirico in lode della Città di Palermo, nella quale conviene la Sapienza, come Capo del Regno. in 4.

JOANNES PETRUS FLACCOMIUS Mylensis Sacerdos, patritiâ exortus familiâ, literis excultus claruit. Musices peritissimus, in Philippi III. Catholici Regis Sacello Musicam moderatus est. Sabaudiæ Duci gratissimus vixit, qui in suum eleemosynarium delegit. Obiit Taurini an. 1617. Edidit opus inscriptum

Concentus in duos distincti Choros, in quibus Vespera, Missa, sacræque cantiones in Nativitate B. Mariæ Virginis, aliarumque Virginum festivitatibus decantandi continentur. Venetiis apud Angelum Gardanum, & fratres 1611. in 4.

JOANNES PETRUS GRIPHEUS Panormitanus nobilissimo genere ortus, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister doctissimus, virtutibusque eximiis ornatus. In nonnullis Siciliæ Cœnobiis Philosophiam, ac scholasticam Theologiam docuit, & in Panormitano lyceo S. Dominici præfuit studiorum Regens. Clarissimâ, solidâq; doctrinâ magnam sui ęstimationẽ excitavit. In Cœnobiis Panormitano S. Dominici, & Augustano Priorem egit. Consilio singularis, ad ipsum passim confugiebant in difficillimis negotiis primariæ nobilitatis Dynastæ. A confessionibus fuit D. Francisci de Castro Comitis Castri, Siciliæ Proregis, apud quem magnâ opinione valuit: eoque instante anno 1620. ad Episcopalem Nolæ insu-

insulam evectus est: ideoque Panormo discedens, ut Romæ consecrationem obtineret, cùm Caetâ appulisset, ibi morbo aggressus decessit, annum agens 70. Est Joannis mentio apud Hipplytum Marraccium *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 777. Petrum Cannizarum *de Religione Panormi m. s. pag.* 268. & Hyacinthum Montaltum *in historia Dominicana Siciliæ* m. s. Edidit Italicè

Rosario della Gloriosissima Vergine Maria Madre di Dio. Panormi 1618. in 8. in cujus fine habes etiam: *Miracoli fatti da Dio per virtù del Rosario.*

JOANNES PETRUS MARCHESIUS nobilis Messanensis, Poeta, & Orator eruditus, quem laudat Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 228. & 518. Edidit Italicè.

Brieve discorso delle vere qualità di Messina. Vicoequensi apud Josephum Cocchium 1584. in 4. & Messanæ apud Petrum Bream 1622. in 4.

JOANNES PETRUS DE VILLADICANIBUS nobilis Messanensis, præstantissimi ingenii vir, quod studiorum exercitatione, Poesi, & eruditione expolivit, ac abunde locupletavit. In historiis, antiquitatum, & numismatum studiis versatissimus, Musæum in propriis ædibus extruxit nobilissimum, numismatum copiâ, & variâ antiquitatum supellectile refertissimum, quarum pretium 20. millium aureorum summam explebat. Hinc innumeri harum rerum studiosi à dissitis etiam Provinciis ad ipsum Messanæ navigabant, ut thesaurum hoc celebre diligentius perlustrarent, in cujus laudem Romę ecloga quædam edita fuit. Magnâ apud literatos veneratione vivebat anno 1590. In hujus viri laudem prodiit Messanæ anno 1558. liber Epigrammatum, ut ait P. Placidus Samperius *in Iconologia M.V. lib.* 1. *pag.* 36. qui ipsum eximiis laudibus ornat, & hæc scripsisse testatur Italicè

Della Vanità, e disspreggio del Mondo.

Della Vita, e Passione di Christo N. S. in Rima Siciliana.

La Vita di S. Raineri Eremita.

La Vita di S. Alberto Carmelitano in Rima Siciliana.

La Vita della B. Eustochia Calafato Fondatrice del Monasterio di Monte Vergine in verso Siciliano.

L'Incendio di Regio.

L'Antichità di Messina, e gli huomini illustri di essa.

Dell'Inferno.

Del male delle Donne.

Delle Guerre degli animali.

Vite de' Pontefici, Cardinali, Imperatori, Regi, Gran Maestri Gerosolimitani, Stradicò di Messina, de' Priori Gerosolimitani di S. Gio: Battista di Messina, de' suoi Senatori antichi, delle Case, e Famiglie nobili, & in particolare di quelle, che si sono già estinte.

Vita, e Miracoli de' Santi Martiri Placido, e Compagni, e della loro famiglia antica. Arnaldus Wion *in ligno Vitæ de familia Anicia* §. 7. citat Joannem Petrum in tractatu *de Inventione corporum S. Placidi Abbatis, & Martyris, ac Sociorum*, quem hunc ipsum esse opinor. Idem Wion *lib.* 3. *in not. ad* 5. *Octob. pag.* 330. De hac re Epistolam ipsius exhibet ad Patrem D. Michaelem Abrinaum.

Delle Reliquie de' Santi, che sono in diverse parti.

La corruttela de' Vocaboli Siciliani.

Idem Samperius *loc. cit. & lib.* 2. *pag.* 301. ait has lucubrationes temporis injuriâ periisse: at Placidus Reina *in hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 518. ubi Joannem laudat, nonnulla ejusdem ingenii monumenta prodiisse testatur, quæ adhuc non vidi. Idem verò *loc. cit. & pag.* 465. Scripsisse tradit

Supplementum ad Historiam Siculam Abbatis D. Franc. Maurolyci, ubi aliqua ipsius fragmenta exscribit.

JOANNES PHILIPPUS BONUS Platiensis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor præstantissimus, ob exageratam doctrinæ laudem inter celebriores ævi sui literatos cooptatus enituit. In Patavino lyceo magna cũ laude publicè docuit. Poeticâ facultate insignis, Poetæ laureati titulum promeruit. Clarissimo nomine floruit anno 1573. Laudant Joannem Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 105, Joannes Paulus Chiarandanus *in histor. Platiæ lib.* 4. *cap.* 3. *pag.* 265. & Didacus de Mastro *in causa Medicorum Poetar. pag.* 57. Edidit librum

De Concordantiis Philosophiæ, & Medicinæ. Venetiis 1573. in 4.

JOANNES PHILIPPUS INGRASSIA Rachalbutensis: nam etsi Franciscus Baronius *de maest. Panorm. lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 117. inter Panormitanos recenseat; & ipsemet Ingrassia in libro *de Peste*, tum *in epist. nuncupat.* ad Philippum Catholicum Regem, tum etiam *cap.* 9. *pag.* 72. Panormum Patriam suã appellet; attamen ex Privilegio Panormitanum fuisse intelligendum, cùm ipsemet alibi se in oppido Rachalbuti exortum scribat, quod nonnulli ex infra notatis auctoribus tradunt. Doctor Medicus fuit celeberrimus, ingenii excellentiâ, doctrinæ soliditate, ac experientiâ nulli secundus. Ætate ad huc florente in Patavina Academia Medicinæ studiis operam dedit, & anno 1537. Doctoris Laureâ insignitus enituit. Indefesso studiorum labore ad illud absolutissiæ doctrinæ fastigium pervenit, ut ipsum tanquam oraculum omnes recolerent: ideoque publico stipendio in Neapolitano Lyceo Medicinæ Theoricam, ac praxim, ut etiam anatomen publicè docuit magnâ auditorum frequentiâ, ac singulari discipulorum beneficio. Ob egregiam, & nunquam satis laudatam doctrinam ad eum venerationis gradum pervenit, ut velut alter Galenus existimatus effulserit. Neapoli ad perennem nominis sui gloriam ipsius simulacrum constituere, cui honorificentissima inscriptio adiecta fuit, in qua Divus appellabatur: cum hac etiam Epigraphe

Philippo Ingrassiæ Siculo, qui veram Medicinæ Artem, atque Anatomen publicæ enarrando Neapoli restituit, discipuli memoriæ causa P.P. M. D.

Ingenii vi in re medica nova quædam adinvenit: præsertim novam ossis structuram in humano capite, cui ob ejus formam, stapedis nomen donavit, teste Gabriele Fallopio *Instit. Anatomicæ tom.* 1. *tract.* 2. *pag.* 48. & Petro Castellano *in Vitis Illustr.*

Illustr. Medicor. pag. 208. qui de Ingarsia scribens ait: *Non ignobile instrumentum, quod stapedem, aut à forma . . . appellant, primus invenit, & scripto celebravit. . . Praeterea novam ossis Ithmoedus structuram deprehendit*. Ex quo duo adinvenisse innuit, nempè instrumentum, quod stapedem vocavit, & ossis structuram: at ex Fallopio ossis inventum stapedis nomine donavit, ut innui *in addictionibus ad Siciliam Inventricem Vincentii Auriæ cap.* 11. *pag.* 230. ubi hæc alia Ingarsiæ inventio addenda; ipse enim omnium primus vessiculas seminales observavit, ut tradit Leonardus de Capua in libro: *Parere divisato in otto ragionamenti, ragion.* 2. *pag.* 45. Patrio amore extimulatus Neapolim reliquit summo totius populi, Procerumque dolore, qui non sine maximo profectu salubrem ipsius opem experiebantur: à quibus mirum in modum venerabatur. Panormum regressus insigni plausu, summisque æstimationis argumentis fuit exceptus, ob singularem doctrinæ excellentiam. Hic doctissimi Joannis opinio ita invaluit, ut diffusâ ejus nominis celebritate, ex ultimis terræ finibus passim ad ipsum confluebant cujuscumq; ordinis viri eruditissimi, ut ipsum conspicerent, ac recolerēt: ipse verò viros doctos quacumque optimâ disciplinâ instructos singularibus amoris officiis cōplectebatur; adeout ejus domus eruditionis Emporium vocaretur. Hinc meritò anno 1563. à Philippo II. Hispaniarum Rege, Siciliæ, Insularumq: adjunctarum Archiater constitutus est: eoque in munere, editis prudentissimis constitutionibus, eximiam vigilantiam in omnium beneficio impendit. Salutari severitate munitus, neminem ad artem medicam exercendam admittebat, nisi prævio diligenti examine, hac arte rectè fungi posse arbitraretur. Immo omnibus, etsi Doctoris laureâ insignitis, medicinæ officia interdixit, nec eadem exercere alicui permisit, nisi prius medicas conclusiones publicè propugnasset: ad hoc verò omnes compellit impetrato Regis decreto. Doctrinæ suæ vires mirum in modum Panormi detexit, cùm anno 1575. grassante in hac urbe, & in magna Siciliæ parte sævissima Peste, ipse Deputationis, ut vocant, Sanitatis, primarius Consultor, ac Deputatus electus, eâ sapientiæ industriâ, prudentiâ, ac dexteritate Urbem Panormi moderatus est, ut contagiosam luem penitus profligaverit; ac Hippocratis Siculi nomen sibi comparaverit, quo passim ab omnibus appellabatur. Hinc in grati animi significationem Panormitanus Senatus 250. aurea eidem singulo mense solvenda constituit: at ipse ex his solùm accepit, quæ ad excitandum, & exornandum Divæ Barbaræ sacellum intra claustra Cœnobii Panormitani S. Dominici satis essent; cætera remisit. Urbis hujus amantissimus, editis sapientissimis consiliis, ejusdem ajeris salubritati consuluit; præsertim ut lacum exsicarent, quem juxta Urbis mœnia Papireti aquæ conflabant, civium saluti nimiùm infensum. Gravioribus Medicinæ studiis amœniores literas, ac Poesim ad animi remissionem coluit: & inter Accensos Panormi Academicos recensitus, eruditione effulsit. Demum vir undique celeberrimus maximo omnium dolore fato cessit Panormi 6. Novembris anno 1580. ætatis suæ 70. & in memorato D. Barbaræ sacello sepultus est. Funebrem pompam Medici omnes, ac Pharmacopolæ comitati sunt: at nominis fama nunquam sæculorum decursu decedet. Emeritis laudum præconiis Ioannem celebrant Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 117. Franciscus Baronius loc. cit. Vincentius de Ioanne *in Panor. Triumphante lib.* 12. *pag.* 121. *& in Panormo restaurata lib.* 2. *m. s.* Leonardus Orlandinus *in discursu Siciliæ pag.* 79. *& in Imaginib. var. pag.* 57. Fulgentius Caccabensis *in Vita Andreæ de Guasto* §. 18. *n.*6. *pag.*100. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 484. *&* 691. Antonius Vanderlinden *de scriptis medicis pag.* 658. qui mendosè in oppido Rachelburgi in Sicilia natum ait, Franciscus Flaccomius *in Sicelide sect.* 3. *pag.* 38. Petrus Castellanus *in Vitis Illustr. Medicor. cit.* Vincentius Auria *in histor. Chronolog. Proregum Siciliæ pag.* 58. *in observ. ad Battillum Ioannis Baptistæ de Iudice pag.* 364. *& in histor. Crucifixi Panorm. pag.* 11. *&* 18. & Didacus de Mastro *in causa Medicor. Poetar. pag.* 55. Edidit

In Galeni librum de ossibus doctissima, & expertissima commentaria. Nunc primùm sedulò in lucem edita, & aptè naturam imitantibus iconibus insignita. Quibus appositus est Græcus Galeni contextus: unà cum nova, & fideli ejusdem Ingarsiæ in latinum versione. Panormi apud Ioannem Baptistam Maringum 1603. in fol. & Venetiis apud Societatem Venetam 1604. in fol.

De Tumoribus præter naturam Tomum Primum, in quo generatim tumorum omnium præternaturalium species, præsertimque eorum nomina, & definitiones, atque etiam causæ, multaque generalia, declarantur. Græci, Arabes, & Latini quatenus ad hæc ipsa pertinent enucleantur. Neapoli 1553. in fol. in hoc tomo alios sex tomos de eadem materia promittit. De eo verò consule Danielem Sennertum *tom.* 5. *operum practic. medic. lib.* 5. *par.* 1. *cap.* 1. ubi observat, quod cùm Galenus 61. tumorum species invenerit, his 165. addidit Ingarsias.

Galeni Artem Medicam Joanne Philippo Ingrasia Siculo interprete, ac veluti novo plusquam commentatore. Venetiis Ioannes Griphius excudebat 1573. & 1574. in fol.

Jatropologiam. librum quo multa adversus barbaros Medicos disputantur, Collegiisque modus ostenditur, ac multæ quæstiones tam physicè, quàm chirurgicè discutiuntur. Quæstionem, quæ capitis vulneribus, ac phrenetidi medicamenta conveniant. Venetiis apud eumdem 1544. & 1558. in 8.

Scholia in Jatropologiam. Neapoli apud Joannem Paulum Luganappum 1549. in 8.

De Frigidæ potu post medicamentum purgans Epistolam. Venetiis apud Franciscum Rampazetum 1575. in 4. & Mediolani 1586. in 4. ex Vanderlinden cit. *pag.* 660.

Prægrandem, utilemque Medicorum omnium decisionem: utrum in capitis vulneribus, Phrenitideque, atque etiam Pleuritide exsolvens nuncupatum medicamentum, an leniens dumtaxat congruens sit? Panormi apud Joannem Matthæum Maydam 1545. in 8.

Quod Veterniaria medicina formaliter una, eademque cum nobiliore hominis medicina sit, materiæ dumtaxat dignitate, seu nobilitate differens: ex quo Veterniarii quoque Medici, non minus quàm nobiles illi hominum Medici ad Regiam Protomedicatus officii jurisdictionem pertineant. Ibidem apud eumdem 1564. in 4. & Venetiis apud Angelum Patessinū 1568. in 4.

Quæstionem de purgatione per medicamentum, atque obiter etiam de sanguinis missione an sexta die fieri possint? quâ occasione de omnibus etiam aliis diebus determinatur, quibus præcipuè purgare, vel sanguinem mittere possimus. Illustriss. Ducis Terrænovæ casus enarrationem, & curationem: è quibus tum penetrantis in thorace vulneris, tum fistulæ curandi methodus elucescit. Quæstionem: utrum victus à principio ad statum usque procedere debeat subtilando, an (ut multi perpetuò observant) potius ingrossando? Venetiis apud Angelum Patessinum 1568. in 4.

Constitutiones, & Capitula, nec non Jurisdictiones Regii Protomedicatus officii, cum Pandectis ejusdem reformatis, ac in pluribus renovatis, atque elucidatis. Panormi apud Joannem Matthæum Maydam 1564. in 4. & Ibidem typis Nicolai Bua 1657. in 4. à Paulo Pizzuto Archiatro in ampliorem formam redactas.

Indicem refertissimum in omnes Galeni libros. Venetiis apud Juntas 1586. in fol. ut ex multorum Medicorum testimonio accepi, & præsertim Josephi Galeani Medici celeberrimi, & Francisci de Franco viri doctissimi. Editum sub nomine Antonii Musæ Brasavoli Ferrariensis, ejusdem Ingarsiæ discipuli.

Italicè

Trattato assai bello, ed utile di due Mostri nati in Palermo in diversi tempi, ove per due lettere l'una volgare, e l'altra latina si determinano molte necessarie questioni appartenenti ad essi Mostri: aggiuntovi un raggionamento fatto in presenza del Magistrato sopra l'infermità Epidemiali, e popolari successi nell'anno 1558. *in detta Città.* Panormi apud Ioannem Antonium Maydam 1560. in 4.

Informatione del pestifero, e contaggioso morbo, il quale affligge, & have afflitto la Città di Palermo, e molte altre Città, e Terre del Regno di Sicilia nell'anno 1575. e 1576. Ibidem apud eumdem 1576. in 4. Quinta hujus operis pars recusa prodiit Panormi apud Angelum Orlandum 1624. in 4. & alibi; cujus doctrinâ, grassante iterum Panormi peste anno 1624. Urbs à Medicis peritissimis moderata est. Lucem etiam aspexit latinè hoc titulo: *Methodum curandi Pestiferum contagium, ex Italico sermone in latinum conversa à Joachimo Camerario.* Norimbergæ apud Catharinam Gerlachin 1583. in 8. *cum Hieronymi Donzellini, Joannis Philippi Ingarsia, Cæsaris Rincii, & Joachimi Camerarii synopsi commentariorum de Peste.* ex Vanderlinden cit. *pag.* 508. Paschale Gallo *in Biblioth. Medica pag.* 187. & Bibliotheca Exotica.

In Bibliotheca Francisci Marchesii eximii Canonici Panormitani, & Antonii Marchesii Iurisconsulti ejus fratris servatur opus egregium Ingarsiæ, cui titulus:

Methodus dandi relationes pro mutilatis torquendis, aut à tortura excusandis. Pro deformibus, venenatisque judicandis. Pro elephantiacis extra Urbem propulsandis, sive intus Urbem domi sequestrandis, vel fortassis publicè conversari dimittendis, ac pro semestrium, octimestrium, undecimestrium, ac aliorum sive majorum, sive minorum successoribus defendendis, deque frigidis, aut impotentibus, & maleficiatis, ac tandem pro gemellorum duorum, sive plurium primogenio determinando. Joanne Philippo Ingarsia Auctore anno Domini 1578. celeberrimum hoc opus parentum incuriâ neglectum, temporisque injuriâ obesum V.J.D. Franciscus Garsia auctoris abnepos pristino candori restituit anno 1637. m.s. in fol.

JOANNES PHILIPPUS DE LIGNAMINE nobilis Messanensis, Doctor Medicus celeberrimus, vir ab ingenio vehementi, acutoque laudatus. Medicam facultatem in Perusino lyceo magnâ discipulorum frequentiâ publicè docuit. Arctissimas amicitiæ leges cum Francisco de Ruvero Ordinis Minorum Ministro Generali, inde S.R.E. Cardinali coluit. Hinc Franciscus ad summum Pontificiæ dignitatis fastigium evectus, assumpto Sisti IV. nomine, amicitiæ memor, in Joannem Philippum eximia benevolentiæ argumēta, summamque æstimationem patefecit: & Medicum suum delegit. Eo in munere doctrinâ, eruditione, & prudentiâ ornatissimus refulsit. Romę Typographicam officinam in ædibus suis voluit, ex qua nonnullos prodiisse libros pluries vidi. Claruit anno 1481. ac filium post se reliquit Antonium de Lignamine Messanensem, qui an. 1514. patriæ suæ Archiepiscopus electus est, ex Roccho Pirro *in not. Eccl. Messan. pag.* 365. & Placido Samperio *in Iconolog. M. V. pag.* 97. Joannem Philippum laudat vir præstantissimus Prosper Mandosius in libro cui titulus: *Theatrum, in quo Max. Christiani Orbis Pontificum Archiatros exhibet pag.* 128. & Ioannes Antonius Vanderlinden *de scriptis Medicis pag.* 660. Edidit librum

De Conservatione sanitatis. Romæ in domo Nobilis Ioannis Philippi de Lignamine &c. 1475. in 4.

De unoquoque cibo, & potu utili homini, & nocivo, eorumque primis qualitatibus. Romæ in 4. ex Vanderlinden *de scrip. Medicis pag.* 661. & Gesnero *in Biblioth. pag.* 484.

De Sibyllis. Romæ in ædibus ejusdem de Lignamine 1481. in 4.

Chronicon. citatur à Ioanne Bap. de Grossis in Abbate Vindicato *pag.* 70.

JOANNES PHILIPPUS PATERNIONUS Catanensis nobili, ac patritio genere ortus, Iuris utriusque Doctor celebris, Regius Consiliarius, ac pluries Magnæ Regiæ Curiæ Iudex. Floruit anno 1537. Ipsum laudat Marius Cutellus *de donat. to.* 1. *tract.* 1. *dist.* 2. *particul.* 11. *nu.* 80. *pag.* 354. Ioan. Bapt. de Grossis *in decacord. Catan. tom.* 2. *pag.* 148. & Franciscus Milanensis *decis. lib.* 2. *dec.* 1. *num.* 68. Hjus extant

Ad Bullam Apostolicam Nicolai V. & Reg. Prag. Alphonsi de Censibus Annotationes. Apud Petrum de Gregorio de Censibus. Panormi typis Ioann. Anto-

Antonii de Franciscis 1609. in 4. & iterum Panormi apud Franciscum Ciottum 1622. in fol.

Apostillæ super Ritu Regni Siciliæ. In Commentariis super Ritu collectis à Marcello Conversano. Panormi apud Angelum Orlandum, & Deciũ Cyrillum 1614. in fol.

JOANNES PHILIPPUS TESTAI' Panormitanus Jurisconsultus doctissimus: ob eximiam doctrinam inter præcipuos Regni Advocatos relatus: hinc meritò Regii Consiliarii munere fuit insignitus: & in Prætorii Panormitani, ac Magnæ Regiæ Curiæ subselliis Judex sedit. Floruit anno 1630. Ipsum laudat Franciscus Strada in libro: *Quietationes pag.*15. Edidit

Allegationes. Panormi typis Joann. Bapt. Maringo 1613. in fol. & Venetiis 1619. in fol. ex Fontana *in Biblioth. legali par.*2. *p.*349.

Allegationum librum secundum. Panormi apud Decium Cyrillum 1640. in fol.

JOANNES DE PLANIS Siclensis Sacerdos, humaniorum literarum Professor eximius, Vincentii Littaræ Netini, de quo suo loco, Præceptor. Prioratum Siclensem S. Laurentii obtinuit, ibique vivebat anno 1574. Hujus meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Syrac. pag.* 257. Petrus Angelus Spera *de nobil. profess. Grammat. lib.* 4. *pag.* 238. & Joannes Baptista Ricciolius *in principio Prosodiæ Refor.* Edidit

Limam, seu dictionarium Poeticum, ubi de Accentibus, & Syllabis, de nominum, verborumque incrementis, multisque regulis adjectis Ciceronis, Quintiliani, ac Servii, ex Virgilio, & Poetarum fabulis collectis agitur. Venetiis typis Dominici Gurrei, & Joan. Bap. Fratrum 1574. in 4.

JOANNES PRÆCOPIUS Panormitanus Ordinis S. Benedicti, in Cœnobio S.Martini de Scalis juxta Panormum: Monasticum institutum amplexus, in eo scientiarum splendore refulsit. In regularibus institutionibus clarus, 8. Decembris anno 1386. Secundus Abbas perpetuus ejusdem Cœnobii, post ipsius instaurationem constitutus, Angelo Sinesio sufficitur, ejusque electionem Urbanus VI. Pont. Max. ratam habuit. Omnium Privilegiorum confirmationem tum pro Cœnobio suo, tũ pro Monasteriis eidem annexis à Martino Rege anno 1392. assequutus est. A Siculis ad Gregorium XII. anno 1414. Orator missus; iisdem interdicti absolutionem obtinuit, quo subjicebantur. Virtutibus insigniter instructus inclaruit: in pauperes præsertim, peregrinos, & hospites omnia charitatis officia exercebat, quorum pedes persępè propriis manibus abluebat. Doctrinâ ornatissimus, Philosophiæ, Theologiæ, Sacręque Scripturæ studia suo in Cœnobio instituit, & aliquando easdem facultates aliis tradidit. Concionatoris munere functus, sacram eloquentiam professus est. Tandem postquam 32. annis eidem Monasterio præfuisset, ibidem ultimum clausit diem 4. Septemb. 1418. & honorificè sepultus est. De eo Rocchus Pirrus *lib.*4. *Siciliæ Sacræ pag.*177. & 178. Scripsit

Quæstiones Theologicas, & in Sacram Scripturam. m. ss. servantur in Bibliotheca memorati Cœnobii.

Historiam instaurationis Sacri Gregoriani Monasterii S. Martini de Scalis. Hæc paucis versibus complexa prodiit in calce libri *de Reædificatione Monasterii S.Martini.* Romæ apud Nicolaum Piccolettum 1567. in 4. Ibid. apud Aloysium Zannettum 1596. in 4.

JOANNES QUINGLES Panormitanus origine Hispanus, Iuris utriusque Doctor, literis, ac morum integritate insignis: in Hispaniam digressus, ibi Catholici Regis benevolentiam expertus est, inter Regios Capellanos adscriptus. Ad Cantoris dignitatem in Sacello Divi Petri Regii Palatii Panormitani evectus, dum hæc typis committuntur, Panormi laudabiliter vivit. Ex Hispana in Italicam linguam vertit, ac suppresso nomine edidit

Mistica Città di Dio, Miracolo della sua Onnipotenza, & Abbisso della gratia, Istoria divina, e Vita della Vergine Madre di Dio, Regina, e Signora Nostra Maria Santissima, Riparatrice della colpa d'Eva, e mezzana della Gratia. Manifestata in questi ultimi secoli per mezzo della stessa Signora alla sua serva Suor Maria di Giesù Abbadessa del Monastero dell' Immaculata Concettione della Villa d'Agrida. Tomo Primo. Panormi typis Augustini Epiri 1701. in 4.

Tomo Secondo. Ibid. apud eumdem 1701. in 4.
Tomo Terzo. Ibid. apud eumdem 1702. in 4.
Tomo Quarto. Ibid. apud eumdem 1702. in 4.

JOANNES RAINERUS Catanensis Sacerdos, vir eloquentiâ, & eruditione clarus, fuit in patria Magister Capellanus Ecclesiæ Cathedralis, Seminarii Clericorum Rector, & à Sacris Cæremoniis Episcoporum Catanensium Marci Gussii, Camilli Astalli S. R. E. Cardinalis, & Michaelis Angeli Bonadies. Amœniores literas coluit; & inter Officinæ Messanensis Academicos enituit. Obiit Catanæ 21. Decembris 1681. & in eadem Ecclesia Cathedrali sepultus est. Ipsum laudat Iosephus Munebria in libro: *Musa risvegliata par.* 1. *pag.*224. Edidit

Le Pompe Nuzziali Panegirico di S. Agata V. e M. Catanæ apud Vincen. Petronium 1652. in 4.

L'Agatee contese della Verginità, Martirio, ed Amor della Patria nel dono sceso dal Cielo. Panegirico in lode di S. Agata V. e M. Ibid. apud eumdem 1654. in 4.

Obelisco Geroglifico. Panegirico Quartodecimo in lode della Gl. S. Agata V. e M. Ibid. apud Bonaventuram la Rocca 1665. in 4.

La stabilita Fè del congresso dell' esemplarità Mamertina per l'accrescimento del culto Divino, & emédatione de' miscredenti infedeli. Monteleoni apud Dominicum Ferrum 1667. in 4.

Scripsit etiam hæc alia, quæ m. ss. reliquit:

La Notte Sacra.

Trionfo de' Sette Martiri Catanesi.

JOANNES RAMONDETTUS S. MARTINUS Nobilis Catanensis, vir avito generis splendore clarus, sed doctrinâ, propriâq; virtute inter præclarissimos Siciliæ viros meritò recensendus. Raimundi Ramondetti S. Martini, Pardi Principis, frater secundo loco genitus, lucem aspexit anno

1630. ineunte ætate gravioribus Regni muneribus laudabiliter functus, comparatâ haud vulgari nominis famâ, omnium venerationem sibi conciliavit. Præcipua hic tantùm recenseam, quæ viri egregii præstantiam satis detegent. Anno 1671. cùm rei frumentariæ inopia Siciliam invasisset, ut famis angustias depelleret Claudius Lamoraldus Princeps de Lignè, qui tūc Siciliæ Regnum moderabatur, Joannem Neapolim misit Oratorem, duabus triremibus honorificè vectum, ut suppetias ab eo Regno impetraret: ibique perbenignè exceptus à D. Petro Antonio Aragonio Duce Segorbæ Neapolitani Regni Prorege, opportuna obtinuit auxilia in Siculorum beneficium: ideoque & plausus promeruit eximios, ac præclariorem sui opinionem excitavit. Anno 1674. ab ipso belli exordio, qui in Sicilia quatriennio æstuavit, apud Proreges semper adfuit, ac bellicis comitiis semper interfuit, in quibus auctoritate, & consilio nimiùm valuit. Hinc meritò anno 1676. Rationūm Magister Regii Patrimonii electus, egregias prudentiæ, ac vigilantiæ dotes mirum in modum patefecit. Exortis Agrigenti rerum turbationibus, ubi frumenti emporium defecerat, anno 1678. à Francisco Benavides Comite S. Stephani Siciliæ Prorege ibi missus est Vicarii Generalis munere insignitus, & per totam Mazariæ Vallem, ut velut opus esset rebus consuleret: quod effecit, omnibus opportunè compositis. Anno 1679. Alicatæ etiam ab eodem Prorege missus Vicarius Generalis ad arduas res pertractandas: & anno 1680. ad curanda, in Regis obsequium Catanæ, & in aliis Civitatibus, Oppidisque Siciliæ magni momenti negotia, supremâ auctoritate munitus, delegatus est, quæ eximiâ prudentiâ peregit. His cùm præclara promerita comparasset anno 1680. Matritum à Catholico Rege accersitus est, ut in Supremo Italiæ Concilio Regentis dignitate præesset: ibiq; eâ virtute refulsit, ut ipsum variis donis, ac beneficiis Rex eximiâ munificētiâ exornaverit: ac præsertim ad augendū antiquissimæ, ac inclytæ suæ familiæ splendorē, Ducis titulo S. Martini cohonestaverit, ex Privilegio dato Matriti 30. Septembris 1682. Cùm Galliæ Regis copiæ Casalem in Italia invasissent, ac non modò Hispaniæ Regem, verùm etiam, & Italos omnes innumeris suspicionibus turbassent: coactis Matriti hac de re nonnullis consiliis, tandem decrevit Rex, Joannem nostrum Oratorem ablegare ad omnes Italiæ Principes, ut fœdus contra Gallos inirent: at etsi hujus electionis decretum, immutatâ rerū facie, haud exequutioni mandasset: attamen conceptam de Joanne egregiam opinionem, Rex ipse sat omnibus patefecit. Anno 1682. Magnæ Regiæ Curiæ Præses, & Regni Siciliæ Justitiarius electus, in Siciliam remeavit, ubi summâ integritate, & prudentiâ Iustitiæ jura servare curavit. Tandem ab omnibus veneratus 17. Octobris 1690. magno omnium dolore Panormi vitam absolvit, & in Eccles. S. Dominici Ord. Prædic. sepelitur; cui D. Vincentius Ramundettus S. Martinus filius Dux S. Martini, & Fabricæ, in sacello Divo Dominico dicato, magnificentissimum extruxit Mausoleum, marmoribus, & artificio conspicuum, hac adjecta inscriptione.

D. O. M.

D. Joannes Ramondetta S. Martini Dux ex antiquissimis Pardi, & Sibaris Dominis germen, sol præclarissimus, Familiam quam ex Vasconiæ Ducum sanguine sub Aragonum regimine in Trinacriam transvectam habuit, novis virtutum omnium splendoribus illustravit. In Regis Aula Italiæ Supremi Concilii Regens, ex eadem prosapia secundus, Hispaniæ plausus promeruit. Præses, ac Magister Iustitiarius Astreæ semper inhærens vestigiis, Siciliæ venerationem æquè, ac amorem est assequutus. Heu! tandem Regni totius occidit inter lachrymas meliori Cœlo oriturus. Panormi XVII. Octobris M. DC. XC. ætatis LX. Amantissimus Filius D. Vincentius Ramondetta Dux Fabricæ, Eques S. Jacobi paterni nominis propriiq; doloris non immemor, immortalitati monumentum posuit.

Emeritis laudibus egregium virum exornant Io: Baptista de Judice *in carm. par. 1. pag. 316. & 434. & par. 2. pag. 351.* Ignatius Gaitone *in discept. pro studiis Catanæ discept. 1. n. 18. pag. 9.* Dominicus Antonius Parrinus *in Theatro Proregum Neapolis tom. 3. pag. 337.* Vinc. Auria *in Chronolog. Proregum Siciliæ pag. 299. & 303.* Franciscus Maria Pisanus *in Animad. Juris animad. 13. pag. 299.* & Bernardinus Masbèl in libro: *Descritione, e relatione del Governo di Sicilia cap. 16. pag. 48.* Edidit

Responsum Juridicum super spoliis, ac fructibus Viduarum Ecclesiarum Regni Siciliæ Sacræ Catholicæ Majestati competentibus de omnibus Prælatis, cæterisque Ecclesiasticis Beneficiis Regio Iuri Patronatus addictis. An scilicet possit de iis in usus etiam merè profanos disponere. Matriti ex typographia Francisci Sanz 1682. in fol.

JOANNES REITANUS Messanensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Concionator celeberrimus, à pusilla corporis mole Ioannini nomine, ubique per Italiam notus, inclaruit. Eloquentiâ, & eruditione refertissimus eâ enituit dicendi vi, ut omnium laudibus elatus, mirificè effulserit. In præcipuis Siciliæ Civitatibus conciones habuit in cinerali jejunio, præsertim Panormi, in Ecclesia S. Francisci, in Cathedrali Messanæ, & alibi magnâ confluentium frequentiâ, & plausu. Cùm eloquentiæ suæ fama ad P. Jacobum Fabrettum Ordinis sui Generalem Ministrum pervenisset, in Italiam accersiuit Ioannem, ut ibi eloquentiæ suæ fluenta è suggestu effunderet. Hinc Forumlivii, Ferrariæ, Veronæ, Bononiæ, Florentiæ Mediolani, Taurini, Venetiis, Placentiæ, Parmæ bis, nempe in principe Templo, & in Cœnobii sui Ecclesia, Romæ, Neapoli aliisque in Civitatibus quadragesimale curriculum confecit: eâque eloquutionis celebritate, ac literatorū concursu, ut ubique laudes acceperit egregias, ac præcipuorum Oratorum gloriam haud

imme-

immeritò sibi vindicaverit. Eâ tempestate P. Nicolaus Lepori Ordinis Prædicatorum, Concionatorum famigeratissimus, florentissimæ orationis dictione haud exiguam æstimationem sibi conciliaverat: floribus enim, ac lenociniis omnium aures capiebat, & in eo dicendi genere, primas obtinuerat. Hinc multos in hanc eamdem viam pertraxit verbi Dei præcones, ut auditores oblectationibus allicerent, & laudes aucuparentur. Cùm autem in Italiam appulisset Reitanus, ut plaudentibus viris morem gereret, stylum minus ornatum, quo in Sicilia è suggestu declamaverat, in floridum immutavit; & eo quo excellebat mẽtis acumine, conciones suas argutiis, leporibus, floribusque conspersit. Hinc statim omnes in sui admirationem traxit; plausus sibi comparavit, & sui famâ omnes explevit Italiæ fines. Ioannem ad nonnullos honores evexere promerita: in patrio solo instituti sui Cœnobio præfuit Custos, ubi & Commissarii, ut vocant, Generalis munus exercuit. In Sicula Provincia Definitoris perpetui honore insignitus eminuit, & Tribunalis Regiæ Monarchiæ Siculæ Theologus fuit. Tervisii S. Officii Consultorem egit. Apud conterraneos suos summo honore prosequutus, in Officinę Messanensis Academia recensitus floruit. Dum eloquentiæ studia prosequebatur, Leontini anno 1693. 11. Ianuarii à memorandi terræmotus ruinis oppressus, non sine divini Numinis ope bis è ruderibus vivus effosus, paulo post morbo correptus eodem anno 1693. in eadem Urbe Leontini decessit. Ioannem laudant Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 519. Io: Franchinus *in Bibliosophia pag.* 66. *&* 332. & Dominicus Guglielminus *in Catana destructa pag.* 144. Edidit Italicè

Il Sol Lione, Panegirico in lode di S. Dominico. Florentiæ sub signo stellæ 1664. in 4.

La Luna cadente, discorso Accademico in cui si mostra la vicina caduta dell' Impero Ottomanico. Venetiis apud Franciscum Valuensem 1665. in 4.

Predica in lode di S. Gio: Battista detta in Fiorenza la Domenica terza dell' Avvento. Florentiæ.

La Lega della morte con la fortuna oratione funebre recitata nella Chiesa de' RR. PP. di S. Maria del Carmine nell' esequie dell' Illustr. Sig. Cesare Marullo Marchese di Condagusta Barone della Mola, & Cavaliere della Stella. Cosentiæ apud Io: Bapt. Ruffum 1666. in 4.

Il Paradiso nella solitudine oratione Panegirica in lode di S. Rosalia V. Palermitana. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 4.

L' Augusta frà i Santi Panegirico in lode di S. Augusta Cittadina, e Protrettrice di Serravalle. Tervisii apud Pasqualinum de Ponte 1686. in 4.

L'Inverno Religioso, oratione Panegirica in lode di S. Corrado Protettore dell' Ingegnosa Città di Noto. Panormi apud Thomam Romulum 1689. in 4.

S. Rosalia, la di cui vita prodigiosa scrive l'Illustr. D. Felice Lucio Spinola, e Malo, &c. tradotta dalla lingua Spagnola nell' Italiana. Ibid. apud Petrum Coppolam 1688. in 8.

In lode dell' Impresa della Fucina, discorso Accademico. Extat in libro inscripto: *Prose degli Accademici della Fucina. libro primo.* Mõteleoni apud Dominicum Ferrum 1667. in 4.

I Felicissimi incontri dell' Ascensione di Christo, e della Lettera di Maria scritta a' Messinesi oratione Panegirica. in libro: *Prose degli Accademici della Fucina libro secondo.* Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

La vera Fortuna di Messina, Oratione Panegirica per la Lettera scritta da Maria a' Messinesi. Extat in prædictis Prosis, & seorsim edita, Monteleoni apud Dominicum Antonium Ferrum 1668. in 4.

Oratione Funerale nell' Esequie fatte in Messina al Re delle Spagne Filippo IV. Extat in libro Georgii Figheræ Tauromenitani, cui titulus: *la Cetra sonora, e lagrimevole.* Trani apud Hæredes Laurentii Valerii 1665. in 8.

JOANNES RICCA Netinus, nobili genere ortus, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, eximius Sacræ Theologiæ Magister, ob doctrinæ profunditatem præclarissimus. Anno 1396. à Netina urbe ad Martinum Siciliæ Regem, ac Mariam Reginam Orator missus, ab ipsis privilegiorum confirmationem, ac Urbis immunitatem obtinuit. De eo vide Vincentium Littaram *de Rebus Netinis pag.* 8. *&* 94. Rocchum Pirrum *not. Eccl. Syrac. pag.* 219. *&* 225. Gesnerum *in Biblioth. pag.* 478. Antoninum Possevinum *in appar. sacro tom.* 2. *pag.* 233. Philippum Cagliolam *in manif. Provinciæ Siciliæ Minor. Convent. explor.* 3. *manif.* 4. *pag.* 126. Bartholomeum de Pisis *in conform. S. Franc. an.* 1365. Lucam Vuadignum *in annal. Minorum tom.* 3. *anno* 1344. *num.* 8. sed cavendus hujus error, *in libro* enim *de Scriptoribus Minorum pag.* 216. de Ioanne loquitur, & *Joannem de Noto, sive de Nostro* vocat, ac scripsisse ait: *Summam de casibus* in summa Angelica citatam: at *pag.* 222. Ioannem Riccam, perperam, Syracusanum appellat, ac scriptis tradidisse testatur *Commentaria in Magistrum sententiarum, & libros de pœnitentia*: additque citari in summa Angelica: nam eumdem esse Ioannem de Noto (non de Nostro) ac Ioannem Riccam Netinum, non Syracusanum clarè liquet. Scripsit ex iisdem Auctoribus

Commentaria in Magistrum sententiarum, citantur ab Angelo de Clavasio *in summa Angelica, de Confessione.*

De Pœnitentia. ex Pirro, & Vuadigno.

Summam de casibus. ex Vuadigno, sed hanc eamdem esse suspicor, ac supra relatam.

JOANNES RUSTICI Collesanensis Medicus Doctor insignis. Scripsit Italicè

Epistola al Dottor D. Angelo Matteo Bonfante. Edita in libro: *Bizzarrie Botaniche di alcuni Semplicisti di Sicilia publicate, e dichiarate da Nicolò Gervasi.* Neapoli apud Novellum de Bonis 1673. in 4.

JOANNES SCORSUS Panormitanus Societatis Iesu, natus anno 1599. á teneris annis pietatem eâ solertiâ coluit, ut innocentiam à sacris baptismatis aquis acceptam nũquam fœdaverit. Societatem ingressus primo Ianuarii 1615. ab Ordinis legibus nec per unguem latum aberravit. Solemnia emisit vota 8. Septembris 1633. & per annos

annos 22. Sodalitio Deiparæ Virginis à Fervore in Panormitano Collegio præfuit, & ita Sodalium animos incendit, ut innumeros ad Regularium Ordines transmiserit, quos virtutum studio illustrarunt. In SS. Virginem mirificè æstuavit amore, & ignem, quo ardebat, in aliorum corda, de ea frequenter loquendo, mirabiliter effundebat: nc dum enim ipsam tanquam matrem venerabatur, verùm etiam, & innumeros speculabatur modos, quibus ejusdem cultum amplificaret. In Societatis Academia cultum instituit, quē Flosculorum Deiparæ vocant, & ut scholarum magistros in sodalitiis Deiparę promoverēt hortabatur. Humilitate inclaruit: paupertatem impensè adamavit. Corpus, mentemque à quacumque labecula puram servavit; ejusque animi candor in externa corporis compositione elucebat. Obedientię addictissimus nec minima,nisi ad Superiorum nutum, perpetrare audebat. Divini amoris igne flagravit, aliosque mirificè accendebat, ac ollam semper accensam communiter vocabant,nunquam enim tepescentem invenere. Hinc nil mirùm si inter graviores corporis dolores, & in adversis, nihil nisi Dei laudes, & gratiarum actiones, divinæ voluntati penitus conformis eliceret. Sanctissimam Eucharistiam præcipuo quodam animi sensu prosequebatur. Divini honoris zelo accensus, ut ad Domini famulatum animas deduceret, studiosè curabat. Sodalitium pro Sacerdotibus ubi,quando à studiis vacabant, convenirent, excitavit: ubi verò pro animarum salute sese protendere haud poterat, sodales suos emittebat,eosq;ut ad Dei gloriam desudarent extimulabat: pro quarum salute ad sanguinem libenter effundendum se paratum ajebat. Inter Sanctos in Patronos delectos, S. Rosaliam tenerrimo cordis sensu recolebat. Tandem numeris omnibus absolutus ad Cœli gloriam animi serenitate, crebrisque suspiriis anhelans, ad ipsam transiit 20. Aprilis 1674. è Collegio Panormitano. Ad funeris celebritatem magnus effluxit populi concursus; ejusque vestium particulas, tanquā sāctissimi viri reliquias oēs avidè diripuere, ejusque sanctimoniæ opinio, quâ virtutibus refertissimus vixit, adhuc viget. Ipsum laudat P. Ant. Natalis *de Cœlesti convers. par. 1. cap. 5. num. 55. pag.*41. ejusq; vitæ relationem edidit P.Ignatius de Vio Soc. Jesu suppresso nomine in libro P. Joannis Italicè scripto, qui septimò in lucem prodiit hoc titulo prænotatus.

*Varie Instruttioni per indrizzo spirituale della Cōgregatione della SS. Vergine del Fervore nel Collegio di Palermo della Compagnia di Giesù.*Panormi apud Dominicum Cortesium 1704. in 12.

JOANNES SICULUS. v. supra *pag.* 313.

JOANNES STELLA Panormitanus, natus 9. Martii anno 1633. in ipso ætatis flore Jurisprudentiæ operam dedit, ac Romę Doctoris lauream accepit in Sapientię Academia anno 1659. Cùm amœniores literas, & Etruscas, Siculasque Musas coluisset, in Reaccensorum Panormitanam Academiam adscriptus, ob eximias ingenii dotes, morumque gravitatem, omnium æstimationem promeruit. Romę, & Matriti apud literatos innotuit. Panormi nonnullorum Procerum à secretis fuit: ac tandem adversę fortunę injuriis, & diuturnâ morborum vi confectus,obiit Panormi 16. Ianuarii 1700. & in Ecclesia SS. Cosmę,& Damiani conditus est. Ipsum laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.1. par. 2. pag.* 331. ubi nostri Ioannis extant vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Edidit etiam Italicè

Erbillo Idillio. Romę apud Franciscum Monetam 1657. in 8.

La Colomba nelle rive d' Oreto discorso in lode di S. Rosalia Vergine Palermitana. Matriti apud Iosephum Fernandez de Buendia 1665. in 4.

Edenda reliquit

Panegirici sacri. Discorsi Accademici. Poesie.

JOANNES STORNIOLUS Messanensis Ordinis S. Basilii Sacrę Theologię Magister, vir doctrinâ, pietate, ac morum integritate conspicuus. Vivit, ediditque Italicè

Vita di Suor Basilia nel secolo chiamata D. Francesca Vernazza, e Bruno dell' Ordine di S.Basilio Magno. Panormi apud Iosephum Gramignanum, & Dominicum Cortesium 1701. in 4.

JOANNES ANTONIUS MONCATA Catanensis, prisco, pręclarissimoque genere ortus; titulis, ac doctrinâ celebris longè, lateque refulsit. Natus patre Gulielmo Moncata Adernionis Comite, ac Magno Sicilię Iustitiario; hęreditario jure Adernionis, Calatanissectę, & Augustę Comes fuit; & avitum nobilitatis splendorem non modò servavit, verùm etiam propriâ virtute pręclariorem effecit. A teneris annis ad illustria patranda animum appulit, & in ipsa annorum acerbitate nonnulla benevolentię argumenta ab Alphonso sapientissimo Rege promeruit: nam primùm annuis mille aureis, ex camera Fiscali Regni Neapolis deducendis,ipsū muneravit:inde an. 1444.Magnū Sicilię Quæstorē,vulgò *Camerlengo*,delegit:quo munere, semper à viris ętate jam confectis obito, non obscurè manifestavit, Ioannem ętatem adhuc florente, meritis, dotibusque maturum: & ita sese omnibus patefecit; nam insigni prudentiâ instructus, ita muneris partes egregiè explevit,ut admirationi etiam invidis fuerit. Anno 1463. Ioannes Rex ad Magni Magistri Iustitiarii dignitatem evexit: ac Gulielmi Moncatę patris socius, ut unà cum ipso hoc frueretur honore regiâ munificentiâ indulsit. Ab eodem patre Sicilię moderatore armorum Gubernator constituitur contra Turcarum vires, quibus Sicilię excidium minabantur: eoque in munere Ioannes Rex ex eadem occasione anno 1485. Augustæ præfecit. Anno 1470. & 1472. fuit Siciliæ Prorex designatus, ut Ximenio de Urrea succederet è Sicilia discessuro: ac etsi Ximenii profectio non cōtigerit;attamen magna nostri Joannis laus, dum dignum Rex existimavit, ut Ximenio viro egregio succederet, cujus prudentia eodem tempore Siculum, ac Neapolitanum Regnum summa cum laude rexit. Sed inde defuncto Ximenio anno 1475. ac etiam annis 1478. 1479. & 1494.

& 1494. Siciliam Proregis munere feliciſſimè gubernavit. Doctrinâ enituit; nam literis addictus eruditiſſimi Poetæ, & Oratoris gloriâ exornatus refulſit; literatoſque eximiâ benevolentiâ proſequutus eſt. Deceſſit, ut opinor anno 1501. nam eodem anno 24. Septembris Gulielmus Raymundus Moncata ejus filius poſſeſſionem titulorum, & ampliſſimi patrimonii hæreditario jure aſſequutus eſt. Hujus meminere Ant. Amicus *in Chronol. Proregum Sicil. pag.* 10. *& ſeq.* Rocchus Pirrus *in Chronol. Regum pag.*101. *& not. Eccl. Catan. pag.* 95. Vincentius Auria *in Chronol. Proregum Sicil. pag.* 17. 20. 21. *&* 298. Lucius Marineus *epiſt. lib.* 5. *ad Cataldum Pariſium,* Matthæus Silvagius *de tribus Peregrinis cap.* 44. *pag.*165. Joannes Baptiſta de Groſſis *in decacord. Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 152. & poſt alios eruditiſſimè Auguſtinus Lengueglia in libro: *Ritratti della Proſapia, & Heroi Moncadi par.*1. *Imag.*12. *à pag.* 439. poſt annos 119. ab ejus obitu prodiere Joannis Thomæ

Epiſtolarum libros tres. Militelli apud Joannem Roſſum 1620. in 16. quibus Italicam verſionem, & adnotationes addidit D. Petrus Carrera. Et iterum Valentiæ per Bernardum Nogues 1658. in 24. unà cum prædicta traductione Carreræ, & verſione in linguam Hiſpanam Laurentii Mattheu, & Sanz equeſtris Ordinis S. Mariæ Mōteſię.

JOANNES THOMAS LONGOBARDUS Meſſanenſis Poeta, edidit Italicè

—*Il Trionfo, Poema di S. Agata V. e M. nella Città di Catania.* Catanæ apud Joannem Roſſum 1628. in 4.

JOANNES TORNAMIRA Panormitanus, nobili genere ortus, Poeticæ facultati addictus claruit anno 1660. Ipſum laudat Joſephus Galeanus *in Muſis Siculis par.* 2. *tom.* 2. *p.* 394. Multa numeris alligata ſcripſit, at ſolùm vernaculâ linguâ prodiere in Muſis citatis

Canzoni Siciliane. Panormi typis Joſephi Biſagni 1662. in 12.

JOANNES VIGINTIMILLIUS nobiliſſimus Meſſanenſis ex Comitibus Vigintimilliis, natus anno 1624. adoleſcens exiguam in ingenii præſtantiſſimi cultu operam dedit: viro enim eximio ob virium imbecillitatem literarum ſtudia interdixere parentes: at diſcendi amore apprimè extimulatus ab eorum oculis ſeſe eripiens, perſæpè ædium latebras penetrabat, ibique celebrium auctorum libros furtim percurrebat. Ineunte ætate ab aliorum cura ſolutus, ſe ipſo præceptore, humaniores literas, Rhetoricam, aliaque amœniora ſtudia amplexus, in Oratoria, ac Poetica facultate mirùm in modum profecit: ideoq; eloquentiâ, Poeſi, ac uberi eruditionis copiâ ornatiſſimus refulſit. In Officinæ, & Radicatorum Academicos Meſſanæ adſcriptus, ingenii monumenta tum ſoluta oratione, tum numeris protulit egregia, magno cum plauſu ſemper excepta. Ut impenſius in literarum cognitione proficeret, pręcipuas Italiæ Urbes, Academias, ac Bibliothecas perluſtravit, non ſine nominis laude, nam inter Otioſos Academicos Neapoli fuit recenſitus, & Leonis Allatii viri celeberrimi, aliorumque eruditorum conſuetudinem, amoremque ſibi comparavit. Cùm autem ad patriam remeaſſet eruditione locupletiſſimus, Philoſophicę paleſtræ ingenii vires dicavit: & ſub Alphonſi Borrelli celeberrimi Mathematici diſciplina, Geometricæ facultati incubuit, hiſque egregiè inſtructus, doctrinâ clariſſimus enituit. Librorum helluo, indefeſſo labore in ſeligendis rarioribus monumentis, præſertim Siciliæ gloriam ſpectantibus, deſudavit. Cùm eruditis, doctiſſimiſque viris Siciliæ, & Italiæ literarium fovit commercium, à literatis amatus, literatorum, & ipſe amantiſſimus. Doctrinam moralibus virtutibus illuſtravit, quibus longè, lateque effulſit, ac ſui venerationem excitavit. Tandem anno ætatis ſuæ 41. aliis 39. Panormi lætali morbo aggreſſus, ibidem vivere deſiit 3. Octobris anno 1665. & in Eccleſia S. Joſephi Cler. Regularium ſepultus eſt, ſummo cum literatorum dolore. Officinæ Academia ſodali benemerentiſſimo juſta perſolvit, & in ejus laudem eruditiſſimas edidere orationes Joannes Natalis, & Joannes Baptiſta Valdina, quas habes in Proſis Officinæ: harum prima hoc titulo prodiit: *Idea del perfetto Filoſofo,* alia inſcripta: *Il Cannocchiale Siciliano:* Antonius Mirella, & Mora tertiam addidit, cui titulum præfixit: *La Fama Oratrice,* ac Meſſanæ edidit anno 1665. Joannem laudant Vincentius Montana *in carmin. vulgar. Officinæ par.*3. *pag.*200. Scipio Glareanus, ſeu potius Angelicus Aproſius *in libro: Grillaja, Grill.*45. *pag.* 515. *in Biblioth. Aproſiana* 222. 224. *&* 431. qui inter illuſtriores virorum icones in ſua Bibliotheca Aproſiana, quam in Cœnobio Vintimillienſi excitaverat, Joannis imaginem ſervabat, ut ex citatæ Bibliothecę indice patet. Poetica etiā monumēta Andreæ Valfrè in eadem Bibliotheca habebat m.ss. in Joannis laudem, ut ibidem *pag.*397. tradit: ipſumque etiam laudat in libro: *Bellezze della Beliſa pag.* 2. 8. *&* 131. ut etiam Placidus Reina *in not. hiſt. Meſſanæ par.*1. *pag.*229. *&* 254. *& par.* 2. *pag.* 520. Didacus de Maſtro in epiſtola nuncup. libri inſcripti: *la Cauſa de' Medici Poeti,* Carolus de Gregorio *in Proſis Officinæ lib.* 2. *pag.* 190. Auguſtinus Oldoinus *in Athenæo Liguſtico pag.* 373. aliique apud ipſum. Edidit Italicè

Poeſie. in libro: *Poeſie Volgari degli Accademici della Fucina. Parte Seconda.* Meſſanæ 1658. in 4. *& Parte Tertia.* Neapoli typis Ægidii Longi 1659. in 4.

Della Parentèla de' Mamertini co' Romani, e oſſervatione ſopra i libri di Cicerone de Finibus. Diſcorſi Accademici. In Proſis Officinæ libro ſecundo. Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

De' Poeti Siciliani libro Primo, nel quale ſi tratta de' Poeti Bucolici, e dell'origine, e progreſſo della Poeſia nell'Iſola di Sicilia. Ibid. apud Sebaſtianum Alecci 1663. in 4.

Alia paraverat, nempè

De' Poeti Siciliani Lirici libro Secondo m.s. in 4.

De' Poeti Siciliani Eroici libro Terzo m.s. in 4.

Hiſtoria Geneologica della famiglia Ventimiglia m.s. in fol. ſervatur apud Hieracis Marchiones, eam-

eamque sæpius citat Rogerius Vigintimillius *in confutatione Geneologiæ Comitum Hieracis*, ex qua nonnulla adducit fragmenta.

Annales Siciliæ. m.s. apud eosdem. citantur ab eodem in libro laudato, præsertim *pag.* 1. 28. & 41.

Discorso dell' origine della lingua Siciliana, da cui hebbe origine l'Italiana. ex eodem loc. cit. *pag.*36. apud eumdem.

Plura moliebatur ex Joanne Baptista Valdina *in oratione funebri in Prosis Officinæ lib.*1. *pag.* 174. & *seq.* nempè

Della Poesia, e de' Poeti Siciliani Antichi Tomi IV.

Della Retorica, dell' origine di essa, e de' Retori Siciliani Tomi IV.

De' Filosofi, Medici, Mathematici Siciliani Tomi IV.

La Sicilia, in cui si comprendono gli Eroi, Sibille, Reggi, Capitani, Legislatori, Vincitori in Olimpia, Istorici, Pretori, Scultori, Musici, Sonatori, & altri huomini illustri della Sicilia. Tomi III.

Miscellanea Siciliana, overo Notizie Siciliane delle Leggi, Usi, Consuetudini, Riti, Costumi, Popoli, Città, Vesti, Giochi, Sagrificii, Tempii, Fabriche, Magistrati, Governi, Sacerdoti, Arti, e cose più degne di memoria della Sicilia.

Ejus operâ prodiere Poetæ Antiqui à Leone Allatio collecti, ac editi Neapoli typis Sebastiani Alecci 1661. in 8. ibique extat epistola ad lectorem *pag.*59. nostri Joannis sub Academici occulti nomine.

JOANNES VIGINTIMILLIUS alter à supra relato, Panormitanus, filius nothus Francisci Vigintimillii Hieracis Marchionis, Jurisprudentiæ operam dedit, ac Doctoris laureâ donatus, inter insignes causarum patronos fuit recensitus: hinc ad Judicis dignitatem in Magnæ Regiæ Curiæ, & Consistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ subselliis non immeritò fuit evectus. Amœniores etiam coluit literas; Musas præsertim Italicas, Siculasque, quibus laudem haud vulgarem promeruit: dum autem magnâ spe ad eminentiores Jurisprudentiæ gradus ferebatur, explosо in eum sclopo peremptus, Panormi 12. Augusti 1672. in Ecclesia S. Mariæ de Misericordia sepultus est. Ipsum laudat Franciscus Strada *in libro quietationum pag.* 15. & Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.*1. *par.*2. ibique hujusce leges vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

Hispanicè

Memorial Geneologico de D. Juan de Ventimilla, y Norman Conde de Ventimilla, Vigesimoquinto Cõde, y Undecimo Marques de Irachi &c. (autoris frater) Matriti apud Didacum Diaz dela Carrera 1660. in fol.

Multa etiam scripsit in jure, quæ non prodiere.

JOANNES VINCENTIUS ALISERIUS Panormitanus Tertii Ordinis S. Francisci Theologus doctissimus; Græcis, Hebraicisque literis apprimè excultus. Concionator celebris, in Sicilia, & in præcipuis Italię Civitatibus magno cũ plausu, ac fructu prædicationis lumine effulsit. Romę præsertim quinquies quadragesimale curriculum non sine plausu confecit. Multa honorificè obivit Ordinis munera. Cœnobia Panormitana S. Mariæ de Misericordia, & S. Mariæ Annunciationis Zisæ gubernavit. Fuit etiam à Secretis Generalis Ordinis, ac ipsius Ordinis Generalis Procurator. S. Officii Siciliæ Cõsultorẽ, ac Censorem egit scientissimum. Deiparæ Virginis studiosus, in singulis ipsius pervigiliis jejunium servabat, in quo solo pani frigidam addebat. Modestiâ, morum integritate, ac mirâ suavitate claruit; ideoque apud nobiles viros magnâ æstimatione, ac consilio valuit. Tandem gravi morbo vexatus, ut aeris mutatione convalesceret, ad Cœnobium Burgii delatus est, ubi ita invaluit morbi vis, ut supremam vitæ lineam expleverit 14. Septembris 1652. De eo vide Franciscum Bordonum *in Chronolog. Tertii Ord. S. Francisci cap.*13. *num.* 55. *pag.* 318. *cap.* 25. *num.* 80. *pag.* 456. & *cap.* 38. *pag.* 561. qui scripsisse testatur librum

De Sacramento Altaris vulgari stylo elegantissimo.

JOANNES VINCENTIUS VALENTI Alcarensis Sacerdos, Musices peritus, & in humanioribus literis versatissimus. Grammaticæ præcepta diu docuit in oppido Noariæ; & tandem Militelli decessit circa annum 1650. ætatis 49. Edidit

Grammatices Præcepta ex antiquorum Codicibus excerpta. Messanæ typis hæredum Petri Breæ 1644. in 8.

Quorundam Grammaticæ Præceptorum ad tyronum instructionẽ breve compendium, seu examen. Ibidem apud eosdem 1644. in 8.

Italicè

Catalogo de' Verbi.

JORDANUS ANSALONIUS dictus etiam Jordanus à S. Stephano, quia in oppido S. Stephani in Sicilia ortus, Ordinis Prædicatorum. Vix Ordinis habitum suscepit, cùm statim divini honoris zelo, ac animarum salute incaluit; magisque conflagravit auditâ Martyrum quorumdam morte, qui propugnando Catholicæ religionis gloriam, sanguinem effudere. Hinc post iteratas preces, superiorum veniâ, in Provinciam Castellæ in Hispania se transtulit, ut inde ad Iaponiam transfretaret: ideoque in Cœnobio Salmaticensi S. Stephani exacto studiorum curricuculo, tandem anno 1625. ut ad optatam Japoniã velificaret obtinuit: hinc ad Philippinas Insulas iter direxit, ac in ea diuturna navigatione incommodis refertissima, charitatis specimen dedit tũ sociis ministrando, tum navi vectis in fidei rudimentis erudiendo; ac virtutibus amplectendis. Eas ad insulas appulsus, ibique ex obedientia consistere compulsus Sinensium Xenodochium in Urbe Manilę à Fratribus Prædicatoribus excitatum rexit, ubi charitatis officia in animarum beneficium exercuit: ferventissimè ægrotis inservire, eosque in rebus fidei erudire consuevit. Tunc Sinensium linguam, etsi difficillimam, brevi temporis lapsu didicit, ut etiam illam novæ Segoviæ, & Japoniæ, quas præter Italicam, lati-

Latinam, Hispanam, Græcam, perfectissimè callebat. Elapsis aliquibus annis, jussus ut in Japoniam navigaret, magnâ sui exultatione an. 1632. ad ipsam trãsiit, ubi unà cum F. Thoma à S. Hyacintho ejusdem Ordinis sodale, statim laxatis ferventissimæ charitatis habenis, vastissimam Chisti vineam excolendam suscepit: in animarum salute promovenda, & Fidei Catholicæ propagatione impiger desudavit: ac diuturna itinerum spatia, labores, pericula constanti pectore pertulit. Amplissimas lustrando provincias, eò pervenit, ubi Christi fideles octennio Catholicum Sacerdotem non viderant, ibique charitatis flammas longè, latèque diffudit. Contracto ob innumeros labores morbo, non alio augebatur dolore, nisi quod sine sanguinis effusione pro Catholica Fide decederet: sed Virginis ope ad sanitatẽ restitutus, sæviente in Urbe Nangasacchi contra Christianos persecutione, in carcerem conjectus est, magna cum persequentium lætitia, sed majori Jordani gaudio. Apostolicâ fortitudine coram Urbis Præfecto Catholicam religionem fassus, contumelias, convicia, carceris ęrumnas per menses tres, diesq; septem pertulit: blanditias, minasq; omnes imperterrito pectore contempsit. Hinc novo Japoniæ crudelitatis invento tentatus est: immissâ enim magnâ vi per os nimiâ aquæ copiâ, duabus tabulis interclusus, enormi impetu pedibus pressus est; adeout ex corpore mirùm in modum tumefacto aqua ne dum ex ore, verùm etiam ex naribus, oculis, auribusque, unà cum sanguine immixta refluxit: quod tormẽti genus pluries in ipsum ingeminarunt, usque dum semivivum in carcerem detulere. Nec expleta tyrannorum barbaries, nova adjecit tormenta; nam acuta arundinum frustula inter manuum ungues infixit: & cùm inter cruciatus hilaritate profusum animadverterent, arundinibus pudenda trãsfixere. Tandem ejus constantiam prosternere desperãtibus, morti damnatus est, & 69. Christianorum Coriphæus constitutus: corpore itaque inverso suspensus, & immenso lapidum pondere tractus, tormentis forti animo per dies septem toleratis, tandem ad insignem martyrii palmam in Cœlum evolavit ab Urbe Nangasacchi 18. Novembris anno 1634. Virtutibus egregiis ornatus, ac prophetico spiritu clarus floruit. Tanti viri scripsere Aduartes Episcopus *in Chronicis Philippinis*, Dominicus Maria Marchesius *in diar. Domin. tom. 6. pag. 91.* Petrus Ansalonus *in sua familia p. 106.* & Vincentius Maria Fontana *in monum. Dominic. par. 5. cap. 1. pag. 626.* Scripsit

Vitas Sanctorum Ordinis Prædicatorum ex prima, & secunda Centuria R. P. F. Hernandi de Castillo: quod opus m.s. à Fratribus ejusdem Ordinis in Cœnobio Hispalẽsi magnâ veneratione servatur.

De Idolis, Sectis, & superstitionibus Sinensium, cum eorum confutatione. Hoc opus eumdem puto, quod scripsisse innuit Auctor *Apologiæ Missionariorum Sinensium Ordinis Prædicatorum*, editę Coloniæ 1699. in 8. *cap. 9. pag. 122.* ubi inter Scriptores Ord. Prædicatorum de rebus Sinensibus Jordanum recenset.

JORDANUS CASCINI Panormitanus Soc. Jesu, nobili loco natus 25. Novembris 1565. Societatem amplexus est anno 1587. in qua doctrinâ, moribusque eximiis refulsit. Singulari præditus prudentiâ, ac pietate, nonnullis Societatis honoribus fuit insignitus. Bis enim tyrocinium, pluries, diuque Collegium, ac Domum Professorum Panormi rexit, ibique etiam Tertiæ Probationis Patribus præfuit. Semel, & iterum Siculam Provinciam gubernavit, & extra Regni limites Venetam Provinciam moderatus est: quibus in muneribus per annos 36. ad miraculum usque effulsere tum excelsæ ejus prudentiæ dotes, tum morum integritas, ac in sibi commendatos ardentissimæ charitatis officia: hinc illi, quibus præerat non ad moderatorem, sed veluti ad patrem amantissimum confugiebant; omnesq; ipse magnâ suavitate complectebatur. Virtutes coluit egregias, præsertim humilitatem. Paupertatis studio eminuit; idcirco libentius vestibus vilioribus, ac detritis gaudebat, quas nunquam deponebat, nisi clam sibi permutarent. Erga pauperes paterna fovebat præcordia, ipsos enim eleemosynis abundè levabat, & ut illorum nuditatem contegeret, non rarò propria veste donavit: ideoq; meruit ut Angelo sub pauperis specie eleemosynam erogaret. Pauperum etiam confessiones libentius audiebat, quibus sæpius pedes lavabat. Hanc autem vitæ rationem, honorificis muneribus cohonestatus, constantissimè servavit. Prudentiâ conspicuus ipsum sæpissimè consulebant Siciliæ Proreges, Panormitanus Senatus, Joannettinus Doria S.R.E. Cardinalis, & Archiepiscopus Panormitanus, ejus Vicarii Generales, aliique. Apud Principes, Dynastas, ac primariæ nobilitatis viros magnâ valuit æstimatione. In discernendis spiritibus cœlesti lumine perfusum prædicant. Anno 1624. invento divinitus corpore Divæ Rosaliæ Virginis Panormitanæ, ab eodem Joannettino Doria Archiepiscopo, tãquam præcipuus Theologus fuit electus, ut consultationibus institutis interesset, ob examen Reliquiarum ejusdem Virginis: ac præ cæteris desudavit, ut rei veritas eluceret; & summo ejus studio, sapientiâ, ac singulari prudentiâ curavit, ut Virginis Reliquias publicæ adorationi exponerentur: eaque Virginis ope Panormus, ac Sicilia ferè tota à peste liberata est: : & Iordanus velut Pater Patriæ veneratus enituit. Ideoque insigni hoc beneficio eximio viro sese devinctum ostendit Senatus Panormitanus, dum in ejus morte, quæ Panormi obtigit 21. Decembris anno 1635. in Domo S. Francisci Xaverii, proprio sumptu justa funebria civi benemerentissimo persolvit, ac Senatus ipse solemni Missæ sacrificio, ac funebri orationi interfuit. Hujus laudes recensent P. Petrus Salernus *in epistola ad lectorem Vitæ D. Rosaliæ ejusdem P. Jordani*, Bibliotheca Soc. Jesu *pag. 518.* Sylvius Tornamira *in Prodigiis SS. Angelorum cap. 5. pag. 101.* Paruta *in triumph. D. Rosaliæ pag. 14. 20. & 86.* Joannes Nadasi *in ann. dier. memorab. 21. Deceb. pag. 337.* Philip. Labbeus *in Chronol. Pinacoth. Scrip. Soc. Jesu pag. 382.* Edidit

Vitam S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ è Tabulis, & Parietinis, situ, ac vetustate obsitis, è saxis, ex antris, è ruderibus cæca olim oblivione consepultis, & nuper in lucem evocatis. Romæ per Valerium Regnartium 1627. in fol.

De Vita, & Inventione S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ Commentarium Breve. Panormi apud Decium Cyrillum 1631. in 4. & iterum apud eumdem 1643. in 4.

Italicè prodiit ejus opus posthumum

Di S. Rosalia Vergine Palermitana libri tre, nelli quali si spiegano l'Inventione delle Sacre Reliquie, la Vita solitaria, e gli honori di Lei. Panormi apud Cyrillos 1651. in fol.

Triumphalem Arcum Florentinorum anno 1625. in solemnitate Inventionis D. Rosaliæ variis ingenii monumentis ornavit, quæ extant apud Paruttam *in Triumpho D. Rosaliæ*, edito Panormi.

JORDANUS A S. STEPHANO v. Jordanus Ansalonus.

JORLANDUS BONAMANUS Poeta Siculus, edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis Siculis parte Tertia. Panormi apud Bisagnium 1651. in 12.

JORLANDUS MASCARDUS Agrigentinus Ordinis S. Mariæ de Monte Oliveto, vir doctus, ac pius. Obiit Panormi circa annum 1645. Edidit Italicè.

Racconto delle Cerimonie da usarsi nella Solennità delle Quarant'hore. Panormi apud Alphonsum de Isola 1632. in 12.

JOSEPHUS ABBAS Alcamensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis, natus 26. Februarii anno 1602. Regulare Institutum amplexus est. In ea claruit Theologus, ac Concionator doctus. Aritmeticæ fuit etiam peritissimus. Diu Cœnobium Alcamense rexit Vicarii munere summa cum laude: & ibidem extrema clausit 14. Decembris 1671. Edidit Italicè

Guida dell' Anima per la via del Cielo. Panormi apud Hieronymum Rossium 1646. in 12.

Stato dell'Anime doppo la presente Vita, nel quale si tratta de' luoghi di quella, della venuta di Antichristo, e del Giuditio universale. Panormi apud Augustinum Bossium 1662. in 8.

La venuta de' Magi dall' Oriente all' Occidente nel nascimento di Christo in Betlemme Rappresentatione historiale. Ibidem apud eumdem 1660. in 8.

Compendio dell' Indulgenze dell'Ordine de' Minimi. Prælo parabat

Observationes pro majori commoditate celebrantis.

Passatempo dell' Aritmetica prattica.

JOSEPHUS AGLIATA Panormitanus, ex Leone Allatio *in drammaturgia ind. 6. pag. 607*. (ubi opellas drammaticas ineditas annotat) scripsit Italicè

I Giovani contenti, Comedia in prosa.

JOSEPHUS ALBION CALASCIBETTA Platiensis Baro Sabucis, & Limuni, Juris utriusque Doctor; ne dum Jurisprudentiæ doctrinâ instructissimus, verùm etiam eruditione, ac politioribus literis ornatus innotuit. Inter Reaccensos Academicos fuit recensitus, & ad honorifica munera Judicis Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & Auditoris Generalis Bellicę gentis. Decessit Panormi 25. Maii 1682. & in Cœmeterio Capuccinorum sepulturæ traditus est. Edidit Hispanâ linguâ sub anagrammatico nomine Sabini Olphei

Mesina escarmentada de bajo de el yugo de la tirania de Francia. Relacion historico-politica. Panormi apud Carolum Adamum 1675. in 4.

JOSEPHUS AMATUS Panormitanus J.U. Doctor, Antonini Amati celeberrimi Jurisconsulti, de quo suo loco, filius. Ingenio præstantissimo præditus, amœnioribus literis sese addixit: historicâ eruditione, ac linguarum exoticarum varietate ornatus claruit. Musas coluit, præsertim Siculas. Obiit circa annum 1660. Ipsum laudant Alphonsus Salvus *in prosis p. 205*. & Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pag. 417*. ibique extant vernaculâ linguâ hujusce viri

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS DE AMBROSIO Messanensis Sacerdos, ab adolescentia non modò humaniores literas, verùm etiam & severiores disciplinas magna cum laude didicit. Sacræ Theologiæ, ac Jurisprudentiæ laureâ donatus, doctrinâ instructissimus enituit. In Messanensi Academia aliquādiu Philosophiam publicè docuit, Lectoris extraordinarii munere insignitus. Ad Parochialem curam Ecclesię S. Leonardi, & S. Mariæ la Porta Messanæ promerita egregia virum eximium evexere. Ibique virtute, animarum zelo, morumque integritate semper refulsit. Politioribus etiam literis apprimè excultus, in Officinæ Messanensis Academicos recensitus, Poesi, eruditione, & eloquentiâ egregias laudes in sui exaltationem excitavit. Pluries è sugestu concionantem cum laude excepere, & ab ingenio, & probitate clarus, adhuc superstes Messanæ veneratur. Edidit Italicè

Quattro portenti della Natura, dell' Arte, della Gratia, e della Gloria, rappresentati dalla nobile Città di Messina nell'anno 1685. ne' festeggiamenti della Sacra Lettera, che scrisse Maria Vergine. Messanæ apud Vincentium Amicum 1685. in 12.

Le Gare degli Ossequii ne i Trionfi festivi esposti dalla Nobile Città di Messina per l'acclamazione dell' Invittissimo Monarca delle Spagne, e di Sicilia, &c. Filippo V. Borbone Duca d' Angiò il Grande, il Pio, il Magnanimo nell'anno 1701. Istoria Panegirica. Messanæ apud Antonium Arenam 1701. in 4.

Rime. In libro: *Duello delle Muse degli Accademici della Fucina Trattenimento Terzo*. Neapoli apud Andream Colicchiam 1670. in 4. & in libro *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina Parte Terza*. Neapoli apud Sebastianum de Aleccie 1661. in 12.

JOSEPHUS DE ANDREA Messanensis Societatis Jesu, natus anno 1608. Societati nomen dedit 31. Martii 1626. in qua solemnia emisit vota primo Junii 1648. Concionatoris munere suscepto, eloquentiâ, & omnimodâ eruditione refertissimus innotuit; & inter præstantiores ævi sui concionatores adscriptus est. In præcipuis Sicilię, ac Ita-

ac Italiæ Civitatibus conciones habuit magnâ auditorum frequentiâ, omnesque ad ipsum confluentes ad novam vitæ rationem, pœnitentiam, ac sanctimoniam excitabat. Humilitatis mirum in modum studiosus, undique sui demissionem promovebat: inter ingentes omnium plausus, quibus ejus conciones excipiebantur, lacrymas frenare haud poterat: putabat enim Societati nimiùm detraxisse concionibus suis insulsis: quòd indignè divinum Verbum disseminaret; ac Domini talenta improbè expenderet. Ad secessus libenter confugiebat tum ut Deo totus vacaret, tum ut villicos ad æternæ felicitatis consecutionem instrueret: & abjectâ ruditate expoliret. Virtutibus omnibus exornatus in tyrocinio Messanensi octogenario major decessit 12. Junii 1689. Ipsũ laudat Placidus Reina *in Not. hist. Messanæ par. 2. pag.* 521. Edidit Italicè

Oratione fatta in onore della Sacratissima Letterà della Vergine scritta a' Messinesi, e recitata nel Duomo di Messina. Messanæ apud Hæredes Petri Breæ 1650. in 4.

JOSEPHUS ANELLUS Mazariensis, insignis Poeta. Obiit anno 1520. Ipsum laudat Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 543. qui hæc m. ss. reliquisse, apud U.I.D. Josephum Centorbi servata, testatur, nempè:

Vitam SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ,
De Arte Poetica Christiana lib. 2.
Epigrammatum lib. 2.
Carmina.

JOSEPHUS ARTALIS Mazarinensis, non Neapolitanus, ut somnians ait Nicolaus Toppius *in Bibl. Neapolitana pa.* 168. Auctor etenim ejus vitæ infra adductus Siculum fuisse evincit. Patre Josepho Artale lucis usuram accepit anno 1628. in oppido Mazareni, ut multis possem rationum testimonijs comprobare: sit pro omnibus tum publica ipsius oppidi fama, tum historia Sicula Thomæ Fazelli in Cœnobio Mazarinensi S. Dominici, ibi ex dono ejusdem Josephi asservata, in quo ipsius manu legitur: *D. Josephus Artalis Mazarinensis.* A teneris adhuc annis tum ad Poesim tum ad arma miram animi propensionem detexit. Humanioribus literis excultus, vix annum decimum quintum attigerat, cùm ense se accinxit, & ad duellum vocatus à quodam, cujus verba per irrisionem dicta verberibus castigaverat, lethale illi vulnus inflixit. Hinc ad Ecclesiæ asylum confugiens, ex occasione oblata Philosophiæ operam dedit. Defunctis parentibus, ac adversæ fortunæ injurias perpessus, extra Siciliam benigniorem Cœlum perquirere statuit: hinc triremibus Melitensibus vectus, transfretavit in Cretam Insulam, tunc turcico furore oppugnatam; ibique Martis studia sequutus, propugnando Urbis mœnia egregiam navavit operam, ac nonnulla edidit contra Babaros fortitudinis argumenta. Illud præ cæteris non præteream facinus insigne in navali certamine patratum: etenim Navis, quo vehebatur, hostilem proprius aggressa navem, primus illam conscendit, ac patefacto per inimicos gladios aditu, magnam turcarum cladem edidit, accepto tantummodo vulnere levissimo: hinc in bellicæ virtutis testimonium meritò honorifico diplomate Eques militaris Ordinis Angelici-Aurati-Constantiniani S. Georgii fuit renunciatus, quo etiam facultas ipsi concessa ut ursæ coronâ redimitæ (ut erat vetustæ familiæ suæ tessera gentilitia) bicipitem Aquilam adjungeret. In Italiam regressus, monomachiâ pluries decertare coactus, & multoties stricto contra multos ense, etsi dispari prælio, victor semper evasit, ac strenuissimi viri nomen sibi comparavit. Aliquando imperterrito pectore, quinque, & octo hominum vim repellere oportuit: ideoque multis inflictis, & aliquoties acceptis vulneribus, plurimorum sanguine cruentatus, formidabilis fuit, ejusque ensem pertimescentes omnes, ad duellum provocare non audebant; in arte etenim gladiatoria, quam vernaculo nomine *Scherma* vocant, peritissimus fuit, immò singularis, & concertationibus suis opinionem conceptam multimodis confirmavit; adeout celebris undique fuerit: pluraque patrasset, nisi providi Numinis cura virum à Christiana mansuetudine abhorrentem, ab illa vitæ ratione avertisset: ab anno etenim quadragesimo ætatis suæ usque ad vitæ extrema, podagra, chiragra, ac lue venerea discruciatus, coactus fuit ab incœptis facinoribus desistere, quibus vel usque in aliquas Germaniæ regiones Eques sanguinarius vocabatur. In hastiludiis concertando etiam strenuissimi Equitis partes non sine laude, plausuque explevir, ac amplissimis præmiis fuit muneratus. A Principe Palatino Ernesto de Brausuich, & Luneburghi Custodiæ suæ Dux constitutus fuit, quo honorifico munere illi tantummodo operam dedit: cæterùm semper ab omni cura solutus, nonnullis Principibus, ac Dynastis vel amicus, vel socius claruit, A Martis studiis nunquam sejungi permisit Musarum cantus: hinc vel in ipsis bellici furoris ardoribus, etruscis carminibus lusit; & absoluto Cretensi bello in celebrioribus Italiæ Academiis fuit adscriptus; in quibus vividas ingenii dotes, non sine literatorum laude, detexit: ac in multis Princeps electus, ejus Poesis, ac eruditio singularis, laudibus, honoribusque fuit cumulata. Mecœnates meruit memoratum Principem Palatinum, ac Leopoldum Imperatorem: præter Principes, ac Dynastas primarios. Tandem vehementioribus podagræ doloribus affectus, Ecclesiæ Sacramentis munitus, editisque christianæ pietatis argumentis, vitam absolvit Neapoli 11. Februarii 1679. & in Ecclesia S. Dominici Fratrum Observantium S. Francisci sepulturæ honorificè demandatus est. Academia quam dicunt *degl' Intricati* tanto viro justa funebria persolvit in Cœnobio majori S. Dominici, in qua à Vincentio Antonio Capocio funebri Oratione, aliisque Academicorum laudibus fuit meritò cohonestatus. Ejus Vitam scripsit Vitus Cæsar Cabballone, sub anagrammatico nomine Catonis Aurelii Clabbes, quam habes *par.* 1. *Enciclopediæ poeticæ* nostri Artalis: ipsumque laudant Joannes Franciscus Lauredanus *in epistolis,*

Franciscus Marinus *in epist. par. 2. pag. 169. & 170. & in carmin. par. 1. pag. 181.* Fridericus Meninnus *in carmin. pag.* 253. & 256. Balthassar Pisanus *in carmin. lyric. pag.* 180. Christophorus Jvanuovich *poesi pag.* 111. Joan. Bap. Grappellus *in carmin. pag.* 88. clarissimus Caetanus Fremigliozzi *in lib. Nuova staffetta di Parnasso pag.*245. aliique. Edidit Italicè

Dell' Enciclopedia Poetica parte Prima. Perusiæ apud hæredes Petri de Thomasio 1658. in 8. & post alias alibi plures editiones, expolitam, & auctam quintùm recusa Neapoli apud Antonium Bulifon 1679. in 12.

Parte seconda, quinta impressione. Neapoli apud eumdem Bulifon 1679. in 12.

Parte terza, o vero l'Alloro fruttuoso, seconda impressione. Ibid. apud eumdem 1679. in 12.

Il Cordimarte historia favoleggiata. Venetiis 1660. in 12. & Neapoli typis ejusdem 1679. in 12.

Guerra tra Vivi, e Morti, Tragedia. Neapoli apud eumdem 1679. in 12.

La Pasife, overo l'Impossibile fatto possibile. Dramma per Musica. Venetiis apud Jacobum Battum 1661. in 12. ex Leone Allatio *in drammaturgia pag.*718. apud Nicolaum Toppū *in Biblioth. Neapol. pag.*337. & Coronellū *in Biblioth. tom.*4. *pag.* 981.

JOSEPHUS AUGUSTINUS Panormitanus Societatis Jesu, natus anno 1573. Societati nomen dedit anno 1590. cui quatuor solemnibus votis se adstrinxit. Romam missus, emenso studiorum curriculo, ob ingenii felicitatem ad eminentissimum doctrinæ fastigium pervenit: hinc Romæ magno cum plausu, ac laude Philosophiā sexennio docuit: inde Lugdunum, & Avenionem missus, ibi eâ auditorum frequentiâ Theologiam professus est, ut in Ecclesiis eam tradere compulsus fuerit, cōparatâ sibi magni nominis famâ. Morborum vi coactus Panormū remeavit, ubi per annos tredecim diffusâ undique doctrinæ solidissimæ celebritate, Theologiam docuit: ac per annos undeviginti in eodem Panormitano Collegio studiorum Præfecturam gessit. Apud S. Officii Siciliæ Judices Censor; & Panormitanam Ecclesiam moderante Joannettino Doria S. R. E. Cardinali, Examinator Synodalis constitutus, sui opinionem firmavit. Sapientiæ prçclarissima vitæ inculpatæ exempla sociavit: nunquam conscientiæ candorem gravi labe fœdavit: humilitatem magno coluit studio, omnesque plausus contempsit, & quo magis acclamationibus ejus doctrinam omnes afficiebant, eo se ipsum deprimebat. Hinc haud typis commendasset ingenii monumenta, nisi obedientiæ vis, virum egregium compulisset. Romæ in Congregatione Procuratorum ex omnibus Provinciis Societatis interfuit Provinciæ Siculæ Procurator: sed statim ac Panormum repetiit, ardentius ad Cœlestem patriam æstuare cœpit; ac paulò post fervescentia ipsius desideria Deus explevit; religiosè enim decessit in Collegio Panormitano 29. Maii anno 1643. Funus non sine pompa celebratum, ac defuncti promerita funebri oratione exornavit P. Paulus Garlanus ejusdem Societatis Ecclesiastes celeberrimus. Hujusce laudes lege in Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 521. in oratione studiorum P. Caroli Paternionis *pag.*25. & 26. & apud Philippum Labbæum *in chronolog. Pinacotheca Scrip. Soc. Jesu pag.*399. Franciscum Bardum *in epistola ad lectorem libri de conscientia*, P. Vincentium Coronellam *in Biblioth. univers. tom. 2. nu.* 1610. *pag.*292. & Michaelem Frazzettam *in Vita Aloysii la Nusa lib.*1. *cap.*3. *pag.*29. Edidit

Brevem notitiam eorum, quæ scitu vel necessaria, vel valdè utilia sunt Confessariis in primo ingressu ad audiendas confessiones. Prodiit primùm Panormi apposito nomine Decii Cyrilli typographi 1633. in 16. Sub hujus nomine hoc opusculum laudat præclarissimus Joan. Caramuel *in Theolog. fund. nu.*1926. inde recognitum, & auctum cum Auctoris nomine: nimiaque utilitas celeberrimum effecit, ac centies & ultra recusum fuit Panormi Venetiis, Antuerpiæ, Lugduni, & alibi. Italicè etiam editum prædicant Venetiis, sed non vidi.

Commentarios in Primam Partem Summæ S. Thomæ. Tomum primum. Complectens Primas tredecim Quæstiones. Panormi typis Collegii Panormitani 1639. in fol.

Tomum Secundum complectens à XIV. quæstione, usque ad XXVII. addito duplici Tractatu de Trinitate, & de Angelis. Ibidem iisdem typis 1643. in fol.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Jesu servantur etiam m.ss. hæc opera, nempè:

De Deo Uno, & Trino. De Angelis. De Beatitudine. De Voluntario, & Involuntario. de Vitiis, Peccatis, & Gratia. De Fide, Spe, & Charitate. De Justitia, & Jure. De Incarnatione. De Sacramentis. De Pœnitentia. Logicam, Physicam, Methaphysicam. De Generatione, & Corruptione.

JOSEPHUS AUGUSTINUS Panormitanus, alius forsan à supradicto, scripsit Italicè ex Leone Allatio *in drammaturgia ind. 6. pag.* 607. sed non edidit

Di Santa Lucia Martire, Tragedia sacra in verso.

JOSEPHUS BALLUS Panormitanus Sacerdos, nobili genere ortus: Gratiani Balli Calattuvi Baronis, & Alphonsinæ Agliata ex Principibus Villefrancæ filius primogenitus, lucis usuram accepit Panormi 29. Julii 1567. Baroniæ, aliisque fortunæ bonis nuncio remisso, Clericalem habitum accepit. Acutissimi ingenii, ac miræ religionis vir, severioribus disciplinis admotus scholasticæ Philosophiæ, aliisque bonis literis impensè operam dedit, & in Hispaniam transvectus, sacras etiam literas excoluit. Theologiæ laurâ insignitus, claruit inter Theologos prçstantissimos, nulli secundus. Mathematicis, & præsertim astronomicis disciplinis fuit egregiè excultus: & mitiores etiam literas coluit, ac Poesi præsertim latinæ ingenii dotes aliquando addixit. Eâ animi contensione scientias prosequebatur, ut noctes studendo duceret insomnes. Literatorum etiam Mçcenas studiosissimus, omnes perbenignè amplectebatur, ac benificentiâ fovebat. Ejus doctrinæ excellentia non modò Panormi, verùm etiam, & Ro-

Romæ, Patavii, & alibi demirata, plausus promeruit non vulgares. Ut exteras regiones lustraret è Sicilia digressus, cùm Barium pervenisset, ibi aliquantulum moras protraxit, ac patefactâ doctrinæ singularis præstantiâ, Ecclesiæ Barensis Canonicus delectus est. Ad Regii Cappellani etiã honorem, ex Philippi IV. Catholici Regis munificentiâ evectus, ne rerum familiarium curam abiiceret, ad Regiam aulam non accessit. Barii sacris studiis egregias ingenii dotes devovit: præsertim singularem mentis aciem ad Theologicas meditationes adjecit, quas cũ doctis viris diu exagitatas, tandem, amicorum suasionibus, typis tradendas disposuit. Hinc anno 1635. ætate ingravescente, etsi vegetiore spiritu, Pataviũ petiit ingenti librorum scholasticorum mole refertus, & in Collegio Soc. Jesu domicilium obtinuit, ibique lucubrationes suas jam ad umbilicum deductas protulit, & doctissimos viros in sui amicitiam traxit, inter quos non ultimus Joannes Philippus Thomasinus Patavinus, exinde Episcopus Æmoniensis, ab editis libris celeberrimus, qui & Josephi jam senis candidam fidem, morum hilaritatem cum summa ingenii perspicuitate conjunctam, & memoriæ firmitatem, quâ scholasticos omnes fideliter citabat, demirabatur. Hinc immutatis nominis sui literis, ingeniosa transpositione *Phœbus allisus* intimioribus amicis in amoris, & observantiæ tesseram dicebatur. Barium regressus aliquandiu quieti vacavit: exinde ad editionem operis de Eucharistia animum appulit: ideoque licèt ætate gravatus, Patavium regressus est: ibique dum assidua curâ, summâque celeritate quotidie Typographos urgeret, vix librum absolverat, & evulgaverat, cùm ex domicilii incommodis, & Autumnali tempore, distillationem contraxit: exinde in febrem incidit: hinc animæ saluti consulens se Deo, B. Virgini, ac Divo Nicolao ejus Patrono enixè commendavit, & condito testamento, Clericos Regulares Theatinos librariæ supellectilis hæredes instituit, qui summâ animi pietate Josephum lethali morbo divexatum, in salubriorem domum transtulerunt, ac diu, noctuque solicitè adfuerunt, ut saluti restituerent: at ingravescente morbo tandem piissimus vir, ac celeberrimus, magno literatorum dolore 2. Novembris 1640. æt. an. 72. sanctissimè, ut vixerat, decessit, & in eorumdem Theatinorum Patrum templo conditus est: sed consanguinei, ut ejus memoria perenniter viveret, Alcami in Sacello ejus familiæ cenotaphium extruxere, in quo sub ejusdem effigie scriptum legitur: *Joseph Sacerdos Gratiani filius.* Ipsum celebrat Franciscus Baronius *de Maest. Panor. lib.3. ubi de familia Balli*, Joan. Philippus Thomasinus *in elog. par.2.pag.* 333. & seq. Ludovicus Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 430. & Vincentius Coronellus *in Biblioth. tom.*5. *num.*694. *pag.* 222. Edidit libros

De fœcunditate Dei circa productiones ad extra. Patavii apud Sebastianum Sardum 1635. in 4.

Demonstrationem de motu corporum naturali. Idid. typis Pauli Frambotti 1635. in 4.

Ænigma dissolutum.

Resolutionem de modo evidenter possibili transubstantiationis Panis, & Vini in Sacrosanctũ Domini Jesu Corpus, & sanguinem, quam ex suis lucubrationibus non dum editis compendio proponit Sac. D. Joseph Ballus, &c. Patavii apud Sebastianum Sardum 1640. in 4.

Responsionem ad obiectiones, quâ Doctor Joseph Ballus, &c. suum de Sacrosancta Eucharistia ænigma dissolutum adstruit. Ibidem apud eumdẽ 1640. in 4. Opus hoc de SS. Eucharistiæ Sacramento antequam typis tradidisset per triginta annos secum revolverat, *ejusque sententiam,* ait Thomasinus, *Bellarmino Cardinali sæpè communicaverat: cujus editionem suis adhuc votis superesse credidit. Arduum quidem videbatur hoc opus in publicum producere, attamen cùm difficultates omnes cum Romanis Theologis, cum Siculis pariter primi nominis eventilasset, majori posteritatis studio, quàm valetudinis aut ætatis an. 1640. denuo Patavium accessit, ut commentaria sua in lucem proferret.*

Assertiones Apologeticas cum suis dilucidationibus pro scholasticorum reverentia exaratas. Patavii apud eumdem 1641. in 4.

Sub prælo reliquit magnum volumen in fol. *de rebus Mathematicis & Astrologicis*, non dum absolutum, aliasque lucubrationes theologicas m.ss. Scripsit etiam *de casu lignei Pontis Panormi Poema. Carmina, & Anagrammata.* Italicè etiam

Rime.

JOSEPHUS BARLOTTA Drepanitanus nobili genere ortus est (cujus familiæ stipes in Principe S. Josephi nunc elucet) Patre D. Carolo Barlotta Drepani 13. Decembris 1654. & anno ætatis suæ 13. Congregationem Oratorii Drepanitani ingressus est 17. Decembris 1667. Philosophiam, ac Theologiam tum scholasticam, tum moralem in Collegio Drepanitano Soc. Jesu didicit, in qua haud exiguam ingenii felicitatem patefecit: ac Doctoris lauream accepisset ni Cõgregationis suæ decreta obstitissent. Ex quo fuit Sacerdotio insignitus sacræ eloquentiæ studia amplexus, in sermonibus, Sanctorumque Panegyricis vividos eloqutionis latices magna cum laude effudit. Musis etiam haud rarò indulsit. Congregationem suam per decennium, & ultra rexit pluries ad Præpositi munus evectus: & per annos 24. Sodalitium S. Angeli Custodis apud ejusdem Congregationis ædes moderatus est. Virtute, doctrinâ, eruditione, moribusque inculpatis floret, maximaque apud suos æstimatione viget. Edidit Italicè.

Le Sacre Veglie discorsi per li Venerdì di Marzo. Drepani apud Iosephum la Barbera 1686. in 8. in cujus calce extat: *Oratione funerale nella morte dell' Illustr. D. Carlo Riggio Vescovo di Mazzara.*

Il Capriccio di Dio discorso Accademico per la morte della Signora D. Caterina Burgio, e Vincenzo. Ibidem apud eumdem 1686. in 4.

Idea dell'Innocenza Panegirici di Maria V. Immaculata. Parte Prima, e Seconda. Ibidem apud Bartholomæum Francum 1691. in 12.

Prediche Quaresimali. Parte Prima. Ibidem apud eumdem 1698. in 4.

L'Eusta-

L' Eustachio Drama Melotragico. Ibidem apud eumdem 1692. in 8.

Dialogos etiam prope centum edidit musicis numeris modulatos, ac Drepani, & alibi decantatos: qui collecti magnum conflarent volumen. Nonnulli, qui ad meas pervenere manus, hic addam, nempè:

La Forza del Suffragio Dialogo. Drepani apud Josephum la Barbera 1684. in 4.

L'Angelo Protettore Dialogo. Ibidem apud eumdem 1685. in 4.

Il morire vittorioso dialogo per la solemnità di S. Vittore. Ibid. apud eumdem 1686. in 4.

In Casto Connubio dello spirito Dialogo. Ibid. apud Bartholomæum Francum 1691. in 4.

La voce dal Verbo troncata in bocca al martirio a i colpi dell' Incontinenza d'Erode. Ibid. apud eumdem 1695. in 4.

L'Estasi in prospettiva dell'Universo Dialogo. Ibid. apud eumdem 1695. in 8.

Nunc habet Drepani sub prælo

Prediche Quaresimali Parte Seconda.

Elucubravit etiam, ut typis traderet

La scuola de' Gentili aperta a' Cristiani. Discorsi morali.

L'Orto de' Gigli Panegirici di Sante Vergini.

La Miniera dell' oro Panegirici diversi de' Santi.

L' Anfiteatro de' Spettacoli divini, Panegirici del SS. Sacramento.

Poesie consistenti in Sonetti, odi, e madrigali.

Serenate, e Cantate Tomi due.

JOSEPHUS BERNARDUS CASTELLUCCIUS Panormitanus Sacerdos, morum integritate laudabilis. Aritmetices peritissimus fuit, & in computorum ratiocinatione versatus. Historiarum, ac antiquitatum Panormi impiger perscrutator, apud bonarum artium peritos latissimè innotuit Panormi, & Romæ. Virtute, literisq; ornatus, obiit Panormi 29. Januarii anno 1687. Laudatur à Vinc. Auria *in histor. Crucifixi Panor. pag.* 44. Edidit Italicè

Trattato del modo come si deve operare la Tariffa perpetua per la meta delle racine, e vini del territorio della Felicissima Città di Palermo. Panormi apud Didacum Buam 1659. in fol.

Giornale Sacro Palermitano, in cui si descrivono tutte le feste de' giorni, che si fanno nelle Chiese dentro, e fuori la felicissima, e fedelis. Città di Palermo. Ibidem apud Petrum de Isola 1680. in 12.

JOSEPHUS BLONDUS Agrigentinus Soc. Jesu, natus anno 1537. Societatis insignia suscepit anno 1552. in qua votorum quatuor professionē emisit. Sacram eloquentiam professus, disertissimi concionatoris laude floruit, ejusque eloquentiæ diu applausit Neapolitanum Regnum. In Catacensi Urbe incolarum animos incendit, ut Societatis Collegium, excitaret, quod jam fundatum ipse novennio rexit. Magna valuit auctoritate, ac prudentiâ; ideoque Collegia Neapolitanum, Lauretanum, Salernitanum, ac Bibonense in Sicilia moderatus est. Septennio Provinciæ Mediolanensi præfuit Provincialis, ac biennio Visitatoris munere Provinciæ Neapolitanæ perfunctus est. Tandem honoribus plenus fato cessit Neapoli 25. Junii anno 1598. Ex Biblioth. Soc. Iesu pa. 521. & Philippo Labbæo *in Pinacoth. Scrip. Soc. Iesu ann.* 1598. *pag.* 307. Scripsit librum

Meditationum ad juvandos, & promovendos eos, qui in Spiritu proficere cupiunt. Italicè etiam

Esercitii Spirituali del P. S. Ignatio. Mediolani apud Pacificum Pontium 1587. in 12.

JOSEPHUS BOCCADIFUOCO Platiensis Clericus Regularis, clarissimis ortus parentibus, patrem habuit Joannem Boccadifuoco, & Annam Varesano. Ab ipsa infantia pietatem, literasque amplexus, haud obscurum egregię indolis specimen dedit. A teneris annis Religionis habitum suscepit, ac solemnia edidit vota 17. Aprilis 1622. Præstantissimas ingenii vires in severioribus disciplinis accipiendis detexit, ac egregiâ claruit doctrinâ. Sacræ eloquentiæ studia sequutus inter egregios ævi sui Concionatores omnium calculo accensitus est. In sacris literis, Sanctorumque Patrum studiis versatissimus, ecclesiastem egit summa cum laude, ac fructu; conciones enim disertissimas, & æquè eruditissimas habuit in præcipuis Italiæ Civitatibus, quibus clarissimam nominis famam sibi comparavit. In consiliis edendis prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate valuit: hinc Principes, Dynastæ, aliique nobiles viri ipsum passim consulebant. Archiepiscopi etiam Ecclesiæ Panormitanæ non semel S. Iosephi domum Clericorum Regularium petiere, ut difficillima negotia cum ipso consultè conferrent. Ab Aloysio Moncata Montisalti Duce, ac Siciliæ Prorege ad Vrbanum VIII. Sum. Pontif. missus: à Teodoro Trivultio S. R. E. Cardinali Siciliæ etiam Moderatore, & à Senatu Panormitano ad Philippum IV. Catholicū Regē ablegatus est, ut gravissimà negotia pertractaret, quæ singulari prudentiâ peregit. Insignia promerita virum egregium ad nonnullos honorum gradus evexere, nam pluries in Ordine sodalibus suis præfuit: apud S. Officii Quæsitores in Sicilia Consultor, & Censor, novarum vectigalium Panormi Deputatus inclaruit. Anno 1679. à Carolo II. Hispaniarum Rege Abbatiâ SS. Petri, & Pauli de Itala donatus, & anno 1684. ab eodem Rege Episcopus Mazariensis electus est. Sed hanc postremam honorum suorum metam, senio confectus constantissimè respuit: & paulò post ad eminentiorem dignitatem in Cœlum evocatus, Panormi decessit in Domo S. Josephi 28. Julii anno 1684. Funebria non sine pompa persoluta; ac defuncti laudes luculentâ oratione protulit Petrus Paternionus Cl. Regularis, quam auctam typis dedit Panormi inscripto nomine: *la Dea Vesta.* Ipsum etiam laudant Josephus Silos *in hist. Cler. Reg. par.* 3. *lib.* 12. *pag.* 601. Franc. Maria Magius in libro: *Proposita Benè Moriendi pag.* 50. & Philadelpus Mugnòs *in Theatr. Geneol. par.* 2. *pag.* 127. Edidit Italicè

Oratione nell'Esequie del Ven. P. M. F. Decio Carrega dell'Ordine de' PP. Predicatori. Panormi apud Decium Cyrillum 1644. in 4. & iterum eodem anno apud Rossellum in 4.

Præ-

Prælo paraverat

Ideam Theologico-moralem, quâ Sacerdotum dignitas, ritus, cæremoniæ, missæ stipendia explicantur.

JOSEPHUS BONFILIUS Messanensis Eques, Joannis Bonfilii Baronis Casalis, & Feudi Trisini filius. Vir in rebus agendis versatus, florente adhuc ætate militiam sequutus in Belgio, in Catholicorum regum obsequium arma non sine fortitudinis argumento tractavit: inde patriam repetens, literas coluit, ac historicam eruditionem degustavit. Vivebat Messanæ anno 1613. Ejus laudes habes apud Philippum Cluverium *in epistola nuncupatoria Siciliæ antiquæ* ad Siculos data, Placidum Samperium *in Iconologia M.V. lib. 1. cap. 5. pag.* 37. Melchiorem Incofetum *de epist. B.M.V. ad Messan. cap.* 48. *pag.* 298. Placidum Reinam *in hist. Messanæ par. 2. pag.* 228. & 522. Iosephum de Ambrosio *in descript. festi Epistolæ Marianæ pag.* 113. & 114. & Io: Bapt. Ricciolium *in Chronol. Refor. tom. 4. ind. 2. pag.* 250. Evulgavit Italicè

Parte Prima, e Seconda dell' Historia Siciliana, nella quale si contiene la descritione antica, e moderna di Sicilia, le guerre, & altri fatti notabili dalla sua origine per insino alla morte del Cattolico Re Filippo II. divisa in XX. libri, e due parti. Venetiis apud Bonifacium Cieras 1604. in 4. Extat, & in fine: *Oratione fatta per la morte del Cattolico Re D. Filippo II. & descrittione degli avenimenti miracolosi di Messina per la fame.*

Dell' Historia Siciliana Parte Terza. Messanæ apud Petrum Bream 1613. in 4.

La Messina Città nobilissima descritta in VIII. libri. Venetiis apud Io: Antonium & Jacobum de Frãciscis 1606. in 4.

Brieve Raguaglio del Ponte eretto dall' Illustr. Senato di Messina à sua Eccellenza (D. Pietro Giron Duca d' Ossuna, Vicerè di Sicilia.) *E del sollenne trionfo a' Compagni di S. Placido nella seconda Inventione.* Messanæ apud Petrum Bream 1611. in 4.

Apologia alla Topografia dell' Isola di Sicilia novamente stampata in Palermo. Ibidem apud eũdem 1611. in 4.

JOSEPHUS CAGIUS, sive CAJUS nobilis Panormitanus, Sacerdos inclytus, & Sacræ Theologiæ Doctor. Theologiâ in primis, aliisque gravioribus disciplinis apprimè excultus claruit. A celeberrimo Francisco Panigarola concionandi præcepta accepit, eoque magistro Ecclesiastes eximius evasit: hinc magno cum auditorum plausu Panormi in principe Templo, & alibi conciones habuit, in quadragesimali curriculo; ac facundissimi, & venustissimi concionatoris laudes promeruit. Post reformationem Parochiarũ Panormi fuit primus Parochus Ecclesiæ S. Nicolai de Albergaria, electus à Senatu Panormitano an. 1600. sed an. 1611. cùm Romã concionandi causa petiisset, falsus rumor invaluit, eâ in Urbe decessisse: hinc Senatus Panormitanus in ejus Parochum successorem alium delegit. Sed cùm Panormi incolumis remeasset ad suam regendam Ecclesiam rediit. Vitam ab omni cultu alienam, & ut ajunt, philosophicam duxit: omnem enim superbiæ tumorem neglexit. Tandem ultimum clausit diem Panormi 29. Augusti 1615. & in Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo sepelitur. Edidit Italicè

Oratione funerale publicamente recitata nella Chiesa di S. Giorgio celebrandosi l'esequie della Catolica Maestà di Filippo II. Re di Spagna alli 22. d'Ottobre 1598. Panormi apud Jo: Ant. de Franciscis 1599. in 4.

JOSEPHUS CAJOLA ex oppido S. Philadelphi, vulgò *S. Fradello*, Societatis Jesu: lucis usuram accepit 4. Julii 1633. & in Societate Deo se dicavit 28. Septembris 1649. cui & votorum quatuor sacramento se adstrinxit 2. Februarii 1667. Doctrinâ, ac virtute latissimè refulsit. Suscepto Evangelici Oratoris munere, conciones habuit in cinerali curriculo eruditione, & eloquentiâ præclaras in præcipuis Siciliæ Civitatibus: semper cum plausu, ac fructu auditus. In pertractandis gravissimis negotiis insigni prudẽtiâ se munitum ostendit: ideoque ad alios regendos admotus, Collegia Syracusanum, Catanense, Messanense, ac Saccense non sine laude rexit. Saccę etiam Patres Tertię Probationis instruxit, ac tyrones coadjutores instituit. Anno 1697. à Sicula Provincia electus est ut Romæ adesset in Generali Societatis Congregatione: in qua egregia humilitatis argumenta præbuit: nam cum omnes Collegii Catanensis gubernium declinarent, ob horrificum terræmotum Siciliæ ære alieno gravati; ipse relicto Rectoris munere Collegii Messanensis, onus libenter suscepit. Inde anno 1698. Siciliæ Provincialis electus, usque ad annum 1701. Provinciam gubernavit; at absoluto munere paucos post menses in tyrocinio Panormitano decessit 27. Decembris anno 1701. Edidit Italicè

Quaresimale. Messanæ apud Vincentium Amicum 1693. in 4.

JOSEPHUS CAMARATENSIS Ordinis Capuccinorum, natus anno 1599. in oppido Camaratæ ex familia Taberna, anno 1617. primo Januarii in patrio Cœnobio Ordini nomen dedit, in quo doctrinâ claruit; sed præstantius virtutum, ac sanctimoniæ splendoribus mirùm in modum refulsit. Vitam servavit ab omni culparum labe immunem. Nil illi antiquius quàm arctissimæ paupertatis studium: severissimum vitæ genus austeritatibus, pœnitentiis, jejuniis, ciliciis refertum amplexus est, quam durissimæ vitæ rationem, usque ad supremam vitæ lineam constanter servavit: atque virtutes omnes probatissimo viro dignas coluit. Supernis donis virum egregium locupletavit Deus; nam prophetico spiritu, ac miraculorum gloriâ abundè dotatus enituit; ideoque maximâ veneratione prosequutus. Demum Panormi, cum undique sanctimoniam redoleret, decessit 14. Decembris anno 1677. ætatis 78. De admirandæ vitæ gestis, virtutibus, ac miraculis, Episcopi auctoritate congesti sunt processus. Decurso decennio, die 8. Decembris 1687. à communi Capuccinorum sepultura cadaver extractum, seorsim sepultum est in Sacello Sancti Michaelis Archangeli. Et ejus effigies typis tradita, hoc elogio fuit insignita.

gnita. *Ven. P. Joseph à Camarata Sacerdos omnibus sine acceptione familiaris, Evangelica perfectione, & cordis puritate laudabilis: mortalitatis exuviis inedia, paupertate, cilicio, pœnitentiâ consumptis, piis demùm libris editis, charitate potius, quàm literis, ad templum æternitatis evolavit Panormi 14. Decembris 1677. ætatis suæ 76. Religionis verò 60.* Hujus meminere Dionysius Genuensis *in Biblioth. Capucinor. pag.* 205. & Lucas Wadingus *in Scriptor. Minor. p.* 230. qui mendosè Josephū Bernā vocat. De tanto viro plura dabunt Ordinis Chronologi. Ad aliorū utilitatē hæc typis dedit:

Symphonia sacræ lectionis, & libellus de recta sacrorum dictionum prolatione. Rhegii typis Jacobi Matthæi 1646. in 8. & Perusiæ eodem anno in 8. Italicè.

Pietoso, & abbondante soccorso per l'anime tribulate, afflitte, & agonizanti. Messanæ apud Jacobum Matthæi 1646. in 8. & ibid. apud hæredes Petri Breę 1652. in 8.

Acuti sproni, e pungentissime spine, che svegliano, e pungono i peccatori, e alcune considerationi della Morte, del Giuditio, dell'Inferno, e del Paradiso. Panormi apud Dominicum Anselmum 1665. in 12. & post alias editiones sextò prodiit ibid. apud Buam, & Camagnam 1670. in 12. & Messanæ typis D. Antonini Maffei 1704. in 12.

Viaggio doloroso del Calvario, e brieve raccolta de' patimenti di Christo in tutto il corso della sua Passione. Panormi apud Petrum de Isola 1665. in 8. apud Buam, & Camagnam 1667. in 8. & Carolum Adamum 1692. Neapoli apud Michaelem Mutium 1693. in 12.

Vocabulario, & Ortografia Toscana. Ibid. apud Dominicum Anselmum 1666. in 4.

Copiosa raccolta di vaghi, e varii fiori nell' ameno campo de' Sacri Riti. Ibid. apud eumdē 1669. in 4.

I Pesami, che i devoti della Vergine vanno à darle per la morte del suo amantissimo figlio. Ibidem apud Anselmum 1673. in 12. & apud Michaelem Constantinum 1695. in 12.

Collana di Cento dieci Rose alla Gran Signora Maria. Le Rose Bianche sono Cento Capuccini devoti di detta Signora, e le dieci Rosse tanti devoti del SS. Crocifisso, e della sua dolorossima, & acerbissima Passione. Ibidem apud Petrum de Isola 1676. in 8.

JOSEPHUS CAPRI Tauromenitanus Sacerdos natus 18. Januarii 1664. literis ingenii præstantiam devovit, ac graviores Philosophiæ, & Theologiæ disciplinas didicit. Dum Catanæ severioribus studiis operam dabat à Matthæo Fatio Pactensi Episcopo accersitus, ipsius à secretis usque ad supremam vitæ suæ lineam fuit. Neapoli politioribus studiis intentus, eruditione, ingenio, & morum integritate clarus vivit: ibique Seminarii Aversæ Magister electus, onus subire noluit. Edidit Italicè

S. Pancratio Martire Fondatore della fede Sicula, Primo Vescovo, e principale Patrono della Notabile Città di Tauromina, la cui vita descrive Giuseppe Capri. Panormi apud Gramignanum 1700. in 12.

Vita, ed opere gloriose di S. Massimo Cittadino, e Vescovo di Tauromina da S. Pietro consacrato. Ibid. apud eumdem 1700. in 12.

Alia sub prælo habet Neapoli.

JOSEPHUS CARUSUS Agrigentinus Jurisconsultus, Caroli, de quo suo loco, filius; ingenio, & doctrinâ instructus claruit. Obiit Panormi anno 1706. Edidit

Addictiones ad Praxim circa modum procedendi in civilibus super Ritu Regni Siciliæ Caroli Carusi ejus Patris. Panormi apud Petrum Coppolam 1655. & 1662. in fol. & tertiò ibid. apud Dominicum Anselmum 1663. in fol.

JOSEPHUS CARUSUS alter Panormitanus Poeta, edidit Italicè

La Nisa d'Oreto, ò vero l' Odio placato, Eglogâ. Panormi apud Josephum Bisagnium 1651. in 8.

JOSEPHUS CASTELLUS Mylensis Sacerdos, qui humaniores literas, ac Poesim coluit, ut ex literis D. Francisci Amici Mylensis, mihi datis accepi. Edidit librum.

De septem B. Mariæ Virginis festivitatibus carmine exametro. Italicè etiam

Esame delle Regole Grammaticali.

JOSEPHUS CASTILIONUS Panormitanus Sacerdos Sacræ Theologiæ, & utriusque Juris Doctor, vir doctrinâ instructissimus, claruit anno 1630. Librum Alphonsi de Leone de officio, & potestate Confessarii annotationibus illustravit, edideitque hoc titulo:

Alphonsi de Leone Neapolitani Cler. Reg. Recollectio communium conclusionum de Officio, & potestate Confessarii tempore Jubilæi extraordinarii in duabus hebdomadibus concedi soliti. Secunda editio, in qua non solùm corriguntur menda, quibus scatebat prima editio Veneta, sed etiam pluribus aucta Annotationibus per Josephum Castiglione Panormitanum, &c. Neapoli apud Lazarum Scorrigium 1629. in 8.

JOSEPHUS CELESTRIS Motycensis, Sacræ Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ la Nova Siclis Præpositus, Poeta eximius: doctrinâ, & eruditione clarus, floruit anno 1670. Edidit

Aborto di Filosofia all'inclita Reina, e Real Maestà della Reina di Suetia. Neapoli apud Andream Colicchiam 1676. in 4.

JOSEPHUS CENTORBUS Mazariensis Jurisconsultus, doctrinâ clarus, causarum Patronus insignis: pluries in patria præfuit Judex. Jurisprudentiæ, historiarum, ac antiquitatum eruditionem copulavit. Obiit Panormi 17. Maii 1648. & in Ecclesia domus Professorum Soc. Jesu sepulturæ traditus est. Hujus meminere Marius Cutellus in *Codice Legum Sicular. ad leg. Jacobi cap.* 25. *num.* 2. & Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 544. qui multa prælo parasse tradit

De Rebus Siculis.

Extat apud Vincentium Auriam *Topographia Mazariæ Jom. Jacobi Adria cum addictionibus, notisque Josephi,* ipsius manu exaratis.

JOSEPHUS CICALA nobilis Panormitanus Clericus Regularis, natus ex Vincentio Cicala & N. Satella ex Marchionibus Ispicęfundi anno 1612. Cùm annum 15. attigisset Ordinis habitum accepit 15. Martii 1626. & elapso tyrocinii anno 11. Aprilis 1627. Panormi solemnia emisit

vota.

vota. Decursis studiorum spatiis, gravioribus disciplinis apprimè extructus refulsit. Inde egregias ingenii vires ad sacram eloquētiam admovit: ob eximiam eloquutionis vim, eruditione, ac SS. Patrum copiâ refertissimam, magno cum plausu declamavit in præcipuis Italiæ Civitatibus; præsertim in cinerali jejunio Panormi, Messanæ, Neapoli, Genuæ, Mediolani, Florentiæ, Romæ, in insula Melitæ, & alibi: ut etiam extra quadragesimam sępius per annum conciones dissertissimas habuit. Hinc eruditorum omnium calculo inter præstantissimos ævi sui Oratores fuit meritò recensitus, ac præclarissimum sibi nomen comparavit. Panormi Domum S. Josephi rexit Præpositi munere; & S. Officii Siciliæ fuit Consultor, & Censor. Romæ verò Carolo Bonello S. R. E. Cardinali gratissimus, ab ipso in suum Theologum fuit delectus. In Hispaniam delatus ibi statim ac ejus eloquentia innotuit, à Carolo II. Catholico Rege Regii Concionatoris munere fuit insignitus. Ibi pluries Matritensem Domum S. Mariæ de Fervore gubernavit; ac inter Supremæ Inquisitionis Hispaniarum Censores fuit adscriptus. Doctrinâ, ac promeritis clarissimis cumulatus anno 1670. ab eodem Rege ad Episcopatum Mazariensem fuit promotus, & à Clemente X. inauguratus: inde anno 1677. ad Archiepiscopalem infulam Ecclesiæ Messanensis translatus. Utramque Ecclesiam singulari prudentiâ, ac pastorali vigilantiâ moderatus est. Messanæ Principem Templum, marmorata calce, picturis, marmoribus affabrè exculptis, aliisque ornamentis maximo sumptu illustravit, ut ex hac inscriptione in eodem Templo liquidò patet.

D. O. M.
Innocentio XI. Summo Pontifice
Carolo II. Hispan. ac Siciliæ
Rege Invictissimo,
D. Joseph Cicala Statella
Panormit. ex Cler. Regul.
Mazariensis olim Antistes,
Nunc Archiep. Messanensis,
Pictorum, Plastarumque opere
Propriis sumptibus perpolitam
Hanc Protometrop. Basilicam
Sponsam Vxorem Agni
Lacteo candore exornatam
Voluit
Ab O. R. An. M. DC. LXXXII.
Sui Archiep. IIII.

Anno 1681. Diocœsanam Synodum celebravit. Cùm in Divi Josephi Domum Panormitanam fervesceret ejus amor, ex qua prima regularis observantiæ elemēta hauserat, dum adhuc esset Episcopus Mazariensis, magnificentissimum ejusdem domus Templum solemni ritu consecravit 23. Maii 1677. At ad Messanensem Cathedram translatus, Sacellum D. Mariæ Puritatis in eodem Templo marmoribus, ac marmorato pulvere auro delinito, elegantissimè ornavit: & propè vitæ finem condito testamento, nonnulla aureorum millia ad eiusdem Templi ornatum legavit, quibus in dies splendidius elucet. Obiit tandem Pastor optimus Messanæ 28. Septembris 1685. & in Ecclesia Sanctæ Mariæ ab Angelo Annunciatæ Clericorum Regularium sepelitur. De hoc Præsule vide P. Josephum Silos *in hist. Cler. Regul. par. 3. l. 12. pag. 601.* Michaelem Justinianum *in literis memorab. par. 2. pag. 566.* Josephum Castellutium *in Diar. Panor. pag. 66.* Josephum de Ambrosio *in Descript. solemnit. Epistolæ Marianæ pag.* 438. Thomam de Gregorio *in poes. lyric. Officinæ par. 3. pag.* 335. Placidum Reinam *in hist. Mess. par. 2. pag.* 85. Antonium Fortem *in Epigram. pag. 26. & 61.* Edidit Italicè

Oratione detta in S. Antonio di Milano a dì 20. di Giugno 1644. nell' esequie di Monsig. Paulo Aresi Vescovo di Tortona Teatino. Mediolani apud Georgium Rollam 1644. in 4.

Il Ritratto di Christo oratione delle Stimate di S. Francesco. Ibidem apud eumdem 1644. in 4.

La Pianta della Vita Panegirico in lode di S. Agata. Catanæ apud Joannem Rossum 1636. in 4.

Dodeci Discorsi Sacri. Messanæ apud Vincentium Amicum 1683. in 4.

Synodum anno 1681. die 20. Aprilis Messanę celebratam. Messanæ typis Vincentii de Amico apud Matthæum la Rocca 1681. in 4. quam P. Carolus Trigona concinnavit.

JOSEPHUS COLLESANENSIS Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, ex familia Seminara ortus. Vir apud suos insignis, Concionator, ac Lector Generalis. Pro difficillimis negotiis ad loca Hierosolymitana tuenda, orator missus Hierosolymam, Bethleem, Nazareth, ac Constantinopolim. Comitiis Generalibus Ordinis, in Hispania coactis, præfuit Vicarius Generalis. Vicarius etiam Provincialis Provinciæ Siciliæ Vallis Dęmonis inclaruit. Anno 1667. superstes vivebat Neapoli à confessionibus Monialium Regii Monasterii S. Claræ. De eo P. Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par. 1. lib. 5. cap. 1. pag. 575. cap. 8. pag. 591. & cap. 10. pag. 592.* qui scripsisse ait Italicè

Vite de' Frati, e Tertiarii morti con fama di santità per lo spatio di trenta anni nella Provincia del Valdemone. quæ m. ss. servantur in Archivio Cœnobii Portus Salvi Messanæ.

JOSEPHUS COLUMBUS Messanensis edidit

Vita del Glorioso P. S. Calogero Anacorata. Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 12.

JOSEPHUS CORDICIUS ex oppido Erycis, sive Montis S. Juliani, Ordinis Observantium S. Francisci. Vir doctrinâ insignis, qui septemnio Theologiam docuit Parisiis, ubi & Theologicam Doctoris Lauream accepit. Obiit Neapoli anno 1545. Ipsius meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 569. & Lucas Wadignus *in Scrip. minor. pag.* 231. Edidit, ut hi testatur

Commentaria in logicam Aristotelis.

JOSEPHUS CUMIA Catanensis celebris Jurisconsultus, doctrinâ præclarus, Regius Consiliarius. Annis 1577. 1583. & 1589. & consequentibus Judex Magnæ Regiæ Curiæ constitutus enituit. Apud Siculos in magna æstimatione floruit. Ipsum laudant Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan.*

pag. 94. Camillus Borrellus *de Praest. Regis Cathol. cap.* 40. *n.* 119. Marius Cutellus *de donat. tom.* 1. *tr.* 1. *disc.* 1. *pag.* 81. & 355. Nicolaus Intrigliolus *de feudis cent.* 2. *art.* 7. *n.* 2. Dominicus Bucalus *voto* 2. *n.* 19. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 517. Jo: Bap. de Grossis *in Decacord. Catan. tom.* 2. *pag.* 148. Petrus Carrera *in mem. Catan. vol.* 2. *l.* 2. *pag.* 362. Edidit

In Ritus Magnae Regiae Curiae, ac totius Regni Siciliae Curiarum Commentaria. Venetiis apud Franciscum Guerraeũ & Jo: Bap. Fratrem 1578. in fol. Panormi apud Jo: Franciscum Carraram 1588. in fol. Ibidem apud Franciscum Ciottum 1618. in fol. & alibi.

In Ritus Magnae Regiae Curiae Regni Siciliae Praxim. Venetiis apud Franciscum Guerrerũ 1578. in fol. & Panormi apud Jo: Fräciscũ Carrarã 1588. in fol.

Practicam Syndicatus cum theorica. Venetiis apud Guerraeum 1574. 1575. & 1582. in 8.

In Regni Siciliae Capitulum si aliquem de successione feudalium repetitionem. Catanae 1579. in fol. & Panormi apud Erasmũ de Simeone 1609. in fol.

Consiliorum Tomos III. ex de Grossis cit.

Italicè

Rime. Catanae apud eumdẽ auctorẽ 1563. in 8.

JOSEPHUS DE CURTIS Messanensis Strictioris Observantiae S. Francisci, ad eliminandam potius melancoliam, quàm ut ingenii vires detegeret edidit Italicè

La Costanza fedel la Fede infida, Arcidramma musicale per la vita di S. Basilla V. e M. Padrona dell' Università di Collesano. Venetiis apud Jo: Jacobum Hertz 1661. in 12. De hoc opere eruditissimus literati Orbis lumen Jo: Marius de Crescimbenis *in comm. Poesis Vulgaris vol.* 1. *lib.* 6. *cap.* 12. *pag.* 345. scribit: *Poesia per isvarioni, e fantastichi maravigliosa.*

JOSEPHUS DENTE Messanensis Societatis Iesu, natus 10. Augusti 1629. in Societatem admissus est 12. Januarii 1645. in qua quatuor votorum professionem nuncupavit 2. Februarii 1663. Emensis studiorum spatiis, cum egregii ingenii laude, Philosophiam, ac Theologiam docuit Messanę; ubi & studiorum Pręfectus fuit. Ad aliorum regimen admotus per annos 22. Collegia Panormitanum, & Messanense, ut etiam Panormi Domum S. Francisci Xaverii, & Tyrocinium rexit, & Messanae Domum Professorum; in quibus moderandis non vulgare virtutis, ac prudentię specimen dedit; laudemque pariter, ac fructum collegit. Anno 1687. à Sicula Provincia ad decimam tertiam Societatis Congregationem Generalem missus est. Nunc Septuagenario major Messanę vivit. Edidit

Argum triplicem Philosophicum, sive ternam Philophicam propositionum centuriam. Cosentiae apud Jo: Baptistam Rossum 1669. in 12.

JOSEPHUS FACELLA Panormitanus, Iuris utriusque Doctor, apud Siciliae subsellia praecipuus causarum patronus, doctrinâ, prudentiâ, & eruditione insigniter instructus claruit. Decessit Panormi 19. Iunii anno 1648. & in Ecclesia S. Michaelis Archangeli sepelitur. Edidit

Tractatus quatuor de Recta Administratione Justitiae Principum, Iudicum, aliorumq; officialium, cum remediis, quae adhiberi possint pro defensione causarum tum civilium, tum criminalium. Pars Prima Tomi Primi. Panormi typis Antonii Martarelli 1643. in fol.

JOSEPHUS FARACIUS Thermitanus, ex privilegio Panormitanus, Jurisconsultus doctrinâ excultissimus, ac primarius causarum Patronus. Honoribus ornatus effulsit; fuit etenim pluries Praetorii Panormitani, Magnae Regiae Curiae, ac Concistorii S. R. C. Judex: inde Fisci Patronus, ac tandem Regii Patrimonii à Rationibus Magister. Vir utique integerrimus, virtutibus insignis, ac praesertim in servando justitiae cãdore incomparabilis. Obiit Panormi 25. Novembris anno 1624. & in Ecclesia S. Mariae Angelorum observantium S. Francisci sepultus est, ubi sibi paraverat sepulchrum: ibi enim legitur Epitaphium.

D. O. M.

Hoc est sepulchrum V. J. D. Joseph Faracii, & Suorum Haeredum & Successorum M. DC. III.

Elapsis nonnullis annis cadaver effossum odorẽ efflavit suavissimũ, & conceptã praeclarissimi viri integritatem firmavit. De hoc vide Philadelphũ Magnos *in Theatr. Genelog. par.* 1. *pag.* 330. Vincentium Solitum *in hist. Thermar. tom.* 2. *pag.* 135. Franciscum Stradam *in quietationibus pag.* 19. & Marium Mutam *tom.* 1. *in capit. Sicil. cap.* 53. *num.* 18. Edidit.

Allegationes pro Ill. Domino D. Antonio Quintanaduegna Barone Forestae cõtra Syndicos Terrę Veriae. in fol. sine anno, loco, & typographi nomine.

Allegationes pro D. Francisco Cuffari contra Mag. Procuratorem Regii Fisci. Panormi typis Jo: Ant. de Franciscis 1610. in fol.

Consilium in Causa Forestae. apud Paulum Perramutum *in Conflictu par.* 2. *tom.* 2. *fol.* 164.

Consilium cum Summario, & addictionibus Laurentii filii. Apud Franciscum Baronium *in consiliis diversorum Siculorum super privilegium Fel. Urbis Panormi, quod Fiscus non possit principaliter agere contra Cives.* Ibidem apud Maringum 1656. in 4. Addit Strada cit. quod plura scripsit in jure; sed solùm in Bibliothecis Jurisconsultorum vagantur m. ss.

JOSEPHUS FAULISIUS ex oppido Petraliae Supranae, natus 19. Martii 1630. Medicinae studia amplexus, Doctoris lauream accepit, ac inter Siculos Medicos doctrinâ, & experimentis refulsit: Panormi, & alibi ęstimationem non vulgarem promeruit. In patria Archiatri, Proconservatoris, & Thesaurarii munera cum laude exercuit. Obiit in oppido Petraliae 6. Decembris 1669. & in Ecclesia Montis Pietatis sepultus est. Edidit

De viribus Salapae, quod non sit venenosa, neque hepati, neque cordi, aut ventriculo inimica, nec denique nimis laxativa medicam discussionem. Panormi apud Petrum de Isola 1658. in 8.

Plura etiam in Philosophia, ac Medicina elucubravit, quae apud Haeredes m. ss. servantur.

JO-

JOSEPHUS FERNANDEZ DE MEDRANO nobilis Panormitanus, origine Hispanus, ex Valdoseræ Toparchis in Hispania, Marchio Monpelerii, & Feudorum Barbarigi, Chibò, & Chiapperię Baro, Panormi lucis usuram accepit 13. Novembris anno 1651. & egregiâ ingenii indole ex naturæ beneficio dotatus, à teneris adhuc annis præter humaniores literas Rhetoricam, Philosophicas, ac Mathematicas disciplinas didicit, quibus insigniter imbutus enituit. Inde Jurisprudentiæ studiis addictus, ac Doctoris laureâ cohonestatus, ab anno ætatis suæ 19. causarum patrocinium magna cum laude suscepit. Hinc doctrinâ cumulatus, meritisque undique munitus, in ipso ætatis flore ad præclariores Jurisprudentiæ dignitates gradatim evectus est: bis enim in Panormitano, ut etiam in Regię Siclæ foro Judicē egit; inde semel, & iterum in primariis Magnæ Regiæ Curiæ, & in Concistorii quoque Sacræ Regiæ Conscientiæ subselliis Judex, ac Regius Consiliarius constitutus, integerrimi simul, ac doctissimi viri laudes obtinuit. Ad eminentiora progrediens, Militum Hispanorum, qui in Sicilia stipendia merent, Auditor Generalis electus est, Messanæ in Regia Aula bonorum Fisco adjudicatorum, quam Junctam vocant, præfuit supremus Moderator. Magnæ Regiæ Curiæ Fisci Patronus, Regii Patrimonii Rationum Magister, & Regni Deputatus renunciatus, longè, latèque inclaruit. Tribunalis Consistorii Præses proclamatus est anno 1699. Demum Præsidis dignitatem in Regii Patrimonii Senatu anno 1703. assequutus, in eo singulari morum integritate, doctrinâ, aliisque præclarissimis animi dotibus nunc ornatissimus effulget. Vir itaque eximius omnium animos in sui obsequium excitavit, & summam Proregum Siciliæ ęstimationem expertus est: ab his enim in magnis, difficillimisque Regni negotiis adhibitus, singularem prudentiam, ac dexteritatem semper detexit. Nec minori opinione apud literatos pręstat; eruditione etenim omnigenâ locupletatus doctos viros amat, & à doctis viris impensè amatur. Philosophicas, ac Mathematicas omnes facultates in deliciis habet. Bibliothecam selectissimis, rarioribusque libris cujuscumque disciplinę abundè refertam, in sui, ac eruditorum commodum instruxit. Amœniores literas, ac Musas ab ineunte ętate ad animi oblectamentum dilexit; & inter Panormitanę Academię Reaccensos adscriptus, cultissima ingenii sui monumenta pluries cum plausu protulit, multaque cum laude concinnavit. Ejus nominis fama extra Regni limites digressa in Orbe literato latissimè inclaruit. Inter Incuriosos Rosciani Academicos, Pigros Barii, Peregrinos, & Arcades Romę, & in magna Florentina Academia recensitus, emeritis laudum pręconiis celebratur: Vivit Panormi vir sanè egregius dum hęc typis traduntur, ab omnibus veneratus; ac diutius perenni gloriâ victurus; majora de se promittunt pręcessa ipsius promerita. Laudibus exornatur ab Andreâ Perruccio *in Idei's Musarum pag.* 138. 139. & 233. Balthassare Pisano *in armoniis ferialibus pa.* 93. eruditissimo Hyacintho Gimma *in elogiis Academicis Incuriosorum Rosciani par.* 2. *elog.* 35. *pag.* 75. Ignatio Gastone *discept. fisc.* 44. *sub num.* 33. *in fin. tom.* 2. Francisco Maria Cirino *in Nexu rerum Eccles. Jurisdict. cap.* 4. *num.* 32. *pag.* 183. Josepho Prescimonio *in elegia in calce cladis Innocentium pag.* 289. Francisco Strada *in quietationibus pag.* 20. & Joanne Brancaccio *in epist. nuncup. libri, cui titulus*: *Ars memoriæ vindicata.* Edidit

Justificationes in causa Comitatus Isnelli. Matriti in fol.

Italicè sub Academici Extincti nomine

Invito alli Signori Accademici Riaccesi di Palermo à ritornare à gli studii Poetici da loro con tanta gloria esercitati, per il motivo d'haver successo alla Monarchia delle Spagne, e dell'una, e dell'altra Sicilia l' Augustissimo Filippo Quinto. Panormi typis Dominici Cortesii 1701. in 4.

Italicè etiam nonnullos edidit Dialogos musicis modulatos notis.

In lucem emittet opus eruditissimum, cui titulus:

Synopsis Rerum Sicanicarum Historica, observationibus, ac numismatibus illustrata. Huic copiosas addidit notas, quibus Siculam historiam illustrabit.

Scripsit etiam

Allegationes varias.

Rime diverse Sacre, Profane, & Amene.

JOSEPHUS FERRUGGIA ex oppido Rephadalis Agrigentinæ Diœcesis, honesto loco natus 9. Januarii anno 1618. ad Societatem convolavit 8. Octobris 1634. Præstantissimam ingenii felicitatem in gravioribus disciplinis addiscendis palam fecit: in Theologiæ enim studiis omnibus functus est muneribus; quibus ingeniosiores: ideoq; ad egregium doctrinæ fastigium ascendit. Sed laudabilius virtutibus, ac vitæ sanctimoniâ refulsit: nam Philosophiæ magisterium declinavit, & divini honoris zelo æstuans, ut sese totum sacris missionibus dicaret enixè petiit, & obtinuit. Iis eo studio animi vires devovit, eoque fervore, ut uberrimum animarum fructum collegerit, & omnium venerationem, ac sancti viri nomen sibi comparaverit. In apostolicis muneribus Ven. P. Aloysii la Nusa, ac P. Vitalis de Vitale egregiis operariis ferventissimus & ipse socius mirificè inclaruit: horum primus datis ad ipsum epistolis, ad munus amplectendum excitavit, hac fretus spe, quod in animarum beneficium inter ipsos perpetuum, admirandumque fœdus sanciretur. Alter verò ad exprimendum ejus fervorem, ignem semper actuosum vocavit: ac talis profectò sese ostendit in apostolicis laboribus obeundis, quos læto, ferventique animo semper pertulit: igneo enim spiritu instructus, per annos 17. in quadragesimali curriculo conciones habuit: ac extra ipsum sæpissimè, & non semel septies in die ad populum indefesso labore declamavit: semper eâ populorum frequentiâ, ut templa etsi amplissima ad multitudinem capiendam essent angusta: ideoque in mediis Ecclesiarum januis suggestum collocare cogebantur, ut om-

omnes ejus conciones exciperent. Concionum vi mirabiliter in cordium penetralia se insinuabat, & ad ea quæ vellet, etsi difficillima omnes flectebat. Sæpius fune ad collum alligata, spineâ coronâ redimitus, de B. M. V. cruciatibus concionabatur magno Nobilium concursu, ac omnium admiratione. Nil ipsi antiquius, quàm in vitia, spretis scelestium minis, imperterrito pectore detonare. Totum vitæ suæ curriculum in Siciliam, insulasque adjacentes excurrens, solicitus in missionum beneficio, & ampliatione impendit. Missiones exemplo, calamo, consilio mirùm in modum fovebat: pro his nunquam feriatus, etiam cum Provincialis socium egit, & Patres etiam Tertiæ Probationis instruxit. Viribus penitus fractis, ac penè immobilis, & elinguis, amplexibus, nutibus, vultusque hilaritate eorum progressum excitabat: & ut omnia verbo absolvam, in proximorum salute vivebat, movebatur, ac totus erat. Tanti viri labores admirandis illustravit Deus. Effulsere in egregio viro virtutes omnes, quæ ipsi venerationem, sanctique viri opinionem conciliarunt. Inerat semper ipsi ignitus vultus, quo internum amoris incendium prodebat; ardentius verò conflagrare videbatur cùm sacrum offerret: at morti proximus igni splendor insolitus accessit. Hujus fomenta dolores, laboresque erant: per annos etenim 40. missionibus constantissimè incubuit: ex his autem 23. invictâ animi fortitudine doloribus excruciatus insumpsit: nam in quodam animi deliquio magna aquæ ebullientis copia in ejus coxam, cruremque effusa, vulnus aperuit insanabile, cujus dolores usque ad vitæ extrema pertulit, eâ animi constantiâ, ut insensibilem credidisses: ad omnia enim alacriter accurrebat, nec doloris, aut querulæ vocis vestigium edebat. Humilitatis studio insignis, vilioribus ministeriis addictis inserviebat: etsi doctissimus in rebus dubiis scholasticos consulebat, ac rejectis propriis opinionibus, eorum sententias amplectebatur: aliorumque censuræ conciones suas exponebat. Ut Orphanorum asceterium Calatajerone instauraret, per urbem trabe onustus incessit: & cùm ad omnia se penitus inutilem arbitraretur, Deum his verbis rogabat: Succide domine arborem infructuosum, ut quid terram occupat? Obedientiâ clarus semel tantùm ab oppido Siclis petiit amoveri, ut sui æstimationem ibi conceptam fugeret. In pauperes beneficentissimus, sæpius eleemosynas emendicabat, ut eorum inopiæ consuleret; præsertim eluxere ejus charitatis officia anno 1671. in Urbe Messanæ, ubi dirâ famem 14. millia hominum vorasse dicunt: ipse enim per publicas Urbis vias, plateasque excurrebat, & dextera Crucifixi Domini signum, humero panis saccum, ac vini vasculum deducebat, ut corpora cibo, animas spiritualibus subsidiis reficeret. Prophetico spiritu claruit. Syracusis è terra sublimis pendere visus, & Crucifixi amplexibus frui. Tandem per totam Siciliam celeberrimus post diuturnam ægritudinem, ad laborum præmium in Cœlum evolavit è Collegio Panormitano 16. Decembris 1693. Ad funeris celebrationem magnus effluxit civiũ concursus: omnes verò ipsum Sanctum prædicabant. Incl yti viri res avidissimè expetitę, vestes discissæ; corpus seorsim sepultum: & in ejus sanctimoniæ laude nonnulla poetica, & oratoria encomia in aula, scholis, & cœnaculo Collegii recitata. Viri sanctimoniam admirandis nonnullis illustravit Deus; adhibitis enim ejus reliquiis, ægroti sanitati restituti sunt. Hæc ex relatione Patrum Societatis, ac propriorum oculorum inspectione. Plura dabunt Societatis historiæ. Edidit Italicè

L' Aurea Statua del Sole tramontato, l' Ecc. Rev. Sig. D. Pietro Martinez Rubio Arcivescovo di Palermo, e Supremo Ministro del Consiglio di Stato. Oratione Funerale detta in Lipari. Neapoli apud Lucam Antonium Fuscum 1668. in 4.

Rigordi lasciati in Lipari. Panormi apud Petrum Isola 1688. in 12. suppresso nomine.

Quæ m. s. reliquit, & in Bibliotheca Collegii Panormitani servantur, hæc sunt:

Praxis Sicularum Missionum. De Potestate Siculæ Missionis. Conciones Miscellaneæ. Conciones Quadragesimales. De Adventu Christi. De Virgine SS. De SS. Eucharistia. Exhortationes domesticæ. Flores notabiliores tom. 2.

JOSEPHUS DE FLORES Cephalæditanus, nobili loco natus anno 1623. ab infantia Panormũ translatus, ibi à teneris ungniculis ingenii sublimitatem haud obscurè omnibus aperuit in humanioribus literis addiscendis: sed excellentius in Rhetoricæ, ac Poeticæ studiis, quibus mirum in modum oblectabatur. Nec Philosophiam prætermisit, quam egregiè calluit. Validiores attamen ingenii vires Poesi tum Latinæ, tum Etruscæ dicavit: & cũ præstãtiores Poetas sibi Duces præfixisset, ad præcelsum Parnassi fastigium properavit. Jurisprudentiæ addictus inter coævos effulsit, eo temporis tractu, quo illi incubuit: sed naturæ vi tractus, ad Musarum cultum rediit. Tandem sciendi cupiditate extimulatus, astronomicis, ac Mathematicis disciplinis operam dedit: & nullo alio quàm se ipso præceptore, breviter plenam illarum cognitionem assequutus est. His insigniter instructus, dum doctissimam lucubrationem meditabatur, ab iisdem studiis lethalis morbi vi fuit avulsus. Hinc vix profligatâ hecticæ febris molestiâ, ut plenius convalesceret, Cephalædium repetiit: ubi instauratis viribus, paulò post iterum in ęgritudinem dilapsus ex quodam acris vitio, ibi decessit 30. Novembris an. 1646. annum agens 23. quod immaturæ mortis fatum astronomicâ cognitione jam antea amicis prædixerat. Hujus vitam scripsit Vincẽtius Auria, quam in suorum carminum vestibulo edidit. De eo etiã idem Auria *in hist. Cephalæd. pag.* 70. Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 441. ubi Panormitanum ex diuturna habitatione, instante eodem Josepho, renunciavit, ut etiam Ioannes Marius de Crescimbenis *in hist. Poesis Vulgaris lib.* 4. *pag.* 276. Honorius Dominicus Caramella *in Musæo pag.* 169. & *in carminibus juvenil. pag.* 62. Prodiere post ejus mortem

Car-

Carmina. Venetiis apud Turrinum 1651. in 12. Italicè

Poesie. Ibidem apud eumdem 1651. in 12. Has collegit, ac observationibus quibusdam illustravit Vincentius Auria ejus amicus.

Canzoni Siciliane. Extant in Musis Siculis *par*. 2. *tom*. 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12.& iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS FRASSICA Messanensis, claruit anno 1589. ex Octavio Caetano *in animad. ad to*. 1. *SS. Siculor.pag*.156. ex eodem *in Animad. ad to*. 2. *SS. Sicul. pag*. 15. scripsit

Compendium Historiarum Messanæ.

JOSEPHUS GALEANUS Panormitanus Philosophus, ac Medicus doctissimus, natus circa annum 1605.literarum studiis deditus,Sacræ Theologiæ, Philosophiæ, & Medicinæ laureâ insignitus eminuit. Ob singularem doctrinæ præstantiam ne dum Panormi,& in Sicilia, verùm etiam, & in Italia, aliisque dissitis regionibus celeberrimus, doctioribus viris numeris omnibus absolutis, meritò accensendus est. Apud Siciliæ Proreges, Præsules, Dynastas, ac supremi Ordinis viros veluti alter Galenus veneratus enituit. Elucebat enim in egregio viro tum singularis doctrina, tum praxis medica eximia, quam in publicis Nosocomiis Panormi, & in Principum, aliorumque ædibus, ad universalem omnium beneficium, salutari experientiâ probavit. His accessit Anatomiæ, ac plantarum plenissima scientia, quibus clarissimum sibi nomen vindicavit. Magno cum plausu Panormi Medicinã docuit annis propè quinquaginta,& ex ejus scholaDiscipuli prodiere doctissimi, qui Siciliam doctrinæ splẽdoribus illustrarunt : ejusque prælectiones hodie veluti medicinæ canones venerantur. In Panormitana Medicorum Academia ad Principis gradum fuit evectus: Panormitani Prætoris in rebus ad sanitatem spectantibus semel,& iterum Consultor electus innotuit : & apud viros sapientiâ illustres Medici præstantissimi opinionem occupavit. Hinc sæpius ad ipsum ex longinquis regionibus veluti ad oraculum confugere curarunt viri doctissimi in difficillimis medicæ facultatis quæstionibus: sæpiusque epistolis laudibus refertissimis ad ipsum datis ab Italia, Hispania, Gallia, Germania, aliisque remotissimis Provinciis doctrinæ suæ applausit medicorum præclarissimorum cœtus. Ingenium rerum omnium capax, Theologicis etiam, ac mathematicis disciplinis erudivit: & amœnioribus etiam literis ex naturali propensione excoluit : ideoque eloquentiâ, ac Poesi claruit ; fœcundissimâ enim venâ munitus, Musas Etruscas, Latinas, Siculasque egregiè dilexit. Omnigenâ eruditione locupletatus mirum in modum effulsit : & in Panormitana Reaccensorum Academia ab omnibus literatis meritò magna æstimatione prosequutus, eximiis laudum præconiis, tamquam singulare elapsi sæculi ornamentum venerabatur. Moralibus virtutibus instructus efflornit: charitatis præsertim officia in pauperibus curandis adhibuit;quos ut ad valetudinem revocaret, pharmaca componebat idonea, ut in illos erogaret. Mortis causam egregii viri Barbitonsoris incuriæ adscribunt ; in morbum enim lapsus, cùm venæ sectione saluti suæ consuluisset, Barbitonsor lineis frustulis aquâ madefactis sectionem occlusit(quem abusum ipse ab urbe Panormi,edito libro,exterminaverat, utpote saluti noxiũ)ideoq:incalescente febre,tandẽ magno omnium dolore, jam senectutem adeptus, fato cessit Panormi 28. Junij anno 1675. & in Ecclesia Domus Professorum Soc. Jesu sepelitur. Filios post se reliquit Ignatium Ordinis S. Benedicti alumnum, de quo in hac Bibliotheca *pag*. 309. & Rosaliam, primùm una ex octo Fundatricibus Monasterii Panormitani S. Juliani, exinde quarta inter Fundatrices Eremi admirabilis, ac celeberrimi Ven. Ursulæ Benincasæ in Urbe Neapolis, ex Francisco Maria Magio *in Vita*, *& Eremo ejusdem Ursulæ pag*.258. Josephum celebrant Cyprianus Maroja Philippi IV. Catholici Regis Medicus *in consult. Medic. lib*.3.*pag*.100. *&* 114. Gaspar Bravus Hispaniarum Archiater, & Caroli II. Regis Medicus *in resolut. medicin. pag*. 579. Gaspar Caldera *in illustrationibus*, Joannes Lazarus Gutterrez *in febrilogia cur*. 9. *lect*. 4. *curs*. 9. §. 4. 5. *& lect*.6. §. *unico*, Joann. Alphonsus Borrellus *de febre maligna*, Petrus Castellus *in præservatione ab imminenti lue pag*. 4. *&* 22. Gavinus Farina *in medicinali patrocinio pag*.211. Nicolaus Gervasius *in succedaneis pag*. 93. Joannes Paulus ab Epiphania in libro: *Stravaganze della Natura lib*. 9. *pag*. 446. Joan. Bapt. de Judice *in carmin. par*. 1. *pag*. 83. *&* 95. Balthassar Falsaperla *in Poes*. Joannes Bapt. Vallegius *in carmin. pag*. 29. 30. *&* 54. *& in Lelvagio pag*. 54. Didacus de Mastro *in causa Medicor. Poet. pag*. 56. Angelus Matthæus Bonfantes in libro: *Cigno Provocato par*. 2. *cap*.1. *pag*. 30. Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag*. 374. qui origine Abintimilliensem fuisse tradit, Joannes Caramuel *in Rhytmica pag*. 222. Franciscus Maria Magius *in Vita*, *& Eremo Ursulæ Benincasæ pag*. 259. Angelicus Aprosius in libro: *Visiera alzata pag*. 99. *&* 126.in libro : *Grillaja, Grill*. 38. *pag*. 435. & in *Biblioth. Aprosiana pag*. 644. qui ob egregiam æstimationem, quâ Galeanum prosequebatur, ipsius Imaginem cum aliis celebrium literatorum in eadem Bibliotheca, ad omnium venerationem, servabat : ibidem *pag*. 203. habetur epistola ad nonnullos viros à doctrina laudatissimos, inter quos noster Galeanus. Ejus Imago pluries ære insculpta prodiit, hac inscriptione exornata.

Joseph Galeanus Philosophus, ac Medicus Siculus Panormitanus ætatis suæ ann. XXXXVII.

Bis lauro cinctus, nam bis Galeanus Apollo est,
Carmina seu pandat, Pharmaca seu tribuat.

Edidit

Epistolam medicam, *in qua de Epidemica febre theoricè, & practicè agitur, tum controversiæ omnes de diæta, pharmacia, & chirurgia in malignis febribus enodantur*. Panormi apud Alphonsum de Isola 1648. in 4.

Smilacis asperæ, & Salsæ pariliæ causam. Ibid. apud Decium Cyrillum 1653. in 4.

Po-

Politicam Medicam pro leprosis. Apologeticam epistolam, in qua summatim quæcumque adversus sententiam italicè prius prolatam de explorandis leprosis latinè fuerunt impugnata expurgantur. Panormi apud Augustinum Bossium 1657. in 4.

Hippocratem Redivivum Paraphrasibus illustratum, seu Aphorismorum Hippocratis Sectiones. Paraphrases Josephi Galeani. Panormi apud Josephũ Bisagninm 1650. in 12. apud Didacum Buam 1663. in 12. & ibid. typis Felicis Marini 1701. in 12.

Orationem de Medicinæ præstantia. Panormi typis Josephi Bisagni 1649. in 4. quam eodem ãno Italicè versam edidit Panormi Didacus de Mastro Neapolitanus.

Italicè etiam in lucem emisit

La lepra unita col mal francese, ò altro contagioso male, in quale degli Spedali debba curarsi. Distintioni, e decisioni medicinali. Panormi apud Augustinum Bossium 1656. in 8.

Idea del cavar sangue. Ibid. apud eumdem 1659. in 12. pluries recusa.

Il Caffè con più diligenza esaminato in ordine al conservamento della salute de' corpi humani. Ibidem apud Dominicum Anselmum 1674. in 4.

Del conservar la sanità libri sei di Galeno. Panormi apud Nicolaum Buam 1650. in 8.

La S. Rosalia Panegirico. Ibid. apud Jo: Ant. de Franciscis 1626. in 8.

La Rosalia Trionfante Poema sacro. Venetiis apud Imbertos 1632. in 12.

La S. Rosalia Vergine Romita Palermitana descritta. Panormi apud Josephum Bisagnium 1653. in 12. & Genuæ apud Petrum Jo. Calenzanũ 1662. in 8. & ibid. eodem anno addita est Legendario SS. Virginum.

L'Iride Colomba Ode Pindarica per la venuta dell' Illustriss. & Em. Signore il Sig. Cardinal Prencipe Teodoro Trivultio del Conseglio di Stato di S. C. M. e suo Luogotenente, e Capitan Generale nel Regno di Sicilia. Panormi apud Decium Cyrillum 1648. in 4.

Poesie Liriche. Ibidem apud Alphonsum de Isola 1634. in 12.

Il Trionfo di S. Casimiro Prencipe di Polonia celebrato per otto giorni nella Chiesa di S. Nicolò Tolentino de' RR. PP. Scalzi Agostiniani della Città di Palermo. Ibid. apud Antonium Martarellum 1636. in 4. sub nomine Josephi Sanclementis.

L'Aquila del Sole Austriaco Panegirico per la festività del racquisto di Barcellona. Ibid. apud Petrũ de Isola 1653. in 4.

Diporti Giovanili, compositioni Poetiche. Ibidem apud Buam 1661. in 12.

Il Pelagio, o vero la Spagna racquistata, Poema Eroico. Ibid. apud Didacum Buam, & Petrum Camagnam 1670. in 8.

Il Mare amarissimo della Passione di Giesù Christo, Ponderationi devote. Ibid. apud Carolum Adamum 1674. in 8.

Sub nomine Bruni Cibaldi edidit, teste Angelico Aprosio, in libro: *Visiera alzata pag.* 99.

Del vero metodo di conservar la sanità, e di curare ogni morbo col solo uso dell' Acquavita, discorso di Bruno Cibaldi Romano. Panormi apud Petrum de Isola 1662. in 12.

Discorso intorno all'uso dell'Acquavita, nel quale si dimostra quante, e quali siano le conditioni della perfetta Acquavita, acciochè se ne possano servire i corpi per conservamento della salute. Ibid. apud Bossium 1667. in 12.

Ex eodem Aprosio *pag.* 126. scripsit sub anagrammatica larva Pelagii Sugapene

Lettera del Dottor Pelagio Sugapene à Bruno Cibaldi in approvatione del suo dicorso intorno all'uso dell'Acquavita. Ibid. apud eumdem 1667. in 12. Ideoque Bruno Cibaldus *ex Bibliotheca Romana* clarissimi Prosperi Mandosii *tom.* 1. *cent.* 4. *num.* 32. *pag.* 234. delendus: hæc enim opuscula Galeani fœtus fuisse; tum ex Aprosio citato, tum ex omnium consensu, Panormi satis liquet.

Collegit Cantiones celebrium Poetarum, qui Siculas Musas coluere, ac in quinque Tomos distribuit: & addito unicuique Auctori elogio sub Petri Josephi Sanclementis edidit, his titulis inscriptos:

Le Muse Siciliane, overo scelta di tutte le Canzoni della Sicilia Parte Prima, nella quale si contengono le più degne de' più famosi Autori Antichi, con una Grammatica Siciliana, e con due tavole, la prima delle Canzoni, la seconda delle materie. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Tomo Primo della Seconda Parte, nella quale si contengono le più degne de' più famosi Autori Moderni. Ibidem apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Bisagnium 1662. in 12.

Tomo Secondo della Seconda Parte. Ibidem apud eosdem 1647. & 1662. in 12. & in hoc Tomo edidit Cantiones suas sub D. Vincentii Valguarneræ nomine, ut mihi testatus est Vincentius Auria vir integerrimus, Galeani amicus, ac familiaris.

Parte Terza, nella quale si contengono le più degne in stile burlesco de' più famosi Autori così Antichi, come Moderni, con una dichiaratione de' vocaboli più proprii, e più oscuri Siciliani, riscontrati co i Toscani. Ibid. apud Bisagnium 1651. in 12. hic etiam extant ejusdem Galeani carmina sub memorati Vinc. Valguarneræ nomine.

Parte Quarta, nella quale si contengono le più degne de' più famosi Autori Antichi, e Moderni per eccitare l'anime de' Christiani alla devotione. Ibidem apud eumdem 1653. in 12. in quo & proprias ejusdem Galeani invenies *à pag.* 186.

Advertendum hic puto, quod Augustinus Oldoinus *in Athenæo Ligustico pag.* 374. ait, Galeanum in sui gloriam, posterorumque commodum opuscula plura Italicè, & Latinè scripsisse in quindecim Tomos collecta, studio Isidori Pallestreros, edita apud Didacum Buam 1663. & opusculorũ titulos exhibet: sed quamvis hanc editionem in 12. aggressus fuisset Isidorus Pallestreros nostri Galeani Gener, cujus initium, titulo: *Vigiliarum medicinalium lucubrationes, cum Hippocrate Redivivo*, editum vidi, attamen editionem nec absolvit, nec

nec prosequutus est. In hac autem editione plura ex supra relatis recudere curabat, quorum titulos habes supra, alia tunc primùm typis concedenda, quæ non prodiere, hæc sunt:

De Columbarum, & Vesicantium in malignis febribus medica amici contentio.

Academicæ lectiones, decisiones, & consultationes Medicæ.

Quotidiana Praxis de febribus in dies distincta.

Selectorum, & secretorum medicinalium Partes tres.

Hippocrates Redivivus: Paraphrasis in omnia Hippocratis Prognostica.

Italicè

Della Nobiltà del Medico Libri tre.

Del cõservare la sanità in universale, & in particolare Libri tre.

Elucubraverat etiam hæc alia omnibus numeris absoluta: & jam jam seorsim typis tradenda, nempè

In Zacutum Lusitanum Tomos II. in fol.

Polianteam Medicam Theoricam, & Practicam. Tomos sex. in fol.

Extant m.ss. apud me

Il N'so.)
Amarilli.) *Idillii in ottava Rima Siciliana.*
L'Amante luntano.)

JOSEPHUS GALIA Drepanitanus Sacerdos, vir humanioribus literis apprimè excultus. Obiit Panormi anno 1651. Edidit Italicè

Instruttione per ajutare li Giovanetti nell'acquisto della Grammatica con ogni facilità. Panormi apud Antoninum Gramignanum 1661. in 8. secunda editio.

JOSEPHUS GALLETTUS Messanensis Soc. Jesu. Edidit Italicè

La Miniera delle Vittorie, Oratione Panegirica della sacra Lettera scritta da Maria Vergine a' Messinesi. Messanæ apud Matthæum la Rocca 1677. in 4.

JOSEPHUS GALLUZZO Adernionensis Sacerdos, & Doctor. Humaniores literas coluit, quibus addidit Musas Latinas, Etruscas, Siculasque. Anno 1670. superstes Panormi vivebat Edidit.

Prosodiam, seu Artem Metricam. Panormi typis Bossii 1670. in 8. Italicè

Decisione Poetica d'Amore, e Sdegno chi si sia più di loro potente sopra l'antichissima questione de' Poeti, alla quale s'accoppiano alcuni Sonetti, e Canzoni Siciliane. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 8.

Il Mongibello Parte Prima in rima sciolta. Neapoli apud Novellum de Bonis 1669. in 8.

Seconda Parte del Mongibello vomitante fuoco, descrittione composta in ottava rima, cavata dalla Prima Parte fatta in rima sciolta, ove si narrano i portentosi danni del detto fuoco avvenuti nel 1669. Ibid. apud eumdem 1669. in 8.

Compositioni spirituali. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 8.

Prælo paraverat

Il Pastor Fortunato, Tragicomedia pastorale.

L'Arianna.

JOSEPHUS GANGUTIA ex oppido Mistrettæ, Abbas S. Mariæ de Plano Capitii. Obiit in patria, nescio qua ex causa interfectus circa annum 1660. Edidit Italicè

L'Abbramo Poema drammatico. Panormi apud Josephum Bisagnium 1654. in 4.

JOSEPHUS GELOSUS Panormitanus, ex Josepho Silos, ac ejusdem Gelosi testimonio in operibus infra deferendis: non Savonensis, ut Augustino Oldoino placuit in *Athenæo Ligustico pag.* 376. & Raphaele Soprano *de Scriptor. Liguris* apud ipsum. Frater Jo. Antonii Gelosi Episcopi Pactensis. Clericorũ Regulariũ Ordinem ingressus solemnia edidit vota Panormi 22. Octobris anno 1606. Graviores disciplinas amplexus, ob egregiam ingenii indolem, assiduumq: studium, doctissimi Theologi gloriam, ac dissertissimi concionatoris nomen consequutus est. Inter præstãtiores verbi Dei Præcones recensitus, per annos 40. concionatoris munere summa cum laude functus, enituit: ex quibus 36. in quadragesimali curriculo, & 35. per anni ambitum declamavit in præcipuis Siciliæ, & Italiæ Civitatibus; præsertim Romæ, Neapoli, Venetiis, Mediolani, Rhegii, Modonæ, Panormi, Messanæ, & alibi: ob eloquentiæ nitorem, eruditionis ubertatem, sacrarum literarum, Sanctorumque Patrum copia, (quorum testimoniis, fuit instructissimus) nunquam sine laude, plausuq: auditus. Obita munia egregias viri dotes apud suos probavere: inter quæ in primis enumerandus Consultoris Generalis munus. Annum agens 63. apoplexiæ ictu enervatus, biennio elapso vitam absolvit Panormi 8. Martii anno 1657. Hunc laudatum invenies à P. Josepho Silos *in hist. Cler. Reg. p.3. l.12. pag.602.* & Aloysio Novarino *in opusc. tom.1. p.78.* Edidit Italicè

I Celesti Tesori delle incomparabili grandezze di S. Giuseppe Sposo della B.V. e Padre dell'Incarnato Dio. Panormi apud Alphonsum de Isola 1636. in 4.

Quaresimale, o vero discorsi sopra tutti i Vangeli della Quaresima, e Sermoni della Passione di Giesù Christo, e l'eccellenze di M.V. Tomo Primo e Secondo. Panormi apud Petrum de Isola 1644. in 4. & Venetiis apud Paulum Balionum 1649. in 4.

Santorale discorsi de' sovrani lodamenti di Christo, dell' Eccellenze della Vergine, e delle Grandezze de' Santi nelle due Staggioni del Verno, e della Primavera. Venetiis apud Christophorum Thomasinum 1650. in 4.

Santorale discorsi de' sovrani lodamenti della Trinità ineffabile, dell'Eccellenze di Christo ascendente, dello Spirito Santo, e delle Grandezze del SS. Sacramento dell'Altare, con i raggionamenti per un' intiera ottava Tomo Secondo. Panormi apud Josephum Bisagnium 1655. in 4.

Alia etiam 18. volumina de rebus concionatoriis m. ss. reliquit

JOSEPHUS GENOVESA Messanensis, ut ex Prosis Academiæ Officinę habeo *lib. 1. pag.* 120. e 121. vir politioribus literis excultus, ac memoratæ Academiæ alumnus. Edidit

Per la Solennità della Lettera scritta da Maria Vergine a i Messinesi. Discorso.

Che

Che la Costanza, e Perfezione dello stato mondiale dipende dall' incostante vicendevolezza del tempo. Discorso. Extant in Prosis Academicorum Officinæ. Monteleoni apud Dominicum Antonium Ferrum 1667. in 4.

L' Onore ridotto in punto per più aguzzare in noi il desio della gloria. Discorso. In eisdem prosis lib. 2. Neapoli apud Andream Colicchiam 1669. in 4.

S. JOSEPHUS HYMNOGRAPHUS, ita ab hymnorum multitudine, quos decantavit, appellatus. Lucis usuram Syracusis accepit, natus ex Plotino, & Agatha parentibus virtute claris. Ab infantia morum maturitate, virtute, ac pietate, futuræ sanctimoniæ specimen dedit. Sacris addictus literis mirum in modum profecit, & non obscura cœlestis sapientiæ, ac divinæ eloquentiæ splendores edidit, quos præclariores virtutum incrementis effecit. Sed florente adhuc ætate cùm Agareni Syracusas occupassent, ut Barbarorum furorem declinaret, in Peloponnesum secessit, ubi relictis genitoribus, ut Deo liberius vacaret, Thessalonicam petiit, ibique monasticum D. Basilii institutum amplexus est in Cænobio Latomi dicto. Eo animi fervore regularem disciplinam aggressus est, ut breviter perfectionis exemplum sese omnibus exhibuerit: humilitatis enim, obedientiæ, solitudinis, ac silentii studio incubuit: austeritate, contemplatione, charitate, aliisque virtutibus ornatus ita refulsit, ut omnibus admirationi esset. Ex assidua sacrarum literarum, Sanctorumque Patrum lectione, virtutum fomenta eliciebat, cœlitesque primarios ne dum imitari conabatur, verùm etiam & hymnis, aliisque ingenii monumentis extollere curabat. Hinc in sui amorem, ac venerationem omnes trahebat; dulcius autem cùm sacrarum literarum arcana magnâ suavitate expenderet. Sæpius cœlesti sapientiâ imbutus côcionabatur, ac ad virtutes amplectendas auditorum animos excitabat: profluebat enim ex ore egregii viri mellitæ eloquentiæ flumen, quo omnium corda dulciter alliciebat. Ob egregiam vitæ sanctimoniam dignus existimatus qui Sacerdotio initiaretur, licèt humilitatis vires obsisterent, precibus, & obedientiæ cessit: ideoque hac dignitate insignitus ferventius virtutum studio incubuit. Duriores pœnitentiæ leges amplexus est, orationem protrahere diutius curavit, & ad sanctimoniæ fastigium omnibus animi nervis properare contendit. Cùm autem Thessalonicam pervenisset, S. Gregorius Decapolita, qui sanctitatis, ac miraculorum gloria florebat, Josephi Sanctimoniam numeris omnibus absolutam, demiratus, cum illo arctissimam familiaritatem contraxit: adeout ab eo distrahi haud pateretur: hinc discedere coactus ad gravissimas res Constantinopoli pertractandas, Cœnobii moderatorem enixè rogavit, ut Josephum itineris socium adjungeret, & tandem obtinuit. Constantinopolim appulsus Josephus, Gregoriū continuò intuens, omnem vitæ suæ rationem in se fideliter transferre curabat: ac vitam potius angelicam, quàm humanam traducebat. Cùm autem Leo (non Isauricus, ut habet vita S. Iosephi apud Octavium Caetanum, *tom. 2. SS. Siculor. pag. 46.* sed Armenus, ut juxta temporis epochas rectè advertunt Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius *in Actis SS. 3. Aprilis in comm. prævio ad vitam S. Josephi §. 1. pag. 266. & in annot. pag. 273.*) immanissimus Constantinopolitanus Imperator, vesanâ rabie in sacras Imagines, earumque cultores sęviret, S. Gregorius Imperatoris furori se opponens, publicè Catholicam Fidem propugnavit: hinc nonnulli viri religiosi ad Gregorium, tamquam ad Fidei Athletam cōfugientes, sępius institerunt, ut Romam ad Summum Pontificem S. Josephum mitteret, cui Ecclesiæ calamitates, ac fidelium pericula exponeret. Ideoque noster Josephus Gregorii jussu Romā velificavit: at in itinere à Pyratis aggressus, captivus in Cretā insulā adductus est, ubi in vincula cōjectus, obscuro carceri mancipatur. Sed inter catenas gestiēs, sociorū lāgores mellita eloquentiæ vi emolliebat, ac in fidei constantia confirmabat. Episcopum animi infirmitate laborantem, qui ut se à laboribus eriperet ad Imaginum contemptum jam propendebat, ita roboravit, ut pro Christi fide, ac Imaginum cultu sanguinem profundere paratum reddiderit. Innumeros à Diaboli laqueis solvit, ac in fide fluctuantes firmavit, quorum nonnulli martyrii palmam assequuti sunt. Dum autem ita fructuosè vitam, etsi catenis vinctus traducebat, in natalitii Domini nocte, spiritualibus canticis productā usque ad galli cantum, D. Nicolaus Myrensis sese spectabilem fecit, ac Josepho nunciavit, Iconomachum Imperatorem jam defunctum; se autem Constantinopolim regredi opus esse, ut cœlesti sapientiâ Christi fideles confirmaret: inde libelli folium in ejus os immisit, in quo hæc legebantur verba: *Accelera tamquam misericors, & festina tamquam miserator in adjutorium nostrum, potes enim si vis*; hæc cùm suavissimè decantasset, se cœlesti dulcedine perfusum sensit; ac compedibus solutum, & per aerem raptum, statim à D. Nicolao Constantinopolim translatus est. Cùm ibi Gregorium jam defunctum deplorasset, in Ecclesiam S. Joannis Chrysostomi secessit, ubi populos ad Ecclesiam confluentes cœlesti sapientiâ erudivit, & ad omnium commodum Cœnobium extruxit, quod statim numerosus Religiosorum cœtus explevit. Acceptâ ex dono S. Bartholomæi reliquiâ, ad ejus cultum Ecclesiam excitavit, ibique pluries S. Apostolus spectabilem Josepho dormienti se exhibuit, eiq; abdita nonnulla mysteria, ac difficillima sacrarum literarum loca explanavit; cœlestibus benedictionibus, & charismatibus cumulavit. Vt terrarum Orbem cantionum suavitate demulceret, Josephum supernâ benedictione beavit, & in ejus linguam supernæ sapientiæ latices largiter influit. Ex tunc carmina panxit uberrimè eo nectare referta, leporibusque concinnata, ut auditorum, ac legentium animos mirâ dulcedine perfundant, & quocumque velint facillimè flectant: adeout ex iisdem Cœlicolarum cantorum melos effluere ad animarum solatium putes. Hinc meritò ejus hym-

hymni ab Ecclesia Græca in sacris divinæ Psalmodiæ locis translati, ad Cœlitum laudem decantantur. Multos in hæresim lapsos ad Catholicam fidem revocavit, multosque à sæculi illecebris ereptos, monasticæ vitæ addixit. At dum in his sedulus insudabat, inclyti viri labores exturbavit Theophilus Imperator (non Constantinus Copronymus, ut ex citata Henschenii, & Papebrochii correctione) qui & ipse sacris Imaginibus infensus, Josephum evangelica libertate concionantem, in exilium ejicit, in quo forti animo exilii ęrumnas perpessus est, usque dum à Michaele Imperatore Constantinopolim revocatur. Inde spretis dignitatibus ultrò sibi oblatis, ecclesiasticæ supellectilis custodiam accepit, ut Ignatio Patriarchæ obtemperaret: hic enim Josephi Sanctimoniam doctrinamque perpendens, in pertractandis Ecclesiæ negotiis ipsum adhibere cupiebat, quod ex collato munere obtinuit: ideoque in rebus difficillimis sæpius Josephum consulebat, & ab ejus ore dulciter pendebat. Acceptissimus etiam Photio successori fuit, qui Josephum eâ prosequebatur æstimatione, ut ipsum appellaret Patrem Patrum, & Hominem Dei: tamquam Angelum venerabatur, cui & Ecclesiæ negotia demandabat, omnesque Ecclesiæ Primates hortabatur, ut eũdem veluti Sãctissimum Patrem recolerent, & ipsi mentis arcana detegerent; quod libẽtius perpetrabãt: propheticâ enim luce perfusum experti sunt, quo cordium penetralia rimabat: Josephus autem omnes ad rectam Domini viam dirigebat. Tandem undique celeberrimus, virtutibus, ac sanctimoniâ clarissimus, ab Angelo commonitus est, sibi instare mortis diem; ideoque omnibus rejectis curis, ad ipsam ferventius se paravit, ac tandem ad cœlum evolavit, in quo Deipara, Cælitesque omnes, quorũ elogia decantaverat, summo honore excepere 3. Aprilis anno 883. Si plura tanti viri cupis, consule ejus vitam à Ioanne Diacono scriptam, apud Octavium Caetanum *in Vitis SS. Siculorum tom.* 2.*pag.*43. ab eo primùm sub Anonymi scriptoris nomine editam, ex m. s. codice græco Monasterii S. Salvatoris Messanæ, ab Augustino Florito Soc. Iesu latinitate donatã; exinde sub Joannis Diaconi nomine eamdem in lucem emisere Henschenius, & Papebrochius *in Actis SS.* 3. *Aprilis à pag.* 269. (Hi etiam vitam S. Iosephi ex Synaxariis m. ss. edidere pag. 266.) eamdem etiam ex perantico codice Bibliothecæ Vaticanæ in latinum translata à Ludovico Marraccio è Congregatione Cler. Reg. Matris Dei, edidit Hippolytus Marraccius frater, ejusdem Congregationis Sacerdos in Mariali ipsius S. Iosephi, qui & ea, quæ in Græcorum Menæis, ac Menologiis de Iosepho habentur, lectoribus exhibuit. De eo etiam Iosephus Perdicarus *in Vitis SS. Siculor. pag.* 282. Hieronymus Bascapè *Ephemer. Sacr.* 3. *Aprilis à pag.* 31. Simon Wangnereckius *in prologomenis ad pietatem Marianam Græcor. n.* 22. qui duos distinguit Iosephos Hymnographos, quorum unus S. Theodori Studitæ frater, Episcopus Thessalonicensis, alter noster Siculus: & huic adscribendos putat Canones, qui in Græcorum Menæis nudum Iosephi nomen præferunt: ejusq; sentẽtiæ adherent Henschenius, & Papebrochius *in comment. prævio ad vitam* §. 2. *num.* 10. & 11. Vide etiam Iacobum Goar *in Glossario ad Rituale Græcorum*, Marraccium citatum *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 822. Joannem Nadasi *in Anno Cælesti* 3. *Aprilis*, Leonem Allatium *de libris Eccles. Græcorum disser.* 1. Franciscum Carreram *in Panth. Siculo pag.* 75. Rocchum Pirrum *in not. Eccl. Syracus. pag.* 139. Thomam Strotium *in Controversia Concept. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 163. & *cap.* 20. *pag.* 165. Michaelem Angelum Mancharusum *in Kalendario Syracusano*, Caetanus cit. *in Isagog. ad hist. Sic. c.* 36. *n.* 24. 25. aliosque. Scripsit S. Josephus

Hymnos innumeros, ex quibus Hymnographi nomen accepit. In Ecclesiasticis Græcorum libris CCCV. Hymnos (quos etiam Canones vocant) per dies dispositos, ac per anni ambitum ab Ecclesia Græca decantari solitos contineri testatur Caetanus cit. *in animad. tom.* 2. *SS. Siculor. pag.* 18. *num.* 20. & Perdicarus *loc. cit. pag.* 294. nempè

Canones LXXXXVI. in Paralectico. Liber est Græcorum, qui quotidie aliquod recitandum in Choro exhibet, ad aliorum librorum differentiam, quibus statutis temporibus utuntur, ex Leone Allatio *de libris Græcorum disser.* 1. *pag.* 68.

Canones XXXV. in Triodio. Liber hic recitanda in Choro à Septuagesima usque ad Sabbatum Majoris Hebdomadæ complectitur, ex Allatio *cit. diss.* 1. *p.* 69. at Marraccius in Mariali XXXVI. *à pag.* 301. *ad* 322. ex eodem libro exhibet.

Canonem V. in Pentecostario. Liber est, Græcorum, qui recitanda in Choro à Pascha, usque ad octavam Pentecostes continet, ex Allatio *cit. pag.* 77. & 78.

Canonem I. in Horologio, quod idem est ac latinè Diurnum, ex eodem Allatio cit.

Canones CLXVIII. in Menæis. Codices sunt duodecim, juxta duodecim anni menses dissecti, in quibus quotidie decantanda horis canonicis ad Dei, Deiparæ, ac Sanctorum laudẽ continentur, ex Allatio *cit. pag.* 78. Sed haud prætermittendum puto ex eodem *pag.* 81. *S.* Josephi hymnos, omnibus aliorum Gręcorum, qui in ipsis Menæis comperiuntur, anteponendos. Inmò ejus vitæ Scriptores tradunt, Poetas, Scriptoresq: omnes post ipsum florentes, quæ venustatis, ac concinnitatis habent, omnia ex Iosephi hymnis, tamquam ex cœlesti aurifodina eruisse. Ex his omnibus libris, aliisq; m. ss. codicibus celeberrimus vir, & Deiparæ cultor inclytus Hippolytus Marraccius Lucensis, Hymnos collegit omnes Græcos, quos S. Iosephus in Deiparæ laudẽ cecinit, & latinitate donatos ferè omnes à Ludovico Marraccio ejus fratre, edidit, notisque, illustravit, hoc apposito titulo:

S. Josephi Hymnographi, Siculi, Syracusani, Ordinis D. Basilii Monachi Mariale, quo ejusdem S. Josephi de Augustissima Cæli, Terræque Regina Deipara Virgine Maria opera omnia, quæ reperiri potuerunt, ex Græcis mm. ss. Codicibus collecta, Latinè reddita, notisque illustrata, nunc primò publicantur. Studio ac la-

ac labore P. Hyppoliti Marraccii Lucensis è Congregatione Cler. Regul. Matris Dei. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1661. in 8. Addit & ipse Marraccius *in notis pag.* 423. Hymnos multos reperiri in m. ss. codicibus Bibliothecæ Barberinæ, qui in editis Græcorum Menæis desiderautur: & *pag.* 488. & 494. ait, quòd in Triodio m. s. Græco ejusdem Bibliothecæ n. 118. Hymni extant nonnulli, qui in impresso Triodio non reperiuntur. Apud Octavium Caetanum in Vitis SS. Siculorum hæc in latinum versa ab Augustino Florito Soc. Iesu habentur, nempè

Antiquæ odes fragmentum in S. Marcianum Episcopum Syracusanum. Tom. 1. *pag.* 7.

In S. Pontificem Pancratium Hymnus. Ibidem *pag.* 15.

In S. Niconem Mart. Hymnus. Ibidem *pag.* 45.

In S. Euplium Hymnus. Ibidem *pag.* 110.

Hymnus Secundus in S. Martyrem Euplium. Ibid. *pag.* 112.

Hymnus in S. Fantinum ex m. s. Græco codice Monasterii S. Philippi Fragalatis. Ibid. *pag.* 161.

In S. Gregorium Agrigentinum Episcopum Hymnus. Ibidem *pag.* 218.

In S. Leonem Episcopum Catanensem Hymnus. Tom. 2. *pag.* 26.

Denique apud Laurentium Surium *in Vitis SS.* 24. *Augusti pag.* 254. & Aloysium Lippomanum *in Vitis SS.* 24. *Augusti pag.* 891. ex Simone Metaphraste extat sermo inscriptus:

Josephi Humilis, & Minimi Laudatio in Sanctum Apostolum Bartholomæum. Hunc nostri Iosephi fœtum putant Octavius Caetanus *in animad. ad tom.* 1. *SS. Siculor. pag.* 134. *n.* 6. & *in animad. ad tom.* 2. *pag.* 18. Iosephus Perdicarus *in Vitis SS. Siculor. pag.* 294. Henschenius, & Papebrochius *in annot. ad vitam S. Josephi pag.* 274. hi verò *in comment. prævio ad eamdem vitam* §. 2. *n.* 11. ex Aliatio *in dissert. de Græcor. libris pag.* 11. Iosephi nostri putant

Canones de S. Nicolao. Servantur Græcè m. ss. Romæ in Bibliotheca Barberina.

JOSEPHUS JANUARIUS Panormitanus Sacerdos, natus 14. Iunii 1647. ex Mariano Ianuario Neapolitano, qui Panormum appulit anno 1582. Literarum studia complexus, Sacræ Theologiæ lauream accepit. Amœnioribus facultatibus dicatus, Musas familiares habuit, ac multa cum literatorum laude egregiè protulit ingenii monumenta. Vivit vir eximius Panormi anno 1707 quo hæc typis consignantur. Edidit Italicè

L' Humiltà Trionfante Tragedia Sacra della Gloriosa Vergine S. Rosalia Palermitana. Panormi apud Camagnam 1671. in 12.

La Colomba fugitiva ricovrata nel Pellegrino, Vita, e Morte della Gloriosa S. Rosalia Vergine Palermitana componimento per musica. Ibidem apud Anselmum 1679. in 12.

Dialogos etiam edidit musicis modulis decantatos, ac Panormi editos, nempè:

San Pietro Penitente.
Il Goliat.
L' Abramo.
Il Transito del Glorioso Patriarca S. Giuseppe.
La Divina Providenza.
Il S. Michiele Archangelo.
Il Mosè.

Prælo paravit

Poesie liriche Tomi due.
Sonetti Tomo I.
Canzoni Siciliane.
La Solinaura.) *Drame per musica.*
La Gildippe Regina di Tripoli.)

Latinè

Virgilii Eclogas bucolicas, piscatorias factas.
Sannazarii Arcadiam latinè.
Solimeidos Torquati Tassi cantus quatuor, ab eo ubi desiit Vincentius li Bassi Poeta Panormitanus.

JOSEPHUS DE JUDICE Catanensis, musices peritissimus, ac Poeta insignis. Hujus meminit Josephus Galeanus *in Musis Siculis par.* 1. *pag.* 184. & Joannes Baptista de Grossis *in Decacordo Catan. tom.* 2. *cord.* 9. *pag.* 152. Vernaculâ linguâ scripsit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 1. Panormi apud Buam, & Portamnovam 1645. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS DE JUDICE Panormitanus Sacerdos, & Sacræ Theologiæ Doctor insignis, Cæsaris, de quo in hac Bibliotheca *pag.* 119. frater, vir politioribus literis excultus, Tragicâ etiam Poesi clarus, cujus variæ Tragœdiæ, ex Josepho Galeano *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 349. in elogio Joannis Bap. de Judice ejus nepotis, si dolendâ jacturâ non periissent, non Urbem, sed integram Provinciam illustrassent. Summæ Divi Thomæ, cum Caetani Commentariis impressæ, continuas, ac doctissimas Postillas, & Annotationes addidit, ac manu propria exaravit: quæ ut virum eximium in sacris studiis infaticabilem demonstrant, ita si diutius vitam produxisset, benemerentissimum Reipublicæ literariæ forsitan effecissent. Hæ lucubrationes in admirationem, & desiderium apud Antoninum de Judice Nepotem servantur. Obiit Panormi 8. Maii an. 1638. ætatis 34. & in Ecclesia Domus Professorum Soc. Jesu sepultus est. De eo idem Galeanus *in epistola ad lectorem carminum laudati Joann. Baptistæ de Judice.* Inter alia ex eodem scripsit Italicè

La Clorinda Tragedia. Hæc, paucis annis post Auctoris mortem, Actores habuit Equites ex primaria nobilitate Panormitanos, qui insigni munificentiâ scenam exornantes, semel tantùm genio indulgentes, ipsam magno fastu, plausuque peregerunt. Servatur m. s. apud Nepotem Antoninum de Judice.

La S. Rosalia Tragedia sacra. Hanc m. s. in 4. manu ejusdem Auctoris exaratam teneo, quam ab optimo Amico Vincentio Auria accepi.

JOSEPHUS DE JUDICE Panormitanus alter à supra-relatis, in ipso ætatis flore Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit; ut etiam Mathematicis disciplinis, in quibus ingenii felicitatem patefecit. Inde Jurisprudentiæ incubuit, & Doctoris lauream accepit. Ad animi oblectamentum, & ad levandas curarum molestias, musicæ, sculpturæ,

pturæ, ac Italicis, Siculisque Musis indulsit. Vivebat anno 1662. De eo Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.1.par.2.pag.* 452. qui innumera metro alligata cum laude concinnasse testatur; præsertim musicis modulis aptanda. Extant tantùm vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *tom. 1. par.2.* Panormi apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS S. JULIANUS ex oppido Nasi Ordinis Capuccinorum. Octavio Caetano teste *in animad.ad to.2.SS. Siculor. p.67.*& Josepho Perdicaro *in Vitis SS. Siculor. pag.* 270. Scripsit Italicè

Vita di S. Cono.

JOSEPHUS LANDOLINA Nobilis Netinus Soc. Iesu, natus anno 1602. ad Societatem accessit anno 1618. In ea præter humaniores literas Rhetoricam docuit. Prudentiâ eminuit, & eximiâ in rebus agẽdis dexteritate polluit: ideoque non sine laude Collegia Thermitanum, Calatajeronense, Netinum, & Messanense rexit. In difficillimis temporibus Domui Professorum Messanæ præfuit; tunc scilicet cùm nonnulla efferbuere jurgia inter Senatum Messanensem, ac Societatis sodales, de quibus consule epistolas P. Joannis Pauli Olivæ. Obiit Panormi in domo Professorum 25. Aprilis anno 1676. De Iosepho Bibliotheca Soc. Iesu *pag.* 523. Sub Idelphonsi Alagonæ nomine edidit Italicè

Il Mondo rifatto da Cristo Appassionato in sei discorsi sopra la Passione del Signore per li Venerdì della sacra Quaresima, con altri due sopra S. Agata V. e M. e S. Carlo Borromeo. Catanæ apud Vincentium Petronium 1652. in 12.

Scripsit etiam, sed non edidit opus inscriptum

Maniera di rapacificare i Cavalieri.

JOSEPHUS LAURIA Calatajeronensis in lucē editus anno 1612. Societatis insignia accepit 10. Aprilis 1628. ac quatuor solemnia emisit vota primo Novembris 1646. Ab ipso vitæ regularis exordio semper insigni morum integritate ornatus vixit, & ad clarissimum perfectionis gradum ascendit; cui tutam aperuit viam exactissimæ obedientiæ studium. Doctrinâ instructissimus, præter humaniores literas, Philosophiam Panormi, Theologiam scholasticam, & Moralem Messanæ, & alibi docuit, à doctrinæ soliditate, ac ingenii acumine laudatus. Singulari charitate, & eximiâ rectitudine Collegia Drepanitanum, Saccense, & Panormitanum rexit; & in magna temporum calamitate etiam Catanense. Tertiæ Probationis Patres instruxit Saccæ: & Panormi Tyrocinium, & Professorum Domum moderatus est. Provincialis munere in Sicilia functus, ab eadem Provincia ad Procuratorum Congregationem Romam missus fuit. Tandem octogenario major Visitatorem Provinciæ Mediolanensis egit. In his præclaris Societatis muneribus eâ prudentiâ, ac omnium approbatione eminuit, ut sui admirationem excitaverit. Virtutes coluit egregias, quibus venerationem promeruit. Modestiâ, ac incomparabili humilitate claruit: ideoque matrem suam pauperem in nobilium fœminarum cubiculum admisit, ac se indignum illius filium omnibus aperuit. Durissimis calculi doloribus confectus, eâ animi constantiâ cruciatus toleravit, ut ne minimo signo eorum acerbitatem exprimeret: immò quo gravius urgebatur, eo in gratiarum actionem fusius excurrebat, & cum Christo Domino cruci affixo suavissima edebat colloquia. Nil illi antiquius, quam veritatem in omnibus sequi, eamque constanti animo propugnare: nec à recta agendi ratione avertere potuere vel aliorum auctoritas, spes aliqua, vel alicujus rei metus. Fiduciâ in Deum fretus Domui Professorum abundè consulebat, & deficiente pecuniâ, admirabili modo divinam experiebatur providentiam. Ut hic omnia verbo complectar, fuit virtutum omnium speculum, quæ ad absolutissimum perfectionis fastigium Iosephum evexere. Miris nonnullis Deus viri eximii sanctimoniam probavit. Proregis Spiculator, magnæ orationis vir Josephum in Regio Panormi Palatio vultu clarissimâ luce circumfuso demiratus est. Toto tempore, quo in Mediolanensi Provincia moras protraxit, ipsum singulis secundis feriis Panormi vidit Soror Paula Maria Grimaldi magnæ sanctitatis monialis, dum ante SS. Eucharistiam orabat, cui epistolas sibi missas ostendebat, ac responsiones ad rectam animi directionem reddebat. Huic etiam post mortem apparuit speciali aureolâ, nempè permagno monili ornatus, ac ipsum accepisse fassus est in obedientiæ præmium; dum fractis omninò viribus, visitationē Provinciæ Mediolanensis ex obedientia suscepit. Prophetico spiritu se munitum ostendit, dum anno 1693. horrifico terræmotu concussâ Sicilia, (quo magnâ populorū clade multas Siciliæ Urbes, oppidaque delevit) omnes novas concessiones, novaque damna timerent, ipse constanter prædixit imposterum nullum aliud damnum illaturum. Tandem dum Professorum Domum moderabatur Panormi, sanctè ut vixit mortalitatem exuit 9. Martii 1693. Hæc ex Patrum relatione. Edidit suppresso nomine

Assertiones ex universa Logica propugnatas ab Andrea Vecchi. Panormi typis Decii Cyrilli 1648. in 24. Scripsit Italicè

Vita della B. Lucia Caltagironesa Tertiaria dell'Ordine di S. Francesco.

JOSEPHUS LICATA Catanensis, seu verius natus in oppido Monasterii albi, vulgò *Mistlier bianco*, anno 1635. tunc Catanensis ditionis. Gravioribus disciplinis dicatus, Sacræ Theologiæ lauream accepit Catanæ. Sacerdos morum probitate conspicuus, & in Domini vinea insignis operarius, conciones habuit non sine animarum beneficio. Egregius conscientiarum moderator, & asceticus pereximius hodie septuagenario major Catanæ vivit, sacrâ eruditione, & doctrinâ clarus. Edidit Italicè

Via illuminativa illustrata da' Santi Padri, e Sacri Scrittori. Nel fine l'aggiunta dell' Immaculata Concettione di Maria Madre di Dio per li suoi affettionati servi. Catanæ ex typographia Bisagnii 1702. in 4.

Via Pugativa illustrata da' Santi Padri, e Sacri Scrittori. Ibid. apud eumdem 1705. in 4.

In lucem emittet

Via Unitiva in 4.

JOSEPHUS MANCUSUS Panormitanus Medicæ facultatis, & Sacræ Theologiæ Doctor præstantissimus, Musas egregiè coluit, floruitque anno 1593. quo vernaculâ linguâ edidit.

Legenda della Gl. S. Ninfa V. e M. tradotta in ottava rima in lingua Siciliana. Panormi apud Io: Ant. de Franciscis 1593. in 8.

JOSEPHUS MANCUSUS alter Panormitanus, supralaudati nepos, vir doctrinâ celeberrimus, in lucē editus est anno 1598. Literarū studiis addictus, in gravioribus Philosophiæ, ac Medicinæ spatiis præclarissimi ingenii vires insigniter detexit. Doctoris laureâ insignitus, & in Auctorum omnifariâ lectione probè versatus, inter præcipuos ævi sui Medicos mirificè effulsit. Magno ægrotantium commodo valetudinis instaurandæ, ac tuendæ manus exercuit: ideoque illustriores Panormi familiæ sese in morbis curandis, tanto viro crediderant: & in domibus ferè omnibus Regularium medicam curam meritissimè tenuit. Adhuc juvenis Panormi medicinæ præcepta publicè docuit, è cujus schola doctissimi viri ad Siciliam illustrandam prodiere. In Panormitana Medicorum Academia Principis honore claruit. Pauli Pizzuti Siciliæ Archiatri, cujus amicissimus fuit, vices cum laude gessit ad Regni Urbes, & Oppida circumlustranda. Eximiâ religione, morumque integritate refulsit. Christi Domini cruciatibus apprimè deditus, sub eorumdem auspiciis vitam absolvere promeruit; cùm enim etsi ætate gravatus, eam, quæ Christo caput transfixit, spinam, & per Urbem Panormi solemni, ac annuâ pompâ ex Carmelitarum Ecclesia deductam, accensâ face comitari voluisset, febrili se citò flammâ comburi sensit: domumque reversus, paucis exinde elapsis diebus ad Cœlum, ut piè credimus, placidissimè convolavit anno 1671. die 9. Maii, ætatis suæ 73. Sepultus est in Ecclesia S. Antonii Patavini Fratrum Strictioris Observantiæ, ubi ejus cadaver adhuc integrum perseverat. Josephum laudat Honuphrius Fortinus *de natura, & salubritate aeris Panormitani sect. ultimâ num. 5. pag. 66.* Extant de eo etiam præclara testimonia, quæ in operum suorum vestibulo videri poterunt ex doctissimis viris Gerardo de Natali, Salvatore Corsellio, Francisco Revellio, & Antonio Basilio. Unum hìc non omittendum operę pretium duxi, quod anno 1666. die 28. Julii Messanæ protulit Franciscus Avellinus pro laurea Doctoris Jacobi Mancusi; è cujus oratione pauca referam: *Josephum Mancusum*, ait, *acerrimum humanæ vitæ vindicem, & servatorem intuere: Josephum illum medicæ facultatis Herculem, qui tot horrentia morborum monstra perdomuit: qui quot sunt in Sicilia familiæ, tot sibi erexit de triumphata morte trophæa: quot in languentium domibus vestigia impressit, tot æterna sui nominis monumenta reliquit; quem ut nominavi, satis, superque laudavi; ut enim Mancusum, Galenum, Hippocratem, Æsculapium dixi, Siciliæ servatorem, Medicorum apicem, publico per manus Phidiæ ære, aut marmore æternandum dixi.* Edidit

De secunda cubiti sectione in omnibus febribus putridis, vel malignis, & verè pestilentibus, præsertimque in epidemica febre, quæ Panormi invasit anno 1647. Panormi apud Cyrillum 1650. in 4.

De columborum attractione. Ibid. apud eumdem 1650. in 4.

De partu dierum ducentorum, & trigintaocto, quod non sit novimestris legitimus, naturalis, & virilis; sed octimestris, aut ad octimestrem spectans, minimèque vitalis, Responsionem, & defensionem. Ibidem apud Nicolaum Buam 1651. in 4.

Prælo demandare statuerat volumen satis amplum

De Medicis institutionibus, quod fato præventus ineditum reliquit.

JOSEPHUS MARCHESIUS Marsalensis Sacerdos; vir doctrinâ, & eruditione apprimè excultus, Sacræ Theologiæ, & Juris utriusque laureâ insignitus, morum integritate claruit: ideoque ad nonnullos honorum gradus meritò evectus est. Fuit etenim Ecclesiæ Cephalædensis Canonicus, & Apostolicus Prothonotarius, & in Panormitana Cathedrali Ecclesia primùm, ut vocant, Vivanderius, ab Archiepiscopo Petro Martinez Rubio electus 2. Aprilis 1659. inde ejusdem Ecclesiæ Canonicus Magnæ Vineæ ab eodē Archiepiscopo constitutus 27. Martii 1660. & tandem Subcantor. Abbas etiam S. Philippi à Demenna, Archipresbyter titularis Tuneti, & Gulectæ renunciatus, sui æstimationem excitavit. Diu etiam in Archiepiscopali Panormi Curia Magistri Notarii munere functus est: & librorum edendorum Censorem egit, tum pro Regia jurisdictione tuenda, tum ex mandato Archiepiscoporum Panormitanorum, quibus acceptissimus fuit: & ipsi nonnullarum Ecclesiarum curam Deputati munere demandarunt. Obiit Panormi 31. Octobris 1687. Edidit

Memoriale Sacerdotum, ubi non solùm ad Missæ præparationem præscripta perpenduntur; sed ritus ad Sacrosanctum Sacrificium propositus mysteriis illustratur. Panormi apud Dominicum Anselmum 1668. in 12.

Italicè

Suffragio de' Morti, o verò disinganno di coloro, li quali ricusano d' entrare nelle Chiese, dove siano stati sepolti li loro parenti, e li più cari amici. Ibidem apud eumdem 1663. in 12.

Prælo paraverat

Dissertationem sympathicam de Rege in Canone nominando.

JOSEPHUS MARESCA Panormitanus, natus, ex D. Leonardo Maresca Medicinæ doctore 6. Novembris anno 1636. humaniores literas, ac Philosophiam in Panormitano Clericorum Seminario non sine laude hausit: inde egressus medicinæ operam dedit, ob egregiam ingenii indolem magnâ se instruxit doctrinâ: & Philosophiæ, ac Medicinæ laureâ donatus est Messanæ. In ægris curandis sedulam navavit operam, ac Sicularum Triremium Archiatrum egit. Amœnioribus literis indulsit; præsertim Poeticis deliciis: ideoque in Academis Reaccensorum Panormi, & Officinæ, & Radicatorum vulgò *Abbar-*

barbicati, Messanæ magna cum laude ejus poetica ingenii monumenta excepta sunt, & in sui amorem literatorum benevolentiam excitavit. Vivit nunc in oppido Careni, ac publico stipendio ægrotorum salutem curat. Edidit Italicè.

Maria Magnificata. Divoti ossequii all'Immaculata Cōcettione. Panormi apud Bisagniū 1656. in 12. hoc opusculum etrusco carmine concinnavit.

Maria Purissima concetta. Panegirico. Panormi apud eumdem 1656. in 12.

Poesie. in libro: *Fastosi Presagi dell'Accademia degli Abbarbicati per la nascita felice del Prencipe delle Spagne.* Venetiis apud Bodsum 1659. in 4.

Prælo servat libros

De Febribus.

De Sanguinis circulatione.

Italicè

I Vagiti di Clio Poesie.

Il Zodiaco Aromatario.

JOSEPHUS MARIA COSTA nobilis Messanensis Societatis Iesu, natus primo Iunii 1637. Societati accessit 27. Iunii 1652. in qua solemnia vota dixit 15. Augusti 1670. concionatorem egit cum laude,& dum Rectoris munere in Urbe Nicea Collegium moderabatur,obiit 23. Augusti anno 1698. Edidit Italicè.

L' Incantesmo Oratione Panegirica della Sacra Lettera scritta dalla B. Vergine a' Messinesi. Messanæ apud Matthæum la Rocca 1676. in 4.

JOSEPHUS MARIA MALACRIA Thermitanus Ordinis Strictioris Observatiæ S. Francisci, Sacræ Theologiæ Lector,& Concionator. Magnæ dexteritatis vir in rebus agendis, nonnulla Ordinis Cœnobia rexit, & Definitorem Siculæ Provinciæ egit. Anno 1671. Siculæ Provinciæ Moderator electus, paulò post à Siciliæ Prorege, Neapolim missus orator ad Regni Neapolitani Proregē, ut frumētariæ inopiæ consuleret, Neapoli decessit 27. Novembris 1671. in Cœnobio S. Crucis non sine Siculorum fratrum dolore. De eo Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par. 2. lib. 6. cap. 9. pag.* 26. qui de eo etiam *par. prima, lib. 5. pag.* 575. ubi scripsisse testatur, Italicè

Il Re David publico penitente espresso ne' sette Salmi tradotti dalla lingua latina in volgare con sentimenti de' Santi Padri. m. s. in 8.

JOSEPHUS MARIA MAZARA Siclensis Soc. Jesu, natus 5. Martii 1619. Societatem amplexus est 22. Novembris anno 1637. cui votorum quatuor sacramento se adstrinxit primo Jannarii 1655. Vir oppidò eminentissimi ingenii, ac admirandæ memoriæ, eâ enim abundè munitus, inter mensis unius ambitum Græcam linguam plenissimè didicit. Satis erat semel scriptionem etsi prolixam percurrere, ut statim fideliter redderet, ac perpetuò memoriæ insculptam retineret. Nè dum gravioribus disciplinis exornatus refulsit, verùm etiam, & amœnioribus mirificè claruit. In Collegio Panormitano ita diffusè de prima operatione intellectus docuit, ut menses sex in ea expendenda insumpserit: ideoque è cathedra remotus est, uberrima enim ingenii sui copia, inopes reddebat discipulos, eorumque ingenia caligine circumfusâ obruebat. Messanam translatus ibi nonnulla ad Messanensium Gloriam edendo, ac majora promittendo in historiis Siculis, quas moliebatur, civium benevolentiam sibi conciliavit: ideoque extra Collegium in publica Messanensi Academia Theologię laureâ donatus est, ubi & passim Magistri titulo vocabatur. In eodem publico lyceo Philosophiam docuit, & inde primam Theologiæ Cathedram moderatus est. Eruditione,& historicâ supellectili instructissimus fuit. Eloquentiâ valuit, Musasque coluit egregiè: multa magnâ cum laude elegantissimè cecinit; & inter Officinæ Messanensis Academicos non sine plausu adscriptus est. Tandem à Societatis Moderatoribus, ex Urbe Messanæ extractus, Neti affixus est, ubi mœrore confectus obiit 7. Junii anno 1661. Hunc laudatum invenies à Jo: Vigintimillio *in Poetis Siculis pag.* 28. Placido Reina *in not. Messanę par. 2. pag.* 85. & 86. Carolo de Gregorio,& Francisco Alibrando *in Prosis Officinæ lib. 2. pag.* 124. & 189. sub nomine Temperati, Vincentio Tancredo *in quæst. moral. par. 2. tract. 5. quæst. 47. num. 16. pag.* 341. Hieronymo Ragusa *in elogiis Siculor. pag.* 90. & *in Siciliæ Bibliotheca veteri pag.* 73. Leone Allatio *in drammaturgia pag.* 607. & tandem ab eruditissimo Joanne Brancaccio *in Arte memoriæ vindicata pag.* 178. Edidit suppresso nomine Italicè

Dichiaratione dell'Arco Trionfale alzato dall'Illustriss. Senato di Palermo al ricevimento dell'Illustriss. & Eccellentiss. Sig. D. Rodrigo Mendoza, Roxas, e Sandoval Marchese del Cenete, Duca dell' Infantado &c. Vicerè, e Capitan Generale in Sicilia. Panormi apud Cyrillos 1652. in fol.

I Tre Diademi freggio offerito à i Tre Gironi dell'Illustriss. & Eccellentiss. Sig. Duca d'Ossuna Vicerè, e Capitan Generale per Sua Maestà in questo Regno dall'Illustriss. Senato della Real Città di Palermo nell' apparecchio del suo Arco Trionfale. Ibidem apud Petrum de Isola 1655. in 4.

La Mitra Palermitana freggio offerito all' Eccellentiss. e Reverendiss. Sign. D. Pietro Martinez Rubio Arcivescovo di Palermo, Luogotenente, e Capitan Generale per S. C. M. in questo Regno nel solenne giorno della sua entrata. Ibid. apud Augustinum Bossium 1658. in 4.

L'Eternità delle conversioni felici, discorso sopra la cagione delle feste, che celebra à S. Paulo Apostolo nel giorno della sua Conversione la Città di Messina. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1660. in 4.

Poesie. in libro: *Poesie volgari degli Accademici della Fucina Parte Seconda.* Ibidem 1659. in 12. mentito nomine Pastoris Irminii: Irminius fluvius est, qui juxta Siclim adlabitur. Sub eodem nomine

Fremiti del Mar Sicano Poema Ero-lirico. in iisdem carminibus Parte quarta. Neapoli apud Sebastianum Alecci 1660. in 12.

Pianta di Trionfi per la Sacra Religione di Malta. In Bibliotheca Collegii Societatis Jesu extat m. s. opusculum in fol. quod unius noctis spatio elucubravit inscriptum:

De cultu exhibendo Christi Plagis seorsim sumptis

Alla-

Allatius loc. ci. *pag.* 607. & 624. ait, quòd scribebat opus drammaticum Italicis carminibus concinnatum, cumque non dum absolutum servabat Balthassar Mazara Societatis Jesu frater, nempè:

Il Pelagio.

Prælo etiam parabat

Annales Siciliæ. Opus pergrande, & longè eruditissimum.

JOSEPHUS MARIA POLIZZIUS Panormitanus Societatis Jesu natus 27. Maii anno 1640. in Societatem ascriptus est 18. Septembris 1655. in qua quatuor solemnia edidit vota 15. Augusti 1675. Eâ animi contentione præstantissimi ingenii dotes studiis devovit, ut egregiis doctrinæ opibus locupletatus essulserit. Præter mitiores literas, summo cum plausu Rhetoricam tum Patres Societatis, tum publicè docuit. Hebraicas literas, Philosophiam quatriennio, ac Theologiam scholasticam sexennio in Panormitano Collegio tradidit, magna cum acclamatione, & fructu. Panormi domum S. Francisci Xaverii rexit, ac Collegium Panormitanum gubernavit. Vivit nunc vir doctissimus. Edidit opus inscriptum

Divus Franciscus Borgia Califer Atlas, à Collegio Panormitano Societatis Jesu in ejus Apotheosis gratulationem repræsentatus. Panormi typis Petri Camagna 1672. in 4.

Italicè suppresso nomine

Brieve racconto delle feste celebrate nel Collegio di Palermo per la Canonizatione di S. Francesco Borgia. Ibid. apud eundem 1671. in 4.

L'Aquile confederate contro i nemici della Religione Christiana, poste dall'Aquila Panormitana sotto la protezione della potentissima Patrona S. Rosalia nell'annual sua festa celebrata l'anno 1684. Ibidem apud Thomam Romulum, & Orlandum 1684. in 4.

L'Argo Nave riposta in Cielo, solenni esequie celebrate all'Eccell. Signora Marchesa di Solera D. Teresa la Cerda, & Aragona nella Cappella Reale di San Pietro di Palermo à 4. di Maggio 1685. Ibid. apud Thomam Romulum 1685. in 4.

Gli Horti Esperidi tributati nella solennità dell'anno M. DC. LXXXX. alla Vergine Patrona S. Rosalia liberatrice di Palermo sua Patria dal mortifero Dragone della Pestilenza, estinto dalla fraganza delle ritrovate di lei odorose Reliquie. Panormi apud eumdem 1690. in 4.

JOSEPHUS MARIA REQVESENS Panormitanus Societatis Jesu: ex Nobilissimis Cosyræ, vulgò *Pantellaria* Principibus ortus anno 1612. Societati nomen dedit anno 1629. cui se quatuor votorum Sacramento devinxit. Egregio ingenii acumine munitus, graviores disciplinas magnâ felicitate accepit, magnâque doctrinâ instructissimus longè, lateque refulsit. Ethicam, & Philosophiam Romæ & Panormi annis septé docuit: ac Theologiam Scholasticam, & Moralem annis viginti semper summa cum ingenii laude, ac plausu. Eloquentiâ etiam, & eruditione plurimum valuit, ipsumque concionantem Roma probavit. Honoribus nonnullis fuit meritò cohonestatus; Sancti Officii Siciliæ Censorem egit; Archiepiscopi Panormitani Theologus fuit, Examinator, & librorum edendorum censor. Romæ Generalis Societatis etiam Theologus, & ad libros à Societatis sodalibus edendos etiam cēsor. Magnâ æstimatione à S. R. E. Cardinalibus, aliisque viris doctrinâ instructissimis prosequutus. Obiit Romæ anno 1690. Ipsum laudant Bibliotheca Societatis Jesu *pag.* 523. Jo: Paulus Oliva *in epistolis*, Card. Sfortia Pallavicinus *in epist. pag.* 430. Edidit

Selectarum disputationum in Primam secundæ D. Thomæ libros quatuor. Panormi apud Andream Colicchiam 1659. in fol.

Additionem ad quæstiones selectas in Primam Secūdæ D. Thomæ, Romæ typis Varesii 1675. in 12.

Brevem disputationem Theologicam de honestate contritionis, & attritionis, earumq; sufficientia ad remissionem culpæ in Sacramento, vel extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ibidem typis Jacobi Antonii de Lazaris Baresii 1679. in 4.

Opuscula Theologica olim impressa & in hac secunda editione septem aliis opusculis locupletata. Ibidem typis Dominici Antonii Herculis 1684. in 4.

Innocentiæ divinæ cum humano scelere certamen. Orationem habitam in die Parasceves ad S.D.N. Innocentium X. in Sacello Pontificum Vaticano. Ibidē typis Hæredum Francisci Corbelletti 1648. in 4. Italicè

Raccolta di Sermoni detti nel Palazzo Apostolico. & altri luoghi di Roma. Ibidem apud Angelum Barnabò 1683. in 8.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Iesu servantur m. ss. tractatus

De Pœnitentia, & Matrimonio.

JOSEPHUS MARIA THOMASIUS Alicatensis Clericus Regularis, nobili genere ortus, filius primogenitus Julii Mariæ Thomasii Palmæ Ducis, & Lampadusæ Principis, cujus gesta, virtutesque descripsit P. Blasius à Purificatione in vita edita Romæ anno 1685. & Rosaliæ Trainæ miræ sanctimoniæ mulieris. Lucis usuram accepit 12. Septembris anno 1649. & à piissimis genitoribus sanctè educatus, spretis mundi illecebris, pietatis studia amplexus est. In ipso ætatis flore nuncio remisso omnibus sæculi pompis, aliisque commodis, titulisque, ad quæ ipsum primogeniti jus vocabat, P. D. Caroli Thomasii, patrui sui, viri sanctimoniâ clarissimi, vestiga sequutus, Clericorum Regularium Ordini nomen dedit; ac religionis habitum suscepit Panormi 25. Martii 1666. Præclarâ morum indole, & ingenii acumine apprimè instructus, graviores didicit disciplinas, ac doctissimus Philosophus, ac Theologus efformatus, mirificè inclaruit. Antiquitatis studia cōplexus in perscrutandis sacræ vetustatis archivis uberrima eruditione locupletatus est: & ad eruenda antiqua Ecclesiæ monumenta tenebris obsita operam navavit egregiam: ideoque in eo studiorum genere solertissimus, magnum sibi nomen adeptus, in literato Orbe longè, lateque refulget. Græcis,

cis, latinisque literis apprimè instructus enituit. Literis virtutum studia addidit, & ad absolutissimum regularis perfectionis fastigium ascendere curavit, ut virum religiosissimum decet. Nunc Romæ vir sanè egregius floret, & inter Sacræ Congregationis Indicis Consultores adscriptus, doctrinæ præstantiam in Ecclesiæ bonum detegit: ac tum Præsulibus, Dynastis, & S. R. E. Cardinalibus gratissimus, tum etiam à viris doctissimis veneratus, omnium æstimationem insigniter promeretur. Ipsum laudant Franciscus Maria Magius de Sacris Cæremoniis *tom. 1. opusc. 1. disq. 6. pag. 38. disq. 12. pag. 89. & opusc. 4. pag. 332. & tom. 2. disquisit. 24. pag. 467. & in Carmelo Mariano benef. 12. §. 9. pag. 301. & seq.* Josephus Mansi *in vero Ecclesiastico* ex octava editione *lib. 5. cap. 5. pag. 692.* Philippus Bonannus *in Numismatibus Pontif. tom. 1. in Alex. VI. num. 3. pag.* 118. Michael de Judice *in notis ad descrip. Eccles. Montisregalis Aloysii Lelli par. 1. pag.* 60. & 75. Joannes Ciampinus *de perpetuo azimorum usu, & de cruce Stationali,* Acta Eruditorum Lipsiæ, & Diaria Literatorum infra notata. De ejus pietate, ac virtute plura etiam habes *in Epistolis* Ven. Mariæ Crucifixæ à Conceptione, sanctitatis famâ celeberrimæ ipsius sororis. Quæ typis tradidit hæc sunt:

Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores, nimirum libri tres Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, Missale Goticum, sive Gallicanum vetus, Missale Francorum, Missale Gallicanum vetus. Romæ ex typographia Angeli Bernabò 1680. in 4. Horum tres ultimi Codices recusi sunt operâ P. D. Joannis Mabillonis Benedictini celeberrimi, in libro: *de Liturgia Gallicana.* Lutetiæ Parisiorum apud Viduam Edmũdi Martin, & Joannem Bondcet 1685. in 4. ex Diario literatorum Parmæ *an. 1686. pag.* 139. & Actis Eruditorum Lipsiæ *mens. Januarii 1686. pag.* 21.

Psalterium juxta duplicem editionem, quam Romanam dicunt, & Gallicanam, unà cum Canticis ex duplici item editione, & Hymnarium, atque Orationale. Editio ad veterum Ecclesiasticam formam ex antiquis M. SS. Exemplaribus digesta. Romæ typis Tinassii 1683. in 4. laudatur in Actis Lipsiensibus *tom. 1. supplem. sect. 9. pag.* 486.

Responsoralia, & Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ à S. Gregorio M. disposita. Accessit Appendix varia continens monumenta vetera ad Antiphonas, Responsoria, Ecclesiasticosque versus pertinentia. Ex M. SS. Codicibus nunc primùm prodeunt, scholiis explicantur. Ibidem typis Josephi Vanaccii 1686. in 4. Hoc opus laudat Diarium Literatorum Parmæ *an. 1686. pag.* 131. & Acta Lipsiensia loc. cit. *pag.* 488.

Sacrorum Bibliorum juxta editionem seu LXX. Interpretum, seu B. Hieronymi, Veteres Tituli, sive Capitula, lectiones, & Stichometriæ, ex majore parte ante annos mille in Occidente usitata, unà cum antiquis Prologis, argumentis &c. è M.SS. Codicibus prompta. &c. Pars Prior Vetus Testamentum complectens, & Pars Altera Novum Testamentum. Ibidem ex typographia Hæredũ Corbelletti 1688. in 4. Laudibus exornatur in iisdem Actis *suppl. tom. 1. pag.* 490.

Antiqui Libri Missarum Romanæ Ecclesiæ, idest Antiphonarius S. Gregorii Papæ, Comes ab Albino ex Caroli M. Imperatoris præcepto emendatus, unà cum aliis litaniis, & Capitulare Evangeliorum. Ex M. SS. Codicibus sive primùm edita, sive emendata. Ibidem typis Josephi Vanaccii 1691. in 4. Præit operi *disquisitio de antiquo ritu canendi in Missa.* Capitulare autem notis uberrimis illustravit idẽ Thomasius. Celebratur hoc opus à Bernardino Bacchino *in Diario Literatorum Mutinæ ann. 1692. pag.* 7. & ab Actis Lipsiensibus *mens. Octobr. an. 1692. pag.* 477.

Psalterium cum canticis, versibus prisco more distinctum, argumentis, & orationibus vetustis, novaq; literali explanatione brevissima dilucidatum. Ibidem typis Josephi Vanacii 1697. in 4. Laudatur in Actis Lipsiensibus *mens. Febr. an.* 1698. *pag.* 62.

Officium Dominicæ Passionis Feria Sexta Parasceve Majoris Hebdomadæ secundùm Ritum Græcum, nunc primùm latinè editum. Ibidem typis ejusdem 1695. in 8.

Italicè, & latinè

Vera Norma di Glorificar Iddio, e di far Oratione, secondo la dottrina delle Divine Scritture, e de' SS. Padri. Ibidem apud eumdem 1687. in 12.

Breve Ristretto de' Salmi, che comprende i versi di Oratione in quelli contenuti. Ibidem apud eumdem 1699. in 8.

Scripsit etiam ex Magio *in Carmelo Mariano pag.* 302.

Indicem Sanctorum ex Græcis voluminibus: sed an ediderit haud satis scio.

Multa etiam alia scripsit, ac molitur, quæ in lucem ab eximio Viro, Deo favente, emittentur.

JOSEPHUS MARICONDA Panormitanus Clericorum Regularium Minorum, vir eloquentiâ clarissimus, eximia cum laude, ac plausu conciones habuit in cinerali jejunio Panormi, Catanæ, Neapoli, Bononiæ, Romæ, & in aliis Siciliæ, ac Italiæ Civitatibus. Præpositi munere functus est Panormi, & Bononiæ, ut etiam Visitatoris, ab egregia prudentia, morumque integritate laudatus. Obiit Panormi anno 1671. Edidit Italicè

La luce annuvolata, le Nuvole illuminate. Panegirico di S. Filippo Neri. Bononiæ apud Joannem Bapt. Ferronum 1658. in 4. & Panormi typis Nicolai Bua 1659. in 4.

Panegirico di S. Antonio di Padova.

JOSEPHUS DE MARTINO Corilionensis Jurisconsultus, & Poeta insignis, quem laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom. 1. par. 2. pag.* 466. ubi ipsius edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS MARTIUS Randatiensis Societatis Jesu, natus anno 1618. Societati se aggregavit Neapoli anno 1634. Egregio præditus ingenio Philosophiã acutissimè docuit Parmæ, scholasticam Theologiam Bononiæ, Moralem verò Ferrariæ, ubi diu sedulus operarius animarum curæ vacavit. Conciones eloquentiâ, & eruditione

ne præclarus sæpius habuit, non sine plausu auditus. Adhuc superstes vivebat anno 1676. De eo Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 524. Edidit Italicè

Primo saggio di Panegirici. Parmæ apud Marium Viguani 1654. in 12.

JOSEPHUS A MATRE DEI ex familia Tamagna, Messanensis, Ordinis Excalceatorum S. Mariæ de Mercede, natus anno 1615. regulari militiæ nomen dedit anno 1631. Vir doctrinâ, & eloquentiâ præclarus, graviores Philosophiæ, & Theologiæ disciplinas diu sodales suos docuit; ac studiis Regentis munere præfuit. Concionatorem quoque cum eloquentiæ plausu egit. Cœnobium Messanense rexit: bis Provincialis, ut etiam Definitoris Generalis dignitatem obtinuit. In Cephalædensi Urbe Sodalitium Mariæ Virginis excitavit. A regulari observantia, morumque probitate laudatus vixit. Dum Philosophiam Cephalædi explanabat, ibidem vivere desiit 24. Februarii anno 1663. Hujus meminere Hippolytus Marraccius *in Bibliotheca Mariana par.* 1. *pag.* 825. Placidus Reina *in not. histor. Messanæ par.* 2. *pag.* 523. & Dominicus Arganantius *in Pompis festivis pag.* 108. Edidit Italicè

Discorso sopra la lettera mandata alla Nobilissima Città di Messina dalla Gran Madre di Dio Maria Vergine. Messanæ apud hæredes Petri Breæ 1640. in 4.

Discorso per la solenne festa della Lettera mandata alla Città di Messina dalla SS. Vergine. Messanæ 1659. in 4.

Panegirico di S. Agata. Catanæ.

JOSEPHUS MICHAEL MARQUEZ Ragusanus, Sacerdos pietate clarissimus, Juris utriusque Doctor, Eques Ordinis Militaris Constantiniani S. Georgii, ejusdem Ordinis Viceecancellarius, & S. Demetrii Baro. Apud Hispanos doctrinâ, & eruditione instructissimus, magnâ æstimatione prosequutus, vixit anno 1654. A Catholico Rege Philippo IV. Historiographi Regii titulo fuit insignitus; & ab eodem ad Episcopalem dignitatem designatus: sed antequam consecrationis beneficium accepisset, propinato ex invida manu veneno, decessisse tradunt in Hispania. Hujus cum laude meminere Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par.* 2. *pag.* 86. & Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hispana par.* 2. *pag.* 355. Edidit

Lexicon Ecclesiasticum Latino-Hispanicum Auctore F. Didaco Ximenez Arias, auctum, & locupletatum à Doctore D. Josepho Michaele Marquez. Matriti typis Melchioris Sanchez 1650. in fol. Hispanâ linguâ

Tesoro Militar de Cavalleria antigua, y moderna. Ibid. 1642. in fol.

El Cristal mas puro, representando imagenes de Divina, y humana politica, laurado de las acciones heroicas de Doña Isabel de Borbon Reina de España. Cæsaraugustæ 1644. in 4.

Deleyte, y Amargura de las dos Cortes Celestial, y Terrena. Matriti 1642. in 4.

La Corte Confusa, y Agonizante, restaurada por Judith Hebrea. Ibid. 1646. in 4.

Imperio de Satanas abatido por la triunfante riqueza, solenizada en la Corte Celestial de Dios eterno, por el bien de la limosna. Ibid. apud Ioannem Sanchez 1643. in 4.

El Fenix Catholico D. Pelayo el Restaurador. Ibid. apud eumdem 1648. in 8.

El Cortejano Penitente. Ibid. 1653.

Soliloquios Sacramentales en las quarentas horas. Ibidem.

Scripsit etiam, sed non edidit

Annales Philippi IV. Catholici Regis.

Compendium Vitarum Summorum Pontificum.

JOSEPHUS MILLEMAGIUS ex oppido Furnaris, Diœcesis Messanensis, Sacerdos, & Concionator celeberrimus. Natus 2. Septembris anno 1651. in Messanensi Clericorum Seminario adscriptus, ibi ne dum humanas literas hausit, verùm etiam & graviores disciplinas magnâ cum ingenii laude didicit. In Messanensi Academia meritò Theologicâ Doctoris laureâ donatus, doctrinâ cumulatus inclaruit. Elegantissimas ingenii dotes amœnioribus etiam literis dicavit, & Sacræ eloquentiæ studia amplexus, conciones habuit eo dicendi cultu, lepore, eloquentiâ, ac argutâ, nitidissimâque dictione, ut inter primarios verbi Dei præcones adscripserint; comparatâ sibi magnâ nominis famâ. In cinerali jejunio bis Panormi in principe Templo, ac totidem in Ecclesia S. Ignatii Congregationis Oratorii; Messanæ, etiam Neapoli, & Venetiis, & extra quadragesimam Romæ, Melitæ, & alibi sæpius concionatus est, mirâ audientium voluptate, magnâ literatorum frequentiâ, ac plausu. In Reaccensorum Academia Panormitana recensitus, Musis cum laude indulsit. Aliquandiu in Congregatione Oratorii Messanensis vixit, quam Præpositi munere moderatus est. Anno 1691. Archipresbyter in patria electus, apud suos magna æstimatione veneratus enituit; ibiq: maximo literatorum dolore decessit 15. Septembris anno 1702. Ipsum laudat Antonius Fortis *in Epigramm. pag.* 180. Edidit Italicè

Oratione ne' funerali dell' Eminentiss. Cardinale Carlo Carafa. Neapoli apud Ludovicum Cavallù 1681. in 4.

Le Gare de' Nascondimenti per S. Rosalia la Reale Vergine Palermitana. Oratione Panegirica. Neapoli apud Antoninum Gramignanum 1683. in 4.

Edenda hæc alia reliquit, nempè

Panegirici.

Quaresimale.

JOSEPHUS MOLETIUS Messanensis, natus anno 1531. eo ingenii conatu ad graviora scientiarum studia se contulit, ut ne dum Philosophicam, & Medicam eruditionem abundè adeptus sit, verùm etiam & Mathematicis disciplinis instructissimus, singulari nominis celebritate claruerit. Hinc tum à singulari doctrina, tum à morum integritate, & comitate laudatus, doctis viris gratissimus vixit. Ipsius doctrinæ excellentiâ, ac famâ permotus Guilelmus Mantuæ Dux, Josephum accersivit, ut Vincentium Principem ejus filium Mathematicis disciplinis imbueret, ipsoque erudiente mirùm in modum profecit: ideoque

que Vincentius acquisitis hæreditario jure titulis, aliisque fortunæ bonis, amplissimis prœmiis in Josephum collatis, grati animi officia ostendit, ac ipsum semper magni fecit, & suo patrocinio fovit. Ipsius nominis famâ latissimè diffusâ, à Veneta Republica electus est, ut in celeberrimo Patavino lyceo, amplissimo stipendio auctus, publicè Mathematicas disciplinas exponeret. Ibi vel docendo, vel scribendo eâ doctrinâ, & eruditione se instructum detexit, ut permaximam laudem promeruerit, & omnes, qui ea in cathedra ipsum præcessere, longè superaverit. Veneti Senatus jussu, ut Gregorio XIII. Pontif. Max. morem gereret, celebres tabulas Gregorianas digessit, ut inde anni correctionem perpetrare possent: ideoque à Senatu, cui gratissimus fuit, in laboris prœmium, ducentorum aureorum munus, & à Pontifice trecenta, ut vocant, Apostolicæ Cameræ scutata dono accepit; majora se accepturum promittentes, si has tabulas longius protraheret. Hinc inter anni correctores præstantissimos Josephum recenset Natalis Comes *in hist. suor. tempor. lib.* 33. *an.* 1582. *apud Gimmá elog. p.* 2. *pag.* 349. Tandem annum agens 57. Patavii fato cessit anno 1588. & in Ecclesia S. Francisci Majoris propè Sacrarium tumulatus, hac inscriptione cohonestatus est.

Josepho Moletio
Messanensi
Doctrinâ, probitate, affabilitate
Viro Clarissimo
Post egregiam operam datam
Vincentio Mantuæ Principi Serenissimo
Ad Mathematicas disciplinas instituendo,
Jisdem per annos XII.
In Gymnasio Patavino
Interpretandis operibus, & lucubrandis,
Kalendario ex voluntate Gregorii XIII.
Pont. Max.
Et Serenissimæ Venetorum Reip. corrigendo,
Ætate ann. LVII. extincto,
Procuratores hæreditatis
Anno M. D. LXXXVIII.

Lapis verò, qui Josephi ossa contegit, hæc habet.

Josephus Moletius
Mathematicus celeberrimus
Ossa hìc reliquit
Anno M. D. LXXXVIII.
Ætatis suæ LVII.

Ejus laudes leges apud Hieronymum Ghilinum *in Theatro Literatorum par.* 1. *pag.* 262. Ioannem Philippum Thomasinum *in elog. illustr. viror. par.* 1. *pag.* 108. *& par.* 2. *pag.* 278. & *in Gymnasio Patavino lib.* 3. *cap.* 39. *pag.* 339. *& lib.* 4. *pag.* 424. Ioannem Bapt. Ricciolium *in Almagesto Chron. Astronomor. par.* 2. *pag.* 39. *& in Chronol. Reform. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.* 250. Ludovicum Morerium *in diction. tom.* 2. *pag.* 614. Ioannem Gerardum Vossium *de quatuor scient. popularibus cap.* 68. §. 10. *pag.* 400. ubi mendosè Messagensis vocatur, *& cap.* 70. *pag.* 417. & Auctorem libelli inscripti: *Dies emortuales*, apud Ioannem Gualterium *in Biblioth. Siculæ Tom. I. Chro. Chronicar. t.* 2. *pag.* 1250. Quę Edidit hæc sunt:

Ephemerides annis viginti inservientes, incipientesque ab anno 1564. *& desinentes ad annum* 1584. *ad meridianum inclytæ Venetiarum Urbis exactè supputatæ. Isagogica, sive introductiones additæ sunt.* Venetiis in Officina Pacis apud Franciscum Franciscium 1564. in 4.

Tabulæ Geographicæ ex prutenicis deductæ pro motu octavæ sphœræ, ac luminum. Ibid. 1580. in 4.

Iosephi Scalæ Siculi Netini Artium, & Medicinæ Doctoris Ephemerides ad annos duodecim incipientes ab anno Domini 1589. *unà cum Introductionibus Ephemeridum excell. D. Josephi Moleti Mathematici.* Ibidem apud Iuntas 1589. in 4. Italicè

L'Efemeridi per anni XVIII. le quali cominciano dall'anno di Cristo 1563. *e si terminano alla fine dell'anno* 1580. *con ogni diligenza al meridiano della Magnifica, e felice Città di Venetia. Aggiontovi i Canoni, e introduttioni chiarissimamente scritte in lingua Italiana.* Venetiis apud Vincentium Valgrisium 1563. in 4.

Discorso universale al Sig. Federigo Morando, nel quale sono raccolti, e dichiarati tutti i termini e tutte le Regole appartenenti alla Geografia. Ibidem apud Vincentium Valgresi 1561. & 1573. in 4. Editus est in fine Geographiæ Claudii Ptolomæi Italicè versa à Hieronymo Ruscello.

Emendavit etiam *Geographiam ejusdem Ptolomæi latinitate donatam à Bilibaldo Pircheimherio*: nam cum multis Græcis codicibus collata, & expurgata, ipsius studio prodiit. In primum etiam, & septimum librum amplissimum addidit Commētarium, quo à Ptolomæo dicta declarat, omissa supplet, & antiquis locorum nominibus recentiora apponit: & tandē XXVII. Tabulis Ptolomæi, XXXVII. novas ab aliis celebratas addidit, ex Vossio cit. *pag.* 417. Hanc edidit Venetiis typis Vincentii Valgresii 1562. in 4.

Ex Ricciolio scripsit etiam

De Kalendarii correctione, & computo Ecclesiastico.

JOSEPHUS DE MONTAGNA Panormitanus Jurisconsultus, & Poeta argutissimus: variis adversæ fortunæ fluctibus jactatus, in Hispania decessit anno 1650. De eo Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 425. ubi ipsius habes vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum typis Josephi Bisagni 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. in Musis Siculis *par.* 3. Ibid. apud Bisagnium 1651. in 12. sub anagrammatio nomine Antonii Josephi Magadel.

Eâdem linguâ etiam edidit ementito nomine Jo: Bap. Basilis

La Cuccagna conquistata, Poema Siciliano in terza rima. Ibidem apud Alphonsum de Isola 1640. in 8. & apud Petrum Coppolam 1674. in 12.

La Musca Formica Poema Eroico. Ibid. typis Bisagni 1663. in 8.

JOSEPHUS MORADELLUS Panormitanus Juris utriusque Doctor, qui florente adhuc ætate ad gradum Fisci Patroni, bellicarum gentium in Sicilia stipendia merentium evectus fuit. Siculas

Musas coluit cum laude, & Panormi decessit anno 1651. Ipsū laudibus ornat Josephus Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag. 471.* ibiq; hujusce Poetæ editas habes materna lingua

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS MORELLUS Panormitanus Poeta insignis, & divite vanâ clarus: politioribus literis ornatus refulsit. Tum in Reaccensorum Academia Panormitana, tum in Humoristarum Romæ ascriptus, Literatorum amorē promeruit, In Hispaniā delatus Matriti decessit anno 1652. Hujusce laudes vide apud Josephum Galeanum *in Musis Siculis to. 1. par. 2. pag. 476. & par. 4. pag. 195.* Edidit.

Discorso Spirituale. Panormi apud Decium Cyrillum 1640. in 16.

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par. 2. tom. 1.* Ibidem apud eumdem 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Sacre Siciliane. Ibidem apud eumdem Bisagnium 1653. in 12.

Prælo paraverat volumen inscriptum:

Poesie Italiane

JOSEPHUS MORSICATUS Panormitanus, digladiandi arte peritissimus: ideoque non modò popularibus, verum etiam nobilibus acceptissimus fuit, quos hac arte apprimè instruxit. Obiit Panormi 8. Julii 1686. & in Ecclesia S. Francisci Paulensis humatus est. Edidit Italicè

La Scherma Illustrata, per la di cui Teorica, e Prattica si può arrivare con facilità alla difesa, ed offesa necessaria nell' occasione di assalti nemici. Parte Prima. Panormi apud Dominicum Anselmum 1670. in fol.

La Scherma Illustrata Parte Seconda, ove si dimostra il vero maneggio della spada, e pugnale, & anco il modo come si adopera la cappa, il borchiero, e la rotella di notte. Ibidem apud eumdem 1673. in fol.

JOSEPHUS MUNEBRIA Catanensis, claro loco natus, à teneris annis eximiam ingenii indolem politioribus literis devovit, Musis præsertim Etruscis gratissimus: his autem studiis præclarissimum sibi nomen comparavit. In celebrioribus Italiæ Academiis adscriptus, nempè Romæ, Neapoli, Panormi, Messanæ, Catanæ, & alibi obculta, & amœnissima ingenii monumenta non vulgarem laudem in sui exaltationem excitavit. Majorē ætatis partē Romæ, & Neapoli traduxit, civili doctrinę, ac liberalibus studiis addictus, & viris principibus gratus: sed adversæ fortunæ ærumnas perpessus, ad patriam remeavit, ubi Senatus Catanensis aliquandiu à Secretis fuit: & ab ipso in pertractandis magni momenti negotiis adhibitus. Panormi etiam ab epistolis Emmanuelis Fardellæ Pacecchi Principis constitutus, ejus benevolentiam expertus est. Tandem octogenario major Catanæ decessit 19. Junii 1683. Ipsum laudat Iosephus Galeanus *in carminibus lyricis pag. 91.* Edidit Italicè

La Musa Risvegliata. Messanæ apud Hæredes Petri Bieę 1656. in 8.

La Musa Verace. Ibidē apud eosdem 1656. in 8.

La Musa Risvegliata Parte Seconda. Panormi apud Petrum Isolam 1668. in 12.

Poema Heroicum concinnaverat inscriptum:

Il Rugiero, o vero la Sicilia Liberata. Cujus tantùm septimum cantum edidit in parte prima carminum. Prælo etiam paraverat

Historia Politica dell' Aspasia, opera politica morale.

La Sfera del Secretario di Stato, che contiene ogni genere di lettera

JOSEPHUS MUNI Siculus Ordinis S. Marię de Mercede, S. Theologiæ Magister, qui sui Ordinis Domum in oppido Montis Majoris rexit. Floruit anno 1633. quo typis dedit Italicè

Sermone funerale predicato nella morte dell'Illustr. Signora D. Violante Migliaccio, e Marullo Prencipessa di Balcina, e Marchesa di Montemaggiore. Panormi apud Alphonsum Isolam 1633. in 4.

JOSEPHUS DE NEAPOLI Trainensis, Jurisconsultus primarius, nobilibus ortus parentibus, sanguinis claritati, doctrinæ splendores addens, mirum in modum effulsit. Ad omnes honoris gradus, quibus præcellentes insigniri solent Jurisconsulti, provectus est; pluries etenim Prætorii Panormitani Magnæ Regiæ Curiæ, & Concistorii Sacræ Regię Conscientię præfuit Iudex: Regii Patrimonii Fisci Patronus, & ejusdem Tribunalis Rationum Magister, & tandem Pręses electus 17. Iunii 1619. Bis etiam Regni Sicilię Deputati munere cohonestatus enituit. Eâ prudentiâ, doctrinâ, & integritate eminuit, ut omnibus admirationi esset: hisque permotus Philippus IV. Catholicus Rex ipsum in Hispaniam accersivit anno 1625. ut Regentis munere Supremum Italia Concilium moderaretur simul, & exornaret. Ibi vix doctrinę excellentiam, prudentiæ maturitatem, animique dotes in pertractandis gravioribus negotiis detexit, cùm Magnatum, ac Sapientum omnium calculo, primus inter regios Consiliarios relatus fuit, & omni veneratione dignum æstimarunt omnes. Rex ipse Iosephum magni fecisse non ambigendum, nam perpenso in sui amplitudinem permaximo studio, non tamquam Siculum, sed ut Hispanum virum perspexit, & ipsius prudentiæ graviora pacis, bellique negotia credidit, non sine ingenti Iosephi gloria. Immò cùm ád cōponendas aliquas Lusitanię perturbationes processisset, alium sibi non delegit, ut secum adduceret Consiliariū, nisi nostrum Iosephum, cujus judicio omnia regeret. Idem Rex cùm optimè agnosceret hujus operam quàm maximè necessariam in Sicilia ad moderanda Regii Patrimonii bona; attamen numquam Siciliæ restitui permisit, ne ejus oculatissimo consilio destitueretur Hispania; ubi 16. annis usque ad supremum diem eodem Regentis munere vixit. In Sicilia Campibelli, & Resuttanæ oppida extruxit: & ab eodem Rege Ducis Campibelli titulo fuit insignitus ex regio diplomate dato Matriti 14. Aprilis 1638. Demum Matriti decessit anno 1642. cujus mortem, ut ajunt, acceleravit vir primarius ab ejus justitiæ

tiæ inflexo cultu perperam offensus. At regia munificentia in filios, aliosque ipsius consanguineos sese effudit, quos permaximis muneribus, & honoribus latissimè affecit. Uxorē duxit Lauream de Septimo, ex qua Hieronymū Resuttanæ Principem, Equitem Ordinis S. Jacobi suscepit; Franciscum Cler. Reg. Episcopum Belcastri, Carolum Abbatem S. Mariæ de Noara, de quo in hac Bibliotheca *pag.* 129. & Antonium S. Stephani Principem, memorati Ordinis Equitem: ideoque clarissimè familia propagata, nunc Panormi præclarè effulget. Emeritis laudibus ipsum exornat Franciscus Baronius *in Siculæ nobilitatis Amphit. pag.* 12. Vide etiam Rocchum Pirrum *in not. Eccl. Cephal. pag.* 483. Vincentium Ferrarottum in *præeminentiis offic. Straticoti pag.* 26. Andream Marchesium in libro: *Parlamenti di Sicilia pag.* 382. Vincentium Auriam *in hist. Chronol. Proreg. Siciliæ pag.* 303. & Philadelphum Mugnos *in Theatro Geneolog. par.* 2. *pag.* 239. Edidit

Allegationes pro impositione vectigalis extractionis Serici ex portu Civitatis Messanæ anno 1612. Panormi 1612. in fol.

JOSEPHUS NOCERA Messanensis Medicinę Doctor eximius: natus anno 1643. ac Medicinæ studiis addictus, Philosophiæ, ac Medicinæ laureâ insignitus est anno 1664. Doctrinâ extructissimus salutarem opem in ægrotos contulit non sine laude. Hinc meritò à D. Franc. Benavides Comite S. Stephani Siciliæ Prorege anno 1679. Medicus, ut vocant, Deputationis Sanitatis constitutus; & eodem anno Messanę Archiater renunciatus fuit. Nec minori valuit opinione apud Ioannem Franciscum Pacecum Uzedæ Ducem Siciliæ Moderatorem, à quo legionis militum Hispanorum in Sicilia degentium etiam Archiater electus est, cui & regii Nosocomii curam demandavit. Vivit Messanę literarum studiis apprimè dicatus. Edidit

Opus Medico-physicum contemplativum, in quo variæ medicantium sectæ circa Phlebotomiam, & Pharmaciam discutiuntur, Systema de febribus nondum clarè divulgatum juxta Democriti, & Epicuri dogmata novis rationibus, & experimentis propugnatur. Messanæ typis Vincentii de Amico 1695. in 8.

Alia pręlo parat.

JOSEPHUS PALAZZOTTUS ET TAGLIAVIA Siculus Sacerdos, Sacræ Theologiæ Doctor, in Ecclesia Cephalędensi Archidiaconus, & Examinator Synodalis. Musices peritissimus fuit. Claruit anno 1645. Hujus cum laude meminit Benedictus de Passafiumine *de origine Eccl. Cephal. pag.* 25. Edidit Italicè

Madrigali concertati à tre voci libro terzo opera nona. Neapoli apud Octavium Beltranum 1632. in 4.

Alia edidit, quæ adhuc non vidi.

IOSEPHUS PALUMBUS Panormitanus, natus die 10. Martii anno 1670. literis satis instructus, Tabellionis munus amplexus est; quod laudabiliter integritatis, ac doctrinæ notâ nunc Panormi publicè exercet. Edidit opus inscriptum: *Notariorum Theorica, omnia luculenter ad Notariatus Artem attinentia complectens. Accesserunt Regni Capitula, & Pragmaticæ de Notariorum officio.* Panormi ex typographia Ioannis Baptistę Aiccardi 1706. in 4.

IOSEPHUS PANORMITANUS, ex familia Giacalone Panormi ortus, Ordinis Strictioris Observantię S. Francisci, Concionator insignis. Plura Ordinis Cœnobia in Provincia Sicula Vallis Mazarię moderatus est, eamdemque Provinciam rexit Provincialis munere anno 1653. Decessit Panormi in Cœnobio S. Antonii Patavini anno 1665. Hujusce meminit P. Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1 *pag.* 574. & *cap.* 3. *pag.* 585. Edidit Italicè

Le Grandezze della Serafica Fenice Francesco Santo, raccolte da gravi Autori, e divise in sedeci Sermoni. Panormi apud Petrū de Isola 1654. in 4.

JOSEPHUS PERDICARUS Panormitanus Societatis Jesu, natus anno 1619. Societatem ingressus est anno 1635. in qua humaniores literas, & Rhetoricam docuit. Assumpto concionatoris munere, inter sacros Oratores eloquentiâ, & eruditione claruit: ideoque magna cum laude in præcipuis Siciliæ, & Italiæ Civitatibus conciones habuit, non sine doctiorum approbatione. Gravioribus etiam disciplinis excultus, in Sicilia S. Officii Consultor, & Censor fuit, & à sacris confessionibus Fidei Quæsitorum. Annum agens 73. Panormi decessit in Domo Professorum 8. Februarii 1692. De eo Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 525. Edidit

Majestatem, & Amorem in Sede Sapientiæ Catanensis. Orationem habitam in annua instauratione literarum, ad Illustr. Senatum. Catanæ apud Ioannem Rossum 1644. in 4. Italicè

Panegirici Sacri. Panormi apud Iosephum Bisagnium 1660. in 12. & Romæ apud Nicolaum Antonium Tinassium 1666. in 4.

Le Sette Giornate del Mondo, Idea della Madre di Dio. Orationi Panegiriche dette in Roma, in S. Gio: de' Fiorentini. Romæ apud eumdem Tinassium 1664. in 4.

Ragionamento esortativo detto nella solennità dell'anno Centesimo celebrata dalla Compagnia dello Spito Santo di Palermo. Panormi apud Bossium 1660. in 12. suppresso nomine.

Oratione funerale nell'esequie dell' Illustr. & Ecc. D. Maria Mendoza, e Luna Marchesa di Villafranca, celebrate nel Giesù di Palermo dall' Eccell. Nipote il Sig. Duca dell'Infantado Vicerè, e Capitan Generale del Regno di Sicilia. Panormi apud Nicolaum Buam 1653. in 4. & inde in Tomo Orationum Panegyricarum.

Oratione funerale nell' esequie del Prencipe della Catolica Pretore di Palermo. Ibidem apud eumdem 1654. in 4. & inde in eodem Tomo.

Vita di Cesare Gaetano Novitio della Compagnia di Giesù. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 12. latinitate donavit Franciscus l'Hermitte Belga Soc. Iesu, ac edidit Antuerpiæ typis Plantinianis 1670. in 8. Idem etiam Belgicè reddidit, ac prælo dedit ibidem apud Cornelium Woens 1670. in 8.

Vita di S. Eufemia V. e M. Panormi apud Petrum de Isola 1675. in 4.

Martirio della S. Vergine Agrippina. Ibid. apud eumdem 1676. in 8.

Brieve Raguaglio della Vita del B. Stanislao Kostka. Ibidem apud eumdem 1644. in 16. iterum 1677. in 24. & tertiò apud Adamum 1692. in 24.

Dodeci Privilegii della Madre di Dio nella sua Immaculata Concettione. Neapoli apud Salvatorem Castaldum 1681. in 8.

Vite de' SS. Siciliani. Parte Prima. Panormi typis Thomæ Rumoli 1688. in 4.

Prælo parabat Partem Secundam, & Tertiam, quas morte præventus non absolvit.

JOSEPHUS PERRONUS Mylensis Ordinis Minimorum S. Francisci Paulensis. Edidit Italicè

La Fenice Panegirico. Messanæ typis Dominici Fassaperla in 4.

JOSEPHUS PILAJA Messanensis Iuris utriusq; Doctor celebris: vir doctrinâ instructissimus, cujus excellentiam diu Roma cum laude perspexit, dum ibi causarum patrocinium ageret. In publica Messanensi Academia lectoris extraordinarii munere Iura Pontificia explanavit. Politiores literas etiam coluit, in Messanensi Academia Radicatorum, vulgò *degli Abbarbicati*, adscriptus. Obiit Messanæ circa annum 1690. Ipsum laudat Placidus Reina *in not. hist. Messanæ par. 2. pag.* 523. Edidit

Institutionum Decisiones Pontificias ex corpore Juris Canonici extractas, & in quatuor libros divisas. Messanæ apud Paulum Bonacotam 1664. in fol.

Tomum Secundum. Catanæ apud Ioan. Rossium 1669. in fol.

Addictiones ad Tractatum de Protestatione Hieronymi de Iranco. Valentiæ 1656. in 4. & Romæ sumptibus Iosephi Corbi 1673. in fol.

JOSEPHUS PITTALA' Francavillensis Sacerdos, natus anno 1617. mense Augusti, Parentibus honestissimis Francisco Pittalà, & Catharina Valori, usq; ad 12. ætatis annum humanioribus literis operam dedit, in quibus eximii ingenii indolem satis aperuit. Messanæ delatus, in Societatis Iesu Collegio Rhetoricam, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam magnâ animi contentione didicit, ac Theologica Doctoris laureâ donatus est. Anno 1635. in patriam regressus ad sacræ eloquētiæ studia se vertit: ideoq: in cinerali jejunio conciones habuit summa cum laude, & ab eruditione, dicendi vi, dictionis nitore, aliisque dotibus commendatus, ab omnibus passim Cornelius Mussus Siculus vocabatur. Cùm in lethalē febrem incidisset, viso per somnium Divo Augustino ipsius animum instaurante, è somno excitatus, votum assumendi insignia Ordinis S. Augustini statim edidit, quæ ut assequeretur, frustra Romam petiit: tunc enim urgebat Pontificis Decretum, quo vetabat, ne aliquem in Ordinem admitterent. Ibi S. R. E. Cardinalium Sanctacrucii, & Pallavicini, aliorumque Principum benevolentiam carminum elegantiâ sibi cōparavit: at ab Aulicorum moribus abhorrens, perlustratis præcipuis Italiæ civitatibus ad patriam remeavit. In ea pietatis studia complexus sodalitium Deiparæ Virginis Refugii excitavit in Ecclesia S. Pauli: in ea verò aliisque Ecclesiis concionum vi, piisque operibus magnum animarum fructum cōgessit. Cum Michaele Caracoci concive amicitiam contraxit, cujus doctrinam, eruditionem, ac vitæ integerrimæ exempla æmulatus est. Ut otii turpitudinem declinaret, & civibus, nepotibusq: suis opitularetur, publicum in patria gymnasium aperuit, quod Apostolicū, Emmanuelicum, ac Pythagoricum vocavit. In eo dispartitis in classes pueris, ac adolescentibus, grammaticæ præcepta, humaniores literas, ac Philosophiam docuit. Inter scholę suę leges hoc solemne erat, ut nulli, etsi puerulo, nec verbum emittere, etiam in rebus familiaribus liceret, nisi latinè eloqueretur. Hinc breviter ex ejus lyceo egregii prodiere viri, qui exinde aliis gravioribus disciplinis dicati, doctrinę splendoribus patriam illustrarunt. Idiomata Italicum, Latinum, Gręcum, aliaque mirificè calluit: ideo [illegible] opus difficillimum aggressus est, in quo Prolegomena de literarum origine, & linguarum [illegible]ate disquirebat. Eo fervore huic operi omnes ingenii nervos admovit, ut in phrenesim prolapsus sit. Hinc subcessivis temporibus, ab anno 1669. usque ad 1677. mentis inopiâ laboravit, non sine civium dolore, pręsertim Jacobi Russi Francavillę Vicecomitis, à quo unicè diligebatur. Neapolim translatus, sanitati restitutus est; ubi in publicis disputationibus, ac concionibus doctrinam, ac eloquentiam singularem cum omnium plausu detexit. Conciones extemporales insigni eruditione, ac Patrum sententiis refertas de quacumque re persępè habebat cum magna confluentium laude. Ideoq; anno 1672. Neapoli Ecclesiam Patrum Doctrinę Christi ingressus, cùm quidam verba ad populum haberet, ejusque sermonem nimiùm sterilem animadvertisset, petitâ Patrum veniâ, de re proposita eâ eruditione, ac rerum copiâ prōptè, ac mirâ facilitate dixit, ut in admirationem traxerit omnes: itaque permaximis venerationis officiis Josephum compulere, ut eorum Congregationi nomen daret. In eâ exceptus, literarum, ac virtutum ornamentis enituit: hinc vix sexto elapso mense in oppidum Lariang juxta Neapolim missus est, ut in alia ejusdem Instituti Domo tyrones instrueret; ibique à confessionibus fuit Dominorum oppidi, quorum ęstimationem promeruit. At ad ipsius Domus regimen evectus, cùm in dirigendis sodalibus multùm desudaret, ob diuturnas vigilias, ac studia, iterum dementiā concepit, & inde Neapoli convaluit: sed Siciliam repetens, subito quodam terrore Messanę concussus, tertiò insaniâ affectus, ad patriam deductus est: ibique dilucida intervalla expertus, tandem Mense Octobris anno 1677. è vitę ęrumnis solutus, decessit. Multa scripsit tum versu, tum etiam prosâ. Poeta etenim eximius Latias, Etruscas, Siculasque Musas impensè dilexit. Edidit Italicè

Panegirici diversi, e componimenti varii. Neapoli, & Messanę.

Com-

Componimenti in lode del Card. Pallavicino. Romę 1640.

Scripsit etiam alia, quę mss. servantur apud Iosephum Prescimonium, virum egregium ejus pronepotem, nempe

Itinerarium suum Italiæ, historicis, ac politicis observationibus illustratum.

Epistolas familiares Latinas, Italicas, & Græcas.

Carmina.

Italicè

Quaresimale. Sermoni. Prediche. Panegirici.

Poesie Italiane, e Siciliane.

Prose diverse.

Scripsit etiam

Grammaticæ præcepta nova methodo concinnata. Hujus extant solùm nonnulla fragmenta.

Prolegomena de literarum origine, & linguarum affinitate: opus non dum absolutum.

Scripsit alia; sed quadam nocte ab amentia agitatus, Carmina Latina, ac Sicula innumera, cum aliis ingenii monumentis, exceptis supra notatis, in ignem proiiecit, unà cum imaginibus quibusdam profanis.

JOSEPHUS PLANZONUS Nicosiensis, Abbas S. Eliæ Trainæ, & in patria Canonicus Ecclesiæ S. Nicolai. Claruit anno 1640. ediditque Italicè

Ragguaglio dell'origine, ed antichità della Famiglia Diaceto. Romæ 1645.

JOSEPHUS POLITUS Mazariensis Iurisconsultus doctissimus, eximius causarum patronus, doctrinâ, & eloquentiâ clarissimus. Pluries Pretorii Panormitani, Concistorii Sacræ Regiæ Conscientiæ, & Magnæ Regiæ Curię præfuit Iudex. Floruit anno 1650. Hujus meminit Franciscus Strada *in quietationibus pag.* 15. & Franciscus Baronius *de effectibus minoris ætatis effect.* 13. *n.* 214. ubi editas habes

Allegationes.

JOSEPHUS POLIZZIUS Platiensis Societatis Iesu, natus anno 1603. Societati nomen dedit anno 1618. in qua doctrinâ insigniter excultus humaniores literas, & Rhetoricæ facultatem septennio docuit. Magno cum plausu Philosophiam octennio, scholasticam Theologiam decennio, ac Moralem per aliquot annos tradidit: in his enim gravioribus disciplinis egregias ingenii dotes, ac doctrinę excellentiam mirificè patefecit. Ecclesiastem aliquando egit: & Panormi in Ecclesia Domus Professorum sacras literas quatriennio cum laude exposuit. Demum senio confectus obiit in Collegio Panormitano 3. Augusti anno 1691. De eo Bibliotheca Societ. Iesu *pag.* 525. Edidit

Philosophiæ absolutissimæ Partem Primam complectentem Tractatus ad Logicam Aristotelis spectantes. Panormi typis Dominici Anselmi 1671.

Philosophiæ absolutissimæ Partem Secundam in libros de Physico Auditu, de Cœlo, & de Generatione. Ibid. typis Petri Camagna 1672. in fol.

Philosophiæ Partem Tertiam, de Anima, & Metaphysicam. Ibidem typis Augustini Bossii 1672. in fol.

Prælo parabat

Cursum Theologicum.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Societ. Jesu servantur m.ss. Tractatus

De Gratia, de Incarnatione, de Justitia, & Jure, de Fide, Spe, & Charitate.

JOSEPHUS POMIUS, sive POMA in Civitate Castriveterani anno 1565. natus est, deductâ ex Urbe Mazariæ origine, ubi inter præclaros ipsius Majores Marcus Poma Mazariensis recensetur, qui ab eadem Vrbe anno 1483. Orator fuit missus ad Ferdinandum Castellæ, Aragonum, & Siciliæ Regem pro tuendis Patriæ immunitatibus, & privilegiis, ut ex serie Privilegiorum ejusdem Urbis *pag.* 78. In patria primùm ingenuè educatus, & liberalibus disciplinis apprimè eruditus, indè expleto ætatis suæ anno decimosexto, Neapolim profectus, Medicinæ, & Mathesi egregiam navavit operam: ideoque doctrinâ insigniter instructus, Salernum adiit, ubi an. 1585. Philosophiæ, ac Medicinæ laureâ cohonestatus, in patriam remeavit. Ut in ampliori theatro doctrinæ suæ promerita effulgerent, Panormum domicilium transtulit, & Panormitanus civis ex Priuilegio effectus, in ægrotis sedulò curandis haud exiguam sibi laudem comparavit. Hinc apud Senatum Panormitanum, aliosque tum primarios Urbis viros, tum etiam literis ornatos magnâ opinione valuit, magnoque honore habitus est. Fuit etiam humaniorum literarum studiosus, & Musas præsertim Etruscas, Latinasque impensè coluit. In maritali conjugio eâ morum honestate vixit, ut ex libro præcipuè Epigrammatum Valerii Martialis turpia penitus verba deleverit: qui liber apud ejus hæredes, tanquam ipsius integritatis testis fidissimus servatur. Demum cùm vix undecimum vitæ lustrum attigisset, ultimum clausit diem Panormi anno 1620. De eo Joann. Antonius Vanderlinden *de scriptis Medicis pag.* 710. qui scripsisse tradit

De curandis febribus putridis Artem Medicam. Panormi apud Ioannem Antonium de Franciscis 1603. in 4.

Quando in febribus putridis medicandum, Quæstionem medicam ad Hippocratis, & Galeni mentem examinatam. Ibid. 1505. (rectius 1605.) in 4.

At solùm vidi librum

De febribus putridis, cum duabus disputationibus. I. an saluberrimum sit mittere sanguinem: II. quando purgandum in eisdem febribus. Panormi apud Bartholomæum Gobettum 1606. in 4.

Scripsit etiam opus egregium, in quo universæ Medicinæ ampliorem provinciam aggressus, uberiori calamo totum opus scriptis compleverat; verùm morte præventus typis tradere haud potuit. Huic titulum præfixerat

Josephi Pomii Siculi Medicina quatuor Tomis absoluta.

Hujus operis fragmentum vidi apud P. Josephum Pomium Panormitanum, Congregationis Oratorii Panormitani Sacerdotem egregium ejus nepotem, de quo infra.

JOSEPHUS POMIUS, seu POMA Panormitanus

tanus supralaudati Josephi ex filio nepos. Parentibus Patritiis Castriveteranentibus, ex diuturno domicilio civibus Panormitanis, in lucem editus est Panormi 16. Novembris anno 1658. Præstantissimo ingenio ex naturæ beneficio largiter munitus, in Panormitano Societatis Collegio literarum tyrocinium posuit; & in gravioribus disciplinis addiscendis eximiam commendationem promeruit. Philosophiam summa cum laude percepit: exinde utrique Juri Canonico, ac Cæsareo per aliquot annos solertissimè operam dedit. Sed ad eamdem Academiam undè discesserat rediens, emenso Sacræ Theologiæ curriculo, adhuc adolescens anno 1677. Philosophicâ, ac Theologicâ Doctoris laureâ cohonestatus, inter condiscipulos insigniter eminuit. Iterum utriusque Juris studia amplexus, dum ad Jurisprudentiæ fastigium properare curabat, ac sui spem non obscurè excitare videbatur, meliori consilio fretus, S. Philippi Nerii institutum amplexus est, inter Patres Congregationis Oratorii Panormitani ascitus. In ea tum virtutum studia, tum bonarum disciplinarum cultum magno animi ardore prosequutus, mirum in modum profecit: ideoque doctrinâ, & eruditione abundè locupletatus, in Congregationis ædibus bis Rhetoricam, tertiò Philosophiam, semel, & iterum scholasticam Theologiam doctissimè tradidit: & tandem ad sacros Canones interpretandos designatus, amplissimum sibi nomen comparavit. Amœniores etiam literas non neglexit, quas à teneris unguiculis, ex naturali propensione, summè dilexit: hinc elegantissimas ingenii dotes oratoriis, ac poeticis studiis devovit, & non sine plausu vividissimæ ejus lucubrationes à doctissimis viris exceptæ. Multa juxta Congregationis suæ leges è suggestu dissertissimè dixit, ab eruditione, styli cultu, dictionis concinnitate sæpissimè celebrata. Ne dum apud suos, verùm etiam extra Congregationis limites summam æstimationem adeptus est: apud Siculos Fidei Quæsitores ad Consultoris, & Censoris munus, ipso penitus inscio, evectus inclaruit: & coram Panormitano Archiepiscopo novissimè Examinator constitutus est. Vivit nunc vir ornatissimus, ingenio, doctrinâ, & eruditione sanè conspicuus; & morum suavitate, ac virtutum splendore latissimè effulget: ab omni enim honoris specie alienus, literarum studia in deliciis habet: ideoque in Orbe erudito clarissimus, literatorum officia non immeritò promeretur, & sui venerationem in dies amplificat. Ipsum laudat Ioannes Storniolus *in vita Basiliæ Vernazza lib.3.cap.23.pag.124.* Edidit Italicè

L'Apoteosi della divotione rinovata a' Santi Gio: da Capistrano, e Pasquale di Bailon, oratione recitata nella Ven. Chiesa di S. Maria degli Angeli de' Minori Osservanti nelle festive solennità celebrate per la Canonizatione de'detti Santi. Panormi apud Thomam Romolum 1691. in 4.

La Morte Oratrice Oratione funerale per l' esequie della Signora D. Francesca Vernazza, e Bruno, detta poi Suor Basilia recitata nella Chiesa del Monasterio de' Padri Basiliani in Palermo. Ibidem apud Io: Adamum 1695. in 4. & iterum typis Iosephi Gramignani 1701. in 4.

Delle lodi del Gran Patriarca S. Filippo Neri Oratione Panegirica per la Solennità del Santo recitata nella Chiesa de' PP. della Congregatione dell'Oratorio di Palermo. Ibidem apud Thomam Aiccardum 1697. in 4.

Habet sub prælo librum, cujus titulus:

Mercurius edocens, sive Cathedra, & Magisterium Eloquentiæ, Syntagmata in Universam Philologiam. Panormi in 4.

Editurus est etiam *Conciones de Tempore, & Festivitatibus Sanctorum*, quas in publicis Oratoriis juxta Congregationis instituta habuit, & fortè deinceps habiturus est.

JOSEPHUS POMA Drepanitanus, longè alius à supra laudatis, vernaculâ lingua edidit

L' Orrendo Terremoto successo nella nostra Sicilia alli 11. di Gennaro di questo presente anno composto in ottava rima Siciliana. Drepani apud Bartholomæum de Franco 1693. in 8.

IOSEPHUS PRESCIMONIUS Francavillensis, parentibus honestissimis Petro Paulo Prescimonio genere, literis, prudentiâ, aliisque moralibus virtutibus inclyto, & Nicolina Letitia muliere piissima natus, lucem aspexit 23. Julii anno 1669. A teneris unguiculis literarum studiis addictus, elegantissimi ingenii vires apertè detexit, tum in primis literarum elementis ediscendis sub S. T. D. Euplio Letitia avunculo materno, mirabilis ingenii viro, tum in Musicis modulis percipiendis sub Francisco Catalano proavunculo materno, armoniæ moralis amantissimo. Exinde in Messanensi Collegio Soc. Jesu humanioribus literis ab eruditissimo P. Josepho Ruvolo acceptis, Rhetoricæ facultatem addidit, quam ipsi tradidit P. Antonius Fortis, vir doctrinâ insignis, de quo suo loco; & ab egregiis lucubrationibus conspicuus, inter condiscipulos principem locū, ac ab eodem præceptore Antonio laudes obtinuit non vulgares. Philosophiæ postmodum cum ingenii cōmendatione operam dedit sub P. Thoma Castello Chiensi Philosopho, ac Mathematico profundissimo; & Geometriæ rudimentis satis instructus enituit. Catanæ Jurisprudentiæ dicatus, & ab eximiis præceptoribus, præcipuè sub Sanctori Oliva disciplina, insigniter edoctus, ibidem Doctoris lauream anno 1687. assequutus est, & virtutis, morumque præstantiâ in sui amorem omnes facilè traxit. Mox Panormum domicilium transtulit, ubi jurium studia prosequutus sub auspiciis Antonini Nigri, Jacobi Saluagio, & tandem Jacobi Longo Jurisperitis scientissimis, ac integerrimis; doctrinâ apprimè cumulatus, causarum patrocinium suscepit. Ab ingenio singulari, eruditione, & amœniorum literarum ornamento laudatus, primariis Regni Ministris, ac Dynastis gratissimus semper vixit, & ipsorum æstimationem promeruit. Apud omnes, præsertim Tribunalium Præsides, ac Ministros hac tempestate efflorentes magnâ opinione valuit. Nonnullorum etiam Siciliæ Proregum amorem expertus, multa ipsis exposcentibus simul, & ap-

& approbantibus elegantissima edidit ingenii monumenta: Regias enim, ac publicas solemnitates poeticis dialogis, poematibus in aulis, & scenis concinendis, inscriptionibus, aliisque lucubrationibus latinè & italicè sæpissimè illustravit. Regii Sindicatoris munus in Sicilia exercuit, aliaque graviora negotia ex eorumdem Moderatorum facultate laudabiliter pertractavit. Ex naturali propensione Musas tum Etruscas, tum etiã Latinas, Siculasque impensè coluit: ob styli concinnitatem, dicendi leporem, ac carminis elegantiã præstantioribus Poetis accensendus. Hinc Literatorum, ac Poetarum benevolentiam, ac venerationem adeptus est: ne dum enim in Sicilia, verùm etiam & in præcipuis Italiæ Civitatibus ejus nominis fama digressa inclaruit, & laudum præconiis celebratus enituit. Vix ejus Innocentium Cladis Romã pervenit, cùm statim in Infœcundorum Academia ascriptus est. Messanæ etiam inter Clitie Academicos recensitus eminuit. Cum eruditis omnibus, doctisq; viris scientiarum gloriâ celeberrimis, Panormi, & alibi degentibus, amicitiam contraxit arctissimam; hos inter Franciscus Raymundus Panormitanus Soc. Jesu doctrinâ, & sanctimoniâ insignis reponendus, à quo Græcas literas, & Hebraicæ linguæ rudimenta percepit. Nonnullas etiam scientias, præstantissimo, quo pollet ingenio, amplexus est: & nunquam feriatus multa quotidie scribit à styli elegantia meritò extollenda. Hic suus scribendi nitor etiam in Gallia demiratus, cùm enim consultationem ad Parisienses Medicos scripsisset, quâ filioli sui ægrotantis morbum exposuit; Dominus Fagonius Ludovici XIV. Christianissimi Galliarum Regis Archiater, aliique doctissimi viri existimantes à Medico forsan concinnatam, summè laudarũt scribendi elegantiam: diffusiùs verò, cum non à Medico, sed à Jurisconsulto editam intellexere. Vivit nunc vir undique insignis Panormi, permaximis honoribus æquè dignus. Ipsum laudat Balthassar Pisanus *in Armoniis ferialibus pag.* 102. Edidit

Innocentium Cladis Equitis Joann. Bapt. Marini Traductionè. Accessit Elegia quâ D. Clementis Fernandez Puelli venustissimi mortem deflet. Panormi ex Typographia Thomæ Romali 1691. in 8. Hoc opus anno ætatis suæ 19. infra 38. dierum curriculum scripsit, quod magno cum plausu à præcipuis Italiæ Academiis exceptum fuisse ex epistolis celebrium Literatorum satis liquet. Neapoli etiam laudes promeruit singulares. At cùm Andreas de Milo eximius Poeta Neapolitanus, instantibus quibusdam Academicis, nostro Josepho epistolam misisset, quâ opus laudavit, sed novem ejusdem verba modestè notavit, quæ in meliorem formam vertere potuisse arbitrabatur, noster Josephus *Apologeticam Responsionem* scripsit, eâque doctrinâ, & eruditione verba signata rectè traducta, nec meliori linguæ proprietate verti posse monstravit, ut laudes assequutus fuerit egregias ab eodem Milo, aliisque celeberrimis Poetis, præsertim Friderico Meninno, & Balthassare Pisano.

Sp. V. J. D. D. Jacobi Nicolai Salvago integerrimi, optimique Regis Consiliarii elogium sepulchrale. Ibidem ex typographia Augustini Epiri 1697. in 4.

Habet sub prælo

Declamationem Canonicam pro R. Sac. Th. Doctore D. Euplio Letitia digniori ad Patrium Francavillensis Ecclesiæ Archipresbyteratum à S. Sede obtinendum, contra nulliter Provisum. Panormi apud eumdem 1707. in fol.

Italicè

I Trionfi del Divino Amore in soccorso dell'Umanità nell'institutione del Sacramento Eucharistico Dialogo. Neapoli apud Hyacinthum Pittantem 1693. in 4.

La Gara de' Fiumi Serenata à 5. voci. Panormi apud Augustinum Epirum 1693. in 4.

La Nuova Stella Serenata. Ibid. apud eumdem 1693. in 4.

La Nascita di Sansone annunziata dall' Angelo; figura della Sacratissima Annunziazione del Verbo: Dialogo à 5. voci. Messanæ typis Vincentii de Amico 1694. in 8.

L'Onnipotenza Glorificata da'Tre fanciulli nella Fornace di Babilonia Dialogo a 5. voci per la Sacra Cena del Redentore. Neapoli apud Antoninum Gramignanum 1695. in 4.

Il Trionfo degli Dei su l'Olimpo Serenata à 4. voci, due Chori, e 60. Stromenti per il Comple Anos dell' Eccellentissima Signora Donna Isabella Girone, Pacecho Duchessa d'Uzeda &c. Viceregina del Regno di Sicilia. Messanæ typis Vincentii de Amico 1695. in 4.

L'Iride Paciera Serenata. Panormi apud Epirum 1695. in 4.

Gli Angeli Salmisti per la Concezion di Maria Dialogo à 5. voci. Romæ ex Typographia Joann. Jacobi Komarck 1696. in 4. & in 8. sub anagrammatico nomine Pompei Genini de Crispis.

I Fiori in lite Dialogo. Panormi apud Josephum Gramignanum 1697. in 4.

Il Concorso de'Pianeti Applauso. Ibid. apud eumdem 1697. in 4.

La Triplicata Fenice Dialogo. Ibid. apud Augustinum Epirum 1699. in 4.

Il Fuoco Panegirista del Creatore nella fornace di Babilonia Dialogo à 5. voci. Ibid. typis ejusdem 1699. in 4.

La Cinosura de'Naviganti figura di Nostra Signora di Betlem Miracolosissima Imagine venerata in Madrid con molta divozione nel Venerabile Convento di S. Gio. di Dio. Soteria armonica. Ibid. apud Josephũ Gramignanum 1699. in 4.

La Notte Felice Serenata à 6. voci. Ibidem apud eumdem 1700. in 4.

La Gara concorde nell'Universo nell' Acclamazione del Serenis. Filippo Quinto alla Monarchia delle Spagne &c. Ode Melodrammatica. Ibid. apud eumdem 1701. in 4.

La Crisi Vitale del Mondo languente nel sudor di sangue del Redentore in Getsemani. Oratorio à 3. voci. Messanæ typis Vincentii de Amico 1701. in 4.

Il Mare Illuminato nella Notte Natalitia del Redentore,

dentore Dialogo Pescatorio. Panormi ex Typographia Augustini Epiri 1702. in 4. sub nomine Pompei Genini de Crispis.

I Miracoli della Providenza, espressi nelle Spighe Eucharistiche, e delineati dalla sacra Storia in Ruth Mohabite. Oratorio à 5. voci. Ibid. apud hæredes Gramignani 1703. in 4.

Il Tripudio delle Ninfe nella piaggia di Mare Dolce; Serenata à 3. voci, e più stromenti. Ibidem apud Dominicum Cortesium 1704. in 4.

Il Giudizio di Salomone nella contesa delle due Madri, Sacro trattenimento armonico Ibidem apud Augustinum Epirum 1705. in 4.

La contesa de' Numi in celebrare l'augustissimo Nome della Real Maestà di Maria Luisa Regina delle Spagne N. Sig. Serenata. Ibidem apud eumdem 1705. in 4.

La figlia unigenita di Gefte, sacrificata à Dio dal Padre, in voto della Vittoria, ottenuta contro gli Ammoniti, Dialogo à 5. voci. Ibid. apud eumdem 1705. in 4.

Le Virtù in Gara. Trattenimento armonico à 4. voci. Idid. apud Antoninum Epirum 1706. in 4.

Il Latte di Jaele figura dell'Eucharistia Sacrosanta, e dell'Immaculata Purità di Maria Vergine. Oratorio à 5. voci, e più stromenti. Ibid.apud eumdem 1706. in 4.

L'Impegno della Divina Costanza nell'Institutione della Sacratissima Eucharistia, Idea armonica per la funzione della Sacra Cena. Messanæ apud Vincentium de Amico 1707. in 4.

L'Amor Divino Trionfante della Colpa in soccorso dell' Umanità. Oratorio à 4. voci, e più stromenti. Panormi apud Dominicum Cortesium 1707. in 4.

Prologos nonnullos etiam dramatibus quibusdam addidit, in Panormitano Musicorum Theatro, & alibi decantatis, nempè

Alla Teodora Augusta Drama per Musica, Prologo allusivo a detta opera, ed al compleaños di Carlo II. Re delle Spagne. Panormi apud Michaelem Constantium 1694. in 12.

Alla Virtù Trionfante dell'Amore, e dell' Odio, Prologo allusivo al cennato drama, e alla Conferma del Viceregnato di Sicilia per l' Ecc. Sig. Duca di Veragua. Ibidem apud eumdem 1699. in 12.

Al Domizio Drama, Prologo allusivo al medemo rappresentato nella fantuosa Galleria del Regio Palazzo, e alla comitiva de' Virtuosi di Sua Ecc. il Sig. Duca di Veragua. Altro Prologo all' istesso Drama la seconda volta rappresentato in Teatro di S. Cecilia cō nuova allusione all' arrivo in Palermo della Squadra delle Galee di Malta scampate dalla tempesta. Ibidem apud Gramignanum 1700. in 12.

A gl'Inganni felici Drama, Prologo allusivo alla ricuperata salute del Re *N. S. Carlo II. d' Austria Monarca delle Spagne.* Ibidem apud eumdem 1700. in 12.

Alle Generose Gare Drama, Prologo allusivo al felicissimo dì Natale della Sacra Maestà di Filippo V. Ibidem apud Cortesium 1705. in 12.

Edidit denique *Elogia multa & Carmina Italica* in foliis expansis Panormi apud eosdem typographos in nonnullorum laudem. Quædam etiā *Epitaphia, & Inscriptiones* scripsit, quæ in sepulchris, ac publicis ædificiis Panormi, & alibi spectantur.

Multa etiam concinnavit, quæ in lucem, Deo volente, emittentur; hæc verò sunt:

Epigrammata, Disticha, Elegiæ, Eclogæ Bucolicæ, & Maritimæ, Satyræ VII. in septem vitia capitalia, Panegyrici, Genthliaca, Epithalamia, aliaque.

Carmina Italica celebrium Auctorum, Siculæ Cantiones Antonii Venetiani, Simonis Rao, aliorumque latino versu donata.

Inscriptiones, Elogia, Epitaphia, Emblemata, & alia id generis lapidarii.

De natura, situ, & incendiis Ætnæ opus historicum, ac physicum, in quo de Siciliæ Terremotis, præsertim an. 1693.

Allegationes Variæ, & præcipuarum legum interpretationes, & materiarum lucubrationes.

De Fideicommissis. Compendiolum.

Ritus Regni Siciliæ Summa

Apologeticum opusculum medicum, in quo clarè & lepidissimè probavit Chalybem solùm Scyrrho incipienti competere.

Aliaque latina amœniori stylo poetica, & oratoria. Italicè verò:

Poesie liriche, in cui si comprendono quattro centurie di sonetti. 40. odi Pindariche. Idilii, Madrigali, Serenate, Drami, e Cantate per musica.

Origine, aumento, ed ordine delle Poste, e specialmēte di quelle d'Europa, Italia, e Sicilia, et alia quāplurima.

JOSEPHUS QUARTARARUS Castroveteranensis Sacerdos vitæ sanctimoniā celeberrimus, qui Panormum, ubi diu vixit, virtutum splendoribus illustravit; charitate enim, Orationis studio, patientiā, hmilitate longè, latèque effulsit. Animarum zelo succensus innumeros è peccatorum turpitudine ad Dei cultum revocavit. Multis Deū charismatibus largiter cumulasse tradunt. Supra Dæmones admirandum dominium exercuit: prophetiæ dono perfusus multa prædixit: pluries supernis apparitionibus beari meruit. Sodalitium S.Josephi ab Arimathęa pauperibus sepeliendis addictum Panormi excitavit anno 1629. ut etiam Sodalitium SS. Salvatoris, seu scholæ virtutum christianarum anno 1663. Decessit Panormi 10. Ianuarii 1668. magnā sanctitatis famā, quæ adhuc superstes mirificè viget: & in Ecclesia S. Iosephi ab Arimathęa sepultus jacet. Ejus vitam scripsit Franciscus Daga Sacerdos Panormitanus, quæ inedita delitescit. Hujus meminit Franciscus Maria Magius *in Crucifixo Panormi pag.* 151. Ad pietatem fovendam scripsit

Esercitii, & Orationi spirituali per suffagio degli Agonizanti. Post innumeras editiones prodiit Panormi typis Anselmi, & Epiri 1685. in 16.

Vita di S. Giuseppe Abarimatia.

JOSEPHUS QUARTUS Panormitanus, Magnæ Regiæ Curiæ, ut vocant Formularius. Vixit anno 1660. ediditque Italicè

Prattica copiosissima di Commissarii Esecutivi. Panormi apud Petrum de Isola 1660. in 4.

JOSEPHUS RAGUSA ex oppido Julianæ, Societatis

cietatis Jesuitis ex diuturna forsan habitatione inter Panormitanos recenseat Franciscus Baronius *de Majest. Panorm. lib.3. pag.* 125. Natus anno 1561. Societati nomen dedit anno 1575. ac solemnia emisit vota anno 1595. Tum doctrinâ, tum virtutum ornamento inclaruit: vir enim eminentissimi ingenii Philosophiã Parisiis, scholasticam Theologiam Patavii, Messanæ, & Panormi per annos 14. singulari ingenii præstantissimi laude, doctissimè tradidit: & in Panormitano Collegio octennio studiis Præfecti munere præfuit. Prudentiâ singularis memoratum Collegiũ Panormi rexit. Junior Ecclesiastem egit magno cum plausu, ac in hortationibus suis mirâ dicẽdi vi excelluit. In liberandis à scrupulorum angustiis conscientias insigni dexteritate eminuit. In consulendo tardus, at prudens, sui æstimationem excitavit. Animo permagno munitus, in aggrediendis, superandisque difficillimis negotiis inconcussam animi fortitudinem detexit. Nonnullas vivendi leges sibi constituerat, & quid singulis diebus, ac horis peragendum esset: nec à sibi præscriptis per unguem latum egrediebatur; adeout vel etiam horarum canonicarum pensum singulis horis suis persolveret. Æqui, rectique amantissimus fuit, moresque inculpatos servare studuit, quos eximiâ charitate exornavit. His sibi venerationem comparavit, pièque decessit in Collegio Panormitano 25. Septembris an.1624. posteritati relicto egregio virtutum exemplo. Virum hunc laudant Franciscus Baronius loc.cit. Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 525. Rocchus Pirrus *nor. Eccl. Agrig. pag.* 358. Franciscus Bardus *in epistol. ad lectorem libri de conscientia*, Philippus Labbeus *in Chronol. Pinacotheca Scrip.Soc.Jesu anno* 1624. *pag.* 349. Joan. Bap. Ricciolius *in Chron. Reform. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.* 250. In lucem emisit

Commentaria, ac disquisitiones in Tertiam D.Thomæ Partem. Tomum Primum, quo sacra Incarnati Verbi mysteria pertractat. Lugduni per Horatium Cardon 1619. in fol.

Tomum Secundum. De Christo Domino per se, hoc est de ejus Unitate, Officio, &c. Lugduni 1620. in fol. In Bibliotheca Collegii Societatis Jesu Panormi hæc alia servantur m.ss. nempè

De Justificatione. De Pœnitentia tom. 2. *De Baptismo. De Eucharistia. Commentaria in Primam Secundæ. De Natura, & Gratia. De Sacramentis.*

JOSEPHUS RICCARDUS Alcarensis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister doctissimus, in Romano S. Bonaventuræ Collegio egregiam doctrinam sibi comparavit, quâ latissimè effulsit. Concionator celeberrimus sacræ eloquentiæ latices in præcipuis Siciliæ, & Italiæ Civitatibus summo cum plausu effudit. Apud suos magno honore prosequutus vixit; ac tandem obiit in Civitate Manfredoniæ anno 1652. De eo meminere Joannes Franchinus *in Bibliosо. Scrip. Ord. Minor. Conven. num.* 205. *pag.* 341. & Philippus Cagliola *in manifest. Provin. Sicil. Ord. Minor. Convent. explor.* 2. *manif.* 5. *pag.* 36. Edidit

Orationem in festivo gaudio pro Invictissimi Joannis Casmiri nativi Sueciæ Regis in Poloniæ Regem electione dignissima, in Templo Servor. B. Mariæ semper Virginis coram omnibus Christianorum Principum ad Serenissimam Venetorum Rempublicam legatis Venetiis habitam 10. *Februarii* 1648. Venetiis typis Francisci Milochi 1648. in 4.

JOSEPHUS RICCIUS ex oppido Clusæ, Juris utriusque Doctor, doctrinâ præclarè refertus, & Poeta insignis, in Reaccensorum Panormitano lyceo Academicus eruditissimus ascriptus, ab eruditissimis viris haud exiguam promeruit laudem. Claruit anno 1660. Edidit libros

De Publicis Judiciis in Genere. Panormi apud Didacum Buam 1656. in fol.

De Publicis Judiciis in Specie. Ibid. apud eumdem 1664. in fol. Italicè

Le fortunate disaventure Tragicomedia. Ibidem apud Buam, & Portamnovam 1647. in 12.

La Rosa Tragedia. Ibid.

Il funerale di Giesù Tragedia. Ibid.

Epitalamii. Ibid.

La Luce Imbrunita Dramma musicale. Panormi apud Nicolaum Buam 1657. in 8.

La Vita Tragedia Sacra. Panormi apud eumdem 1655. in 8.

Il Purgatorio Idillio Sacro. Ibidem apud eumdem 1657. in 8.

La Fede coronata nel Martirio de' Santi Ottavio, e Compagni, Idillio Sacro. Venetiis apud Nicolaum Pezzanam 1659. in 8.

Idillii Sacri, e Morali. Ibidem apud eumdem 1659. in 8.

Il Prencipe Casmiro. Dramma per musica. Ibidem apud eumdem 1659. in 8.

L'Immensità Pigmea per la nascita di Christo N.S. Dramma. Panormi apud Buam & Camagnam 1668. in 8.

JOSEPHUS RICCIUS ex oppido Buccheri: edidit

Opera Tragica del Glorioso S. Vito Martire. Panormi apud Josephum Barberam 1690. in 12.

JOSEPHUS RIDULPHUS Leontinus, vir humanioribus literis apprimè exculptus, qui & Musas tum Latinas, tum Etruscas adamavit. In patria concives suos diu erudivit, è cujus schola viri prodiere docti: ideoque nominis, ac literarum famam posteritati reliquit. Hunc citat Petrus Carrera *in Memor. Catanæ vol.* 1. *in epist. nuncupatoria*: at quæ ediderit numquam vidi.

JOSEPHUS ROMANUS Bibonensis Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor insignis: magno ægrotantium beneficio medicinam fecit. Ecclesiam Immaculatæ Conceptionis à fundamentis excitavit in oppido Bibonæ. Poeta etiam uberrimæ venæ fuit, ac carmina Latina, Italica, Sicula cum laude panxit. Obiit Bibonæ anno æt. 68. circa annum 1679. Josephi Galeani laudes promeruit *in Musis Siculis par.* 4. *pag.* 206. ubi & ipsius extant vernaculâ linguâ

Canzoni Sacre Siciliane. Panormi apud Josephum Bisagnium 1653. in 12. Edidit etiam

Brieve Compendio dell' ammirabile Vita della Serva di Dio Suor Maria Roccaforte Vergine Bivonese

nese dell' Ordine di S. Benedetto. Ibidem apud Petrum de Isola 1678. in 8.

JOSEPHUS ROTELLA v.Seraphinus Rotella.

JOSEPHUS SAIDI' Platiensis Doctor Medicus, & Historicus Doctissimus, cujus meminere Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 105. & Io: Paulus Chiarandanus *in hist. Platiensi l. 4. cap.* 3. *pag.* 264. Scripsit.

De Antiqua Platia, & de Translatione B. Virginis Platiensis. Hæc m. ss. anno 1595. servabat Antonius Pizzutus Medicus Platiensis, ex Pirro cit.

JOSEPHUS SALA Panormitanus, ætate florente vividam ingenii indolem Poesi devoverat, & ad singulare hujus amœnissimi studii fastigium profectò pervenisset, ni mortis acerbæ casus è vivis eripuisset, dum annum ætatis vigesimum vix excesserat. Obiit circa annum 1646. Ipsũ laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis to. 1. p. 2. p.* 480. ubi ipsius habes vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

JOSEPHUS SANCETTA Panormitanus, ex Rogerio Vigintimillio *in confutatione Geneologiæ Comitum Hieracis pag.* 101. fuit puer aulicus Petri Cardonii, qui anno 1517. claruit, ex Thoma Fazello *de reb. Siculis dec.* 2. *lib.* 10. *pag.* 600. Librum scripsit Italicè, cui titulus:

Insegne de' Signori di Sicilia. Hunc m. s. citat Augustinus Inveges *in epistola ad lectorem Panormi Nobilis p.*10. & alibi sæpius, & apud ipsum tũc asservatum fatetur. Citatur etiam à Petro Carrera *tom. 2. hist. Catan. pag.* 372. Petro Ansalono *in sua famil. pag.* 105. & Petro Cannizzaro *de Relig. Panor.* m. s. sæpius.

JOSEPHUS SCALA Netinus, natus 28. Augusti 1536. eminentissimo ingenio à natura donatus, cùm studiis operam dedisset, ad Doctissimi Philosophi, Medici, ac Mathematici gradum ascendit: ac proprio ingenio duce, ac Doctore, nonnullis aliis scientiis se ipsum instruxit. Ideoq; in præcipuis Italiæ Civitatibus patefacto ingenii sui acumine, literariis disputationibus sui admirationem excitavit. Græcis, latinisq; literis apprimè ornatus claruit: & cùm anno 1556. in Patavina Academia Doctoris lauream accepisset, eodem anno 7. Iulii acerbissimo funere sublatus est, annum agens 25. prout multò ante sibi prædixerat. De eo vide Vincentium Littaram *de Rebus Netinis pag.* 185. & Rocchum Pirrum *not Eccl. Syracus. pag.* 227. Scripsit

In Dialectica facultate.

De Arte medendi.

JOSEPHUS SCALA Netinus præcedentis filius posthumus, Medicus & ipse, Philosophus, & Mathematicus insignis. Geometriam, Astronomiam, ac Arithmeticam, sine Magistro præeunte didicit, ac doctrinâ insigniter cumulatus patrem superavit. In certissimis rerum prædictionibus eidem longè præivit: etsi linguæ ornatu, ac rerum naturalium cognitione patre inferior. Scientias, quarum discipulus non fuit, doctissimè docuit Syracusis, Catanæ, & in Gallia Togata: ubi suasu, & expensis D. Michaelis Spatafora Roccellæ Marchionis se transtulerat, ut medicæ facultati operam navaret. Ad publicum Patavii lyceum accersitus, ut ibi mathematicas disciplinas doceret, ac Academiam doctrinæ splendoribus illustraret, ire noluit, nam supremum vitæ diem jam sibi imminentem sentiebat, ut multis ante annis prædixerat. Demum annum agens 29. Sabionethæ, ubi illius oppidi Dux secum adduxerat, fato cessit anno 1585. De eo cit. Littara *pag.* 186. Pirrus cit. *pag.* 228. & Io: Bap. Ricciolius *in Almagesto, in chronico Astronom. par. 2. pag.* 39. *& in chronol. Reform. tom. 4. ind. 2. pag.* 250. Hujus extant

Ephemerides ad annos duodecim incipientes ab anno Domini 1589. *unà cum introductionibus Ephemeridum excell. D. Josephi Moleti Mathematici.* Venetiis apud Juntas 1589. in 4.

Joannes Mollerus *de Scriptoribus Homonymis cap. 7. n.* 116. *pag* 719. rectè advertit Henricum Wittenium *dec. 1. memor. philosoph. renov. pag.* 43. & 44. & *T. I. D. B. ad an.* 1609. perperam hoc opus Josepho Scaligero attribuisse. Edidit etiam

In Maginum Apologiam.

Alia etiam aggressus fuerat, quæ non absolvit.

JOSEPHUS SCAMMACCA nobilis Leontinus Soc. Iesu, vir sanctitate vitæ celeberrimus: natus 2. Nov. anno 1550. ad Societatem accessit anno 1567. In ea ita ad virtutum studium animum appulit, ut breviter ad perfectionis fastigium ascenderit. Virginalem candorem intemeratum servavit, nec unquam in se minus honestum corporis motum sensit: (immò quod admirabilius) visâ humanâ pulchritudine, ardentius in Dei amorem efferebatur. Ab exacta observantiæ regularis via numquam deflexit, nec umquam aliquod nisi Superiorum nutu perpetravit. Primam innocentiæ stolam in baptismate acceptam usque ad supremam vitæ suæ metam servavit; ac ita à culpis, etsi levioribus, animam servavit immunem, ut sæpissimè confessarii quid absolverent non invenerint. Omnia ejus verba, omneque animi studium in Dei amorem in se amplificandum tendebant, cujus ardore mirum in modum æstuabat. Vitæ sanctimoniam præclariorem cumulatâ doctrinâ effecit, quâ in proximorum salutem desudavit: concionibus enim addictus per annos 45. apostolico spiritu munitus, Ecclesiastem egit: ex his 40. quadragesimale curriculum cõfecit in præcipuis Siciliæ, & Italiæ Civitatibus, quibus ardentissimum suum Divini honoris zelum patefecit, & celeberrimum animarum fructum collegit. In vitia vehementer declamabat; in ea præsertim, quæ ad Reipublicæ perniciem tendunt: nec ab ipsa concionis vi Josephum avertebat vel terrenæ potentiæ metus, vel humanæ prudentiæ ratio; ad ea enim redarguenda, supernâ Dei virtute se extimulatum sentiebat. Et profectò haud ambigendum, quin Deus ad ipsius conciones assisteret: nam concionando non semel Columbam ejus vertici insidere demirati sunt nonnulli: è Templi tholo lucis radius prosilire visus ad ejus faciem illustrandam

dam. Egregiæ doctrinæ, christianam simplicitatem mirabiliter copulavit. In Deiparam Virginem ardentissimo ferebatur amore: hinc nunquā vel dulcius, vel uberius quàm de Maria laudibus concionabatur. Ipsius Deiparæ salutarem opem contra Dæmonum insidias pluries expertus est. Præcipuo quodam amoris sensu D. Augustinum recolebat, quem Doctorem Maximum vocabat: ut etiam D. Agatham, & D. Rosaliam Panormitanas Virgines; ac de earum rebus gestis non sine tenerrimo cordis sensu loquebatur. Inter alia admiratione digna hoc præterire nefas; quòd cùm adire cuperet Peregrini Montis Speluncam juxta Panormum, ubi D. Rosalia angelicam duxit vitam, nec equitare posset, nec pedestri itinere illuc ascendere valeret, bajulos advocavit, ut illuc deferrent: & cùm eosdem exterritos tum ex prærupto, ac longo itinere, tum ex corporis mole, ut alacriter onus subirent suasisset, opus aggressi sunt; & admirandâ prorsus facilitate, magnam corporis vastitatem per montis saltus ad plura milliaria portatili sellâ detulere, ac iterum Panormum devexere, non aliud onus experti, nisi solius vacuæ sellæ. Ingravescente ætate ardentius ad Dei complexum æstuare cœpit. Hinc nullo morbi vestigio affectus, Provinciæ Moderatorem adiit, ac ut lecto decumberet veniam petiit: venisse tempus, ait, cùm decedere vellet; ac ne præter consueta Societatis medicamina alia adhiberent rogavit: sibi in morte præiturum P. Jacobum Dominicum Domus Præpositum, mox se secuturum constanter affirmavit. Decubuit igitur nullo mortis signo tentatus: & inerat illi solummodo moriendi voluntas, ac extremi gaudii solatium. Excursis 20. diebus febriculâ correptus est, quam exultans excepit; ajebat enim illam secundum ventum esse, quo ad portum felicissimè adveheretur; hactenus remis adnavigasse, ex tunc remis, velisque navigaturum. Interim ne otio torperet doctissimas homilias in Evangelium *Missus est*, dictabat. Demum postridie Epiphaniæ Dominicæ, magnâ perfusus lætitiâ medicum rogavit, ut se sacro Viatico solari disponeret: quòd cùm obtinuisset, Ecclesiæ Præfecto ait; hodie sacro Eucharistiæ pabulo reficies, cras extrema unctione munies, inde discedemus. Susceptâ devotissimè SS. Eucharistiâ, cùm omnes animarum negotia ipsi commendarent, omnia excipiebat, ac tanquam jam gloriæ candidatus, commissa negotia cum Deo peragenda, se facturum promittebat. Mortis contemptor, interim aliqua D. Augustini soliloquia ut sibi legerentur voluit: edito salutationis Angelicæ signo cum postremo sacramento inungere vellent, mane, ait, mane: at dicentibus periculum adesse: obediamus ergo, addidit, citius me expediam. Inde institutis cum Deo colloquiis, inter amoris Divini incendia elanguescens, sæpius repetebat: fulcite me floribus, stipate me malis: & decursis tribus post mediam noctem horis, placidissimè animam efflavit Panormi in Domo Professorum 8. Ianuarii anno 1627. ætatis 77. Statim ut ejus mors innotuit, ob sanctimoniæ famam factus est ad cadaver ingens hominum cujusque Ordinis concursus, ac certatim omnes ipsius vestes ad venerationem dilaniarunt. Funus septimo die publico Senatus Panormitani sumptu, repetitum: panegyrica oratione è sugestu laudatus est, eâ Nobilium, Regularium, ac populi frequentiâ, ut templum etsi laxissimum omnes capere haud valeret. Corpus seorsim sepultum; ac Deus innumeris signis supra naturæ vires patratis, viri sanctimoniam illustravit, ex quibus magnum volumen conflatum. Tanti viri scripsere Bibliotheca Soc. Jesu *pag.* 525. Rocchus Pirrus *in not. Eccl. Syrac. pag.* 240. Paruta *in Triumpho D. Rosaliæ pag.* 65. Hippolytus Marraccius *in Bibliotheca Mariana par.* 1. *pag.* 825. Carolus Antonius Conversanus *in Ætherea Leontinorum Gloria pag.* 25. 26. & 195. Franciscus Maria Magius *in Societate Jesu Mariana pag.* 154. ubi perperam Panormitanum dicit, Joannes Nadasi *in anno dierum memorabilium* 8. *Jan. pag.* 15. Aloysius Juglares *in elogiis*, Laurentius Finicchiarus *in Vita Remigiæ Scammacca lib.* 2. *cap.* 11. *à pag.* 291. P. Eusebius Nierembergh *de Viris illustr. Soc. Jesu*, Phil. Labbæus *in Cronolog. Pinacoth. Scrip. Soc. Jesu pag.* 357. Joan. Rhò *var. virtut. histor. lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 19. *cap.* 3. *pag.* 55. *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 222. *lib.* 7. *cap.* 1. *pag.* 730. Felix Giraldus *in Diar.* 8. *Jan. pag.* 36. Vicent. Nobilis *in Thesauro abscondito de Virg. Drepanit. cap.* 24. *pag.* 801. Franc. Marchesius *in diar. M.V.* 8. *Jan. pag.* 30. Joan. Bap. Ricciolius *in Chronol. Reform. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.* 250. aliiq; Scripsit

Centum propè volumina de rebus divinis vinctâ, solutaque oratione: inter hæc

Homilias in Cantica Canticorum.

Homilias super Missus est.

Italicè

Prediche diversi Tomi.

Hæc in Bibliotheca Domus Professorū Soc. Jesu Panormi in plura volumina digesta, & propria Auctoris manu exarata (exceptis Homiliis super Missus est amanuensi dictatis) vidi m. ss.

Addit Bibliotheca Soc. Jesu edidisse

Demonstrationem, quòd B. Agatha sit patria Catanensis, quam exhibet Petrus Carrera in volum. 2. *hist. Catan. lib.* 1. *pag.* 176. sed nonnulli aliorum opus putant, Josepho adscriptum, ut operi pondus adderent.

JOSEPHUS SCIMECA Panormitanus, Poeta ornatissimus, inter præstantiores qui vernaculâ linguâ carmina cecinere meritò ascribendus: à ludricâ præsertim poesi summè laudatus, literatorum amorem sibi devinxit. In Musas à teneris unguiculis, ex quadam insita naturæ vi, ferebatur, quas semper coluit, etsi à nonnullis adversæ fortunæ injuriis agitatus. In nummularia Panormi Tabula unus ex his fuit, qui computa curant. Lepido, ac Philosophico more vixit: ac mox illi fuit post colloquutionem cum amicis, aliisque, sine ulla urbana salutatione discedere: unde in proverbium abiit: *Scimechæ licentiâ discedere*, quod adagium usque modo viget. Obiit Panormi anno 1646. Ipsū laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 484. ibiq; hujus extant

Canzoni Siciliane. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & iterum apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In Musis Siculis parte tertia. Panormi apud Bisagnium 1653. in 12. Scripsit etiam eadem linguâ

Le Bellezze d' Aurillo Idillio.

La Germolinda Idillio.

Servantur m. ss. à Vincentio Auria Jurisconsulto Panormitano.

JOSEPHUS SCOMA ex oppido Calatabillottæ, Juris utriusque Doctor eximius. Jurisprudentiæ operam dedit, ac cumulatissimâ doctrinâ, & eruditione instructus, causarum patrocinium suscepit; inter primarios Siciliæ Advocatos meritò cooptatus. Doctrinâ comite ad honorum gradus viam sibi aperuit: fuit etenim pluries Panormitani Prætorii Judex: pluries etiam Magnæ Reg. Curiæ, & Tribunalis Cōcilistorii Sacræ Reg. Conscientiæ Judex, Regiusq; Cōsiliarius: inde Fisci Patronus in supremis Regii Patrimonii, & Magnæ Regiæ Curiæ Subselliis: postmodum Regii Patrimonii Rationum Magister, & tandem ad supremum Jurisconsultorum fastigium in Sicilia evectus est, Præsidis dignitate Magnæ Regiæ Curiæ insignitus. Ejus ingenium præstantissimum, egregia doctrina, morumq; integritas, in obitis muneribus demirata sunt: ideoque à Siciliæ Moderatoribus magnâ æstimatione prosequutus, qui & ipsius dexteritati magni momenti negotia pertractanda credidere. Inter hæc enumeranda seditio popularis in Narensi Civitate excitata, ibi enim Vicarii Generalis munere ablegatus à Prorege Duce Uzedæ cum omnimoda potestate, breviter eximiâ prudentiâ popularem commotionem sedavit, & optatæ tranquillitati civitatem restituit. Ideoque tum Proregis, tum Caroli II. Regis laudes promeruit egregias. Amœnioribus literis etiam ornatus effulsit: Musas præsertim coluit: & eruditione conspicuus apud literatos inclaruit. Demum comparatâ sibi omnium veneratione, Panormi decessit 18. Aprilis anno 1696. & in Ecclesia S. Antonini Fratrum Strictioris Observantiæ S. Francisci sepulturę mandatus est. Ipsum laudat Franciscus Strada *in libro Quietationum pag.* 19. Franciscus Magretti *in observat. ad Pragmat. Ducis Sermonetæ* §. 2. *obser.* 31. *pag.* 111. Bernardinus Agliata *in allegatione in causa præcedentiæ ipsi nuncupata*, Andreas Perruccius *in Ideis Musarum pag.* 137. & Vincentius Auria *in hist. Chronologica Proregum Siciliæ pag.* 299. ubi ex typographi errore anno 1695. obiisse dicitur. Multa Scripsit in Jure, at tantùm hæc edidit

Allegationes ad intellectum statuti de insinuandis subjugationibus. Panormi apud Augustinum Bossium 1663. in fol.

Patrocinium Regii Patronatus Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ de Kalga. Ibidem apud Didacum Buam 1664. in fol.

Patrocinium Regiæ Jurisditionis in causa Immunitatis Ecclesiæ. Ibidem typis Iacobi Epiri 1688. in fol.

Allegationes in causa criminali conclusa contra Ioseph de Leo artis Medicinæ Doctorem de Veneni fabricatione inquisitum, illusq; usu, & pravo exercitio. Ibidem apud eumdem 1689. in fol.

Allegationes pro Ven. Conventu S. Mariæ Montis Carmeli Civitatis Suteræ contra Sororem Annam Mariam de Jovenio. extant apud D. Franciscum Magretti *in Observationibus ad Constit. D. Francisci Caetani Ducis Sermonetæ* §. 2. *obser.* 31. *pag.* 111. Hispanâ linguâ

Patrocinio de la Jurisdiction Regia, y de los derechos tocantes al Rey Nuostro Señor en las Yglesias Cathedrales, y otras de su Real Patronazgo en este Reyno de Sicilia. Panormi apud hæredes Petri de Isola 1686. in fol.

Ayunta a la Chronologia de los Virreyes de Sicilia de D. Antonino de Amico dall' año 1642. asta l' año 1687. Ibidem apud Iacobum Epirum 1687. in 4.

Italicè suppresso nomine

La Vittoria della Nobilissima Vergine Rosalia nella partita dalla Corte al Monte Quisquina Oratorio. Panormi apud Barberam, Rumulum, & Orlandum 1680. in 8. & ibidem apud Epirum 1687. in 8.

Trionfo della Fede nella Vittoria navale dialogo à 5. voci per la Concetione purissima della Vergine. Ibidem apud Barberam, Romulum, & Orlandum 1680. in 8. & apud Epirum 1682. in 8.

JOSEPHUS SEMINARA. v. Josephus Collesanensis.

JESEPHUS SEVERINUS Messanensis, Musis gratissimus vernaculâ linguâ carmina scripsit cum laude, ut testatur Academicus Aldeanus, sive Nicolaus Villanus *in discursu de Poesi Ludicra pag.* 74. qui ipsum cum aliis Siculis Poetis adducit: at quæ scripsit nec ipse aperuit, nec ego vidi.

JOSEPHUS SPATAFORA nobilis Messanensis ex Clericis Regularibus Minoribus. Natus anno 1605. ac Ordinem amplexus, in ea doctrinâ, prudentiâ, ac virtutibus, claruit. Concionator dissertissimus eximia cum laude conciones habuit in præcipuis Italiæ, & Siciliæ Civitatibus. Præpositi munus Panormi, Messanæ, & Bononiæ exercuit. Magnam promeruit æstimationem tum Bononiæ apud S. R. E. Cardinales ibi legatos, & Catanæ apud Marcum Antonium Gussium Episcopum Catanēsem, in utraque enim Urbe inter Examinatores Synodales cooptatus est. Tandem Catanæ decessit anno 1664. Hujus laudes habes apud Hippolytum Marraccium *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 826. & Placidum Reinam *in not. Messanæ par.* 2. *pag.* 524. Edidit Italicè

Predica della Lettera di Maria Vergine scritta a' Messinesi. Messanæ apud hæredes Petri Brea 1643. in 4.

JOSEPHUS SPINA Ennensis Poeta. Claruit anno 1590. quo edidit

Variorum Epigrammatum librum. Messanæ apud Faustum Bufalinum 1590. in 8.

JOSEPHUS SPUCCES Panormitanus, Societatis Jesu, natus anno 1599. Deo se in Societate dica-

dicavit anno 1615. Præstantissimo ingenio instructus, emensis studiorum spatiis, in omnium scientiarum genere ornatissimus apparuit: ideoque doctrinâ inclytus, maximâ laude humaniores literas, Mathematicas disciplinas, & Ethicam docuit. Philosophiam verò sexennio, Theologiam septennio in Collegio Panormitano tradidit. Ob ingenium vividum, acutissimumq; quod docendo semper patefecit, celeberrimum nomen adeptus, tum in scholastico pulvere, tum in Morali Theologia mirificè effulsit. His uberrimum eruditionis ornamentum addidit, ex sacro profanoque thesauro exhaustum; græcasque literas insigniter coluit. In rebus agendis egregias animi dotes non rarò detexit, & magni ponderis negotia ipsi credita singulari prudentiâ absolvere consuevit. Hinc Panormi passim in gravioribus rebus ipsum consulebant Præsules, Magistratuum Moderatores, Regnique Proceres. A Panormitano Senatu ad difficillima superanda pluries in Romana, ac Hispana aula felicissimo exitu adhibitus est. Eloquentiâ etiam valuit: ideoque conciones differtissimas, eruditione refertas habuit. In Hispaniam delatus, ibi magno cum plausu per annos plures Moralem Theologiam in Collegio Matritensi docuit, ubi studiorum Præfectum egisse tradunt. Ibi demirata ejus doctrinæ excellentia clarissimam nominis sui famam excitavit: & apud Supremæ Inquisitionis Judices fuit Consultor, & Censor. Philippo IV. Catholico Regi gratissimus vixit: qui in suum Concionatorem delegit, magnâque æstimatione apud ipsum floruit, ut etiam apud Hispaniæ Magnates, qui sæpius ejus consilia expetebant. Inter hos non ultimus recensendus D. Aloysius Moncada Panormitanus, Dux Montis Alti, qui moderatis magnâ prudentiæ laude Siciliæ, Sardiniæ, & Valentiæ Regnis, tandem inter Purpuratos Ecclesiæ Patres relatus est; hic enim in Hispania degens, nil nisi ex Josephi consilio peragere consuevit. Tandem ubique clarus, multisque virtutibus apprimè excultus, Matriti denatus est 4. Januarii 1668. Emeritis laudibus Josephum exornarunt *Biblioth. Soc. Jesu pag.* 527. Hippolytus Marraccius *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 826. Ant. Cotonius *in controv. celebribus lib.* 1. *controv.* 5. *cap.* 3. *n.* 42. *pag.* 49. Vincent. Auria *in Chronol. Proregum Siciliæ pag.* 107. Augustinus Inveges *in Panormo Sacra pag.* 11. *& in Carthagine Sicula lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 31. Card. Sfortia Pallavicinus *in epist.* 49. *&* 328. Joan. Bapt. Ricciolius *in Chronolog. Refor. tom.* 4. *ind.* 2. *pag.* 250. Honuphrius Fortinus *de natura, & salubritate aeris Panormitani sect.* 7. *pag.* 50. & Antonius Ignatius Mancusus *in Vita S. Rosaliæ par.* 1. *num.* 23. *pag.* 81. *&* 82. Typis demandavit hæc, quorum aliqua suppresso nomine, nempè Italicè

Discorso del modo di cōponer la Tragedia. In Tomo 2. Tragœdiarum P. Hortesii Scammacca. Panormi apud Jo: Bap. Maringum 1633. in 12.

Oratione funerale detta nella Real Cappella di San Pietro di Palermo per l'esequie dell'Eccell. Sig. Marchese di Tarissa. Panormi apud Decium Cyrillum 1633. in 4.

Mercurio Panormeo, o vero l'Almirante in Palermo ricevuto quando egli ne' 16. di Giugno del 1641. prese primieramente il governo del Regno di Sicilia. Ibid. apud eumdem 1641. in fol.

Predica del SS. Rosario di Maria Vergine. Ibid. apud Alphonsum de Isola 1644. in 4.

Panegirico in honore, & esaltatione dell'Immaculata Concettione della Gran Madre di Dio Maria. Ibid. apud Dominicum Anselmum 1654. in 4. & Hispanâ linguâ donatus à Christophoro Brignone cum eodem editus est eodem anno.

Vita di S. Rosalia V. Palermitana. extat in Santuario Panormitano edito Panormi apud Petrū de Isola 1666. in 12.

Vita di S. Oliva V. e M. Palermitana. Ibid. apud Nicolaum Buam 1659. & 1670. in 12. & in eodem Santuario.

Vita de' SS. Martiri Palermitani, S. Mamiliano Arcivescovo di Palermo, S. Ninfa V. S. Proculo, S. Eustotio, e S. Golbodeo. Ibidem apud Nicolaum Buam 1658. in 12. & in Santuario prædicto. His Sanctorum Vitis eruditissimas addiderat annotationes; eas verò m.ss. citat Augustinus Inveges *in Panormo Sacra*, at ineditas in Hispania reliquit.

Memoriale della Città di Palermo, e Deputatione del Regno alla Maestà Cattolica del Re Filippo IV. intorno alla Residenza della Corte di Sicilia. in fol. & in 4. sine anni, & loci nota.

Relation più distinta della Conversione alla Fede del già Mamèt Celebì, hoggi D. Filippo Primogenito d'Amat Dai Re di Tunisi, aggiontovi il Battesimo nella Chiesa del Giesù di Palermo à 6. di Maggio 1646. Panormi apud Nicolaum Buam, & Michaelem Portamnovam 1646. in 4.

Hispanâ linguâ

Resunta de la Vida, Invencion, y Milagros de S. Rosalia Virgen Palermitana. Matriti apud Julianum Paredes 1652. in fol.

Crisol de Verdades para las Razones, que la Deputacion del fidelissimo Reyno de Sicilia, y la Ciudad de Palermo presentan à Su Magestad contra la confirmacion del contratto de Residencia che pretende la de Mecina. Matriti in fol. sine anno.

Marraccius cit. scripsisse testatur

Pro Conceptione Immaculatæ Deiparæ Virginis Tractatum, quem non edidit. Italicè etiam

Historia della Compagnia di Giesù in Sicilia. & alia erudito illius calamo digna ex Biblioth. Soc. Jesu, in Hispania vel deperdita, vel delitescentia.

In Bibliotheca Collegii Panormitani Soc. Jesu servatur m. s.

Tractatus de Sacramentis.

JOSEPHUS SQUILLACIUS Catanensis vir politioribus literis egregiè excultus, Poesi insignis, inter Claros Catanæ Academicos relatus refulsit. Notarii munere functus est in Episcopali Catanensi Curia cum Card. Camillus Astallus, & Michael Angelus Bonadies Catanensem Ecclesiam moderabantur. Eo tempore quo fervebat bellum in Sicilia inter Hispanos, & Gallos ob Messanensium defectionem, fuit etiam Magister

Nota-

Notarius Gubernatorum Catanæ: ibique decessit 13. Maii 1678. anno ætatis suæ 60. Ipsum laudat Josephus Munebria *in Musa excitata par. 2. pag. 262.* Edidit Italicè

La S. Agata Tragedia sacra. Catanæ apud Vincentium Petronium 1663. in 8.

Le fortunate disaventure Comedia. Ibidem apud eumdem 1663. in 12. & Panormi apud Thomam de Aiccardo 1704. in 12.

Gli strani avvenimenti Comedia. Ibid. apud Bonaventuram la Rocca 1666. in 12.

La Sabina, ò vero la pudicitia costante. Ibid. apud eumdem 1669. in 8.

Ex supra relatis opellis edidisse etiam comperi hæc alia, quæ adhuc non vidi: nempè

L'Adrano.

L'Enerlinda.

La Giuditta Trionfante.

Li scherzi di Fortuna, e d'Amore.

L'Adriano.

L'Astutie.

Gl' Inganni.

JOSEPHUS TAMAGNA. v. Josephus à Matre Dei.

JOSEPHUS THOMAS RIOTTA Drepanitanus Ord. Prædicatorum, natus 27. Martii 1667. regulare institutū amplexus est 19. Martii 1683. ac solemnia emisit vota 19. Martii 1684. Exactis cum ingenii laude studiorum spatiis, ac doctrinâ insigniter excultus, ad Lectoris gradum evectus fuit: ideoque cum præstantissimi ingenii commendatione, ac plausu triennio Philosophiam, quatriennio scholasticam Theologiam docuit. Ecclesiastes egregius, conciones eloquentiâ, & eruditione præclaras habuit, quibus clarissimum sibi nomen comparavit. Admirandâ memoriâ excelluit: uberi eruditionis copiâ, politioribus literis, ac Medicinæ cognitione effulsit: ac sibi venerationem conciliavit. Dum studiis indefesso labore incumbebat, ac multa in orbe literato promittere videbatur, Panormi decessit anno ætatis suæ 40. in Cœnobio S. Citæ anno 1707. mense Ianuarii. Edidit Italicè

La morte avvivata Oratione funerale recitata nel Convento di S. Zita in Palermo nelle pompe funebri di 52. Religiosi Domenicani oppressi dalle rovine d'un Terremoto successo in Sicilia à gli 11. di Gennaro del presente anno 1693. Panormi apud Petrum Coppolam 1693. in 4.

Il Sole Rinascente Oratione funerale recitata nel Convento de' Padri Agostiniani alli 14. Marzo 1694. nelle pompe funebri celebrate in ossequio del M. R. P. Melchiore Minutilla fù Provinciale de' Padri Agostiniani, & Esaminatore Sinodale. Ibid. apud Barberam 1694. in 4.

Nella Morte il fomite della Vita Oratione funerale. Ibid. apud Thomam Aiccardum 1697. in 4.

La Fenice del nuovo secolo avvivata sul feretro di Carlo II. Monarca degnissimo delle Spagne. Neapoli apud Dominicum Parrinum 1702.

Quaresimale. Drepani typis Bartholomæi Franchi 1704. in 4.

Prælo paraverat

Il Crociero del nuovo Mondo per l' acquisto della Perfettione. in fol.

Teatro di Meraviglie esposto all' occhio dell' universo. Panegirici. in 8.

Teatro Apologetico su le massime della Verità in 4.

JOSEPHUS TRISTAINUS ex oppido Melillis, Poeta insignis, amœniores literas coluit, & inter Reaccēsos Panormitanæ Academiæ recensitus inclaruit. In patria ingenio, eruditione, aliisque animi dotibus apprimè ornatus vivit. Laudatur à Jo: Baptista de Judice *in carmin. pag. 342.* Italicè scripsit

L' Esimere di Parnasso Poesie. Panormi apud Buam, & Camagnam 1669. in 8.

L' Adrasto Tragedia. Ibidem apud eosdem 1669. in 8.

L' Amor Vendicato con l' infamia opera Scenica. Catanæ apud Bisagnium 1674. in 12.

Prælo paravit

Vienna liberata Poema Eroico.

Il S. Sebastiano Tragedia Sacra.

Il Riscatto del genere humano per la morte di Christo Tragedia Sacra.

Le vicende del fato Dramma Musicale.

Poesie Liriche.

Hæc omnia carmine etrusco: prosâ verò scripsit

Idea dell' Amicitia, o vero gl' Amici vincitori di loro stessi Opera Scenica.

L' Avventurate frodi della Fortuna Opera Scenica.

Il Dispaccio della Penna inquieta, lettere di Capriccio.

JOSEPHUS VADASUSUS Mazariensis Ordinis Carmelitarum, Sacræ Theologiæ Magister, natus anno 1637. adolescens Carmeliticæ familiæ institutum amplexus est. Literarum studiis magnâ animi contentione operam dedit, & cumulatissimâ doctrinâ locupletatus, in omni propè scientiarum genere enituit. Sacrâ eloquentiâ claruit, & inter Academicos à vividis ingenii monumentis laudatus eminuit. Conciones in præcipuis Siciliæ Civitatibus non sine plausu habuit: at dum Regentis munere Drepani Sacram Theologiam tradebat in Cœnobio SS. Annunciatæ, ibidem obiit 13. Octobris anno 1683. Edidit Italicè

La Rosalia Vergine Palermitana Panegirico. Panormi apud Petrum de Isola 1669. in 4.

Alia in lucem emisisse tradunt, quę non vidi.

JOSEPHUS VASSALLUS Siculus Sacræ Theologię, & utriusq; Juris Doctor, edidit Italicè

Geneologia della Casa, e Famiglia de' Micciché. Panormi apud Decium Cyrillum 1639. in 4.

JOSEPHUS VILLARDITA Nicosiensis, in arte gladiatoria magister peritissimus, decessit Panormi 10. Februarii anno 1675. & in Sodalitio S. Alberti sepultus est. Edidit Italicè

La Scherma Illustrata ridotta in compendio. Panormi apud Buam, & Camagnam 1670. in 8.

JOSEPHUS VINCENTIUS MARASCIA Panormitanus, Patre Vincentio Marascia Jurisconsulto, egregio causarum Patrono exortus, florente adhuc ætate Jurisprudentiæ operam dedit: &

cùm

cùm ea in facultate insigniter profecisset, Doctoris laureâ donatus est. At ex naturæ vi ad amœniora studia protractus, politiores literas, ac Poesim impensè coluit. Ob cultissima, vividaq; ingenii monumenta, Etruscis, Latiis, Siculisque numeris edita, ac uberrimam eruditionem, literatis viris gratissimus vixit. In Panormitana Reaccensorum Academia ascriptus, æstimationem promeruit non vulgarem. Anagrammatum conditor singularis, plausus non raro promeruit. Romã delatus illius urbis literatos eruditionis ornamento in sui admirationem traxit. Sed cum adversæ fortunæ conditionem experiretur, Ecclesiasticæ militiæ nomen dedit; ac Sacerdotio initiatus anno 1657. virtutum studia amplexus est. Hinc aulæ sirtes declinare statuit, & inter Sacerdotes S. Hieronymi de Charitate ascriptus anno 1658. aliquandiu inter eos vixit, eamque vitæ rationem aggressus est, ut tum morum integritate, tum doctrinâ, & in concionibus habendis præstantiâ, venerationem permaximam sibi conciliaverit. Parochus Ecclesiæ Messanensis S. Matthæi electus, possessionem haud accepit. Cùm patriæ desiderio (cujus amantissimus fuit) æstuaret, Ven. P. D. Carolus de Thomasio Cler. Reg. ut nepotibus suis, Julii Mariæ de Thomasio Ducis Palmæ filiis, in Siciliam remeantibus sese comitem, & Ducem adderet, enixè rogavit: ideoque Panormum appulsus, resalutatis patriis Laribus in oppidum Palmæ cum ipsis transiit, mox in patriam reversus. At vix ibi pervenit, cùm ex itineris labore contracto lethali morbo, paulò post vitam absolvit non sine ingenti amicorum dolore 17. Julii anno 1669. & in Ecclesia S. Rosaliæ sepultus est. Hujusce meminere cum laude Josephus Galeanus *in Musis Siculis par. 2. tom. 1. pag.* 497. Ludovicus Jacobillus *in vitis SS. Umbriæ tom. 3. pag.* 486. Antonius Casalettus *in Relatione solemnitatis D. Rosaliæ an.* 1661. *pag.* 15. Vincentius Auria *in histor. narratione Crucifixi Panorm.* ex tertia editione *pag.* 169. *&* 174. Auctor operis inscripti: *Galleria di Minerva tom. 4. par. 11. pag.* 225. & Monumenta Gallica Trevolciana *an.* 1702. *tom. pag.*

Edidit

Relatione de' fuochi artificiati, e feste fatte in Roma per la coronatione in Re de' Romani di Ferdinando IV. Re di Ungheria, e di Boemia Primogenito della Maestà Cesarea di Ferdinando III. Austriaco dall' Em. e Rev. Principe il Sig. Girolamo Cardinal Colonna Protettore del Sacro Romano Imperio. Romæ apud Ignatium de Lazaris 1653. in 4.

Relatione delle feste fatte in Roma per la Coronatione in Re de' Romani di Ferdinando IV. Re d'Ungheria, e di Boemia dall' Em. e Rev. Cardinal Teodoro Trivultio. Ibidem apud eumdem 1653. in 4.

Relatione dell' eletione del Sommo Pontefice Alessandro VII. Panormi apud Bisagnium 1655. in 4.

De' Due Santi Mamiliani Arcivescovi, e Cittadini di Palermo Risolutione Historica. Ibidem apud Michaelem Constantium 1701. in 4.

Hoc opus historicâ eruditione refertissimum decursis 32. annis ab Auctoris morte, ne amplius cum ejusdem famæ jactura delitesceret, in lucem emittere curavi, cui Vitas eorumdem Sanctorum addidi.

Vernaculâ linguâ scripsit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par. 2. tom.* 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12. Demum servantur apud me ejusdem Josephi manu exarata

Anagrammata. m. ss. in 8.

JOSEPHUS VISTARCHUS Messanensis, vir politioris literaturæ ornamento conspicuus. Musas præsertim magnâ cum laude coluit; & inter Officinæ Messanensis Academicos recensitus floruit circa anum 1640. Ipsum laudibus ornant Placidus Reina *in hist. Mess. par. 2. pag.* 524. & Benedictus Salvagus *in Carmin. Officinæ par.* 4. *pag.* 335. Typis dedit Italicè

Il Gareggiamento delle Muse Poesia in lode dell' Illustr. & Eccell. Signori D. Federico Colonna Prencipe di Paliano &c. & D. Margarita d'Austria, e Branciforte Prencipessa di Butera. Messanæ apud Jo: Franciscum Bianco 1625. in 12.

Amor Poeta Epitalamio nelle nozze de' fortunatissimi sposi il Cavalier D. Pietro Campolo Barone di S. Teodoro, e Prencipe dignissimo dell' Accademia della Zecca in Messina, e D. Silvia la Rocca, e Lanza. Messanæ apud eumdem 1627. in 12.

Il Filoro Epitalamio nelle nozze de' felicissimi Sposi D. Lorenzo Alberti, e Saccano Marchese di Pintodattolo, e D. Gio: Mancuso, & Averna. Ibidem apud eumdem 1627. in 12.

Venere Placata Epitalamio nelle nozze de' Signori D. Placido Ventimiglia, e D. Paula Campulo. Ibid. apud Petrum Bream 1628. in 12.

Il Polifemo Poemetto. Ibidem apud eumdem 1628. in 4. & in libro: *Stravaganze liriche degli Accademici della Fucina.* Neapoli apud Sebastianum Alecci 1661. in 12. ubi etiam extant

La Fama Panegirico del Serenis. Prencipe Filiberto di Savoja, &

Il Proteo Panegirico in lode dell' Ill. e Rever. Sign. D. Biaggio Proto Arcivescovo di Messina.

Edidit etiam

Panegirico per il Sign. Cola Maria Ciampoli. Poesia. extat in vestibulo libri: *Poesie di Girolamo Preti.* Messanæ apud Petrum Bream 1630. in 8.

Poesie. in libro: *Poesie della Fucina par.* 4. Neapoli apud Sebastianum Alecci 1660. in 12.

Argomenti della Babilonia destrutta Poema Eroico di Scipione Henrico. Romæ apud Franciscum Corbelletti 1626. in 12. & alibi.

Alia scripsisse testatur Reina cit. inter quæ *de Epistola B. M. V. ad Messanenses*, aliaque ut typis traderet expumicabat.

JOSEPHUS VITA Calatascibectensis Ordinis Prædicatorum, Panormitani Cœnobii S. Citæ filius: vir eminentissimi ingenii, doctrinâ instructissimus vixit. In Theologiæ arcanis perfundè versatus, familiarem D. Augustini, ac Angelici præceptoris sapientiam habuit, ac tritas aliorum vias prætergressus est. Ita ejus doctrinæ opinio valuit, ut Panormi viri doctissimi, ac Regularium Ordi-

Ordinum præclarissimi Præceptores in difficillimis Theologiæ quæstionibus ipsum consulerent, ac tanquam veræ sapientiæ Magistrum venerarentur: ipse verò ingenii sui lumina abstrusas scholarum tenebras facili negotio elucidabat. Doctrinam semper D. Thomæ auctoritate confirmare consuevit, in cujus operibus ita versatissimus fuit, ut vix patefacto volumine, ad oculi ictũ locum à se citatum, non sine admiratione, fidelissimè indigitaret. At tum ob doctrinæ excellentiam, tum ob sui conteptum Panormi, ubi diu moras protraxit, passim non alio, quàm Philosophi nomine vocabatur. Quæ typis mãdavit in cũdem persecutiones concitarunt (ut ipse prædixerat) nam Thomisticæ doctrinæ adversari opinabantur: ideoque ad Generalem Ordinis Magistrum delatis quærimoniis, Romam accersitus est. Ibi omnia ipsi objecta, splendidiorem doctrinæ suæ excellentiam effecere: patefactâ etenim Romæ doctrinæ suæ profunditate, in sui admirationem præstãtiora Urbis ingenia excitavit. Inter sui admiratores non ultimus recensendus Joannes Caramuel, elapsi sæculi singulare ornamentum, qui sæpius ipsum adiit in proprii Cœnobii septis, ut ejus doctrinæ splendorem recoleret: & à nonnullis Præsulibus, ac S. R. E. Cardinalibus magnâ æstimatione prosequutus est. Doctrinam virtutibus illustravit: observantiæ regularis fuit cultor eximius: paupertatis studiosissimus: nonnisi D. Augustini, & D. Thomæ opera, in quibus multus erat, apud se retinebat: Humilitate claruit; ideoque ab honoibus quibuscumq: abhorruit, solo Baccalaurei titulo cõtẽtus: honores è Cathedris affluẽtes studiosè declinavit. Cellæ, & secessũ amantissimus, sæculariũ oculos fugiebat. Nunquam pœnitentiæ asperitates depoluit: à carnium esu semper abstinuit; & usque ad supremam vitæ lineam cilicio munitus, nunquam lecto decubuit: & integras persæpe noctes in rerum cœlestium contemplatione impendebat, uberrimâ lacrymarum copiâ perfusus. Necessitate compulsus, si brevissimo somno indulgebat, id vel in Ecclesiæ loco, ubi fidelium cõfessiones excipiebantur, vel in aliqua Cellæ sede efficiebat. Deiparæ Virgini addictissimus, singulis sabbati diebus antiphonam Salve Regina cum sodalibus suis de more decantans, inardebat vultus, & occlusum incendium prodebat. Ut corporis, animæque candorem illibatum servaret nunquam nisi ex obedientia confessionibus virorum tantùm aures præbuit: aliasque egregias coluit virtutes. Pluries in summo vitæ discrimine divinam opem expertus est; & tandem numeris omnibus absolutus cùm ad vitæ metam pervenisset, Ecclesiæ Sacramenta experiit, ac magno pietatis sensu accepit: inde Confessarium rogavit, ut dum animam ageret, D. Augustini versus ex ejus sequentia, ipsi legeret, (cui ipse addictissimus fuit, ac ab ipso vitam aliquando accepisse tradunt) quibus ad finem perductis, placidissimè decessit Panormi in Cœnobio S. Citæ 8. Januarii anno 1677. relictâ eximiâ sanctimoniæ famâ. Ad viri cadaver permagnus populi concursus confluxit, qui ejus vestes discerpsit, ad quarum contactum nõnulla admiranda enarrantur. Nec defuit, qui pio ausu, elapsis à morte 24. horis, pedis digitum ipsi resecaverit, à quo sanguis effluxit: ideoque seorsim ab aliis conditum fuit. Hæc ex relatione P. Jo: Bap. de Castillo Panormitani Ord. Prædicatorum. Typis tradidit

Tomum Primum. Tractatum de proprio, & per se principio, unde provenit peccatum in actionibus voluntariis continet, in duas partes divisum. Panormi apud Andream Colicchiam 1665. in fol. Subsequentes Tomi m. ss. in Archivo Romano Ord. Præd. servantur.

De objecto Logicæ. Romæ apud Paulum Monetam 1670. in 8.

JOSEPHUS VITALIS nobilis Panormitanus vivido, egregioq: ingenio munitus, poesim tum etruscam, tum vernaculam coluit. Scientiis nonnullis, ac morum integritate effulsit. Anno 1652. publici Panormitani ærarii, vulgò Tabulam dicunt, Gubernatorem egit: & dum Hospitalarii munere Magnum Panormi Nosocomium moderabatur, ibidem decessit 15. Decembris 1657. & in Ecclesia S. Mariæ Angelorum Fratrum Observantium S. Francisci tumulatus est. Ipsum laudant Josephus Galeanus *in Musis Siculis tom.* 1. *par.* 2. *pag.* 510. & *par.* 4. *pag.* 218. Alphonsus Salvus *in prosis pag.* 223. & Antoninus Tantillus in epist. nuncupatoria operis inscripti: *La Cetra Orattiana.* Edidit

Canzoni Siciliane. In Musis Siculis *par.* 2. *tom.* 1. Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Josephum Bisagnium 1662. in 12.

Canzoni Siciliane Burlesche. In eisdem Musis *par.* 3. Ibid. apud Bisagnium 1651. in 12.

Edenda reliquit Italicè

Rime,

Discorsi Accademici.

JOSEPHUS DE VOGLIA Eques Panormitanus vir ab elegantissimo ingenio, morum probitate, ac prudentia laudatissimus. Ab ineunte ætate literarum studiis dicatus, Jurisprudentiæ laureâ insignitus est. Gravioribus etiam disciplinis apprimè excultus inclaruit; & amœniores literas sibi familiares habuit. Eruditione præsertim instructissimus, in antiquis, ac recentioribus literati Orbis monumẽtis versatissimus eminuit, quibus doctiorum venerationem assequutus est. Tum versu, tum prosâ plurimũ valuit: & eruditorũ virorum amator, tum apud hos, tum apud Regni Proceres, ac etiam Supremos Moderatores summâ æstimatione valuit. Patriæ amantissimus in propugnandis ejusdem privilegiis, & amplificanda ipsius gloria pluries desudavit, ac benemerentissimi civis laudes promeruit. Panormitanæ Reaccensorum Academiæ primùm nomen dedit; inde cum aliis ornatissimis Patriæ viris anno 1642. novam excitavit Academiam, cujus candidati *Animosos Oreti* vocabant. Hujus Academiæ phrenoschema erat Apum examen; lemma verò illud Virgilii *Georg.* 4. *v.* 83.

Ingentes animos angusto in pectore versant.

De-

Defunctâ ejus uxore Congregationem Oratorii Panormitani ingressus, in ea per aliquot annos Sacerdotio initiatus laudabiliter vixit. Tandem octogenario major Panormi decessit 3. Septembris anno 1705. Ipsum laudant Alphonsus Salvus *in prosis pag.* 15.& Augustinus Inveges *in Panormo antiqua pag.* 545. Edidit Italicè sub Natalitii Adonii nomine

Lettera in difesa di Palermo contro D. Ferdinando Comitelli. Venetiis apud Babam, & Junctas 1648. in 4.

Scripsit etiam

Il Sestini punito dalla Verità dialogo. Hunc sub nomine Galvani de Vbertis in publicam lucem emittere statuerat anno 1648. Placido Samperio Soc. Jesu dicatum, qui sub Marci Antonii Sestini quosdam dialogos, dicacitate refertos, contra Panormum protulit. Authographum m. s. in 4. servatur apud P. Joannem Mariam Amatum Soc. Jesu virum eruditissimum.

JOSEPHUS VOLLARUS Panormitanus, unus ex præcipuis Panormi Tabellionibus: ex naturali propensione Poesim, præsertim comicam, cum laude coluit. Decessit Panormi 29. Novembris 1696. Edidit Italicè

Le Pazzie per vendetta dramma per musica. Panormi apud Jacobum Epirum 1682. in 12.

L'Anarchia dell' Impero dramma per musica da rappresentarsi nella Sala del Regio Palazzo per le solennità, e pompe nelle Nozze del Re N. S. Carlo II. Panormi apud Anglesium, & Varesium 1690. in 12.

JOSEPHUS XIBECCA Panormitanus Juris utriusque Doctor eximius, edidit

Responsum pro Sp. Domino D. Joanne Pinneiro adversus D. Cæsarem Conzaga, & Regium Fiscum in recuperatione Cohortis armigerorum Regni Neapolis. editum anno tertio sui doctoratus. Panormi apud Jo: Matthæum Maydam 1567. in fol.

JOSEPHUS XIBECCA Panormitanus, alter à supra laudato, Jurisconsultus & ipse egregius, ac doctissimus, & æquè disertissimus causarum Patronus: ideoque præcipuas Siculorum Procerum causas feliciter propugnavit. Ob insignem doctrinam summam promeruit æstimationem; ac meritò ad nonnullos honorum gradus fuit evectus. In Panormitano Prætorio, & in Magnæ Regiæ Curiæ subselliis Judex sedit. Præfuit etiam Fisci Patronus Regiarum, ut vocant, Tandatum in Regia Juncta. Demum nominis celebritate clarissimus Panormi decessit anno 1661. Laudatur à Francisco Strada *in quietationibus pag.* 15. Philippo Cammarata *in Allegat. in causa Buteræ pag.* 2. & Jacobo Longo *in linea triumphanti p.*26. Multa scripsit, at solùm edidit

Allegationes in causa possessorii summariissimi Principatus, & Status Campifranci pro D. Stephano Riggio, & Campo. Panormi typis Nicolai Bua 1653. in fol.

Allegationes in causa manutentionis possessionis Principatus, Buteræ, & Petrapertiæ, cum dignitate Magnatis Hispaniarum, ac Marchionatus Militelli, aliorumq; oppidorum, nec non Titulorum, Baroniarum, & Feudorum in literis manutentionis contentorum pro Ill. D. Joseph Branciforte Comite Mazareni. Ibidem apud Dominicum Anselmum 1660. in fol.

ISAAC sive ISAACUS Agyrensis, Monachus Ordinis S. Benedicti, ex Arnaldo Wion *in ligno Vitæ lib.* 2. *cap.* 70. *pag.* 432. vel rectius S. Basilii ex Roccho Pirro *not. Eccl. Catanen. pag.* 109. Vir sanè doctissimus, Barlaami Discipulus, Astronomicas, ac Mathematicas disciplinas insigniter calluit. Poesi etiam excultus, sacrisque literis apprimè instructus inclaruit. Floruit ex Christophoro Clavio *in Calendario Romano*, Josepho Blancano *in Chronolog. Mathemat. pag.* 57. Gerardo Io: Vossio *de scien. Mathem. cap.* 40. §. 15. *pag.* 227. *& cap.* 62. §. 13. *pag.* 359. & Io: Bap. Ricciolio *in Chronic. Astronomorum ante Almagestum par.* 2. *pag.* 39. sæculo post Christum natum undecimo: & ex Claudio Francisco Milliet *in cursu Mathematico tom.* 1. *in tract. proœmiali pag.*83. signanter propè annum Domini 1050. At rectius Josephus Scaliger *de emend. tempor. lib.* 4. *pag.* 331. observat, quòd idemmet Isaacus se scripsisse ait anno 6885. æræ græcæ: ideoque anno salutis 1372. floruisse concludit. Dionysius Petavius *de doctrina temporum tom.* 1. *lib.*5. *cap.* 1. *pag.*405. claruisse tradit anno Græcorum 6881. Christianæ æræ 1373. quod ex eodem Isaaco deducit; idque iterum confirmat *lib.* 5. *cap.* 16. *pag.* 449. Petavii sententiam sequitur Henricus Wharton *in append. ad histor. literariam Guilelmi Cave pag.*43. & Robertus Gerius *in append. ad par.* 2. *ejusdem historiæ pag.*286. Duos Isaaci nomine retulit Ricciolus cit. *in Chronol. Reformata tom.* 4. *ind.*2. *pag.* 251. quorum unus anno 1040. alius 1372. floruisse putat, quod apud alium forsan non invenies. De Isaaco etiam Rocchus Pirrus *not. Eccl. Catan. pag.* 109. Hofmannus *in lexic. tom.* 1. *pag.* 857. Ludovicus Morerius *in dict. tom.*1. *pag.*323. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 520. Sixtus Senensis *in Biblioth. Sancta lib.* 4. *pag.* 270. Vincentius Coronellus *in Biblioth. tom.* 4. *num.* 2329. *pag.* 634. aliique infra citandi. Quæ Isaacus scripsit hæc sunt.

Computus Græcorum de Paschate celebrando, Andronico Urbis Æni Præfecto inscriptus. Excusus est primùm græcè cum latina interpretatione Jacobi Chrismanni, & cum ejusdem scholiis Heidelberg. 1611. in 4. (Augustæ etiam in 4. ex indice Bibliothecæ Bodlejanæ *pag.* 36. & indice Bibliothecæ Barberinæ *tom.* 1. *pag.*69. *&* 268.) Inde à Dionysio Petavio editus in libro inscripto: *de doctrina Temporum Tomo III.* Lutetiæ Parisiorum sumptibus Sebastiani Cramoisy 1630. in fol. in eo extat *à pag.* 359. cum hoc titulo, nempè: *Isaaci Monachi Argyri ad Oenæotrem D. Andronicum, qui ratione traditas methodos protulerat solis, ac Lunæ Cyclorum, & eorum quæ ex his consequuntur Dionysio Petavio interprete.* In eo omisit Petavius operis Epilogum, ut advertit Wharton citatus.

Computus alter: editus ab eodem Petavio in opere laudato à *pag.*384. ex Regis Galliæ Bibliotheca

theca beneficio Nicolai Rigaltii. Excerpta quædam unius ex his computis, notis illustravit Josephus Scaliger, ediditq; Græ-lat. Lugduni Batav. 1595. in 4. ex Gerio cit.

Scholia in Euclidis elementorum Geometriæ sex priores libros, per Conradum Dasypodium in latinum sermonem translata. Argentorati in 8. ex Gesnero in *Biblioth. pag.* 520.

Multa alia Græcè scripsit Isaacus, quæ in nonnullis Bibliothecis delitescunt, horũ nomina hæc sunt:

Geodesia, sive Terræ divisio. m. s. servabatur in Bibliotheca Hurtadi Mendozæ, Catholici Regis Oratoris ad Venetos, ut testatur Vossius cit. *cap.* 27. §. 9. *pag.* 116. & *cap.* 54. §. 21. *pag.* 331. & Gesnerus *in Biblioth. pag.* 520.

Astronomica. m. s. Augustæ Vindelicorum asservata, ex Vossio cit. *cap.* 62. §. 13. *pag.* 359. & Gesnero loc. cit.

Methodus inveniendi latera quantitatum irrationabilium desinitarum. m.s. in Biblioth. Regis Christianissimi, ex Vossio *cit. cap.* 54. §. 21. *pag.* 331. & Gesnero cit.

De Triangulis, & Rectangulis. m. s. in eadem Bibliotheca, ex Vossio, & Gesnero cit. etiam m. s. in fol. in Bibliotheca Veneta Barociana hoc titulo: *Doctrina de Triangulis non rectangulis reducendis ad triangula rectangula, & de aliis figuris Geometricis*, ex Jacobo Philippo Thomasino *in Biblioth. Venetis m. ss. pag.* 77. & in Bibliotheca Palatina Electorali, ex Catalogo condito per Fridericum Sylburgium, editum in libro: *Monumenta pietatis, & literaria Virorũ in Rep. par.* 1. *p.* 23.

De dimensione agrorum. m. s. in Bibliotheca ad S. Antonium. ex Vossio, & Gesnero loc. cit.

De ratione mensurandi plana, & solida. m. s. in eadem Bibliotheca, ex Vossio, & Gesnero cit.

De oppositione, & conjunctione Solis, & Lunæ, & circulis solaribus, & lunaribus. m. s. in eadem Bibliotheca ex Gesnero cit. ibidem etiam eodẽ teste.

Argentarii disciplina rationabilium solarium, &

De Planetis. m.s. in 4. in Biblioth. Imper. Viennæ, ex eodem Gesnero.

Scholium Græcum in primam figuram descriptionis in plano, & carmina de duodecim Ventis. Vtrumque opus m. s. servabat Venetiis memoratus Didacus Hurtadus, ex Gesnero cit. & Arnaldo Wion loc. cit. & scripsisse etiam addunt hæc alia, nempè

Solutionem quæstionis cujusdam Palæmeticæ.

Encomium Martyris Demetrii. ita etiam ex Gerio cit.

Homiliam in sententiam Joannis Apostoli: Præcipio vobis, ut ametis vos mutuo: ita & Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta lib.* 4. *pag.* 270.

Viaticum. m.s. in fol. extat Venetiis in Bibliotheca S. Antonii ex Thomasino *in Bibliot. Venetis m. ss. pag.* 1.

Tabulas. m.s. in fol. ibid. ex eodem loc. cit. *p.* 4.

Methodum de Sole, & Luna, & aliis consequentibus. Item: *Traductio de perfectis regulis Astronomicis cum tabulis.* m.s. in Bibliotheca Veneta Card. Bassarionis ex Thomasino cit. *pag.* 49.

Geometria, Sterometria, Arithmetica, Archi tectura. m.s. in Bibliotheca Veneta Vincentii Grimani, ex eodem *pag.* 110. His adde

Tractatum de Metris Poeticis. m.s in Bibliotheca Joannis Sambuci ex Gesnero cit. & in Bibliotheca Palatina Electorali ex ejus indice cit. *pag.* 123.

Varia astronomica, & inter alia *apparatus Astrolobii*, servantur in Bibliotheca Vaticana ex Gesnero cit. At ea, quæ in Bibliotheca Vaticana extant, ita distinctè indigitat Antonius Possevinus *de m. ss. Græcis ejusdem Bibliothecæ in fine tom.* 3. *appar. sacri pag.* 13. ait enim ibi custodiri nostri Isaaci:

Methodum, & interpretationem Paschalium, & & aliarum necessariarum rerum.

Methodum Solarium, & Lunarium Cyclorum, & eorum qui hosce sequuntur.

De inventione quadrangularium laterum, eorum qui non dicuntur quadrati numeri.

Methodum de inventione plenileviorum, & regulis, quæ extant in syntaxi, translata ad Martyrologium Bizantii.

Regulam, sive Canon dierum, mensium, & annorum, quibus nunc utimur.

Regulam ingressus principii temporis, & Mensium Arabum.

Regulam longitudinis, & latitudinis insignium Vrbium Europæ, Africæ, & Asiæ.

Methodum, quâ constituendus est Horoscopus, sive Astrolobium.

Regulam ingressus principii temporis, & mensium apud Græcos. Prolegomena magnæ Syntaxeos. Contra Judæos alicujus viri eximii ad quemdam suum familiarem. Hæc in Bibliotheca Vaticana. His tamen adde

Canonum Persicorum expositionem. m.s. in Bibliotheca Palatina Electorali ex ejus indice cit. *pag.* 83.

De regimine Novitiorum librum. m. s. in Bibliotheca Bodlejana *cod.* 5. ex Gerio cit. qui addit, in eadem Bibliotheca asservari Isaaci Anachoretæ, fortè nostri, tractatus

De Monastica Politia: de Virtutibus, & Vitiis: & expugnationem superbiæ.

ISIDORUS CARBONARUS Messanensis Ord. Minim. S. Francisci Paulensis, Theologus insignis & Orator, eloquentiâ clarissimus. Hunc Franciscus Lanovius *in Chron. Minimorum pag.* 595. totius Italiæ decus vocat. Ordinis sui Collegium Messanæ excitavit: Siculam Provinciam rexit: & ad Machedæ Ducem, Siciliæ Proregem pro arduis negotiis à Civitate Calatajeronensi orator missus est. Magnâ nominis famâ claruit anno 1600. De eo etiam Placidus Samperius *in Iconolog. M. V. lib.* 2. *pag.* 154. & Aubertus Miræus *in Biblioth. tom.* 2. *cap.* 183. *pag.* 202. Edidit ex auctoribus citatis

Rationale Sacrorum Canonum.

Consuetudines Ordinis Minimorum.

ISIDORUS DE CASTILLO nobilis Panormitanus, primùm Vacci Baro, inde hæreditario jure Marchio S. Isidori: ingenii præstantiam, etsi in ipso ætatis flore lethalibus morbis plurimùm vexatus,

xatus, tum amœnioribus literis, tum gravioribus disciplinis insigniter expolivit. Musas præsertim coluit, ac historiarum cognitione animum instruxit. Prudentiâ, pietate, morumque integritate effulsit. Obiit Thermis circa annũ 1660. Ipsũ laudat Josephus Galeanus *in Musis Siculis p.4.pag.* 234. ubi hujusce viri extant vernaculâ linguâ

Canzoni Sacre Siciliane. Panormi apud Josephũ Bisagnium 1653. in 12.

ISIDORUS PANORMITANUS ex familia Comitina Ordinis S. Benedicti Congreg. Casinensis, vir doctrinâ, & muliplici scientiarum ornamento insignis: graviores disciplinas publicè docuit in Cœnobio S. Benedicti extra Mantuam. In pertractandis negotiis magnâ dexteritate polluit, & morum suavitate conspicuus; omnium benevolentiam sibi devinxit. Abbatis dignitate Cœnobio Panormitano S. Martini præfuit ab anno 1583. usque ad 1587. & anno 1589. usque ad 1593. Eo in regimine prudentiâ, ac virtute apprimè enituit: in pauperibus, ac hospitibus benignè amplectendis liberalitatem detexit eximiam. Memoratum S. Martini Cœnobium novis ædificiis splendidiorem constituit; ejusque Ecclesiam profusâ magnificentiâ perfecit. De eo Petrus Ricordatus *in hist. Monast. pag.* 466. Petrus Antonius Tornamira *in orig.Congr.Casin.to.2.lib.3. pag.*453.& Rocchus Pirrus *de Abbatiis p.*190. qui in eodem Cœnobio ejus m.ss. asservari testantur.

ISIDORUS SICLENSIS Capuccinus ex familia Spinelli, Poeta non vulgaris, floruit an.1630. Hujus meminit Pirrus cit. *not. Eccles. Syrac. pag.* 257. Sub nomine Julii Xifi fratris sui in lucem emisit Italicè

La nuova settimana divisa in sette giornate, Poema Sacro, nellaquale si raggiona della Vita, Morte, e Miracoli del Gl. Eremita B. Guglielmo Patrono, e Protettore di Scichili. Panormi apud Alphonsum Isolam 1632. in 12.

JULIANUS CALAGIURA Panormitanus Pharmacopola celebris: in plena plantarum cognitione peritissimus. Pharmacopolis Panormitanis Consulis munere præfuit. Musas Siculas adamavit, ac carmina lepidissima non sine laude, ac nominis gloria concinit. Obiit Panormi 15. Iulii anno 1647. & in Ecclesia S. Antonii Patavini Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ sepultus est. De eo Iosephus Galeanus *in Musis Siculis par.2.t.1.p.*412. Edidit vernaculâ linguâ

Canzoni Siciliane. In eisdem Musis Panormi apud Decium Cyrillum 1647. in 12. & apud Iosephum Bisagnium 1662. in 12.

JULIANUS FALCIGLIA Salemitanus, Ordinis S. Augustini, Sacræ Theologiæ Magister, vir à doctrinæ splendore, quo insigniter eminuit, & ab egregiis virtutibus meritò laudatus. In corporis sui castigatione multus fuit, & in exactissimo regularis observantiæ cultu claruit: hinc nonnullis honoribus fuit cumulatus, nam Vice-Procuratoris Generalis munere functus est anno 1432. quo insignitus Concilio Basiliensi interfuit. Vicarius etiam Generalis Ordinis constitutus est tum Romæ, tum per totam Italiam à Mattheo Introduco, & Christiano Pedemontano totius Ordinis Moderatoribus: ac tandem in Comitiis Generalibus Senis coactis 9. Iunii 1443. totius Ordinis Generalis electus est. Pluries in eodem gradu cõfirmatus, Ordinem suum per 15. annos summa cum laude rexit: in eoque moderando præclarissima edidit exempla virtutum. Omnia Instituti Cœnobia per totũ Orbem dispertita, pedestri itinere, pedibus nudis, solo baculo innixus, raro exemplo lustravit. Decessit Messanæ, ubi insigni sepulchro conditus est, cujus epitaphium temporis injuriâ obliteratum, haud legere licet. Mortis tempus variè narratur à Scriptoribus in diversas sententias distractis, nam Thomas Herrera *in suo compendio ad annum* 1443. obiisse ait anno 1459. Placidus Samperius *in Iconologia M.V. lib. 2. cap.* 16. *pag.* 244. anno 1449. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Mazar. pag.* 570. electum Generalem ait anno 1445. ac annis 26. Ordini præfuisse, ideoque defunctum renunciat an. 1471. Iosephus Panphilius *in Chronic. Ord. S. August. pag.* 79. ad Generalis munus assumptum tradit anno 1443. & per tria lustra ordinem moderasse, *& pag.* 83. addit anno 1459. Alexandrum Olivam ob nostri Iuliani obitum ad Generalatum evectum; ideoque Iulianus anno 1458. vel 1459. obiisse deducimus. Tandem Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 22. *pag.* 211. ex auctoritate Io: Petri Villadicane *in supplemento ad Maurolycum pag.* 181. decessisse ait 18. Aprilis 1458. De hoc inclyto viro etiam Iosephus Ambrosius *in relat. solemnitatis epistolæ Marianæ pag.* 312. Stephanus Anna *in discursu pro Rosario P. Brandi pag.* 583. Thomas Gratianus *in Anastasi Augustiniana pag.* 127. Gesnerus *in Biblioth. pag.* 524. qui Iulianum Salentinum vocat. Carolus du Fresne *in indice auctorum ad Glossarium scriptor. mediæ & infimæ latinitatis pag.* 124. qui Ioannem Salentinum, Siculum vocat. Scripsit Iulianus ex Pirro cit. *plura volumina*: & Ambrosius Coriolanus apud Possevinum *in Apparatu Sacro tom.* 2. *pag.* 303. ait: *plurimos peperisse commentarios*: at Gesnerus *cit.* Possevinus, quem sequitur Thomas Gratianus *in Anastasi Augustiniana pag.* 128. hæc edidisse testatur, nempè.

De sensu composito lib. I.
De Medio demonstrantionis lib. I.
De Sophistarum regulis lib. I.

Alia scripsisse Theologica Possevinus opinatur. Addunt Gesnerus, & Gratianus, quòd in lucem etiam emisit

Terminorum moralium librum unum.
Commentarios plures.

JULIANUS MAYALIS Nobilis Panormitanus Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis è Monasterio Panormitano S. Martini: vir à vitæ sanctimonia, ac summo rerum usu celeberrimus: apud Alphonsum Regem, ejusque Fratrem Ioannem, ac Pontifices Eugenium IV. Nicolaum V. & Calistum III. magnâ æstimatione valuit. Ab Alphonso, ac Panormitano Senatu magnificentissimas ædes, olim Matthæi Sclafani Comitis Hadriani accepit, ut in his Monachorum suorum Domicilium excitaret: at monachis

à regiæ Urbis strepitu abhorrentibus, Julianus pietatis studiosus, ut in magnum Valetudinarium converterentur, in quod omnia Panormitana Nosocomia coalescerent, exquisivit, & obtinuit, ex literis Eugenii IV. & Alphonsi Regis. Julianus verò illius Protector, & perpetuus Administrator constitutus est: qui ad optimum ipsius regimen instructionibus, & capitulis ab eo scriptis munivit, ab eodem Alphonso 17. Junii 1433. Regiâ auctoritate firmatis. Ab eodem Rege ad Octomanum Bosfori Tuneti Regis filium Orator missus est anno 1438. ut cum eo perenne pacis fœdus iniret, & omnia juxta Regis vota, & Siciliæ utilitatem feliciter conclusit. Ibi eidem Regi gratissimus triennio moras protraxit: gravissima pertractavit negotia: ac barbaram regionem virtutum exemplis explevit. Ideoq; summo Tunetani Regis dolore, ac Maurorum plausu, scriptis arabicis ad Alphonsum de Juliani laudibus literis, in Siciliam remeavit: & secum munera aliquot serica deferens, non sine permaxima laude in patriam se recepit. A primariis Regni Proceribus, & Senatu, populoque Panormitano ad Alphonsum prædictum, & Joannē Regē Alphonsi fratrem Caetæ, & Neapoli degentem pluries Orator missus est pro Regni Capitulis approbandis, ac rebus gravioribus pertractandis, & ab eodem multa in patriæ beneficium obtinuit: ideoque passim Pater Patriæ vocabatur. Alphonsi Regis jussu Calistum III. adiit ad ardua pertractanda, à quo magnis benevolentiæ argumentis exceptus est, eique, ac Monasterio suo multas Sanctorum reliquias largitus est, præsertim Spinam ex Christi Domini corona, & septem saluiferę Crucis frustula. Ab Eugenio IV. in peragendis rerum negotiis adhibitus fuit, ejusque jussu unà cum Ambrosio Isfar, & Coriglies Panormitano, Cœnobii S. Martini Abbate, Benedictina Siciliæ Cœnobia perlustravit. Anno 1446. cum eodem Judex Conservator Presbyterorum S. Georgii de Alga in Sicilia constitutus est. Demum ætate gravatus, negotiorum molestias declinare statuit; ideoque ad desertos Ciambrarum montes aufugiens, ibi ædiculam, mysteriis Dominicæ Passionis ornatam, ad Missæ sacrificium celebrandum extruxit, quam adhuc Eremitæ domum vocant; cui duas addidit cellulas. Hìc eremiticam egit vitam, severiores pœnitentiæ leges observavit, ac solis herbis, radicibusque vixit, inter rerum cœlestium contemplationes per annos sex usque ad annum 1470. cùm 4. Octobris ad perennem gloriam evolavit. Virtutum exempla, sanctimoniæ fama, ac miraculorum gloria eximio viro Beati nomen compararunt. De eo Octavius Caetanus *in Idea SS. Siculorum pag.* 35. 57. *&* 66. Rocchus Pirrus *not. Eccl. Panor. pag.* 217. *& lib.*4. *de Abbatiis pag.*179. 180. 195. 197. 203. 265. *&* 266. Thomas Fazellus *de reb. Siculis dec.*2. *lib.*9. *cap.*9. *pag.*591. Seraphinus Gonzales *in declaratione Arboris Monast. pag.* 88. Petrus Antonius Tornamira *in Juditha Panormitana pag.*206. *& seq. & alibi*, Placidus Samperius *in Iconologia Mariæ Virginis lib.* 2. *pag.* 283. *&* 287. ubi falsè Romanum vocat, Josephus Bonfilius *in sua Messana lib.*8. *pag.* 63. aliique. Scripsit

Instructiones, & Capitula pro Oeconomico regimine Magni Nosocomii Panormitani.

De conformitate vitæ spiritualis ad primum exemplar Jesu Christi. extat m. s. in Bibliotheca Cœnobii S. Martini.

JULIANUS MONTEFUSCUS ex oppido Nasi, Ordinis Observantium S. Francisci, scripsit ex Octavio Caetano *in animad. ad tom.*2. *SS. Siculor. pag.*67. & Josepho Perdicaro *in Vitis SS. Siculor. pag.*270.

Vitam S. Coni.

JULIUS LO CAMPO ex oppido Noaræ, maternâ linguâ, ac carmine ludicro lepidissimè cecinit: ideoque cum aliis hujus generis Poetis Siculis recensetur ab Academico Oldeano, idest Nicolao Villano *in discursu de Poesi ludicra pag.*74. sed quæ in lucem emiserit nec ipse innuit, nec ego vidi.

JULIUS FIRMICUS MATERNUS Siculus, sed incertæ patriæ, vir celebris. An autem Julius Firmicus Maternus, qui *de profanarum Religionum Erroribus* scripsit, idem sit ac ille, qui *Astronomicos libros* edidit, non vulgaris est apud Scriptores controversia: diversi enim diversa opinantur. Aliqui enim duos fuisse unum antiquiorem, & Christianum, alium juniorem Ethnicum volunt: sed nonnulli contrarium sentiunt. Duos fuisse scribunt Baronius *annal. tom.* 3. *ann.* 355. *num.*1. Antonius Possevinus *in appar. sacr. tom.* 2. *pag.* 304. Octavius Caetanus *in animad. ad tom.* 2. *SS. Siculorum pag.* 106. *& in Isag. ad hist. sacram Siculam cap.* 42. *num.* 7. *pag.* 351. Gesnerus *Biblioth. pag.*525. Jacobus Tirinus *in indice auctorum. cit. in sacram Scripturam*, Balth. Bonifacius *in hist. ludicra lib.*15. *cap.*5, *pag.* 591. Joannes Bapt. Ricciolius *in Chronico Astronomor. apud Almagestum par.*2. *pag.*39. *& in Chronol. Refor. tom.*4. *ind.*2. *pag.*252. Petrus Lambeccius *lib.*1. *Commentar. de Augustiss. Biblioth. Cæsar. pag.* 29. Aubertus Miræus *in auct. Biblioth. Ecclesiast.* qui bis de Firmico scribit, nempè *cap.*27. *pag.*182. *& cap.* 37. *pag.*184. nec quicquam affert novi, nisi quòd *cap.* 27. exscripto Bellarmini elogio *de Scriptoribus Eccles.* vocem senioris addidit, quo duos Firmicos innuit, ut observavit Labbeus *de Scrip. Eccles. tom.* 1. *pag.*660. Eumdem fuisse non magnopere dubitavit Christophorus Cellarius *in curis posterioribus de Barbarismis, & idiotismis sermonis latini, in prolegomenis p.* 36. nec tamen certissimè affirmavit. Alii verò eumdem fuisse volunt, qui primùm ethnica superstitione fœdatus, de Astronomia, sive Mathesi scripsit; inde catholicæ fidei lumine illustratus, de erroribus profanarum religionum librum edidit. Hanc opinionem sequuntur Philippus Labbeus *in Script. Eccles. Biblioth. Chronol. pag.* 31. *de Script. Eccles. pag.* 660. *& in Chronic. Techn. adversus Calvisium*, Auctor Catalogi Auctorum Bibliothecæ Patrum *tom.* 1. ejusdem Bibliothecæ præfixi in editione Lugdunensi anno 1677. Joannes Albertus Fabricius *in Biblioth. latina pag.* 164. *&* 166. Gulielmus Cave *in hist. literaria*

teraria Script. Eccles. sacul. 4. pag. 110. qui observat in libro *de errore prof. relig. pag.* 7. Firmicum scripsisse: *se nunc sacrarum literarum institutione formatum perditos homines religioso sermone convenire: inde ardens illi Gentiles ad fidem Christi perducendi desiderium.* Ad probandam duorum diversitatem Baronius *loc. cit.* ait, quod librum suum de Mathesi Iulius Firmicus scribere aggressus anno 354. cum Lollianus Consul designatus est, eumdem absolvit anno sequenti, post ejusdem Consulatum, nempè anno 356. cui librum suum inscripsit, ut ex ejusdem præfationibus liquet. Hinc diversum hunc Iulium colligit ab eo, qui de errore profanarum Religionum scripsit ad Constantinum, & Constantem, Constantini Magni filios, qui ab anno 340. ad annum 350. imperii fasces prætulerunt. *Longè enim*, ait, *abesse videtur, ut qui adeo dissertè, atque piè de Christiana Religione adversus Gentilium superstitionem tractatum edidit, idem postea de Mathesi omni ex parte impium scripserit.* At Philippus Labbeus *in Chronic. Techn. cit.* contra Calvisium ejusque sectatores demonstrat, libros Firmici de mathesi cōpositos, ante librum de errore profanarum Religionum inter annum Christi 334. quo cōtigit solis eclipsis, ab ipso Firmico memorata, tunc Optato, & Paulino Consulibus; & annum 337. quo decessit Constantinus Magnus. Id ipsum reperit in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis tom.* 1. *pag.* 660. quem sequitur Fabritius cit. *pag.* 164. & 166. ubi etiam *pag.* 167. observat, quod memorans Firmicus solis eclipsim Optato, & Paulino Magistratum gerentibus anno 336. *lib.* 1. *cap.* 2. novissimè accidisse affirmat. Addit & Fabritius quòd opinio docens utrumque opus ab eodem Firmico scriptum, *jam receptior inter eruditos sententia.* Supposita igitur firmiore opinione unum extitisse Firmicum, dicendum virum fuisse consularem, & clarissimum, ac forensibus patrociniis addictum: quibus relictis, ut ipsemet in limine *lib.* 4. ait, methamaticis disciplinis ingenium devovit: ac anno 336. vel 337. sub Constantino, Magni Constantini filio, quem in fine libri primi celebrat, scripsit Mathesis librum. Inde evangelica luce illustratus, è gentium erroribus, ad catholicam veritatem confugit, & ab ethnicis deliriis abhorrēs, ætate jam provectior, de erroribus profanarum religionum egregium scripsit volumen ad Constantini Magni filios. Hinc meritò Bellarminus *de Scrip. Eccl.* & Cave cit. sub anno 340. Firmicum collocant, & Miręus *cap.* 37. *pag.* 184. sub anno 350. Catholicæ fidei zelo flagrasse ex eodem libro planè constat: in eo enim eruditè, graviter, zeloq: æstuans christianam causam agit contra Gentiles; hos ad veram fidem amplectendam vehementer cohortatur, ac Imperatores ipsos urget ad delenda prorsus Gentilium Sacra: & ex ardenti desiderio ducendi Gentiles ad catholicam fidem, sacris literis instructissimus, hos Religioso sermone conveniebat. Refellenda hic Volaterrani sententia, qui *lib.* 16. *anthropol.* ait Maternum Firmicum, mathematicum, scriptorem libri in prognostica genethliaca sub Cæsare Augusto floruisse; confundit enim Julium Firmicum Maternum, cum Julio Materno Poeta Tragico, qui sub Augusto floruit, ut ait Gesnerus *in epit. Biblioth. pag.* 115. de quo Tacitus, vel Quintilianus, vel quis fuerit Auctor dialogi *de oratoribus*, Lilius Gregorius Gyraldus *de Poetar. hist. dial.* 8. *pag.* 317. aliique. Vossius *de quatuor erroribus popularibus cap.* 37. §. 12. *pag.* 207. ait, quòd primus astrologicę artis patrocinium suscepit: sic tamen, ut callide negaret imperatoriam genituram esse astrologorum regulis subjectam: & Pescennius Franciscus Niger in præfatione, Firmici libris præfixa, scribit, primùm omnium de astrologia latinè scripsisse. Octavius Caetanus *in Idea SS. Siculorum pag.* 15. & 125. inter Sanctos Siculos Sanctum Juliū Maternum Archiep. Mediolanensem adscribit, quem Siculum existimavit: & *pag.* 22. quæ rationes ad id suaserint in operis notis se allaturum promittit; at forsan re maturius considerata, ab ejus opere exclusit, nec de eo in notis loquitur. Caetanum forsan olim permoverat dubium à Baronio *anno* 337. *num.* 74. exhibitum, quod lectoribus resolvendum exponit. Suspicatur Baronius, an Julius Mediolanēsis Episcopus, qui Concilio Romano sub Julio II. Pontif. interfuit anno 337. idem sit ac Maternus Episcopus Mediolanensis inter Sanctos relatus, & noster Julius Maternus, qui de erroribus profanarum Religionum scripsit: *Quamobrem*, ait Baronius, *cùm Julium hunc considero suspicione interdum pulsor, num idem hic sit cum Materno ejusdem Civitatis Antistete antiquis scriptis, & memoriâ anniversariâ ex tabulis Ecclesiasticis celeberrimo; idemq; cognominatus fuerit Julius Maternus; atque fortasse idem ille sit, cujus extat nobilissimus commentarius hoc titulo inscriptus: Julii Firmici Materni V. C. de Mysteriis, & erroribus profanarum Religionum ad Constantinum, & Constantem Augustos liber. Nomina quidem consentiunt, & tempora æquè conveniunt, licèt in titulo illo nomen tantum Episcopi desideretur, errore forsan librariorum omissum. Volumus hęc innuisse solùm: prudens verò lector accuratè dijudicet.* Hanc Baronii conjecturā, quam sequitur Severinus Binius *in notis concilior.* reiicit Labbeus cit. *de scrip. Eccl. pag.* 661. & Edmundus Aubertinus apud ipsum, Gulielmus Cave *in hist. literaria script. Eccl. pag.* 110. & Ioannes Mollerus *de scriptoribus Homonymis cap.* 6. *n.* 64. *pag.* 594. & meritò, nam S. Maternus Episcopus Mediolanensis floruit sub Diocleatiano, & Maximiano Imp. ut ex actis S. Victoris Mart. apud Surium 2. *Maii*, & Martyrologio Romano 18. *Julii* colligitur; & ad martyrii palmam evolavit circa annum 307. 18. Iulii ex Ferd. Ughello *tom.* 4. *Italiæ Sacræ pag.* 62. etsi Ioannes Franciscus Bisozzus *in hist. Pontific. Mediolens. n.* 9. *pag.* 15. sub anno 311. statuat. Iulius verò, sive Iulius Maternus, qui Romano Cōcilio interfuisse dicitur sub Iulio II. Pontif. purum figmentum putat Aubertinus cit. apud Labbeum. Præter citatos auctores Firmici meminere Iosephus Blancanus *in clarorum Mathematicorum chronologia pag.* 52. Claudius Franc. Milliet *in*

cursu

cursu Mathemat. tom. 1. *tract. proœmial. pag.* 81. Cardanus *in* 4. *Ptolom. contextu* 74. qui ipsum laudat ob linguę candorem, & memoriam vetustatis, Tobias Magirus *in Eponymologio critico pag.* 82. Hofmannus *in lexic. tom.* 1. *pag.* 872. Morerius *in dict. tom.* 1. *pag.* 1252. aliique. Scripsit

Matheseos, sive de vi, ac potestatibus stellarum, ex Ægyptiorum, & Babyloniorum doctrina libros octo, ad Mavortium Lollianum Asiæ Proconsulem. Primùm excusos Venetiis 1499. in fol. ex Guilelmo Cave cit. à Pescennio Francisco emendatos. Edidit unà cum Manilii Astronomicis, Arati Phænomenis, cum Theonis commentariis Græcis Aldus Venetiis 1501. in fol. Excudit etiam Hervagius cum aliis astrologicis libris, ab innumeris mendis expurgatis à Nicolao Pucknero astronomo Basileæ 1533. in fol. iterum Basileæ 1591. & sæpius unà cum Manilio, & Ptolomæi astrologicis libris latinè translatis.

De errore Profanarum Religionum ad filios Constantini Magni Constantinum, & Constantem Augustos librum. Primùm ex m. s. Mindensi vulgavit Matthias Flacius Argentorati 1562. in 8. inter mythologos latinos curâ Hieronymi Commelini Heidelb. 1599. in 8. Parisiis 1575. 1589. & 1610. ex recensione Ioannis Wowerii, ab eodem eruditis notis illustratum Hamburgi apud Frobenium 1603. in 8. Lugduni Batavorum ex Officina Iusti Livii 1645. in 12. & ex Officina Hackiana 1672. Sæpius quoque cum Minutio Felice de Idolorum vanitate prodiit Parisiis 1643. ex Labbeo *de Scrip. Eccl. tom.* 2. *pag.* 93. & 94. & præsertim accedente curâ Iacobi Oiselii Lugduni Batavorum 1652. in 4. & 1662. in 8. Oxoniæ typis L. Lichfield 1678. cum Minutio Felice, & Cæcilio Cypriano de Idolorum vanitate, ex diario literatorum Romæ *an.* 1679. *pag.* 137. Item in calce operum S. Cypriani ex recensione Philippi Priorii, Parisiis apud Ioann. Depuis 1666. in fol. ex Oudin *in supplemento de Scriptoribus vel scriptis Ecclesiast. à Bellarmino omissis pag.* 19. & in calce eorumdem operum S. Cypriani, quæ edidit Nicolaus Rigaultius Parisinus 1664. & codē Oudin *pag.* 27. Item in Bibliotheca Patrum novissimæ editionis Lugdunensis an. 1677. in fol. *tom.* 4. *pag.* 164. Quædam hujus libri loca castigat & illustrat Io: Fridericus Gronovius *in Monobiblo Observationum Eccles. cap.* 9. Scripsit etiam

Singularem librum de Domino genituræ, & chronocratore, ut ipsemet testatur Matheseos *l.* 4. *cap.* 14. Pollicetur etiam *lib.* 5: *c.* 1. Alios 12. *Astrologiæ libros*. & *libro* 7. *cap.* 6. librum suum citat *de vitæ fine*.

JULIUS FRONTINUS v. Sextus Julius Frontinus.

JULIUS JANDADONUS Saccensis Ordinis Prædicatorum, gravioribus studiis expletis, Baccalaurei munere fuit insignitus. Vir pręcelsæ contemplationi addictus, à morum integritate, ac solidarum virtutum ornamento commendatus enituit. Superiorum jussu Monialium conscientias sub regula S. Dominici degentiū Saccæ moderatus est: & Panormi in Cœnobio S. Citæ religionis tyrones instruxit, ut etiam Romæ in Cœnobio S. Sabinæ ubi egregiis meritis cumulatus placidissimè decessit circa annum 1680. Edidit Italicè

Fascetto di Rose raccolto dall'Evangelio, e SS. Padri, per poter meditare con devotione li Misterii del SS. Rosario. Panormi apud Buam, & Camagnam 1670. in 12. & iterum Ibid. apud Dominicum Anselmum 1682. in 12.

JULIUS MAZARINUS Panormitanus Soc. Iesu, Genuâ oriundus, vir eloquentiâ clarissimus; qui nepotes ex fratre habuit celeberrimum Iuliū Mazarinum, & Michaelem Mazarinum S. R. E. Cardinales. Natus Panormi anno 1544. anno 1559. Societatem amplexus est. In ea confecto studiorum curriculo inter illustriores ævi sui annumeratus, pietate, doctrinâ & eloquentiâ mirabiliter excelluit. Philosophiam Panormi, Theologiam Parisiis maxima cum ingenii laude, plausuq; docuit. Prudentiâ singulari præditus Collegia Genuense, & Ferrariense, ac Domum Professorum Panormitanam gubernavit. Studia in nonnullis Siciliæ locis excitavit. Cum quodam Episcopo diœcesim lustrando multa incommoda, & Hæreticorum molestias in Valletellina passus est. Acri, facilique pollebat ingenio, ad quæcumque, licèt ardua, pertractanda egregio. Cùm autem summâ prudentiæ, ac doctrinæ opinione apud omnes polleret, passim ipsum de rebus gravioribus consulebant. In studio, & labore indefessus, otii hostis acerrimus sese detexit. In concionibus ad populum habendis omnium calculo suo tempore princeps: ejus enim orationis cultus, verborum copia, ac suavitas demirabantur, quibus auditorum animos devinciebat, & quocumque vellet flectebat: ad hæc veluti à natura mirabiliter efformatus. In celebrioribus Siciliæ, & Italiæ Civitatibus per quadraginta annos concionatoris munere functus, plausibus, & mirâ populorum frequentiâ semper auditus, immortalem sibi nominis famam, Patriæ, ac Societati singularem opinionem, & gloriam comparavit. Bononiæ totis 16. annis continuò in Majori D. Petronii Templo conciones habuit, semper laudibus cumulatus, ac eâ doctissimorum hominum approbatione, ut ipsorum nonnulli liberè asserere non dubitaverint, Societatem Iesu difficiliter alium, qui Julio succederet, inventuram. Tandem immortali redimitus gloria, Bononiæ apoplesiæ ictu confossus quatriduo fato cessit 22. Decembris an. 1622. ætat. 78. Hujusce laudes leges apud Bibliothecam Societ. Iesu *pag.* 534. Franciscum Baronium *de Maest. Panor. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 112. Hippolytum Marraccium *in Biblioth. Mariana par.* 1. *pag.* 838. Ioan. Bap. Marinum in libro inscripto: *Galleria par.* 1. *pag.* 169. *in Lyra par.* 3. *pag.* 128. & *in Epistola ad Claudium Achillinum*, præfixa libro, cui titulus, *la Sampogna*. Secundum Lancellottum in libro: *Hoggidì par.* 2. *dising.* 11. *pag.* 170. Joan. Clessium *in elencho virorum literator. pag.* 544. Michaelem Justinianum *de Scrip. Liguris pag.* 467. Augustinum Oldoinum *in Athenæo Ligustico pag.* 384. Joan. Bapt. Ricciolium

lium *in Chron. Refor. tom.4. ind.2. pag.252.* Philip. Labbeum *in Chron. Pinacoth. Script. Soc. Jesu pag.* 345. Ludovicum Morerium *in diction. tom.2. pag.* 551. Ioann. Mollerum *de Script. Homonymis sect. 1. cap. 3. num. 15. pag. 67.* Felicem Gerardum *diar.22. Decem.pag.232.* Edidit Italicè

David di Giulio Mazarini della Compagnia di Giesù. Cento discorsi su'l cinquantesimo Salmo, e'l suo titolo intorno al Peccato, alla Penitenza, e alla Santità di Davide. Romæ apud Aloysium Zannettum 1600. in 4. & Venetiis apud Societatem Venetam 1602. in 4.

David dirizato. Parte Seconda de' discorsi su'l cinquantesimo Salmo, nella quale trattasi d'una parte della Giustitia, e chiedesi la remissione del peccato. Ibid. apud eosdem 1600. e 1602. in 4.

David Ristorato, la Terza Parte de' discorsi su'l cinquantesimo Salmo, nella quale trattasi dell' altra parte della Giustitia, che mira il bene, chiedendosi da Dio varie gratie, e fansigli diverse proferte. Romæ apud Zannettum 1600. in 4.

Hoc opus tripartitum latinitate donavit Henricus Paludanus Ordinis Minorum, & Ernestus Cholinus Wirthii Canonicus Coloniensis, æreisque figuris perpulchris ornarunt. Coloniæ apud Bernardum Gualterium, & Joannem Crithium 1611. in 4.

La Quarta Parte de' discorsi su la conclusione del Salmo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1609. in 4.

De' discorsi sopra la conclusione Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c. con quattro indici copiosi. Venetiis apud Bernardinum Iuntam, Ioan. Bap. Ciottum, & Socios 1611. in 4.

Somma della Vangelica osservanza. Raggionamenti sopra il sermone del Signore, in cui si contiene la somma del giusto, e costumato vivere Cristiano. Parte Prima, nella quale per incidenza si tratta delle prattiche giuste, e de' particolari accorgimenti per lodevolmente esercitare il mestiere del sermonare. In fine una brieve Prattica del predicare, ricavata da' detti raggionamenti. (in hac praxi *cap.14.* extat oratio Panegyrica de S. Agatha V. & M. Panormitana) Venetiis apud Ioannem Guerilium 1615. in 4. Hanc concionandi praxim laudat P. Claudius Acquaviva Præpositus Generalis Soc. Iesu in epistola sua ultima, quam omnibus Societatis Provinciis dedit anno 1613. Hæc autem praxis seorsim edita est Brisgoiæ apud Ioannem Dulckin 1621. in 8. ex Bibliotheca Classica *pag. 134.*

De' Raggionamenti su'l sermone del Signore in Mõte Parte Seconda, nella quale si spiegano le quattro prime beatitudini della Povertà, della Mansuetudine, del Lutto, e della Fame. Venetiis apud Ioannem Guerilium 1615. in 4.

De' Raggionamenti su'l sermone del Signore in Monte. Parte Terza, nella quale si spiegano altre tre beatitudini della Misericordia, della Monditia, e della Pace. Bononiæ apud hæredes IuliiRossi 1618. in 4.

De' Raggionamenti su'l sermone del Signore in Monte Parte Quarta, nella quale si spiega l'ottava beatitudine delle Persecutioni, e si và innanzi al rimanente del sermone. Ibid. apud eosdem 1618. in 4.

Il Colosso Babilonico delle Considerationi mistiche su'l sogno della Statua di più metalli, che hebbe il Re Nabucòdonosore di Babilonia, e scrisse Daniello. Parte Prima. Ibid. apud eosdem 1619. in 4.

Il Colosso Babillonico &c. Parte Seconda. Mediolani apud Pontium, & Piccalii 1625. in 4. opus posthumum.

JULIUS MORA nobilis Syracusanus Eques Hierosolymitanus, in Equitum albo ascriptus anno 1590. literarum gloriâ enituit. Musas recoluit, & inter Incognitos, & Cruscanos Academicos relatus, sui opinionem excitavit. Hujus meminit Andreas Minutolus *in not. Prioratus Messanensis pag.47. & 235.* Edidit Italicè

Armida moribonda Idillio. Messanæ apud Petrum Bream 1614. in 12.

Alia in lucem emisisse tradunt, quæ non vidi.

JULIUS ORISTANEUS Drepanitanus, Organicus peritissimus in Regio Sacello Panormi. Ejus meminit Leonardus Orlandinus *in descript. Drepani pag.53.* Edidit

Responsoria Nativitatis, & Epiphaniæ Domini, quæ quatuor vocibus concinuntur. Panormi apud Io: Ant. de Franciscis 1602. in 4.

Italicè.

Primo libro de' Madrigali à 5. voci. Venetiis apud Angelum Cardanum 1588. in 4.

In libro etiam inscripto: *Infidi lumi Madrigali à 5. voci di diversi Autori Siciliani.* Panormi typis Io. Bap. Maringo 1603. in 4. extãt aliqua ejusdẽ Julii.

JULIUS PHILOTEUS, DE HOMODEIS Siculus, cujus patria in obscuro est: edidit Italicè

Della notabile, e famosa historia de' felici amori del Delfino di Francia, e di Angelica Loria nobile Siciliana libro primo, nuovamente ritravata, e dall'antica lingua Normanna tradotta nell'Italiana. Venetiis apud Lucium Spinedam 1609. in 8.

Libro Secondo, Terzo, e Quarto. Ibid. apud eumdem 1609. in 8.

JULIUS DE SIMONE Siculus incertæ patriæ, Poeta, & Orator insignis. Literatis viris gratus, Romæ claruit anno 1520. & in quadam Academia Romana ascriptum tradunt. Edidit

Orationem de Poeticæ, & Musarum triumpho, Romæ die S. Lucæ in Templo D. Eustachii habitam. Romæ apud Iacobum Mazochium 1518. in 4.

Panegyricum gratulatorium in laudem Julii Medices Academiæ Romanæ alumni, anno 1523. ad Pontificatum evecti Clementis VII. nomine, ejusdem Academiæ nomine dicatum. extat m. s. Neapoli in Bibliotheca Cœnobii S. Dominici Majoris vol.7. ex Michaele Iustiniano *de Script. Liguris pag.310.*

Carmina de Epulo à Paulo II. Pont. Max. Populo Romano dato. ex Philippo Bonanno in libro: *Numismata Pontificum tom.1. pag. 87.* ubi de Paulo II. ait: *Italiæ rebus compositis, ut Populo Romano amoris argumenta præberet, Paulus dedit illi epulum lautissimum, ut narrat Platina, in ædibus apud S. Marcum, versibus à Julio Simone Siculo expressum id fuit.* Hoc prius scripserat Andreas Victorellus *in addict. ad Ciacconium de Vitis Pontif.* ex editione Augustini Oldoini *tom.2. pag. 1079.*

Carmina in laudem Andreæ Jacobatii Defacceschis

schis in ejus libro inscripto: *Ethonnicos*, servantur m. ss. Romæ in Bibliotheca Palutii de Alteriis S.R.E. Cardinalis, teste Clar. Prospero Mandosio *in Bibliotheca Romana vol.2. cent.7. nu.60.pag.121.*

JULIUS THOMASIUS, & CARUS Dux Palmæ, Lampadusæ Princeps, Baro Montis Clari, Eques S. Jacobi de Spada, vir sanè omni laude dignissimus, in hac Bibliotheca non ultimum sibi vindicat locum. De ejus nobilitatis genere, virtutibus, rebusque gestis omnia si cupis, consule ipsius vitam à P. Blasio à Purificatione Carmelita Excalceato editam Romæ anno 1685. pauca hìc summis digitis, juxta mei instituti rationem attingam. Natus Ragusæ 17. Octobris anno 1614. parentibus Ferdinando Thomasio Montis Clari Barone, & Isabella Restia nobilitate præclaris; à teneris annis sanctè educatus, pietate enituit. Parentibus defunctis sub Marii Thomasii patrui cura vixit. Cùm autem Carolus frater geminus, de quo supra *pag.* 130. condito Palmæ oppido, jam Ducis titulo insignitus mūdi illecebras declinasset, Clericorum Regulariū institutum amplexus, nostro Iulio omnia familiæ bona accessere. At amplissimæ dominationis fortunæ à virtutum studio Iulii animum haud avertere valuerunt; domesticas enim res ita disposuit, ut palatii sui ædes regularis Cœnobii claustra æmularetur; ipse verò virtutes omnes eâ animi sedulitate amplexus est, ut omnibus exemplo fuerit. Flgrantissimum erga Deum amorem, egregiam erga proximos, præsertim pauperes, & ægrotantes, charitatem detexit. Religione, corporis materatione, humilitate, ac morum innocentiâ mirum in modum effulsit. Dominica mysteria tenerrimo cordis sēsu venerabatur: præcipuè verò Christum patientem impensè recoluit. Singulari Religione Deiparam Virginem prosequutus, ab ipsa nonnullis beneficiis auctus est. Publicam subditorum curam pietate, mansuetudine, ac prudentiâ ita condidit, ut omnes non ut ad Dominum, sed ad patrem confugiebant. In oppido Palmæ multa excitavit pietatis fomenta; ac profusâ liberalitate sacra ædificia sanctè fundavit; nempè, Monilium gynęceum, Eremum Montis Calvarii pro Clericis Minimis, Dominicæ passionis cultui, aliisque piissimis operibus addictam, in quam ad spiritualia exercitia obeunda sępius secedebat. Principem Ecclesiam, Montem Pietatis, puellarū orphanarum Domū, Ecclesiam S. Mariæ Lauretanæ, Nosocomium pro pauperibus ægrotantibus, ac sodalitia nonnulla erexit. Ven F. Alipius à S. Iosepho Panormitanus Ordinis Excalceatorum S. Augustini, (hic Lepti Magna in Numidia anno 1645. 17. Februarii à Barbaris in odium fidei interemptus est, cujus ossa in Siciliam delata Iulius acceperat) ut in Sanctorum albo relatus publicam venerationem assequeretur apprimè curavit. Sobolem, quam à Rosalia Traina uxore piissima acceperat eo studio educavit, ut omnes ad sanctimoniæ culmen direxerit: Iosephus enim primogenitus, sæculi rebus nuncio remisso, Clericorum Regularium institutum amplexus est. De eo supra *pag.* 382. Ferdinandus, ut vixit, sanctè decessit, ejusque vitæ relationem Romæ edidit anno 1685. laudatus Blasius à Purificatione. Maria Crucifixa à Cōceptione, sanctitatis famâ celeberrima monialis, cujus vitā nuper scripsit Hieronymus Turanus, & in lucem emisit Agrigenti anno 1704. de qua suo loco. Aliæ tandem ejus filię in Religiosissimo Monasterio Palmæ, virtutes latissimè redolētes, vivunt. Superstite adhuc uxore castitatis votum edidit: eâque celebratum Monasterium ingressâ, ipse impensius christianę perfectioni incubuit. His egregiè perpetratis, ne dum in Sicilia, verùm etiam alibi venerationem promeruit, pręsertim Sfortię Pallavicini S.R.E. Cardinalis, à quo multas Sanctorum Reliquias accepit, pręcipuè corpus S. Traspadani Martyris, cujus translationem magnificentissimè celebravit. Magnâ etiam ęstimatione vixit apud Hyacinthum de Samione Marchionē Pianezę. A Carolo II. Catholico Rege Principis Lampadusę titulo auctus est ex privilegio dato Matriti 13. Augusti anno 1667. Tandem meritis plenus in eodem Palmę oppido non sine sanctitatis opinione decessit 21. Aprilis anno 1669. Magnâ pompâ, & uberrimis oppidanorum lacrymis parentatus in Ecclesia Monialium sepultus est, in qua hęc legitur inscriptio marmori insculpta.

Julius Thomasius, & Carus,
Ut Vitæ fabula, ævi umbra,
fati dies,
Menti assidua recordatione
Observarentur,
Vivens sibi posuit.

Præter laudatum Blasium à Purificatione, ipsum laudant Sfortia Pallavicinus *in epistolis pag.* 30. 265. *& seq. usque ad* 291. Franciscus Maria Magius *de sacris Cæremoniis tom.* 1. *opusc.* 1. *disq.* 12. *pag.* 89. 90. *&* 91. *opusc.* 4. *pag.* 332. *& tom.* 2. *disq.*21. *pag.* 433. *& disq.* 24. *pag.* 461. *& seq.* & pluries *in Vita Alipii à S. Josepho per totum*, Hieronymus Turanus *in Vita Mariæ Crucifixæ à Conceptione l.1.c.1.p.2. & seq.* & Ioann. Bonifacius Bagatta *in Vita Caroli Thomasii par.* 1. *cap.* 1. *& seq.* Scripsit Italicè

Brieve notizia de' Cavalieri di S. Giacomo. Extat in Vita ejusdem edita à laudato Blasio à Purificatione. Romæ typis Iosephi Vannacci 1685. in 4. *lib.*1. *cap.*22. *pag.* 111.

Instruttione data à D. Ferdinando suo figlio per il Viaggio d'Italia, e di Germania. Sentimenti, e proponimenti spirituali. Ibidem in fine *à pag.* 350. & alibi in eadem Vita.

Lettere. In eadem vita, ut etiam apud Franciscum Mariam Magium *in vita Ven. F. Alipii à S. Josepho cap.*10. *à pag.* 148. *& seq.*

JULIUS XIFO. v. Julius Siclensis.

JUNIPERUS DREPANITANUS Ordinis Strictioris Observantiæ S. Francisci, vir doctissimus: Philosophiam, ac scholasticam Theologiam docuit, & à doctrinæ profunditate in Hispaniæ, & Italiæ lyceis celebris vixit. Eâ mentis contentione in graviorum scientiarum speculationibus se-

se

se immergebat, ut multoties à sensibus penitus abstractum, ac naturali extasi affectum observaverint. Concionator etiam non vulgaris, inter eximios Oratores enituit. Ad nonnullos honorum gradus virum egregium evexere doctrinæ promerita; nam Romæ in Basilica S. Joannis Lateranensis Pœnitentiariū egit. A confessionibus fuit Ducis Olivarensis, Mediolanensis Provinciæ Gubernatoris, qui insigni æstimatione Juniperum prosequutus est. A Laurentio Campegio Episcopo Senogalliensi, Apostolico Delegato, missus est Commissarius, & Apostolicus Visit. ut Comitiis Provinciæ Carthaginensis in Hispania præesset. Fuit etiam Provinciæ Siculæ Vallis Mazariæ Definitor, ejusdem Provinciæ anno 1643. ut ajunt, Custos Vocalis, & tandem anno 1647. Provincialis. Sed dum eamdē Provinciam laudabiliter moderabatur, non sine sodalium suorum dolore Panormi decessit 24. Augusti 1648. De eo scripsere Lucas Wandigus *de Scriptor. Minorum p.* 233. Petrus Tognolettus *in Paradiso Seraphico par.* 1. *lib.* 5. *c.* 1. *p.* 573. *c.* 3. *pag.* 585. *c.* 6. *pag.* 589. *c.* 7. *pag.* 590. *cap.* 9. *pag.* 592. *& cap.* 11. *pag.* 593. *& par.* 2. *lib.* 7. *c.* 67. *pag.* 393. *& cap.* 74. *pag.* 418. Edidit

Disputationes Commentarias pro Juris Pontificii defensione in novam Urbani VIII. extensionem revocatoriæ Constitutionis omnium Privilegiorum vivæ vocis oraculo factorum Gregorii XV. in quibus Summi Pontificis legislativa potestas inferendis, revocandisque favorabilibus legibus contra nonnullos defenditur. Lugduni sumptibus Laurentii Durandi 1637. in 4.

De Casibus Reservatis, sive de Regularium Prælatorum Jure reservationis, juxtà formam Clementis VIII. super casuum reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandam; Tractatum. Venetiis apud Turrinum. 1652. in fol.

Reliquit etiam m.ss. hæc alia, nempè

De Immunitate, & libertate Ecclesiastica. in fol.

Totius Theologiæ Moralis omnium controversiarum securiores sequendas conclusiones. in fol.

JUSTINUS, sive ut aliis placet, JUSTINIANUS Episcopus in Sicilia, claruit anno 483. sub Felice III. Pontifice, & Concilio Romano interfuit ab eodem Pontifice coacto contra Petrum Fullonem, dictum Gnaphæum, Antipatriarchā Antiochiæ, qui dolo eā in Ecclesiā sese intruserat post exilium Calendionis Patriarchæ. Ab ea cathedra hæresis venenum Petrus evomuit, ac sese detexit hæresi Eutychianâ, Apollinari, & Sabellianâ fœdatus: nam cœlesti Trisagio *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis,* addidit, *qui passus est pro nobis,* quo Triadi Dominicam Passionem adscribit: ideoque Felix Pontifex unà cum Romano Concilio Petri errorem damnavit, ut ex Baronio *tom.* 6. *ad ann.* 483. *num.* 63. habemus. Aliqui Episcopi Orthodoxæ fidei zelo flagrantes nonnullas Epistolas Petro dederé, ut ipsum ab hæresi revocarent, quas legere est *tom.* 2. *Conciliorum Generalium.* Horum unus fuit Justinus Episcopus in Sicilia, cujus Epistola extat *in eodem tomo Conciliorum Generalium,* ex editione Coloniæ Agrippinæ 1606. *pag.* 225. ita inscripta:

Epistola Justini Episcopi in Sicilia ad Petrum Fullonem, quoniam non oportet additionem Crucis esse in Trisagio, ut non inducas duos filios. Hic extat latinè edita, sed ipse Græcè scripsit: & in Italicam linguam vertit Augustinus Inveges *in Panormo Sacra pag.* 407. Hanc Justini Epistolam, cum aliis sex Episcoporum, nempè Quintiani Ausculani Episcopi, Antheonis Arsinoës Episcopi, Faustini Apolloniadis, Amphili Abydorum, Asclepiadis Tralliarum, & Flacciani Rhodopensis Episcopi, quæ ibidē extant, suppositicias esse contendit Valesius *in dissert. in Petrum Fullonem cap.* 4. *pag.* 177. ad finem *vol.* 3. *hist. Ecclesiast.* at Gulielmus Cave *in Scriptorum Ecclesiasticorum historia literaria pag.* 262. Valesii argumenta satis infirma solvit: & iisdem Episcopis vindicare studet: sed hoc cum eodem affirmat, quòd supradictæ epistolæ non ex Græco in latinum, sed vice versa translatæ fuerint. Cùm autem nomen Urbis, cui præfuit Justinus deficiat, Siculi Scriptores certantes, de ejus sede contendunt: nam Albertus Piccolus *de Antiquo Jure Ecclesiæ Siculæ par.* 1. *cap.* 22. *pag.* 58. quem sequuntur Carolus Morabitus *annal. Ecclesiæ Messanen. tom.* 1. *pag.* 372. Placidus Reina *in not. hist. Messan. par.* 2. *pag.* 397. Stephanus Maurus *in sua Messana cap.* 26. *pag.* 250. Josephus Ambrosius *in solemn. Epist. Marianæ pag.* 420. & Hieronymus Ragusa *in Elogiis Siculorum pag.* 169. (qui ibidem Joannem Baptistam de Grossis citat *in Catanensi Decacordo corda* 9. ubi nec verbum de Justino: at *in Siciliæ vet. Bibliotheca pag.* 168. deleto Archiepiscopi Messanensis nomine, Episcopum tantùm nominavit) Archiepiscopum Messanensem fuisse contendit: immò Metropolitico Jure Siciliæ potitum: hoc autem probare conatur, primò, quia in epistola allata: *Episcopus Siciliæ* renunciatur: quo innuit Siciliæ Metropolitani fuisse, nam moris fuisse, ait, veteri ævo Metropolitanos solo Provinciæ nomine, non Urbis, cui præerant designari. Secundò, quia in epistola scribit Justinus: *Si autem non velis tu, Fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipsis, qui unà mecum scripserunt, custodiemus nos ipsos ab scandalis.* E quibus verbis deducit eas literas de communi Prælatorum Siculorum sententia scripsisse tamquam ipsorum caput. Ideoque si Metropolitanus Justinus, concludit Piccolus, ergo & Messanensis; nam Metropolitani Iura eo ævo præter Messanensē Antistitē, solùm Syracusana Ecclesia prætendere poterat: at huic tunc præerat Eulalius. Hæc ex Piccolo; sed ipsius loquendi ratio à Roccho Pirro *in not. Eccl. Panor. pag.* 59. irridetur; & rejicitur ab Augustino Inveges *in Panor. Sacra ad annum* 483. *pag.* 409. *& in Panor. Nobil. pag.* 304. nam primò scribunt, in epistola Iustini non legi: *Justini Episcopi Siciliæ,* ut legunt Piccolus, ejusque sectatores, sed *Episcopus in Sicilia,* ut legere est in Conciliis editionis Coloniæ Agrippinæ an. 1606. *tom.* 2. *pag.* 225. cui addo Baronium *tom.* 6. *annal. an.* 483 *n.* 57. ex codice Vaticano: *sequebatur,* ait, *in codice post Quintiani literas epistola Justini Episcopi in* Sici-

Sicilia ad eumdem Petrum: ita etiam Octavius Caetanus *tom.* 2. *SS. Sicul. in animad. pag.* 106. qui scribit: *extant Graecae Epistolae Justini in Sicilia Episcopi. & in Isagoge ad histor. Siculam cap.* 42. *num.* 9. *pag.* 352. & Guilelmus Cave *in Scriptorum Ecclesiasticorum hist. literaria an.* 484. *pag.* 262. qui ait: *Justinus urbis cujusdam in Sicilia Episcopus.* Hinc mendacii nota, quam Morabitus *cit. pag.* 375. & Reina *cit. pag.* 400. contra veritatis candorem Augustino Inveges appingere audent, contra ipsos retorquetur; cùm ex adductis locis, in epistola Iustini, ab omnibus legere est: *in Sicilia Episcopi*, non *Siciliae Episcopi*. Ideoque cum eodem Inveges *in Panor. Sac. pag.* 410. puto, ex epistolae titulo non deduci dignitatem in tota Sicilia, sed domicilium in Sicilia. At esto dicat: *Episcopus Siciliae*, ait Pirrus *in not. Eccl. Panor. pag.* 59. *neque ea appellatio significat illum totius Siciliae Metropolitam fuisse*: quod etiam ex his quae scripsit idem Pirrus *in not. Eccl. Messan. pag.* 266. *& seq.* patet. Ad secundam verò rationem, nempe quòd Episcoporum Siculorum nomine scripserit, utpote Metropolitanus, respondendum: scripsisse non omnium nomine, sed omnes scripsisse Episcopos Siculos; & ipsū cum aliis, & forsan aliorum epistolae deperditae sunt, ut innuit rectè Inveges *cit. pag.* 410. At mihi indubitatum videtur, Justinum è Romano Concilio scripsisse: & cùm meminerit Episcoporum fratrū, innuere voluisse, Patres ibi in Concilio coactos: nam quā occasione Iustini epistola in Actis Concilii Romani servatur, nisi in eo fuerit scripta? Baronius autem *tom.* 6. *ad an.* 483. *num.* 58. ait: Flaccianum Episcopum Rhodopensem etiam ad Petrum Fullonem aliam scripsisse epistolā in actis ejusdē Concilii escriptam, qui eidem interfuit. Ad tertiam rationem, sive illationem, quòd cum Justinus Siciliae Episcopus fuerit, dicendus Episcopus Messanensis; nam Messanā Siciliae Metropolim putat: respondetur primò, Justinum, ut dixi, non fuit Metropolitanus: secundò, esto fuerit Metropolitanus, non ideo fuit Episcopus Messanae: nam ex Pirro *not. Eccl. Panor. pag.* 60. *not. Eccl. Mess. ad ann.* 504. & Inveges *in Panor. Nob. pag.* 304. *&* 305. clarè liquet, quod Messanensis Ecclesia tunc metropoliticā dignitate haud fruebatur: hinc ad ipsos lectorem remitto, ne in longum hujus Episcopi notitias protraham. Exclusā igitur Ecclesiā Messanensi, alia sunt dicenda de Ecclesiis, quibus ascribitur. Pirrus *not. Eccles. Panor. pag.* 59. & cum eo Vincent. Auria *in Chronologia Archiepiscopor. Pan. in fine hist. Crucifixi Panor. pag.* 179. inter Archiepiscopos Panormitanos Justinum collocat, non quia Panormitanum Praesulem putet, sed cùm ignoretur ejus Ecclesia, ne hujus memoria excideret, rectè putavit, reponendum inter Archiepiscopos Panormi, utpote Regni Capitis. Hinc perperam Inveges *in Panor. Sacra pag.* 409. & cum eo Morabitus *cit. pag.* 375. Pirrum refellit, dum putat, Pirrum ideo inter Panormitanos annumerasse, quia per haec tempora Theodoricus Gothorum Rex captā Siciliā, Regiam suam Panormum constituit: quod errorem sapit, nam Theodoricus Sic. in sui Dominium redegit an. 515. At ambiguitate laboravit Inveges, & cum eo Morabitus; nam id Pirrum permovit: *ne ejus Episcopi nomen intercideret*: nec ipse ad Theodorici ævū Iustinum rejicit, sed ante ejus tēpora constituit, nēpe anno 480. at cùm ipsi post Iustinum alia non occurrerint scribenda, ad Theodorici imperium transiit: ideoq; lapsum Invegium censeo, qui ex falsa interpretatione, Iustinum ab Ecclesia Panormitana expungit: sicuti enim incerta est Iustini Ecclesia, ita possibile est fuisse Panormitanā. At omninò à vero aberravit Morabitus *cit. pag.* 374. qui ad excludendam Panormitanam Ecclesiam ait: Panormi tunc Episcopum fuisse Gratianum, qui ab anno 451. usque ad 503. Panormitanam rexit Ecclesiam; & anno 503. Romanae Synodo interfuit sub Symmacho Pōtifice: nam licèt certum sit Panormi Episcopum fuisse Gratianum anno 451. ex Pirro *cit. pag.* 59. at falsum omninò est, usque ad annum 503. vixisse, & in Concilio Romano interfuisse, ut sine ullo auctoris suffragio Morabitus scripsit: nam in actis ejusdem Concilii Gratianus Episcopus Panormitanus non legitur. Addo quòd anno 455. post Gratianū Panormitanam moderatus est Ecclesiam S. Mamilianus Archiepiscopus Confessor, ut habemus ex Ludovico Jacobillo *t.* 1. *SS. Umbriae p.* 563. *& t.* 3. *p.* 484. Vinc. Auria *in Relat. Crucifixi Panor. pag.* 219. & Josepho Marascia *in resolut. histor. de duobus SS. Mamilianis*, aliisque Scriptoribus apud ipsum. Idem Inveges *cit. pag.* 411. perpendens, quòd Iustinus Ecclesiae suae nomen sub silentio praeteriit, suspicatur, non Ecclesiae primariae Episcopum fuisse, sed alicujus obscuri nominis Ecclesiae, puta Tauromenii, Tripcolae, Hyccarae, Thermarum, Halesae, vel Tyndaris: sed infirma videtur Invegii conjectura; nam ut Morabitus *pag.* 376. indicat, alii Episcopi, qui Ecclesiis forsan inferioribus praefuerunt, urbes suas etsi minus conspicuas, nominare nō neglexerunt: immò quia in tanti ponderis re scripsit, & ita doctè, ac sapienter, conjectari rectè potest, Urbis cujusdam Principis Antistitem fuisse. Hinc enervatur Vincentii Soliti conatus *in hist. Thermar. tom.* 1. *par.* 3. *cap.* 6. *pag.* 111. qui Invegii conjecturae innixus, Iustinum Ecclesiae Thermitanae Episcopum proponit: etsi fateri non praeteriit rem dubiam esse. Demum ut digressioni finem imponam, rem incertissiam esse concludo: ac divinare auderet, qui in re tenebris undique obsita, sententiam proferre vellet: ideoque dum veritatis lumen non elucet, hujus eximii Praesulis Ecclesiam incertam esse concludo. Extat liber Justini inscriptus:

Quaestionum CXLVI. Responsiones ad Orthodoxos, inter opera Justini Martyris. Non esse hujus Martyris foetum liquet; in eo enim Origenem, & Irenaeum citat, ipso posteriores, ut observant Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast.* Gulielmus Cave *in Scriptor. Ecclesiast. historia literaria an.* 140. *pag.* 28. & Labbeus *de Scriptor. Ecclesiast. tom.* 1. *pag.* 669. aliique apud ipsos. At Henricus Doduvel;

..vellus *dissert.* 3. *ad Irenæum* apud eumdem Cave, & Joannes Mollerus *de Scriptor. Homonymis cap.* 5. *num.* 47. *pag.* 497. opus hoc nostri Justini Siculi fuisse censent.

JUSTINUS FIMIA Catanensis Societatis Jesu, natus anno 1608. Societati se adjunxit anno 1625. in eaque quatuor votorum professionem emisit. Tum doctrinâ, tum morum integritate enituit. Præter humanas literas, Rhetoricam docuit; & amœniori literaturæ gallicam eruditionem addidit. Pietate conspicuus, in divinis laudibus, & gratiarum actione multus erat; omnemque propè vitæ suæ curriculum in animarum beneficio impendit, magno cum labore, ac fructu. Obiit Panormi, relicto nimio sui desiderio, in Domo S.Francisci Xaverii 20.Februarii anno 1641. Edidit

Orationem in anniversaria studiorum instauratione habitam in Aula Collegii Panormitani Societatis Jesu. Panormi apud Decium Cyrillum 1635. in 4.

FINIS TOMI PRIMI.

LAUS DEO, ET MARIAE VIRGINI.

Graviora Typographiæ errata, obiter observata, quæ in opere cudendo irrepsere, hic necessariò corrigenda adnotantur: leviora Lectoris industria facilè corriget.

Prior numerus designat Paginam, Secundus Columnam, Tertius Lineam.

P. C. L. Error	*Correctio.*
3.1.6. Cronem	Creonem
5.2.58.in ferias	inferias
6.1.51.Guliemus	Gulielmus
7.1.37.revocare	revocari
7.2.55.celeberior	celebrior
11.2.34.Hosveydus	Rosvveydus
12.1.17.sæveriores	severiores
14.1.62.veracem	voracem
14.2.32.amatoris	amatorii
16.2.1.Concliis	Conciliis
Ibid. Satribus	Patribus
19.2.13.codibus	codicibus
22.1.52.sumpibus	sumptibus
24.1.14.commnemorans	commemorantem
24.1.41.Discordes	Dioscorides
25.1.40.anctorem	auctorum
26.1.56.amavisset	amovisset
28.1.44.exiguum	exiguam
61.fuit	fuerit
2.14.post animam adde	Panormi
29.2.14minester	minister
30.2.47.omnum	omnium
40.1.54.justu	jussu
41.2.18.sævioribus	severioribus
43.1.4.autograhū	authographū
44.1.30.donata	Donata
2.12.reticiam	reticeam
2.53.scorsim	seorsim
45.1.6. lingua	linguam
45. 2.16.Monochii	Monachii
45.2.32.Gregotius	Georgius
47.1.16. Antierpiēsis	Antuerpiēsis
47.2.19.demesticis	domesticis
50.1.15penicelli	penicilli
52.1.22.servebat	servabat
54.1.27.varor.	varior.
55.1.58.Bononiæ	Bononiam
56.2.5.eodem	eidem
62.1.45. sculpata	sculpta

P. C. L. Error	*Correctio.*
62.2.49. ex latina in Italicā &c.corrige	Ex Italica in latinā linguam vertit *Speculationi morali del SS. Sacramento dell'Eucharistia del P. Benedetto Fedele*, & hoc titulo edidit suppresso nomine. *Theoremata moralia &c.* Panormi apud Hier. de Rossellis 1638. in 4.
63.1.27.longiquo	longinquo
63.1.50.nonnullam	nonnulla
63.2.10.medicinam	medicinalem
65.2.27.æstubat	æstuabat
67.1.47.in Hispanis	in Hispaniis
68.1.11.excellet	excellit
68.2.24.Theologicæ scientiæ	Theologicâ scientiâ
69.1.38.inRomano Martyrologio	in Romanum Martyrologiū
69.2.20.Hierosolimis	Hierosolymas
71.1.16.sæveriorem	severius
71.1.24.contingisset	contigisset
71.2.59.Regentis	Lectoris
71.2.62.*dele*	Petri Octoboni S.R. E. Cardinalis Theologus
72.2.54.in Ecclesiā	in Ecclesia.
Ibid. dele	S. R. E. in
74.2.52.1695	1595.
75.2.38.eisdem	iisdem
76.1.57.lętales	lethales
76.2.47.dubitantur	dubitanter
77.2.19.Noscomio	Nosocomio
77.2.62.Tom. 5.	Tom. 1.

P. C. L. Error	*Correctio.*
80.1.34.Joannes	Joanne
80.1.59.Sine sius	Sinesium
80.2.33.ingenia	ingentia
83.1.62.cap.	cit.
83.2.3.nitorem	nitorē restituit
83.2.18.iudice	indice
84.1.62.patriæ	ætatis
84.2.50.insignitus	insignitos
85.1.15.puto	putem
85.1.41.annum	ante annum
88.1.13. doctrina	doctrinam
88.1.21.Antonius	Antonium
90.1.34.Senensem	Senense
90.1.43.amissionē	amissio
91.1.23. elegantiorē	elegantius
91.2.16.meditabat	meditabatur
91.2.26.meminere	meminit
91.2.36.Lyciæ	Allici
94.1.42.Montis fisconis	Montis falisci
94.1.61.inflammationem	inflammatio
97.1.27.uberem	uberrimum
97.1.63.donatum	donata
97.2.42.Venetianū	Venetiarum
98.2.16.in Regiam Aulam	in Regia Aula;
98.2.24.in proem. de SS.Decem millia	in poēm. de SS.Decem millibus
101.2.21.prophetię insignitū	prophetiæ dono insignitum
101.2.42.utroq:	utriq;
102.2.52.maturas	maturus
102.2.60.callat	callet
104.1.14.tornamētis	torneamentis
104.1.14.tornamētis	torneamētis
107.2.11.Febariæ	Fabariæ
107.2.54.nepote	nepte
108.2. 1.venerabuntur	venerabantur

Pag. C. L. Error	Correctio.
109.2.62.ſublatum	ſublatus
110.1.39.integer	integrum
112.2.20.cum Alii	cum aliis
112.2.22.ſcribi	ſcribere
112.2.37.epiſtolas gratulatio- nibus cu- mulatas	epiſtolæ gratulatio- nibus cu- mulatæ
112.2.42.ejuſdem	eidem
113.2.54.Patritius Spalatenſiis	Paſtritius Spalatenſis Theol. Po- lem.Lector.
114.1.13.Sacræ Con- gregatio- nis Indicis juſſu	Thomæ Fer rarii Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri , nũc S.R.E. Cardinalis juſſu
114.1.15.Merel	Marcel
114.1.26.Orvietana	Urbevetana
115.1.18.Sacramen- tum	Sacramentũ ſingulis Mar- tis diebus
115.1.29.deligunt	delegerunt
117.2.13.in Judeam	in Judæa
118.1.59.Regentis	Lectoris
118.2.20.perfectus	profectus
119.1.37.*duobus*	*duabus*
120.2.38.occurrebnt	occurrebant
120.2.44.aſſiſtit	aſtitit
120.2.48.deſſet	deeſſet
125.1.13.addictam	addicta
126.2.51.Mõtycẽſis	Motycenſis
130.1.46.quas	quæ
131.1.43.Valdarico	Vldarico
131.2.57.*Collibeta*	*Quodlibeta*
134.2.34.Catanẽſis	Ragalbutẽſis
135.2.7.Nicolaum	Natalem
136.1.27.ſpectatur	ſpectamus
137.1.10.opinio	opinionem
137.1.34.evomeat	evomat
137.1.63.Magiſtratũ a civibus o- bediendum, amandum	Magiſtratui à civibus o- bediendum, eũq:amandũ
145.2.29.de ordinis	de ordine
146.2.46.affeciſſe	effeciſſe
148.1.15.ob	ab
149.1.20.Junonius	Junonios
152.2.59.Milliel	Milliet
153.2.18.hi	hos
153.2.54.aliiſque	aliique
156.1.32.nonnullas	nonnullæ
158.2.45.eodem	eidem
158.2.52.utroque	utrique
164.2.19.expulſus	appulſus
174.1.41.regularem	regulare
174.1.57.oblegatus	ablegatus
177.2.12.fractâ	fracto
181.1.49.multiplici- tas	multiplici- tatem
186.2.32.frade	fraude
189.1.28.ſuſpicare	ſuſpicari
190.1.58.caſu	caſui
192.1.24.muneribus	munera
192.2.23.Minorum	Minimorum
207.2.46.Princeps	Principes
212.2.56.regularem	regulare
212.2.23.Iſpicæfũdi vulgò Spac- caſurno	linguæ groſ- ſæ
218.2.39.franctos	fractas
225.1.17.nullus	nullum
225.1.33.ad noſtrum Franciſcum	noſtro Frã- ciſco
225.1.55.multitudo	multitudine
225.2.42.*Parẹnenſis*	*Parẹneſis*
226.1.56.refulgebant	refulgebat
226.2.28.effectus	affectus
231.2.14.ſculpit	ſculpſit
231.2.27.Mõtycenſis	Motycenſis
234.1.1.Podius	Pomius
239.2.63.de S.Stepha- no	de Stepha- no
240.1.5.1638.	1636.
240.1.26.26.	16.
240.1.62.vividum	tertiâ verò ab obitu die vividum
240.2.i.Hunc	Hæc
241.1.55.horum	harum
241.2.56.poſt reggẽdã *adde*	ipſi
242.1.45.cõpeſçendo	cõpeſcenda
255.1.61.prolapus	prolapſus
262.2.32.ejuſedm	ejuſdem
266.1.23.Petrachiſta	Petrarchiſta
275.1.60.Prefationũ	Præfationẽ
280.1.51.mortali	morali
285.1.59.dele	ut
291.2.29.nampè	nempè
295.2.61.laudem	laudum
297.1.41.eruditione	eruditioni
297.2.60.evulgebit	evulgabit
302.1.55.veſtibuto	veſtibulo
302.2.35.anaganuma- tico	anagram- matico
303.1.2.pertrando	pertractãdo
307.1.37.Meſſanſe	Meſſanenſe
307.1.39.Rhginus	Rheginus
307.2.22.gaviſſimos	graviſſimos
310.2.26.utilier	utiliter
311.1.37.honorifico	horrifico
311.1.63.comparuit	comparavit
312.2.17.abrupuit	abrupit
315.2.41.Banonibus	Baronibus
316.1.11.Sepcimo	Septimo
319.2.3.*millia*	*millibus*
320.1.15.inſcriptio	inſcriptionẽ
321.2.3.21.	23.
323.2.19.germnus	germanus
224.1.1.quemdam	quamdam
324.1.6.inſcripto	inſcriptio
324.2.37.novarum	novorum
326.1.52.diſcẽdente	diſcedente
331.2.61.imbundis	inbuendi.
333.1.17.adultationis	adulationis
335.1.48.XII.	Undecimi
335.2.56.Patrónum	Patronus
336.2.37.Panortanus ex nobili fã- lia	Panormita nus ex no- bili familia
337.2.33.Cephalæi	Cephalẹdi
338.2.48.D.Caroli Val- dinæ Princi- pis Valdinæ, ac Rocchæ Marchionis	F.D.Caro- li Valdinæ Equitis Hie- roſolymita- ni.
338.1.48.Jubilitatus	Jubilatus
340.1.3.æques	Eques
340.1.51.pinguiſque	pinguibuſq:
341.2.25.majoris	majori
341.2.28.humilem	humile
342.1.6.Mazarenſis	Mazarenſi
342.1.13.meliorem	melius
342.1.40.Hieronymo	Joanne
342.1.60.millia	millibus
343.1.39.recuſi	recuſa
344.2.2.Mutinæ	Mutinam
344.2.3.Romæ	Romam
344.2.37.bellicè	bellicæ
349.1.63.Palermitano	Meſſineſe
350.1.37.quodam	cuidam
352.1.17.1684.	1584.
353.1.16.aſſumptus	aſſumpto
353.2.59.Pontificiis	Pontificis
356.1.28.excellet in- compertum	excellit cõ- pertum
356.2.16.eumdem	idem
357.2.5.doppo	doppio
357.2.27.ſervavit	reſeravit
357.2.35.conſtitus	conſtitutus
358.1.5.inſculpit	inſculpſit
358.1.42.ipſos	ipſas
360.2.43.abſolutiſſiæ	abſolutiſſi- mæ
361.1.62.coluit	univit
362.2.60.Hius	Hujus
371.1.52.benigniorẽ	benignius
374.2.42.novarum	novorum
375.1.60.Panormi	Panormum
377.1.30.pricipem	princeps
380.1.33.cruremque	cruſq:
380.1.40.infructuoſũ	infructuoſã
381.1.29.univerſalẽ	univerſale
381.2.16.celeberrimi	celeberrimẹ
383.2.31.enumerãdus	enumerãdũ
385.1.50.perantico	perantiquo
390.2.50.veſtiga	veſtigia
391.2.9.*Bernardino*	Benedicto
400.2.16.terremotis	terrẹmotib'
401.1.14.marâ	mirâ
402.2.47.ſalutem	ſalute
403.2.57.mox	mos
405.2.5.Roſario	Stellario
408.1.4.lumina	lumine
409.2.35.unus..alius	unũ.. alium
416.1.46.monilium	monialium

